GH 1703 TM 0995
02/1



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-067242510-18/fragment/page=2

This scarce Book
was presented to
John Ross Coulthart
Esqre J.P. by his
friend Cenny Sho. Darnton
1882

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-067242510-18/fragment/page=3



Ps. 8. 2. Ex ore infan——tum fundasti robur.

FRANEQUERÆ apud LEONARDUM STRICKIUM. 1703.

P. Sluyter sculpsit.

FRANCISCI TURRETINI
SS. Theologiæ Doctoris & Professoris

COMPENDIUM

THEOLOGIÆ DIDACTICO-ELENCTICÆ;

EX

THEOLOGORUM NOSTRORUM;

Institutionibus Theologicis ita auctum & illustratum;

Ut præter Explicationes Theticas & Problematicas in Controversiis verus status proponatur, πρῶτον ψεῦδος detegatur, vera sententia confirmetur, Argumentis ad paucas classes revocatis, præcipuæ Adversariorum Exceptiones & Objectiones diluantur, Calumniæ etiam Adversariorum abstergantur.

Memoriæ juvandæ causa Conscriptum à

LEONARDO RIISSENIO
SS. Theologiæ Doctore & V. D. M.

Cum Catalogo Hæreticorum tam Veterumquàm Recentiorum, unà cum præcipuorum eorum dogmatum Epitome.

Editio postrema prioribus recognitior, & à pluribus erratis tùm in Latinis, tùm in Græcis, tùm in Hebraïcis emendatior.



FRANEQUERÆ,
Apud LEONARDUM STRICKIUM
M. DCC. III.



PRÆFATIO.

Typographus ad Lectorem.

BEne dixit quicunque dixit: *Optima sunt præcepta, quibus nervosa breviſque ponitur ante oculos doctrinæ ſumma tenendæ.*

Etenim

Non quæ mole gravant ſemper ſunt commoda: namque
Gemmula grata magis quam magno pondere ferrum.

Et gravis est sententia Veteris Rabbini: *Omnis homo doceat discipulum ſuum in via brevi.* Compendia quidem vulgò nominant dispendia, ob brevitatem obscuram, & obscuritatem brevem: Sed, nec omnis prolixitas perspicua, nec omnis brevitas obscura. Et compendia rectè adornata memoriæ ac judicio vehementer inservire, creditu haud est difficile. Firmiùs enim tenemus quæ paucis verbis comprehensa sunt; brevibusque Summis dicere, quæ prolixè narravêre alii, artis est. Hinc magni nominis Viri Artifices secuti, qui compendiosis tabulis universum hunc quem calcamus orbem lustrandum præbent, vel Medicos, qui totum medicinarum thesaurum

non secum circumferunt, sed pretiosissima, subitò ingruentibus morbis opponenda secum portant; vel Mechanicos, qui copiosâ variorum instrumentorum suorum supellectili domi relictâ, unicum vel pauca ad varios usus commoda sibi habent quasi propria vel familiaria; vel milites, qui paucioribus armis instructi feliciùs pugnant, si ea ritè tractare sciant, quàm ἀβασάκλῳ apparatûs bellici onere defatigati; Unde & David molestâ armaturâ cinctus noluit ire contra Goliathum. Hos, inquam, secuti magni nominis Theologi, Compendia varia ex diffusioribus suis Scriptis educta in lucem ediderunt, ut in iis vel uno intuitu Lectores viderent, quæ aliâs multorum annorum dispendio vix caperent ac memoriâ tenerent.

Tale Compendium, Amice Lector, prodit in conspectum tuum, de cujus usu & scopo paucula tene sequentia. Multorum jam diu votum fuit, ut Institutiones *Theologiæ Elencticæ Clariss.* τῦ ἐν ἁγίοις *Turretini*, quæ ob doctrinæ consummatissimam soliditatem, styli perspicuitatem, orthodoxiæ laudem à summis Theologis commendari satis non possunt, ideoque omnium teruntur manibus, tali compendio memoriæ juvandæ causâ Lectori communicarentur, ut brevi aliquo volumine seriem argumentorum & præcipuarum objectiorum videre, eoque melius in succum & sanguinem aureum istum librum convertere possint. Quoniam verò Celeberrimus Author tribus non parvis voluminibus Institutiones suas comprehendit, impossibile erat omnes ejus Theses, Exceptiones, Distinctiones, Objectiones indigitare, hac enim ratione non compendium, sed magnum volumen excrevisset. Consultum igitur visum erat sequi *Summam*

Theo-

Theologiæ, vel *Methodum Theologicam Didactico-Elencticam Cl. Ryssenii SS. Theologiæ Doct. V. D. M. Daventriensis*, quæ Theologiæ Summa [cujus Exemplaria omnia sunt distracta] ita est aucta & illustrata, ut simul Theologiæ *Turretinianæ* quasi Compendium videas. Quod quidem Compendium ita est ordinatum, ut 1. Variis Thesibus Didacticis & Problematicis illustretur; 2. Locorum seu Capitum ordo *Ryssenii* servetur. 3. Quæstiones ejusdem verbis proponantur. 4. Loca Scripturæ, ubicunque necessitas postulat, exscribantur. 5. Argumenta & eorum vis ex *Turretino* proponantur. 6. Πρῶτον ψεῦδος detegatur. 7. Status Controversiæ breviter quantum possibile, & perspicuè proponatur. 8. Exceptiones non quidem omnes, [quis enim multis magnis voluminibus omnia Adversariorum κρησφύγετα comprehendat?] Sed præcipuæ, singulariter ad loca palmaria, quibus præcipuæ Orthodoxorum rationes nituntur discutiantur. 9. Objectiones præcipuæ solvantur. 10. Calumniæ etiam Adversariorum abstergantur.

Quæ omnia hoc Compendio ita sunt pertractata, ut ad διδασκαλίαν veri & ἔλενχον falsi sufficiens sit manuductio, ac instar clavis, cujus auxilio in præcipua Theologiæ Capita penetrare, & instar gladii, quo contra omnis generis hujus Seculi Adversarios feliciter pugnare addisces. Unicus scopus est, non ut *Clariss. Turretini* Scripta è manibus extorqueam, siquidem multa egregia in majori opere invenies, quæ huic Compendio ob brevitatem non potuerunt inseri; Sed, ut Celeberr. Authoris Scripta tibi magis recommendem, & in iis legendis memoriam tuam adjuvem.

Vale.

INDEX CONTROVERSIARUM.

LOCUS I.

De Theologia.

I.

AN detur Theologia naturalis, sive notitia de Deo, tum insita quæ ex libro conscientiæ hauritur per κοινὰς ἐννοίας, partim acquisita, quæ ex libro Creaturarum petitur per discursum? Affirm. cont. Socinianos. pag. 2.3.

II. *An Philosophia repugnet Theologiæ? i. e. an eadem sententia, servatis oppositionis regulis, possit esse vera in Philosophia, falsa in Theologia?* Neg. 5.

III. *An naturalis Theologia sufficit ad adducendum hominem ad salutem, & homo absque cognitione Christi & Evangelii salvari possit?* Neg. cont. Pelag. Remonst. Soc. 7.

IV. *An ratio humana subjectivè sumpta, seu facultas naturalis intelligendi, sit principium seu norma, ad quam omnes de Religione Controversiæ, atquæ ea, quæ in Scriptura revelata sunt, examinari & dirimi debent?* Neg. cont. Soc. 9.

V. *An ratio naturalis objectivè sumta, seu ipsa Philosophia sit norma, ad quam omnia quæ in Scriptura revelata sunt examinari debeant?* Neg. contra eosdem. 11.

VI. *An aliquis sit usus Testimonii sensuum in mysteriis fidei; an penitus sit repudiandum?* Affirm. prius, Neg. Poster. cont. Pontificios. 12.

LOCUS II. De Scriptura.

I. *An Sacra Scriptura quam Christiani habent, sit verbum Dei?* Aff. cont. Atheos. 15.

II. *An Ecclesia hodie ad Deum rectè cognoscendum & colendum indigeat Scripturâ?* Aff. cont. Pontif. 18.

III. *An Scriptura S. pueris tantùm & incipientibus sit necessaria, perfectiores autem spiritum sequi debeant?* Neg. cont. Enthu. & Libert.

IV. *An libri Apocryphi sint pars Scripturæ Sacræ, & divinam authoritatem habeant ad fundandos & confirmandos articulos fidei?* Neg. cont. Pontif. 20.

V. An

V. *An Scriptura S. authoritatem suam, seu vim obligandi habeat ab Ecclesia? i. e. an ideò pro Canonica recipi debeat, quia hoc jubet Ecclesia Romana, & recipi nec posset nec deberet, nisi id imperaret Ecclesia?* Neg. cont. Pontif. 25.

VI. *An Scriptura S. sit perfecta, ita, ut contineat illa omnia, quæ homini ad salutem scitu, creditu & factu necessaria sunt?* Aff. cont. Pontif. 26.

VII. *An ergo dentur Traditiones non scriptæ, quæ contineant dogmata ad salutem necessaria?* Neg. cont. eosdem. 27.

VIII. *An possit esse articulus fidei, qui totidem verbis in Scriptura non continetur, sed per consequentiam ex ea elicitur?* Aff. cont. Pontif. 28.

IX. *An Scriptura S. ea quæ necessaria sunt ad salutem, omni loco tam obscurè proponat, ut qui serio animadvertit, sensum verborum non possit percipere, sed eum ab Ecclesia Romana petere cogatur?* Neg. cont. Pontif. 30.

X. *An requiratur specialis illuminatio Sp. S. & cordis renovatio, ut homo Scripturam S. rectè intelligat, ei fidem habeat, & obedientiam præstet?* Aff. cont. Soc. & Remonst. 32.

XI. *An libri V. T. Christianis etiam sint Canon, & argumenta ex iis petita sint ejusdem authoritatis cum iis, quæ ex novo petuntur?* Aff. cont. Soc. & Anabapt. 35.

XII. *An Scriptores Sacri nullo Dei mandato sed tantùm fortuitis occasionibus pro lubitu scripserint?* Neg. cont. Pontif. 36.

XIII. *An Scriptores S. omnia, etiam minima verba scripserint instinctu Spiritus S.?* Aff. cont. Socin. 37.

XIV. *An Scriptur. S. pluribus in locis, in ipso Textu authentico sit corrupta & depravata?* Neg. cont. Pontif. 38.

XV. *Annon integri libri, præsertim V. T. perierint?* Neg. cont. Pontif. 40.

XVI. *An lectio Scripturæ S. non pastoribus solùm, sed etiam populo sit concedenda & injungenda?* Aff. cont. Pontif. 43.

XVII. *An ergo Scriptura S. in linguas vernaculas transferri debeat?* Aff. cont. eosdem. 45.

XVIII. *An sola editio Hebræa V. & Græca N. T. sit authentica?* Aff. cont. Pontif. 47.

XIX. *An Versio LXX. V. T sit authentica?* Neg. cont. Pontif. 48.

XX. *An versio vulgata sit authentica?* Neg. cont. Pontif. 49.

XXI. *An præter Scripturam S. in Ecclesia detur visibilis & infallibilis Controversiarum Theologicarum judex, cujus sententiæ omnes reliqui Pastores & vulgus acquiescere debent?* Neg. cont. Pont. 50.

INDEX

XXII. *An Patrum Scripta sint Regula veritatis in Dogmatis fidei, & Scripturæ interpretatione?* Neg. cont. Pontif. 54.
XXIII. *An Christiani præter Scripturam proprium aliquem spiritum, ejusque revelationes, tanquam fidei & morum normam & judicem sequi debeant?* Neg. cont. Enthus. & Libert. 56.
XXIV. *An quivis Christianus ex verbo Dei discernere & judicare debeat quæ sit vera Religio, atque eatenus sibi sit controversiarum judex?* Aff. cont. Pont.
XXV. *An omni in loco sint quatuor diversi sensus: literalis, allegoricus, anagogicus, tropologicus?* Neg. cont. Pont. 57.
XXVI. *An in Scriptura occurrant veræ contradictiones, seu loca ἄλυτα, quæ nulla ratione solvi & conciliari possint?* Neg. cont. Atheos. Lib. Pont. 59.

LOCUS III. De DEO.

I. *An sit Deus, sive tale Ens perfectissimum?* Aff. cont. Atheos. 64.
II. *An nomina Essentiæ, Substantiæ, Subsistentiæ, Personæ, Trinitatis, ὁμοουσίου, recte de Deo prædicentur?* Aff. cont. Anabapt. 66.
III. *An Jehova sit nomen Deo proprium, quod nulli Creaturæ in Scriptura communicatur?* Aff. cont. Socin. 69.
IV. *An nomina Dei, Θεὸς, Elohim, &c. Essentiam Dei notent, an verò tantùm imperium, potestatem, aut officium?* Aff. prius. Neg. post. cont. Socin. 71.
V. *An Deus sit spiritus sine corpore, & membris corporeis?* Aff. cont. Anthropomorphitas & Vorst. 72.
VI. *An Deus sit unus?* Aff. cont. Gentiles. 73.
VII. *An Deus sit simplicissimus, & omnis compositionis expers?* Aff. cont. Socin. & Vorst. 74.
VIII. *An Deus in compositionem veniat cum ullis rebus creatis, ut rationem habeat partis alicujus, vel materiæ, aut formæ?* Neg. cont. Platonicos & Manichæos. 75.
IX. *An in æterna Dei existentia sit successio prioris & posterioris?* Neg. cont. Soc. *ib.*
X. *An Deus sit infinitus ratione Essentiæ?* Aff. cont. Soc. 77.
XI. *An Deus Essentiâ suâ omnibus mundi locis præsens sit?* Aff. cont. Socin. 78.
XII. *An Deus sit immutabilis & quoad Essentiam, & quoad voluntatem?* Aff. cont. Soc. 80.
XIII. *An Deus futura contingentia, actionesque Creaturarum liberarum præsciat?* Aff. cont. Soc. 82.

XIV. *An*

XIV. *An præter scientiam naturalem & liberam detur in Deo scientia aliqua media?* Neg. cont. Jesuitas, Socin. Remonst. 84.
XV. *An voluntas Dei benè distinguatur in antecedentem & consequentem?* Neg. cont. Soc. Arm. &c. 87.
XVI. *An benè distinguatur Voluntas Dei in efficacem & inefficacem?* Neg. cont. eosdem. 88.
XVII. *An bene distinguatur voluntas Dei in absolutam & conditionatam?* Neg. cont. eosdem. 89.
XVIII. *An essentia Dei ita sit justa, ut peccatum impunitum dimittere non possit?* Aff. cont. Socin. 92.

LOCUS IV. De S. S. Trinitate.

I. *An in una Essentia divina tres sint distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Affirm. cont. Antitrinitarios. 98.
II. *An Salvator noster Jesus Christus sit verus ille Deus altissimus?* Aff. cont. Socin. 102.
III. *An Spiritus S. sit persona?* Aff. cont. Socin. 104.
IV. *An Spiritus S. sit verus Deus cum Patre & Filio?* Aff. cont. Socin. 106.

LOCUS V. De Dceretis Dei.

I. *An Decretum in Deo sit accidens?* Neg. cont. Soc. & Vorst. 109.
II. *An omnia Dei Decreta æterna sint, & nulla in tempore facta?* Aff. cont. Soc. 111.
III. *An dentur Decreta conditionata?* Neg. cont. Soc. Remonst. & Jesuitas. 112.
IV. *An Deus unicuique homini certum & fixum vitæ terminum Decreto suo constituerit?* Aff. cont. Soc. & Remonst. 114.
V. *An Decretum afferat necessitatem rebus futuris?* Aff. cont. Pelag. 117.

LOCUS VI. De Prædestinatione.

I. *An objectum Prædestinationis sit homo creabilis aut labilis; an verò homo conditus & lapsus?* Prius neg. post. aff. 124.
II. *An Christus sit causa & fundamentum Electionis?* Neg. cont. Armin. & Luth. 126.
III. *An electio facta sit ex prævisione fidei aut operum? An verò ex sola Dei gratia?* Prius neg. Post. aff. 128.
IV. *An constans sit & immutabilis certorum hominum ad salutem electio?* Aff. cont. Remonst. 130.

V. An fidelis possit esse certus de Electione sua, certitudine non tantùm conjecturali & morali, sed infallibili & fidei? Aff. cont. Pont. Rem. 132. 133.

VI. An absolutum sit Reprobationis Decretum, quod à sola Dei ἐυδοκίᾳ pendeat, an verò peccatum vel infidelitas propria sit ejus causa? Disting. 136.

VII. An voluntas Dei servandi perseveranter credentes, & damnandi incredulos, sit totum decretum Prædestinationis? Neg. cont. Remonst. 138.

VIII. An Deo tribui debeat Voluntas aliqua conditionalis, seu propositum universale, miserendi totius generis humani in peccatum prolapsi, omnibus & singulis Christum mediatorem destinandi, & eos omnes ad salutarem beneficiorum illius communionem vocandi? Neg. 139.

LOCUS VII. De Creatione.

I. An Deus solus possit creare, creaturæ verò nec crearint, nec creare possint? Aff. cont. Soci. & Pontif. quosdam. 147.

II. An mundus fuerit ab æterno, vel saltem esse potuerit? Neg. cont. Pont. quosdam. 148.

III. An Angeli diu ante mundum conditi extiterint, & creati sint? Neg. cont. Soc. & Arrian. 155.

IV. An Angeli cognitiones nostras, & status cordis hominum norint? Neg. cont. Pontif. 159.

V. An quilibet homo habeat singularem suum Angelum tutelarem, vel etiam alterum bonum, alterum malum? Neg. cont. Pontif. 164.

VI. An dentur novem ordines Angelorum Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli? Neg. cont. Pontif. 165.

VII. An Angeli sint intercessores nostri apud Deum? Neg. cont. Pontif. 168.

VIII. An Cultus aliquis religiosus Angelis debeatur. Neg. con. Pont. 169.

IX. An Adamus primus mortalium fuerit, an verò homines extiterint ante Adamum? Prius aff. Post. neg. cont. Præadamitas. 171.

X. An anima à parentibus generetur; an verò à Deo solo creetur? Neg. Prius, aff. Post. cont. Luth. 172.

XI. An homo revera cum qualitatibus illis sapientiæ, justitiæ & immortalitatis creatus sit? Aff. cont. Pelag. & Soc. 173.

XII. An homo ante lapsum verè immortalis fuerit, ita ut nec moriturus fuisset nec mori potuisset, nisi peccasset? Aff. cont. Soc. 176.

XIII. An sanctitas illa homini supernaturalis fuerit, quasi frenum, quo naturales cupiditates ad malum coërcerentur? Neg. c. Pont. 178.

XIV. An homo ante lapsum easdem vires habuerit, quibus hodie regeniti credunt in Christum? Aff. cont. Remonst. 179
XV. An ex usu luminarium à Mose posito Astrologia judicaria extrui possit? Neg. cont. Astrologos & Planetarios. 181.
XVI. An ex aquis superioribus, quorum Moses mentionem facit, possit colligi dari aquas supracœlestes? Neg. cont. Luth. 183.
XVII. An sol & luna in cœlo moveantur, & in orbem circumagantur, terra verò quiescat? Aff. Post. cont. Philos. quosdam. 184.

LOCUS VIII. De Providentia Dei.

I. An Deus providentiâ suâ minima quæque regat? Aff. cont. Soc. 186.
II. An Deus efficiat, & determinet ea, quæ casu & fortuitò eveniunt? Aff. cont. Soc. Remonst. & Pontif. 187.
III. An Deus etiam determinet ea, quæ creaturæ liberæ faciunt? Aff. cont. eosdem. 188.
IV. An Providentia sita sit tantùm in conservatione & sustentatione rerum, an verò etiam in gubernatione earum per quam Deus ipse agat, & efficaciter concurrat cum ipsis, concursu non generali, & indifferente sed particulari, specifico, & immediato? Neg. prius, Aff. post. cont. Jesuitas, Remonst. & Soc. 189.
V. An Deus concurrat cum causis secundis, non modò concursu particulari & simultaneo, sed etiam prævio? Aff. 192.
VI. An Deus sit author peccatorum? Neg. cont. Libert. 197.
VII. An Deus Providentia sua ita malum regat, & ordinet, ut eo permittente certò eveniat? Aff. 200.

LOCUS IX. De Lege & lapsu.

I. An Adam præter mandatum de non edendo fructu illo totam quoque legem moralem, cordi inscriptam habuerit? seu: *an detur lex quædam naturalis?* Aff. cont. Socin. & Libertinos. 203.
II. An homo ante Lapsam habuerit promissiones vitæ beatæ, & gloriæ cœlestis? Aff. cont. Soc. 206.
III. An Deus creaturam innocentem non tantùm vitâ illâ privare possit, sed & ad cruciatus æternos damnare? Neg. cont. Scholast. quosdam. 208.
IV. An homo peccando amiserit verè imaginem Dei, & justitiam originalem? Aff. cont. Soc. & Remonst. quosdam. 212.
V. An homo perpetrato peccato non ad pœnam primi peccati tantùm obligatus fuerit, sed & ad novam obedientiam legi præstandam, atque iterum ad pœnam si peccaret? Aff. 213.

VI. An

VI. *An detur peccatum originale? seu, an omnis homo excepto Christo nascatur peccator?* Aff. cont. Soc. Anab. Remonst. 214.

VII. *An omnes homines peccârint in Adamo; ita ut hoc peccatum omnium censeri debeant?* Aff. cont. Soc. Anab. Remonst. & Gallos quosdam. 216.

VIII. *An post lapsum humana natura non tantùm justitia originali privata sit, sed etiam vere corrupta, atque ad malum inclinata?* Aff. cont. Pelag. Soc. & Remonst. &c. 220.

IX. *An ratio formalis liberi arbitrii in indifferentia posita sit? an verò in lubentia rationali?* Prius neg. post. aff. cont. Pontif. & Remonst. 223.

X. *An homo habeat liberum arbitrium, i. e. an in homine post lapsum vires supersint, quibus ille legem Dei servare, bona spirtualia agere, & salutem operari possit?* Neg. cont. Soc. Rem. Pont. 224.

XI. *An ergo Gentiles, seu homines irregeniti, nihil quod Deo placeat, seu rectè possint agere?* Aff. cont. Pont. 228.

XII. *An homo irregenitus se ipsum ad conversionem disponere possit?* Neg. cont. eosdem. 226.

XIII. *An Virgo Maria in peccato originali nata sit?* Aff. cont. Pontif. 231.

XIV. *An concupiscentia, quæ post Baptismum in regenitis supereſt, vere peccatum morte dignum sit?* Aff. cont. Pont. 232.

XV. *An peccatum originale sit substantia, vel ens positivum?* Neg. cont. Flaccum Illyricum. 233.

XVI. *An hæreses & errores mentis in negotio religionis peccata sint?* affirm. cont. Remonst. 235.

XVII. *An τὸ ἑκούσιον, sive voluntarium, quatenus est illius, qui sciens & volens aliquid agit, sit de essentia peccati?* Neg. cont. Pont. & Soc. 236.

XVIII. *An dentur peccata venialia, id est, tam parva, quæ mortem non merentur?* neg. cont. Pont. 237.

XIX. *An peccatum in Spiritum S. sit irremissibile?* affir. cont. Pont. 242.

XX. *An afflictiones fidelium sint pœna propriè dicta?* neg. cont. Pontif. 243.

XXI. *An Deus aliquando peccata peccatis puniat? i. e. an Deus justo judicio ob peccata antecedentia homines nonnunquam in alia incidere faciat, sibi ipsis, aliisque in pœnam?* affirm. cont. Remonst. 244.

LOCUS

LOCUS X. De Fœderis Gratia.

I. *An Deus post lapsum fœdus gratiæ iniverit cum omnibus & singulis hominibus?* neg. con. Pont. Patronos gratiæ universalis. 257.

II. *An posito hoc fœdere Deus omnibus & singulis det gratiam sufficientem quâ salvari possint?* neg. cont. Soc. Pont. Rem. 259.

III. *An ergo nemo sine mediatore Christo, ejusque cognitione salvari possit?* neg. cont. eosdem. 260.

IV. *An revelatio Evangelii pendeat ex bono usu donorum naturalium, seu an, si homo faciat, quæ per naturam potest, Deus eum ulteriori gratiâ, & revelatione Evangelii donaturus sit?* neg. cont. Pel. Jesuitas, Remonst. 262.

V. *An Deus conditiones fœderis ipse in nobis præstet? an verò fœdus pendeat ab aliqua conditione à fœderatis præstandæ?* prius aff. post. neg. cont. eosdem. 263.

VI. *An unum & idem fœdus gratiæ quoad substantiam fuerit in utroque Testamento? adeoque Patres V. T. ejusdem fœderis participes fuerint, easdem spirituales promissiones habuerint?* aff. cont. Socin. Anab. & Remonst. 264.

LOCUS XI. De Christo.

I. *An promissus Messias jam venerit?* aff. cont. Jud. 268.

II. *An Jesus Christus sit verus ille promissus Messias?* aff. cont. Judæos 273.

III. *An Jesus Christus homo factus fuisset, atque in mundum venisset, si homines non peccâssent?* neg. cont. Socin. & Scolast. 277.

IV. *An posito peccato & decreto Dei de salute hominum necesse fuerit, filium Dei incarnari?* aff. cont. Scholast. 278.

V. *An ergò Jesus Christus sit Dei Patris naturalis filius ab æterno ab ipso, communicatione naturæ genitus; non verò filius appelletur ob conceptionem vi Spiritûs S. &c?* aff. prius cont. Soc. 280.

VI. *An Deus verè sit homò factus, seu secunda persona Trinitatis, Deus filius assumserit humanam naturam?* aff. cont. Socin. 285.

VII. *An humana natura Christi etiam fuerit humana persona?* neg. cont. Soc. 288.

VIII. *An Christus secundum humanam naturam non sit, nec dicatur filius Dei?* neg. cont. Soc. 290.

IX. *An natura humana assumta à λόγῳ fuerit nostræ per omnia similis, excepto peccato, & caro ejus ex substantia B. Virginis desumta? an verò cœlitùs delapsa?* prius aff. post. neg. c. Anabapt. 293.

X. *An ergò Maria fuerit ex tribu Judæ?* Aff. cont. Judæos. 295.
XI. *An anima Christi ab ineunte ætate beata fuerit, ita ut noverit omnia, neque unquam dolorem senserit?* Neg. cont. Pont. 297.
XII. *An Christus fuerit Viator simul, & comprehensor?* Neg. cont. Pontif. 299.
XIII. *An Sanctitas Christi non tantum fuerit personæ requisita qualitas, sed & pertinuerit ad officium Christi Mediatorium:* Aff. cont. Gallos quosdam. 300.
XIV. *An Christus ob unionem hypostaticam adeò sanctus fuerit, ut peccare non potuerit?* Aff. cont. Schol. & Remonst. 300.
XV. *An Proprietates divinæ naturæ communicatæ sint naturæ humanæ, ut omnipræsentia, omniscientia, omnipotentia, adoratio?* Neg. cont. Luth.
XVI. *An Officium Christi Mediatorium in eo consistat, quòd homines viam salutis docuerit, eamque doctrinam suo sanguine confirmaverit?* Neg. cont. Socin. 307.
XVII. *An Christus tantùm Mediator sit secundùm humanam naturam, ita ut omnia opera mediatoria sint humanæ naturæ?* Neg. cont. Pontif. 308.
XVIII. *An præter Christum plures veri mediatores sint?* Neg. cont. Pont. 310.

LOCUS XII. De Officiis Christi.

I. *An Christus antequam munus propheticum inchoaret in cœlum raptus fuerit, ut ab ipso Deo audiret, & doceretur ea, quæ mox mundo annunciaturus esset?* Neg. cont. Socin. 314.
II. *An Christus ut Propheta, legem moralem correxerit, & auxerit, addendo abnegationem sui, tolerantiam crucis, imitationem Christi, atque alia?* Neg. cont. Socin. & Pontif. 316.
III. *An Christus verus fuerit Sacerdos, qui verum Sacrificium obtulit, neque ob similitudonem aliquam, & curam nostri ita appelletur?* Aff. cont. Socin. 321.
IV. *An Christus non in terra, sed demùm in cœlo Sacerdos factus sit?* Neg. cont. Socin. 322.
V. *An Sacerdotium Christi ab ejus regno differat formaliter?* Aff. cont. Socin. 324.
VI. *An in N. T. præter Christum plures dentur Sacerdotes, secundum ordinem Melchisedeci?* Neg. cont Pont. 326.
VII. *An necesse fuerit, Christum pro nobis satisfacere justitiæ divinæ?* Aff. cont. Socin. 329.
VIII. *An Christus loco nostro pro peccatis nostris debitas pœnas sustinuerit?*

meruerit, atque ita justitiæ Dei punienti satisfecerit? Affirm. cont. Socin. 331.

IX. *An ita perfecta fuerit Christi satisfactio, ut nullis post eam satisfactionibus humanis locus esse possit?* Aff. cont. Pont. 336.

X. *An Christus nobis obedientiâ suâ jus vitæ æternæ meruerit, atque acquisiverit?* Aff. cont. Remonstr. 339.

XI. *An Christus nobis quoque meruerit Spiritum regenerationis & fidei?* Aff. cont. Remonstr. *ib.*

XII. *An Christus obedientiâ suâ satisfecerit pro omnibus omnium, & singulorum hominum peccatis?* Neg. cont. Pont. & Rem. 341.

XIII. *An illud, quod Christus morte suâ meritus est, omnibus etiam applicetur?* Aff. cont. Rem. 347.

XIV. *An intercessio Christi propriè sit intelligenda, tanquam pars officii Sacerdotalis distincta à munere Regio?* Aff. cont. Soc. 348.

XV. *An Regnum Christi œconomicum sit temporale, & mundanum; an spirituale, & cœleste?* Prius neg. Post. aff. c. Judæos. 350.

XVI. *An Christus in terris Rex fuerit, an verò in cœlis demùm Rex factus sit?* Aff. prius; Neg. post. cont. Socin. 352.

XVII. *An Christus solus jam dominetur in Ecclesia, non verò Pater?* Neg. cont. Socin. *ib.*

XVIII. *An Regnum Christi in æternum duraturum sit?* Affirm. cont. Socin. 353.

XIX. *An Christus non tantùm in facultate sensitiva animæ, seu per compassionem passus sit, sed etiam in anima, quâ rationali?* Aff. cont. Pontif. 358.

XX. *An ergò Christus verè dici possit in morte pœnas inferni tulisse?* Aff. cont. Pontif. 360.

XXI. *An Christus sibi meritus sit beatitatem, seu gloriam cœlestem?* Neg. cont. Pontif. & Socin. 361.

XXII. *An anima Christi post mortem descenderit ad limbum aliquem Patrum vel purgatorium?* Neg. cont. Pontif. 362.

XXIII. *An Christus propriâ sua potentia resurrexit à mortuis?* Aff. c. Socin. 365.

XXIV. *An ascensio Christi facta sit propriè, per motum localem, ex locis inferioribus ad cœlum supremum beatorum; an metaphoricè per disparitionem?* Affirm. prius. Post. neg. con. Luth. 368.

XXV. *An Christus corpore suo non tantùm in cœlo sit, sed etiam in terris ubique?* Neg. cont. Luth. 370.

XXVI. *An Christus in cœlo verum corpus & sanguinem habeat?* Aff. cont. Socin. *ib.*

INDEX.

LOCUS XIII. De Conversione & Fide.

I. *An omnes homines externè sufficienter vocentur ad salutem, seu externa media habeant sufficientia ad salutem?* Neg. cont. Socin. & Remonstr. 371.

II. *An omnes homines habeant gratiam sufficientem internam?* Neg. cont. eosdem. 372.

III. *An omnes, qui externè vocantur per verbum, etiam internè à Deo vocentur? seu: an reprobi, qui vocationis externæ fiunt participes, eo Dei consilio & intentione vocentur, ut salutis fiant participes?* Neg. cont. Luth. & Armin. 374.

IV. *An voluntas necesse habeat regenerari?* Aff. cont. Socin. & Remonst. *ibid.*

V. *An verbum Dei ab irregenitis ante conversionem salutariter audiri possit?* Neg. cont. eosdem. 278

VI. *An tota Dei actio in conversione hominis non sit nisi moralis, scil. illuminatio & suasio per verbum?* Neg. *An verò Deus actione spirituali physicâ novam vitam infundat?* Affirm. cont. Remonst. & Socin. 379.

VII. *An gratia conversionem operans sit irresistibilis? i. e. an Deus eo modo, & ea potestate conversionem hominis operetur, ut homo eam impedire, nec velit, nec possit?* Aff. c. Pont. & Armin. 382.

VIII. *An ergò homo in prima regeneratione se habet merè passivè?* Aff. cont. omnes Synergistas. 387.

IX. *An gratia conversionis ideo sit efficax, quia Deus eam tali tempore & loco, atque in iis circumstantiis adhibet, in quibus scit hominem suasioni auscultaturum? (quam vocationem congruam vocant)* Neg. cont. Pontif. & Remonst. 390.

X. *An gratia Dei determinet ipsam voluntatem hominis ad actus suos?* Aff. cont. Pont. & Remonst. 391.

XI. *An fides temporaria differat tantùm gradu, & duratione, an etiam specie à fide justificante?* Prius neg. Post. affirm. cont. Remonstr. 393.

XII. *An Christus sit tantùm objectum secundarium fidei?* Neg. cont. Socin. 397.

XIII. *An Charitas sit forma fidei, seu, an fides consistat in obediendo præceptis Dei?* Neg. cont. Pont. & Socin. 398.

XIV. *An ad fidem etiam requiratur notitia seu cognitio rei creditæ?* Aff. cont. Pont. 400.

XV. *An ad fidem quoque requiratur fiducia, seu firma animi persuasio, promissiones Evangelii ad nos in Christo pertinere?* Aff. c. Soc. 402.

XVI.

XVI. *An vera fides possit esse sine charitate, & bonis operibus?* Neg. cont. Pont. 404.
XVII. *An fidelis suæ fidei, resipiscentiæ, remissionis peccatorum, & salutis certus esse possit?* Aff. cont. Pontif. 405.
XVIII. *An fides sit habitus permanens, non tantùm actus?* Aff. cont. Remonst. 409.
XIX. *An ergò dantur habitus infusi, & fides sit talis habitus?* Affirm. cont. eosdem. 400.
XX. *An fides in Decalogo præscribatur?* Aff. cont. eosdem. 410.

LOCUS XIV. De Justificatione.

I. *An verbum justificare in materia de justificatione significet sanctitatem infundere; an verò absolvere à reatu?* Neg. prius. Affirm. post. cont. Pontif. 411.
II. *An præter sanctificationem detur alia gratia justificationis, quâ Deus absolvit credentes à pœna, & iis dat jus vitæ æternæ?* Affirm. cont. Pontif. 414.
III. *An causa impulsiva & meritoria, propter quam homo justificatur in judicio Dei, sit justitia inhærens nobis infusa, vel bona opera?* Neg. cont. Pont. 415.
IV. *An satisfactio & justitia Christi nobis imputetur, nosque justificemur, propter eam nobis imputatam?* Aff. cont. Pont. & Soc. 419.
V. *An non tantùm justitia Christi passiva seu mors ejus nobis imputetur sed etiam activa ejus obedientia, & tota legis observatio?* Aff. 423.
VI. *An remissio peccatorum consistat in eorum absoluta abolitione? an verò in eorum condonatione?* Prius neg. Post. aff. c. Pont. 429.
VII. *An remissâ culpâ, retineatur quædam pœna? an verò omnis remittatur?* Prius neg. Post. aff. cont. Pontif. 430.
VIII. *An fides justificet propriè & per se?* Neg. c. Pont. & Rem. 432.
IX. *An fides justificet dispositive vel, meritorie?* Neg. c. Pont. 434.
X. *An sola fides justificet?* Aff. cont. Pontif. 436.
XI. *An fideles V. T. vere justificati sint, & plenam remissionem peccatorum habuerint?* Aff. cont. Socin. & Remonst. 439.
XII. *An Deus peccata Patrum V. T. ab iis exigere, & in iis punire potuisset?* Neg. cont. eosdem. 442.
XIII. *An contingere possit, ut verè regeniti, filii Dei totaliter & finaliter à fide, gratia Dei & remissione peccatorum excidant?* Neg. cont. Pontif. & alios Patronos Apostasiæ Sanctorum? 444.

LOCUS XV. De Decalogo & bonis Operibus.

I. *An satisfactio consistat in sola morum mutatione?* Neg. contra Socin 456.

INDEX.

II. *An bona intentio quodcunque opus hominis bonum faciat, & liberet à peccato?* Neg. cont. Pont. 457
III. *An homo operibus suis bonis gratiam vel gloriam mereri possit?* Neg. c. Pont. 459
IV. *An homo irregenitus ante justificationem quibusdam suis operibus gratiam ex congruo mereri possit?* neg. c. Pont. 464
V. *An lex moralis etiam hodie homines obliget, iisque præscribi debeat?* aff. cont. Antinomos. 467
VI. *An Præcepta decalogi sint juris naturalis indispensabilis?* Aff. 469
VII. *An rectè quatuor præcepta primæ tabulæ assignentur, & sex secundæ?* Aff. 476
VIII. *An liceat Angelos, mortuos, sanctos, aut ullam creaturam religiosè adorare aut invocare?* Neg. cont. Pont. 478
IX. *An Papa possit quosdam in Catalogum Sanctorum referre, & præscribere, ut publicè colantur, & adorentur?* neg. cont. eosdem. 482
X. *An Christus, quà mediator sit adorandus? i.e. an officium Christi mediatorium sit fundamentum adorationis Christi?* neg. contra Soc. & Pont. *ibid.*
XI. *An Sanctorum corpora & Reliquiæ religioso cultu sint venerandæ?* neg. cont. Pont. 485
XII. *An Dei & S. S. Trinitatis, Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum imagines cultu religioso prosequi liceat?* neg. contra Pont. 488
XIII. *An cultus tantùm, an non etiam formatio & usus imaginum religiosarum in locis sacris præcepto secundo sit prohibitus?* aff. c. Luth. 492
XIV. *An vel lignum, vel signum crucis coli vel adorari debeat?* neg. c. Pont. 494
XV. *An homini Christiano liceat jusjurandum jurare, seu necessitate urgente Deum Testem invocare?* aff. c. Mennonit. 496
XVII. *An juramentum per creaturas sit licitum?* neg. c. Pont. 497
XVII. *An fides jurata etiam hæreticis sit servanda?* aff. c. Pont. 498
XVIII. *An sors ludicra licita sit? i.e. an liceat per ludum & jocum, atque etiam ad faciendum lucrum sortem mittere?* neg. contra Pont. 500
XIX. *An licita sit ars exorsistica, qua aqua, ut vocant, benedicta, signo crucis, invocatione Sanctorum diaboli ex obsessis expelli dicuntur?* neg. c. Pont. *ib.*
XX. *An Sabbathum non in deserto primùm, sed ab ipsa mundi creatione institutum sit?* Aff. 502
XXI. *An præceptum IV. sit simpliciter morale?* neg. 506

XXII. *An*

XXII. *An contentum quarti præcepti scil. post sex dies operarios, septimum cultui divino dandum sit plane ceremoniale, in Christo abrogatum?* neg. c. Socin. 507

XXIII. *An ad moralitatem Sabbathi pertineat unius diei è septem in cyclo hebdomadali determinatio, qui singulis septimanis in orbem recurrens sit necessario observandus?* aff. 509

XXIV. *An Christiani diem Dominicum observent sola consuetudine Ecclesiæ, an verò institutione Apostolica & divina?* neg. prius; aff. post. cont. Socin. & Pont. 511

XXV. *An Ecclesia habeat præter diem Dominicum alios dies, festos & sanctos, proprie ita dictos?* neg. c. Pont. 513

XXVI. *An homini Christiano liceat magistratum gerere? Rempublicam gerere?* aff. c. Soc. & Mennon. 515

XXVII. *An filii invitis vel insciis parentibus voto se adstringere possint?* neg. c. Pont. 516

XXVIII. *An necessarius sit consensus parentum in matrimonio liberorum;* aff. c. Pont. 518

XXIV. *An licet Magistratus facinorosorum hominum sanguinem fundere?* Aff. c. Soc. & Anab. 519

XXX. *An Magistratui Christiano liceat bellum gerere, i. e. se, & patriam, vi & armis contra hostes defendere?* aff. contra Soc. & Mennon. 520

XXXI. *An homini Christiano liceat vitam suam contra latrones & invasores vi & armis defendere?* aff. c. eosdem. 521

XXXII. *An αὐτοχειρία sit licita?* Neg. c. Stoicos veteres & alios. 522

XXXIII. *An duellum sit licitum?* neg. cont. Jesuitas quosdam, quales sunt Lessius, Amicus, Escobar & alii, duello faventes, ut patet ex excerptis Theolog. eorum moralis editis anno 1666. propos. 11. 12. 15. 16. 524

XXXIV. *An personis Ecclesiasticis rectè injungatur perpetuus cœlibatus, & prohibeatur matrimonium?* neg. cont. Pont. *ib.*

XXXV. *An Polygamia simultanea sit licita?* neg. cont. Soc. nominatim Ochinum. 529

XXXVI. *An omnia omnium Christianorum bona omnibus debeant esse communia?* neg. cont. Mennon. quosdam. 530

XXXVII. *An aliqua usura sit licita?* dist. 531

XXXVIII. *An sive in verbis, sive in juvejurando liceat uti æquivocatione, & mentali reservatione, i. e. ad decipiendum proximum aliud verbis testari, aliud animo sentire?* neg. cont. Jesuitas. 533

XXXIV. *An mendacium officiosum & jocosum sit licitum?* neg. c. So. 536

XL. *An illa propensio ad malum, quæ concupiscentia vocari solet, verè & propriè sit peccatum?* aff. c. Pont. 538.
XLI. *An motus primo-primi, seu concupiscentia mali consensum voluntatis præcedens verè & proprie peccatum sit?* aff. c. Pont. 539.
XLII. *An aliquid additum sit legi morali per modum consilii?* neg. cont. Pont. *ib.*
XLIII. *An homo justificatus & regenitus legem Dei perfectè adimplere possit?* neg. c. Pont. Socin. & Remonst. 542.
XLIV. *An lex cæremonialis sub N. T. abrogata sit?* aff. c. Jud. 548.

LOCUS XVI. De Ecclesia.

I. *An nomen Ecclesiæ & unius Ecclesiæ in verbo Dei non tantùm detur cætui singulari, qui in unum locum coit, sed etiam toti corpori fidelium veritatem profitentium?* aff. c. independentes. 554.
II. *An Ecclesiæ cognitio præcedere debeat cognitionem doctrinæ?* neg. c. Pont. 555.
III. *An Ecclesia benè à Bellarmino definiatur, quod sit cætus hominum, ejusdemque Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in his terris vicarii, Pontificis Romani?* neg. c. Pont. *ib.*
IV. *An impii, hypocritæ, & reprobi, qui veritatem externè profitentur, etiam sint vera membra Ecclesiæ?* neg. c. Pont. 559.
V. *An Catechumeni, & non baptizati pertineant ad Ecclesiam?* aff. cum distinctione cont. Pont. 563.
VI. *An excommunicati sint Ecclesiæ membra?* Dist. c. Pont. 565.
VII. *An vera Ecclesia rectè dicatur invisibilis?* aff. c. Pont. 566.
VIII. *An Ecclesia in his terris aliquando ita possit obscurari, diminui & supprimi, ut nullus ejus cætus illustris publice appareat, hostibus & mundo notus?* aff. c. Pont. 569.
IX. *An semper in mundo futura sit aliqua Ecclesia vera, & veri fideles, atque ita Ecclesia deficere non possit, ut nulla usquam superstit?* aff. c. Soc. 572.
X. *An Ecclesia nostra fuerit ante Lutherum & Zuinglium?* aff. c. Pont. 574.
XI. *An Ecclesia sit infallibilis? an verò errare possit circa fidem?* prius neg. post. aff. c. Pont. 576.
XII. *An unusquisque teneatur inquirere, quæ sit vera Ecclesia, atque ei se adjungere?* aff. c. Libert. & Socin. 581.
XIII. *An veritas doctrinæ, quæ in cætu aliquo obtinet, seu conformitas cum Dei verbo per puram verbi prædicationem & professionem & legitimam sacra-*

sacramentorum administrationem & usum, sit nota veræ Ecclesiæ visibilis? aff. c. Pont. 582.

XIV. *An nomen Catholicum, Antiquitas, duratio continua, amplitudo, successio Episcoporum, conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua, unio membrorum inter se, & cum capite, sanctitas doctrinæ, ejusdem efficacia, vitæ sanctimonia, gloria miraculorum, lumen propheticum, confessio adversariorum, infelix exitus persecutorum Ecclesiæ, & eorum, qui ipsam defenderunt, Temporaria felicitas, sint notæ veræ Ecclesiæ*? neg. c. Pont. 585.

XV. *An regimen Ecclesiæ debeat esse Monarchicum*? neg. contra Pont. 592.

XVI. *An Petrus loco Christi à Christo institutus fuerit totius Ecclesiæ monarcha, cujus potestati omnes Apostoli & fideles subjecti fuerint*? neg. c. Pont. 595.

XVII. *An Petrus Romæ fuerit, ibique Episcopatum per plures annos tenuerit*? neg. c. Pont. 599.

XVIII. *An Papa Romanus sit successor Petri, & caput totius Ecclesiæ*? neg. c. Pont. 603.

XIX. *An Papa Romanus sit Antichristus ille magnus*? aff. contra Pont. 608.

XX. *An necesse sit dari ministerium publicum, & vocationem ad illud in Ecclesia*? aff. co. Fanaticos & Euthusiastas. 614.

XXI. *An vocatio ad ministerium ordinaria semper sit necessaria*? neg. c. Pont. 618.

XXII. *An primi Reformatores, Lutherus, Calvinus, & alii, habuerint legitimam vocationem*? aff. c. Pont. 620.

XXIII. *An Episcopi sint juris divini, i. e. an Christus instituerit, ut Pastor aliquis potestatem habeat in alias Ecclesias, & Ecclesiarum Rectores, ejusque solius sit vocare pastores, administrare Sacramenta, exercere disciplinam*? neg. cont. Pont. & alios. 624.

XXIV. *An potestas eligendi Pastores, & Ministros Ecclesiæ sit penes Episcopum aliquem, an verò penes Ecclesiam*? neg. prius. aff. poster. cont. Pont. 629.

XXV. *An vita monastica sancta sit, seu, an non tantùm licitum, verùm etiam opus singularis sanctitatis sit, sese à consortio hominum segregare, atque ad cœlibatum, & distinctum vestitum obligare*? neg. c. Pont. 633.

XXVI. *An institutum divinum sit, ut in Ecclesia sint Seniores regentes, non docentes*? aff. cont. Remonst. & Pont. 634.

XXVII. *An Ministris, seu Pastoribus Ecclesiæ suum debeatur stipendium*? aff. c. Anabapt. 636.

XXVIII. *An personæ Ecclesiasticæ etiam Magistratui subjectæ sint, idque* 1. *in obsequendo mandatis*, 2. *in solvendis tributis*, 3. *judicio, si peccant*? aff. cont. Pont. 638

XXIX. *An proprium sit Pontificis Romani indicere, & cogere concilia, iis præesse, & authoritatem ipsis conferre infallibilem in dogmatis fidei & Religionis*? neg. cont. Pont. 642

XXX. *An quælibet Ecclesia major esse non debeat, quàm ut in uno loco ad audiendum Dei verbum convenire possit*? neg. contra Independ. 644

XXXI. *An majores illi conventus sint juris divini*? aff. cont. Socin. Remonst. & Episcopales. 645

XXXII. *An Magistratui competat jus regendi Ecclesiam*? neg. cont. Pont. 648

XXXIII. *An Ecclesiæ competat potestas legislatoria propriè dicta, leges ferendi, quæ conscientiam per se obligent*? neg. c. Pont. 650

XXXIV. *An Ministris sacris competat potestas spiritualis, peccatores contumaces, & scandalosos excommunicandi*? aff. cont. Erastum & ejus sequaces. 653

XXXV. *An Censura Ecclesiastica, præsertim summa, sit penes totum populum Ecclesiasticum*? neg. cont. Anab. & Independentes. 659

LOCUS XVII. De Sacramentis.

I. *An Sacramenta non tantùm sint signa, & umbræ gratia divinæ, verùm etiam sigilla, gratiam obsignantia*? aff. cont. Soc. Anab. & Pont. 671

II. *An verbum sacramentale sit verbum prædicatum & concionale: an verò consecratorium, quod sit operativum*? Prius affir. post. neg. cont. Pont. 674

III. *An efficacia Sacramentorum pendeat ab intentione & dignitate ministri*? neg. cont. Pont. 676

IV. *An Sacramenta V. T. tantùm umbræ fuerint Sacramentorum N. T. non verò sigilla gratiæ*? neg. cont. Pont. 679

V. *An Sacramenta N. T. non tantùm sint signa & sigilla, verùm etiam causa justificationis, & gratiam conferant ex opere operato*? neg. cont. Pont. 682

VI. *An tantùm duo sint Sacramenta Nov. Test. Baptismus & S. Cœna*? aff. *an verò septem*? neg. cont. Pont. 686

VIII. *An in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimatur character in anima: i. e. signum spirituale & indelebile*? neg. cont. Pont. 692

VIII. *An Baptismus sit res à Deo Christianis præscripta & mandata, non verò ritus indifferens?* aff. cont. Soc. 697

IX. *An Baptismus adeò sit necessarius ut omnis non baptizatus perire debeat?* neg. cont. Pont. 700

X. *An Baptismus Laicorum, mulierum, ullo in casu licitus sit?* neg. cont. Pont. 703

XI. *An Baptismus Johannis fuerit ejusdem dignitatis & efficaciæ cum baptismo Apostolorum?* aff. cont. Pont. & Socin. 705

XII. *An formula Baptismi a Christo præscripta in administratione ejus, observanda sit?* aff. cont. Pont. & Fanaticos. 709

X. *An ritus Pontificiorum circa baptismum boni & sancti sint?* neg. cont. Pont. 711

XI. *An Baptismus ita tollat peccata, ut non sint? an verò tantùm, ut non regnent, & non imputentur?* prius neg. poster. aff. cont. Pont. 712

XII. *An Baptismus tollat peccata præterita & præsentia tantum, & futura pœnitentiæ relinquat? an verò se extendat ad peccata non solùm quæ ante, sed etiam, quæ post baptismum committuntur?* Prius neg. post. aff. cont. Pont. 715

XIII. *An fidelium infantes sint baptizandi?* aff. cont. Anab. 719

XIV. *An in Eucharistia, consecratio fiat pronunciatione verborum: Hoc enim est corpus meum?* neg. cont. Pont. 724

XV. *An verba, quæ vocant, consecratoria, submissa voce sint pronuncianda, ne à populo audiantur?* neg. cont. Pont. 725

XVI. *An utendum sit hostiis orbicularibus, atque illæ in os hominum ingerendæ?* neg. cont. eosd. & Luth. 726

XVII. *An ritus fractionis panis sit necessarius in administratione Cœnæ?* aff. cont. Pont. & Luth. 727

XVIII. *An in Ecclesia N. T. requirantur altaria, & cœna in altari administrari debeat?* neg. cont. Pont. 729

XIX. *An utrumque signum, adeoque etiam vinum omnibus fidelibus porrigi debeat?* aff. cont. Pont. 730

XX. *An verba cœnæ propriè & literaliter κυρίως, an verò tropicè & Sacramentaliter sint intelligenda?* Prius neg. post. aff. cont. Pont. & Luth. 734

XXI. *An substantia panis & vini in Sacra Cœna verbis illis: Hoc est corpus meum: transmutetur in substantiam Corporis & Sanguinis Christi?* neg. cont. Pont. 739

XXII. *An Christus præsens sit corporaliter in S. Cœna, seu Eucharistia?* neg. cont. Pont. & Luth. 745

XXVIII. *An in Sacramento Cœnæ Sacerdos sub specie panis & vini corpus & sanguinem Christi quotidie offerat in remissionem peccatorum tam viventium, quàm mortuorum, atque hoc sit sacrificium Missæ?* neg. c. Pont. 751

XXIV. *An Sacramentum Cœnæ adorari debeat?* neg. c. Pont. 759

XXV. *An reliquiæ panis & vini in S. Cœna in vasibus aut ciboriis servari debeant, solemniter ad ægros aliosque usus circumferri?* neg. c. Pont. 761

XXVI. *An ad consequendam remissionem peccatorum, necesse sit secreta sua peccata Sacerdoti exponere?* neg. c. Pont. 763

LOCUS XVIII. De Extremis.

I. *An in die judicii omnes mortui resuscitandi sint, etiam ii, qui concionem Evangelii non audiverunt?* aff. c. Soc. Libert. Epicur. 767

II. *An omnes mortui resurrecturi sint iisdem Corporibus, quæ in hac vita habuerunt?* aff. c. Soc. 774

III. *An hominum morientium corpora in nihilum redigantur;* neg. c. Socin. *ib.*

IV. *An anima ex intrinseca sua constitutione sit immortalis?* aff. con. Soc. Atheos. 776

V. *An præter universalem resurrectionem detur particularis Sanctorum & Martyrum, quæ mille annis ultimam præcessura sit?* neg. 780

VI. *An ergo politia judaica sit restituenda in terra Canaan?* neg. 787

VII. *An detur purgatorium, seu præter cœlum & gehennam locus tertius, in quo post hanc vitam animæ quorundam Sanctorum tanquam carcere detineantur, & igne corporeo, donec justitiæ divinæ satisfacerint, purgentur?* neg. c. Pont. 799

VIII. *An animæ fidelium V. T. in atrio aliquo Gehennæ, seu limbo detentæ fuerint, & à salute excluſæ usque ad resurrectionem [illegible] mortuis?* neg. c. Pont. 801

IX. *An infantes fidelium sine baptismo decedentes, è cœlo [illegible]ite perpetua excluſi, limbo aliquo, seu atrio inferni detineantur?* neg. c. Pont. 803

X. *An recte & piè pro mortuis orare possimus?* neg. c. Pont. 805

LOCUS. I.
DE
THEOLOGIA.

I. THeologiæ considerânda *Etymologia*, *Homonymia*, & *Synonymia*.

Theologiæ.

a. *Etymologiæ* respectu derivatur à θεὸς & λόγος; prima vocis origo ab Ethnicis est, qui Theologos vocabant eos qui de Diis agebant; eamque distinxerunt in μυθικὴν, seu *fabulosam* Poëtarum φυσικὴν, *naturalem* Philosophorum, & πολιτικὴν *civilem* Sacerdotum.

a. Etymologia.

Bene tamen ista vox in Christianorum Scholis retinetur, tum, quia Apostolus *Johannes* vocem *Theologi* usurpat, tum, quia simplicia, θεὸς & λόγος, vel τὰ λόγια etiam conjunctim in S. Literis occurrunt, tum de ipso Filio Dei, Joh. I. 1. Θεὸς ἦν ὁ λόγος, tum de verbo Dei. Heb. IV. 12. ζῶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Rom. III. 2. *Judæis concredita* τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ.

Vox Theologiæ bene retinetur.

b. *Homonymiæ* ratione Theologia generalissimè dividitur in *Archetypam & Ectypam*. *Illa* ipsius Dei de se cognitio est; *Hæc* creaturarum de Deo & rebus divinis notitia. Hanc iterum dividunt in *unionis*, quæ Christi est, qui solus perfectè [illegible] rationem unionis hypostaticæ; *visionis*, in angelis, & [illegible]s, qui non ambulant per fidem, sed per aspectum; *revelationis*, seu *stadij*, quæ fit viatoribus, qui ad metam nondum pervenerunt. Hæc verò iterum vel *naturalis*, quæ [illegible]tur circa τὰ γνωστὰ τοῦ Θεοῦ, tum *insita*, ex impressis [illegible]que notionibus communibus, tum *acquisita*, ex discursu per creaturas: vel *supernaturalis*, quæ rationem nostram transcendit, & nobis à Deo communicatur novo gratiæ lumine. Rursus Theologia supernaturalis consideratur vel *systematicè*, prout notat compagem doctrinæ salutaris de Deo & rebus divinis; vel *habitualiter*, per modum habitus in intellectu residentis.

b. Homonymia.

c. Synonymia.

c. *Synonyma* Theologiæ multa sunt: Dicitur ὑποτύπωσις *sanorum sermonum.* 2. Tim. I. 12. τύπος διδαχῆς. Rom. 6. 17. λόγια τοῦ Θεοῦ. Rom. 3. v. 3. *Doctrina.* Rom. 6. 17.

Datur Theologia.

II. Dari Theologiam, probant 1. *Natura* & *Bonitas Dei*, qui, cùm sit optimus, sui maximè est communicativus; non autem se communicat commodius creaturæ rationali, quàm per sui cognitionem & amorem. 2. *Populorum consensus*, & affectus innatus omnibus cognoscendi Deum, qui vanus esse nequit. 3. *Finis Creationis*, qui est, ut Deus à creaturis agnosceretur & celebraretur. 4. *Rei Natura*, quia hîc occurrit objectum scibile, Deus, & creatura rationalis, ad illum cognoscendum. 5. *Salutis necessitas*; ut enim homo ordinatur ad finem supernaturalem, necesse est illi dari medium supernaturale, quo finem illum assequatur.

Genus Theologiæ.

III. Nullus habituum intellectualium prout in Ethicis tractantur potest verum ac proprium genus Theologiæ constituere; nam eminenter omnes illos in se includit. Nam quatenus de Deo agit, ut summâ causâ, similis est *Sapientiæ*; quatenus principia continet, *Intelligentiæ*; quatenus Conclusiones demonstrat, *Scientiæ*; quatenus actiones dirigit, *Prudentiæ*; quatenus verò est ædificativa Ecclesiæ, *Arti.* Si tamen genus aliquod ex istis habitibus est Theologiæ tribuendum, *Sapientia* ei maximè analoga est, præeunte Scripturâ Col. 1. 9. *Non desinimus pro vobis orare, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, cum omni sapientia & intelligentia spirituali.* In vita tamen æterna mera erit sapientia. Hic *Doctrinæ* locus est.

Theolog. est Theoretico-practica.

IV. Theologia nostra est *Theoretico-Practica.* Id enim requirit. 1. *Objectum*, Deus, cognoscendus & colendus. 2. *Subjectum*, homo, perficiendus cognitione veri, & amore boni. 3. *Principium*, tum externum, verbum Dei, constans lege, quæ facienda, & Evangelio, quod credenda proponit; tum internum, Spiritus S. qui est *Spiritus Scientiæ & reverentiæ Jehovæ Jes. XI. 2.*

CONTROVERSIA.

Datur Theologia Naturalis.

An detur Theologia naturalis, sive notitia de Deo tum insita, quæ ex libro conscientiæ hauritur, per

κοινὰς

κοιναὶ ἔννοιαι, *partim acquisita, quæ ex libro Creaturarum petitur per discursum?* Aff. *contra* Socinianos.

ARGUMENTA.

1. Quia datur in homine Lex naturalis, quæ scripta est in uniuscujusque conscientia, & quæ hominem excusat & accusat in bene vel malè factis. Rom. 2. 14, 15. *Nam quum gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes, sibi ipsis sunt lex; ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis, simà testimonium reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam defendentibus.* Rom. II. 14, 15.

Exc. 1. *Non lex, sed opus legis dicitur inscriptum.* R. Isti sunt Synonyma, & pro eodem sumuntur, sibi ipsi esse legem, v. 14. & opus legis cordibus inscriptum habere. v. 15. Et rei natura hoc evincit, quia tale opus Legis intelligitur, cujus instinctu homo non modò honestum à turpi distinguit, sed ad illud præstandum, & hoc fugiendum impellitur.

Exc. 2. *Lex non dicitur innata, sed inscripta*, i. e. *cognita, ut Judæis cognita Lex Mosis ex revelatione.* R. Inscriptio naturalem revelationem istius Legis infert in hominis conscientia, oppositam revelationi externæ quæ facta est Judæis, per inscriptionem in tabulis lapideis.

2. Quia Deus sui dedit notitiam, tum insitam, tum acquisitam homini, quò pertinent loca. Ps. 19. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Igitur dicimur Deum posse *palpando invenire*, sc. per contemplationem rerum visibilium & sensibilium. Act. 17. 27. Et Paulus emphaticè dicit. Rom. 1. 19. 20 *Id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis* (gentibus), *Deus enim iis manifestum fecit; Ipsius enim invisibilia jam inde à condito mundo, ex iis quæ fecit, mente perpensa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas, ad hoc, ut sint inexcusabiles.* Ps. 19. v. 1. Act. 17. v. 27. Rom. 1. 19. 20.

Exc. *Verba Pauli referenda sunt ad secundam Creationem per Christum factam, & innuit Apostolus: Ea, quæ inde à Creatione invisibilia & incognita fuerint hominibus, nunc cognosci factis Dei, & hominum divinorum*, i. e. *Christi & Apostolorum ejus.* R. Verba Pauli, & series sermonis clamant

mant de prima Paulum loqui: Nam probare vult, homines impios adversus quos ira Dei cœlitùs demonstratur v. 18. veritatem in injustitia detinere, nim. veras de Deo notiones quæ in revelatione naturali continentur, quod ostendit. v. 19. quum ait, id quod cognosci potest de Deo manifestum esse in gentibus, &c. 2. Scopus Pauli idem docet, qui est demonstrare, nec Gentiles ex natura. c. 1. nec Judæos ex Lege justificari potuisse. c. 2. quia omnes sint peccatores, sed demum ex Evangelio, quod à Christo revelatum est. 3. σημεῖα non possunt referri ad miracula ab Apostolis facta, quia nunquam Ethnicis innotuerunt.

3. Experientia universalis hoc confirmat: Nam, *nulla est tam barbara natio, cui non insideat hæc persuasio, Deum esse.* Cic. lib. 1. de nat. Deorum.

4. Religionum in mundo institutio hoc evincit: Nam unde occulta illa hominum ad Religionem propensio? Cur tam proni ad idololatriam deterrimam amplectendam populi? Cur homines, animalia gloriæ, coram vilissimis creaturis se abjiciunt, nisi sensu numinis?

OBJECTIONES.

Ps. 14. 1. 1. *Psalm.* 14. 1. *Impius dicit, non esse Deum.* R. Conatur id sibi persuadere; inde ait Psaltes; *Dicit*, non verò, *certò statuit.* 2. Non tam innuitur negatio existentiæ, quàm Providentiæ Dei, uti patet ex Ps. 10. ubi, quod dicitur v. 4. de impio: *Omnes cogitationes ejus sunt; non est Deus*, v. 11. refertur ad negationem providentiæ: *Dicit in corde suo, oblitus est Deus, abscondit faciem suam*, &c.

Heb. 11. 6. 2. *Notitia de Deo fide haberi debet.* Heb. XI. 6. R. Hoc loco non agitur de cognitione Dei naturali, sed salvifica, quod ex adjuncto fidei salvificæ, & exemplis Sanctorum per totum caput liquet.

3. *Sunt gentes, quæ Deum ignorant.* R. Verum Deum; aliquod tamen numen esse dictat ipsorum conscientia. Inde *Americani* & *Brasilienses*, non modò *Stignan*, i. e. Diabolo Sacrificia obtulerunt; sed & solem & tonitru venerati sunt, imò & suos sacerdotes habuerunt.

4. *Præstantissimi Philosophi negârunt mundum à Deo esse & gubernari.* R. Ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς. Rom. 1. 21. quomodo & hodie multa homines negant, quæ scire possent aliter se habere.

5. *Socrates apud Veteres traducitur ut Atheus.* R. Quia ido-

idolorum & fictitiorum numinum contemptor fuit, ut Apulejus & Agellius testantur.

V. Cognitio Dei naturalis acquisita triplici viâ solet obtineri; per viam *Causalitatis*, quum ex Effectis intelligimus causam; Per viam *Eminentiæ*, quando quicquid est perfectionis in rebus creatis, eminenter & κατ' ἐξοχήν Deo tribuimus. Per viam *negationis*, quando removemus à Deo, quæ imperfectionem notant in Creaturis. Via ad cognitionem Dei naturalem.

VI. Theologia hæc dicitur naturalis, 1. quia est à natura. 2. manet cum natura. 3. nonnisi naturalia docet.

VII. Docet autem. 1. Deum esse. 2. Et eum colendum. 3. Honestè vivendum. 4. Animam esse immortalem. 5. Virtuti præmium, sceleri pœnam deberi. Quousque Theologia naturalis pertingat.

CONTROVERSIA.

Num Philosophia repugnet Theologiæ, i. e. an eadem sententia, servatis oppositionis regulis, possit esse vera in Philosophia, falsa in Theologia? Neg.

Circa usum Philosophiæ in Theologia peccatur in excessu, & in Defectu: *In excessu* ab iis, qui Philosophiam cum Theologia confundunt; quod faciebant olim *Pseudapostoli*, qui dogmata varia Philosophica malè sana doctrinæ Christianæ immiscebant; qui propterea arguuntur ab Apostolo. Col. 2. 8. *Patres* nonnulli, qui ex Philosophis egressi nonnullas eorum sententias erroneas retinuerunt, & dogmatum Philosophicorum, & Theologicorum mixturâ Gentiles ad Christianismum adducere tentârunt, ut Justin. Mart. Origenes, Clemens Alexandrinus. Et *Scholastici*, qui magis niruntnr rationibus Philosophorum, quàm Testimoniis Scripturæ. In eundem lapidem impingunt *Socmiani*, qui Philosophiam Scripturæ interpretem & fidei principium faciunt. *In Defectu* peccant, qui Philosophiam Theologiæ contrariam censent, ideoque à Theologia penitùs eliminandam: quod superioribus seculis *Fanatici* & *Enthusiastæ* statuebant, & hodie *Anabaptistæ* & *Weigeliani* retinent. Circa usum Philos. in Theologia peccatur.

α. In Excessu.

β. In Defectu.

Contra hos militamus sequentibus rationibus.

1. Ut olim tabernaculum auro Ægyptio exornavit Moses, & Sydoniorum & Tyriorum operâ in extruendo templo Philos. sana non pugnat cum Theol.

plo usus est Solomon; Ita nos Philosophiâ uti possumus ad fidem Christianam præparandam in Gentilibus; quò pertinet Juliani Apostatæ vox, quum videret, gentilium errores profligari à Christianis, Philosophiæ & humaniorum literarum subsidio: Τοῖς αὐτῶν πλησίοις ἁλισκόμεθα; *nostris ipsorum alis capimur.*

2. Philosophia potest esse testimonium consensûs in rebus luce naturæ notis, ut sic ex gemina revelatione veritas & certitudo ipsarum magis confirmetur.

3. Potest esse organum clarè res percipiendi, & rectè de iis judicandi.

4. Eâ animus excolitur & præparatur in disciplinis inferioribus, ad tractationem scientiæ altioris.

OBJECTIONES.

Col. 2. 8. 1. *Col.* 2. 8. *Cavete, ne quis vos seducat per Philosophiam.* R. Non intelligitur vera, sed falsa Philosophia, mala dogmata, pravæque Philosophorum artes, quod patet. 1. ex descriptione addita, quia eam vocat κενὴν ἀπάτην, vanam deceptionem. 2. ab exemplo de cultu Angelorum. v. 8. qui veræ Philosophiæ dogma non est, sed carcinoma.

2. *Repugnat Philosophiæ, ferrum natare, nasci ex virgine.* &c. R. Ista κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο dicuntur (In Philosophia negantur secundùm leges naturæ; in Theologia verò affirmantur respectu omnipotentiæ divinæ, & supernaturaliter.

Idea Dei. VIII. Sensum Numinis naturalem quidam Recentiores per ideam Dei mentibus nostris impressam explicant; ad quod observandum: Ideam Dei minùs propriè dici nobis imprimi, si per eam designetur species aliqua & imago Dei intelligibilis in mentibus nostris, quæ quidditatem & Essentiam Dei clarè & distinctè nobis repræsentet; quod & infinita Dei majestas respuit, & finita ac fragilis intelligentia nostra non capit; quomodo enim Entis infiniti daretur imago in mente finita, vel utcunque adæquata, vel clara & distincta; Nec si pro certo ex communi ista notione, & conscientiæ instinctu haberi potest, quòd sit Deus, continuò sequitur, ut claro & distincto conceptu, qualis sit, statim assequi possimus. Præterquam, quod certum est claram & distinctam Dei ideam, si quæ datur in nobis

non

non ex natura, quæ per peccatum excœcata est, sed ex revelatione supernaturali verbi demùm haberi, in qua Deus apertè se nobis patefecit, licèt hæc ipsa cognitio respectu gloriæ sit tantùm specularis & ænigmatica, i. e. imperfecta adhuc, & valdè obscura.

IX. Quinque sunt, ad quæ non pertingit Philosophia. 1. Trinitas. 2. Corruptio hominum in Adamo. 3. Mediator Christus. 4. Vera beatitudo. 5. Media, quibus ea obtineri potest. Ad quæ non pertingat Philosophia?

CONTROVERSIA.

An naturalis Theologia sufficiat ad adducendum hominem ad salutem, & homo absque cognitione Christi & Evangelii salvari possit? Neg. contra *Pelag. Remonst. Soc.* Theologia Natur. non sufficit ad salutem

Occasionem quæstioni dedit dogma impium Pelagianorum; *Unumquemq; in Religione sua salvari posse*, quod non tantùm retinent *Libertini*, *David-Forzistæ*, honestâ conversatione contenti, sed & *Sociniani*, qui Capita Religionis ad pauciſſima referunt, omnibus communia, & *Armiani*, qui statuunt, recto usu luminis naturæ acquiri lumen gratiæ, & per gratiam perveniri ad gloriam. Item *Pontificii*, qui salutem Ethnicorum absque notitia Christi ausi sunt propugnare. Contra hos militant sequentia

ARGUMENTA.

1. Quia Religio salutaris nulla esse potest sine Christo, & fide in ipsum. Joh. 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joh. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Hoc Petrus confirmat. Act. 4. 12. *Nec est in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.* 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest statuere præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus.* Joh. 3. 16. Joh. 17. 3. Act. 4. 12. 1. Cor. 3. 11.

2. Status Gentilium, & eorum omnium, qui Christi verbo destituuntur, vocatur *tempus ignorantiæ*, Act. 17. 30. *In quo serviunt ignoto Deo.* Act. 17. 23. *& sunt ἄθεοι.* Eph. 2. 12. Act. 17. 23. 30. Eph. 2. 12.

3. Si salus posset haberi ex Religione communi, non opus fuisset Evangelio & verbi præconio; cùm tamen te-

1. Cor. 1. 21. ſtetur Paulus. 1. Cor. 1. 21. *Poſtquam in Dei ſapientia mundus Deum non cognovit per ſapientiam, Deo placuiſſe ſervare credentes per ſtultitiam prædicationis*, i. e, verbum Evangelii, quod impiis eſt ſtultitia.

OBJECTIONES.

Rom. 2. v. 1. 1. *Quomodo alioquin eſſent inexcuſabiles*; R. Quia faciunt talia, quæ ſciunt morte digna. Rom. 1. 32.

v. 4. Inſt. *Bonitas Dei ad converſionem ducit.* verſ. 4. R. Hic non agitur de bonitate communi, quâ etiam gentes per Theologiam naturalem fruuntur; ſed ſermo eſt de Judæis, qui Dei revelationes habebant, ut patet ex 17. ubi nominatim ſermo dirigitur ad Judæum.

Rom. 2. 7. 13. Inſt. *Factores legis ſalvabuntur.* v. 7. 13. R. i. e. Si quis per legem ſalvaretur, ille non auditor tantùm, ſed factor legis eſſe deberet.

Act. 17. 27. 2. Act. 17. 27. *Deum palpando invenire potuerunt.* R. Innuit quidem Paulus, Deum ſe ita patefeciſſe in natura, ut debuerint aſſurgere ad colendum authorem ſuum; ſed non eo fine, ut eum quærant ſalutariter. Loquitur enim Paulus cum Philoſophis Gentilibus, Stoicis & Epicuræis, quorum quæſtiones ut plurimum erant de Dei exiſtentia & providentia: oſtendit ergo, tot extare documenta Exiſtentiæ & providentiæ Dei, ut palpari à cæcis quoque poſſit.

Jon. 3. 10. 3. *Gentes converſæ ſunt.* Jon. 3. 10. R. 1. v. 4. Verbum Dei illis prædicatum erat. 2. Converti iſtic loci eſt deſiſtere à ſceleribus vitæ anteactæ.

Cur alia revelata ſit Theologia. X. Neceſſe fuit aliam revelari Theologiam. (1) Propter humani ingenii cœcitatem. *Nam mundus per ſapientiam ſuam Deum non cognovit in ſapientia ſua.* 1. Cor. 1. 21. (2) Propter rerum ſublimitatem; nam opus fuit, ut *myſterium voluntatis ſuæ Deus ipſi manifeſtaret.* Eph. 1. 9. (3) Propter Satanæ, malorumque hominum fallaciam, per quam homines *ſeducuntur, utpote verſutiam artificioſe ad fallendum compoſitam.* Eph. 4. 14.

Uſus rationis in Theologia. XI. Uſus rationis humanæ in Theologia eſt. (1) Revelata percipere; unde Chriſtus interrogat diſcipulos: *Num omnia intellexerint à ſe dicta? reſpondentibus illis: Imò.* Matth. 13. 51. (2) Cum aliis conferre. Ita Beroenſes *contulerunt dicta à Paulo cum Scripturis.* Act. 17. 11. (3) Explicare:

plicare: Ita Nehemia, Esra, & Levitæ docebant populum. Nehem. 8. 9. (4) Falsa discernere, oportet enim *explorare ea quæ discrebant.* Phil. 1. 10. (5) Ab objectis vindicare. Ita Paulus Rom. cap. 9. solvit objectiones, quæ potuissent objici ejus doctrinæ de gratuita Electione.

Quod observandum est contra *Pontificios* & *Lutheranos*, qui vellent, Testimonium rationis non esse audiendum, quoties judicat de mysteriis fidei, v. g. de Transsubstantiatione, ubiquitate Corporis Christi, &c. & nobis, qui contrarium sentimus, dicam talem scribunt, quasi nos ipsos constituamus judices ultimos in rebus fidei; quanquam rationi non tribuamus judicium *decisionis*, quo publicè controversiæ determinantur, sed *privatæ discretionis*, quo verum à falso discernitur, & quidem non semper quoad veritatem sententiarum, nisi naturaliter notæ sint, sed, quoad veritatem connexionum.

CONTROVERSIA I.

An ratio humana, subjectivè sumta, seu facultas naturalis intelligendi, sit principium seu norma, ad quam omnes de Religione controversiæ, atque ea, quæ in Scriptura revelata sunt, examinari & dirimi debent.

Neg. cont. *Socinianos.*

Licet ratio sit *instrumentum quo*, vel *medium per quod* ad fidem possumus adduci. Tamen non est *Principium ex quo* fidei Dogmata probantur, vel fundamentum, quo nituntur. Et, licèt ratio multiplicem usum habeat in Theologia tum ad *illustrationem*, *collationem*, *illationem*, & *argumentationem*; Tamen se non habet ad modum *Principii* & *normæ*, ad cujus trutinam debeant expendi maxima Religionis mysteria. Quod ita probatur. Ratio humana non est norma Religionis.

ARGUMENTA.

1. Quia ratio hominis irregeniti circa legem cæcutit. Eph. 4. 17. 18. *Obtestor vos per Dominum, ne amplius ambuletis, sicut reliquæ gentes ambulant in vanitate mentis suæ? tenebris obscuratam mentem habentes, & alienati à vita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipsis, per obdurationem cordis ipsorum.* Rom. 8. 7. *Quod sapit caro, inimicitia est adver-* Eph. 4. 17. 18. Rom. 8. 7.

Eph. 5. 8. 1. Cor. 2. 14.

versus Deum. Circa Evangelium verò ratio planè cæca est, & meræ tenebræ. Eph. V. 8. *Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino.* 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritûs Dei, sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.*

2. Mysteria fidei sunt supra sphæram rationis, ad quæ homo animalis assurgere non potest.

3. Fides non resolvitur ultimò in rationem, ut credere debeam, quia ita intelligo & capio; sed in verbum, quia Deus in Scriptura ita loquitur.

4. Ratio Religionis norma esse nequit, nec quà corrupta, quia non solùm est infra fidem, sed contra eam, ut supra probatum; nec quà sana, quia talis in homine corrupto non datur.

OBJECTIONES.

Rom. 12. v. 1.

1. *Cultus noster rationalis est.* Rom. 12. 1. R. Rationalis est non *originaliter*, qui est à ratione, ut origine & principio, sed *subjectivè* & *organicè*, qui in ratione est tanquam in subjecto, & per rationem tanquam instrumentum exercetur, oppositus cultui Levitico, qui in brutorum oblatione consistebat; nunc verò Deus non ampliùs bruta, sed hostias rationales & spirituales postulat. 1. Pet. 2. 5.

Syllogismi mixti.

2. *Quid ergo sentiendum de Syllogismis mixtis, ubi una propositio est de fide, altera ex ratione?* R. Ratio hac in parte non est fundamentum & norma, quâ nititur conclusio, sed tantùm medium & instrumentum, cujus operâ elicitur veritas in præmissarum alterâ virtualiter latens. Itaque in istiusmodi Syllogismis medius terminus non sumitur à ratione, sed à Scriptura, nexus verò medii cum majore extremo quum negatur ab adversario, per rationis principia ostenditur, non ad corroborandam medii veritatem, sed connexionis. v. g. nego Corpus Christi glorioſum esse ubique, assumto hoc medio à Scriptura, quòd sit corpus verum; major verò, quòd nullum corpus sit ubique, petitur à ratione; unde in talibus argumentis conclusio emergit Theologica à medio inferente, & Logica à ratione, quæ consequentiam nectit, alterâ præmissarum, quæ est de fide, vim suam communicante conclusioni, eatenus, ut quoad materiam & consequens solâ revelatione nitatur, licèt quoad formam & consequentiæ modum pendeat à ratione.

3. *Res*

3. *Res fidei cum ratione consentiunt; nec ullum dogma cum ratione recta & illuminata pugnat.* R. Non tamen sequitur, consentire cum ratione corrupta & cæca vel rationem etiam sanam esse ejus principium; quia non solùm consensus, sed dependentia facit principium, qualis est inter causam & effectum.

CONTROVERSIA II.

An ratio naturalis objectivè, seu ipsa Philosophia, sit norma, ad quam omnia, quæ in Scriptura revelata sunt, examinari debeant? Neg. cont. eosdem. S. Socinianos

Quinam circa hanc quæstionem in Excessu peccant, supra monuimus. Contra eos militant eadem argumenta, quæ superiori Controversia proposuimus.

Abusus Philosophiæ in Theologia.

Interim non incommodum est hac occasione inferere multiplicem abusum Philosophiæ in Theologia; Hic abusus cernitur. 1. Quum ea, quæ Philosophia de rebus sibi subjectis & in ordine inferiori verè pronunciat, ad mysteria Theologiæ transferuntur; v. g. Ex nihilo nihil fieri, à privatione ad habitum non dari regressum; virginem non esse matrem, &c. quia fit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, & quod Philosophia tradit de regno suo, & de causis naturalibus intelligenda est, non de regno gratiæ, & in ordine supernaturali. Peccant ergo, qui hinc argutantur contra Creationem mundi, incarnationem, & resurrectionem mortuorum, quia hæc Scriptura fieri docet non per virtutem causarum naturalium, sed per omnipotentiam Dei. 2. Quum prætextu Philosophiæ falsa placita Philosophorum assumuntur, & ex illis errores in Theologia extruuntur, vel defenduntur, qualis est opinio Aristotelis de æternitate mundi, Platonis, de igne purgatorio, &c. 3. Quum Philosophia circa articulos fidei magisterium sibi assumit, non contenta ministerio, quod factum à Scholasticis, qui Aristotelem in throno collocârunt, & à Socinianis, qui mysteria Trinitatis, incarnationis, &c. nolunt admittere, quia Philosophiæ principiis non videntur congruere. 4. Quum novi termini & Phrases è Philosophia in Theologiam inferuntur citra necessitatem, sub quibus nova sæpe & periculosa latent dogmata.

Phi-

Philosophia igitur est Agar ancilla; quæ subjici debet Scripturæ, non Sara Domina, quæ illi præficiatur; debet exigere quæ proponuntur credenda ad Scripturas Sacras, ceu normam veritatis indeclinabilem, ut quum manu & oculo ad ulnam publicam exigimus quæ metiri volumus, sed ipsa in normam credendorum constitui non potest, nec debet.

OBJECTIONES.

1. *Quod Philosophiæ repugnat, verum esse non potest.* Resp. Potest tamen aliquid esse verum, non quod Essentiam rei tollit, sed quod communibus Philosophiæ regulis repugnat; ut: ferrum natans, virgo pariens.

2. *Philosophia debet docere quid sit consentaneum, quid dissentaneum?* Resp. Quid in natura tale sit, non quid in Scriptura.

CONTROVERSIA III.

De testimonio sensuum.

An aliquis sit usus testimonii sensuum in mysteriis fidei; An penitus sit repudiandum?

Affir. Prius. *Neg.* Post.

Quæstio hæc nobis movetur à *Pontificiis*, qui, ut elevent argumentum quod petimus ad impugnandum commentum Transsubstantiationis, & Præsentiæ carnalis Christi in Eucharistia, & ad confirmandam veritatem substantiæ panis & vini, ex testimonio sensuum; quia sensus nihil vident, nihil tangunt & gustant, nisi panem & vinum, eò deveniunt, ut dicant, non esse audiendum in mysteriis fidei sensuum testimonium, eò quòd mysteria sint supra sensum, & fides in eo sita sit, ut credamus quæ non videmus.

Mysteria fidei duplicia.

Observandum verò: Mysteria fidei alia esse merè spiritualia, & posita longissimè supra captum nostrum, qualia sunt mysteria Trinitatis, incarnationis, &c. alia verò, quæ in rebus sensibilibus & corporeis sita sunt, ut: miracula Christi, typi & figuræ Veteris Testamenti, Sacramenta Novi. Priora sunt propriè objectum fidei nostræ, nec ullo modo cadunt sub sensus; sed quoad posteriora, in quibus res spiritualis cum corporea jungitur, res spiritualis manet semper objectum fidei, sed res corporea manet objectum sensûs. Quæritur ergo: An fides uratur testimonio

sensuum

sensuum in rebus corporeis, v. g. quum judicat de substantia panis & vini in Eucharistia, & de absentia corporis Christi; an verò illud rejiciat? Prius affirmamus sequentibus argumentis.

ARGUMENTA.

1. Christus ad probandam veritatem corporis sui post resurrectionem, provocat ad sensus: *videte, & palpate.* Luc. 24. 39. quod non fecisset, si fallax & dubium esset eorum testimonium. Ita Angelus hoc argumento utitur. Matth. 28. 6. *Non est hic, sed suscitatus est, videte locum ubi jacebat.* & Act. 1. Apostoli eadem probatione utuntur, dum pollicentur reditum Christi eo modo quo abiit. Huc refer locum 1. Joh. 1. v. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectârunt, de sermone illo vitæ, id annunciamus vobis,* ubi S. Johannes præcipuam rationem veritatis & divinitatis Evangelij fundat super testimonium sensuum.

2. Deus utitur verbi præconio & operum contemplatione ad nos ad fidem adducendos; hæc verò præsupponunt usum sensuum.

OBJECTIO.

Sensus sunt fallibiles. R. Licèt sensus non sint absolutè infallibiles; non sequitur, eorum testimonium nullum esse debere; quia variæ sunt conditiones, quibus positis sensus non falluntur. 1. Ut objectum sit in debita distantia. 2. Ut medium sit purum, & immune ab omni eo quod imaginem corrumpere posset. 3. Ut organum sit legitimè dispositum. 4. Ut omnes sensus, saltem qui possunt cognoscere aliquod objectum, consulantur, & idem ferant judicium. 5. Ut sensus attentè agant, & non præcipitanter, aliàs possunt decipi. 6. Ut phantasia sit libera, neque in ea vel phrenesis, vel febris adsint, aliàs sæpè fieri solet, ut ea credamus videre aut audire, quæ tamen non videmus aut audimus. Si ad istas conditiones omnes attendimus, patebit, ita concurrere omnes in testimonio circa veritatem substantiæ panis & vini in Eucharistia, ut nulla ratione fallax esse possit, vel in dubium revocari.

Quousque sensus non fallant.

XII. Sed hîc etiam aliquid dicendum de *articulis fundamentalibus*, & *non fundamentalibus*. Discrimen inter locos fundamentales & non fundamentales innuit Paulus 1. Cor. 3. v. 11. 12. 13. ubi Paulus distinguit fundamentum ab

Articuli fundamentales & non fundamentales.

ab iis, quæ inædificantur, fundamentalia si quis tangit, subjicitur anathemati. Gal. 1. 8. *Etiamsi nos, aut Angelus è cœlo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto.* In aliis est locus tolerantiæ. Rom. 14. v. 1. *Eum, qui fide infirmus est, assumite.* & Phil. 3. v. 15. 16. *quotquot adulti sumus, hoc sentiamus, quòd si quid aliter sentitis, hoc quóque Deus vobis revelabit; attamen in eo, ad quod pervenimus, eadem incedamus regulâ, & idem sentiamus.* Circa doctrinam verò de articulis fundamentalibus in *defectu* peccant *Sociniani*, à fundamentalibus excludentes dogmata de Spiritu S. Trinitate, persona & satisfactione Christi, &c. Item *Arminiani*, qui fundamentalia his tribus complectuntur; *fide divinarum promissionum, obedientiâ divinorum præceptorum, & debitâ Scripturis reverentiâ.* In *excessu* peccant tum *Pontificii*, qui Romanæ Ecclesiæ traditiones pro fundamentalibus obtrudunt, tum *Lutherani* rigidiores, qui ut syncretismum nobiscum difficiliorem reddant, fundamentalia latiùs nimis extendunt. Nos medium tenemus, & ea dogmata pro fundamentalibus habemus. 1. Quæ necessarias salutis causas & conditiones continent. 2. Quorum cognitio ut necessaria ad salutem, & ignoratio ut exitialis traditur in Scriptura.

Error triplex.

I. Contra fundamentum. 2. Circa fundamentum. 3. Præter fundamentum,

XIII. Quod autem de fidei articulis dicimus, idem & de erroribus quibus oppugnantur, dici debet. Ut non omnes veritates sunt ejusdem necessitatis, ita non omnis error est capitalis; unde triplex error statui potest. 1. *Contra fundamentum*, qui directè aut unum aut plures fidei articulos evertit. v. g. qui negat Christi divinitatem, & Trinitatem personarum. 2. *Circa fundamentum*, qui non negat quidem directè articulum fundamentalem, sed tamen antithesin tenet, quâ stante indirectè & per necessariam consequentiam articulus ille evertitur, ut, qui Deum credit, sed non agnoscere vult ejus providentiam, quia sublatâ providentiâ tollitur Deus. 3. *Præter fundamentum est error*, qui vel non tangit fundamentum, vel illud respicit tantùm per remotam & obscuram consequentiam, qui versatur circa quæstiones problematicas, & curiosas, quæ nec in verbo sunt revelatæ, nec scitu necessariæ. Cujusmodi sunt doctrinæ, quas Apostolus vocat *fœnum & stipulas.* 1. Cor. 3. 11. quæ possunt consistere cum vero fundamento, & non impediunt, quò minùs is salvetur qui eas profitetur.

LOCUS

LOCUS II.
DE
SS. SCRIPTURA.

I. PRincipium *essendi*, seu causa Theologiæ est ipse Deus. Principium *cognoscendi* est verbum Dei. Vox verbi homonyma.

II. Verbum notat (1.) Verbum dictum. Heb. 13. 7. *Memores estote ductorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis sermonem Dei.* (2.) Verbum scriptum. Rom. 3. v. 2. *Illis* (Judæis) *concredita sunt* τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. (3) Animo receptum. 1. Joh. 2. 14. *Verbum Dei in vobis manet.* (4.) Ipsum Christum. Apoc. 19. v. 3. *Nomen ejus est verbum Dei.*

III. Verbum dictum à scripto differt non authore, nec dignitate, sed modo proponendi; primò dictum fuit, postea scriptum. Est itaque distinctio verbi in ἄγραφον & ἔγγραφον non divisio generis in species, ut *Pontificii* volunt, quasi aliud esset verbum non scriptum à scripto; sed subjecti in sua accidentia, quia eidem verbo accidit, ut olim fuerit non scriptum, & nunc sit scriptum. Verbum ἔγγραφον & ἄγραφον quomodo differant?

IV. Necesse fuit verbum Dei scribi (1.) ut quivis legere posset. Hab. 2. v. 2. *Scribe visionem, ut percurrat lecturus eam.* (2.) Eo fidem suam confirmare. Joh. 20. v. 31. *Hæc scripta sunt ut credatis.* (3.) Ne oblivione deleretur. Ps. 102. v. 19. *Conscribatur hoc in generationem posteram* (4.) Ne à malis adulterari posset, sed maneret *lac sincerum* 1. Pet. 2. v. 2. (5.) Ut novum ex veteri confirmaretur, atque ita *justitia Dei manifestetur tam per testimonium legis quàm Prophetarum.* Rom. 3. v. 21. Necessitas verbi scribendi.

V. Scriptura est syntagma librorum, per Spiritum Sanctum à viris Dei conscriptorum, de iis, quæ homines ad Dei gloriam, & suam ipsorum salutem, scire, credere & agere necesse habent. Scripturæ definitio.

CONTROVERSIA.

An Scriptura S. quam Christiani habent, sit verbum Dei? Aff. contra *Atheos.*

ARGUMENTA.

I. S. Scriptura divinitatem suam probat notis tum *extrinsecis*, tum *intrinsecis.* Illæ sunt. 1. Antiquitas. 2. Duratio Divinitas Scripturæ.

ratio inter medios hostes. 3. Amanuensium summus in scribendo candor, qui nec proprios errores dissimulârunt. 4. Martyrum circa hoc verbum constantia. Hæ sunt 1. Admiranda mysteriorum sublimitas. 2. Præceptorum sanctitas. 3. Oraculorum certitudo. 4. Styli majestas. 5. Divinus consensus Scripturæ. 6. Finis, quo omnia ad gloriam Dei, & hominum salutem diriguntur. 7. Efficacia in animis hominum. Quæ notæ, licèt pariter & æquali gradu non fulgeant in omnibus Scripturæ libris, tamen si non seorsim singula, sed ἀθρόως considerantur, librum divinum & authenticum satis arguunt.

Authentica testimonia Prophetarum & Apostolorum qui nec decepti sunt.

2. Si testimonium Prophetarum & Apostolorum testimonium incertum & fallax esset, id foret, vel quia ipsi decepti sunt, vel quia alios deceperunt. Sed neutrum dici potest. *Non decepti sunt*, nec decipi potuerunt. Nam, si decepti sunt, vel ab alio decepti sunt, vel à se ipsis: *Illud* dici nequit; quia nec à Deo, qui fallere non potest, nec ab Angelis, qui non fallunt, nec à Dæmonibus, quia doctrina illorum ad destructionem Diaboli tendit. *Istud* verò non magis; nam qui fallitur in re aliqua, hoc fit ideò potissimùm, vel quia ipse eam non vidit, sed ab aliis accepit, vel, quia eam obiter tantùm aspexit, vel quia res est obscura & difficilis, vel quia subjectum est malè dispositum, quò minùs ritè judicet, sed hîc nihil tale occurrit. Nam. 1. Eorum, quæ narrant, fuerunt oculati & auriti testes, & in illis pernoscendis magna attentione & studio versati erant. 2. Nec de remotis & dissitis rebus loquuntur, sed quæ in iis ipsis locis, & eo tempore quo scribebant, gesta erant. 3. Non agebatur de rebus obscuris; sed de factis in sensus & oculos incurrentibus, v. g. de resurrectione Christi, &c. 4. Nec facultas ipsorum malè dispositæ fuit, quia sapientiam, & bene dispositum animum verbis suis & vita produnt. Sed, ut decepti non sunt, sic *nec decipere voluerunt*; Nam qui fallunt & mentiuntur, aliquod sibi proponunt emolumentum, vel ut gloriam, vel hominum gratiam, vel opes sibi comparent. At viris istis Dei nihil tale contigit; quid enim ipsos in vita manebat, nisi inopia, exilia, cruciatus, & extrema supplicia? &c. Denique *nec decipere potuerunt*, etsi voluissent, quia scribebant non de rebus remotis & dissitis, aut quæ priscis temporibus, & clam in angulo aliquo gestæ erant;

Nec decipere voluerunt.

Nec potuerunt.

erant; sed ea referebant, quæ illo ipso tempore quo scribebant, & coram sole, palàm facta sunt.

OBJECTIONES.

Moses nunquam extitit. R. Illius meminerunt non modò Judæi & Christiani, sed & profani authores non pauci. 2. Ita etiam posset negari, nec Platonem, nec Aristotelem, nec Ciceronem unquam extitisse. 3. Multo minus hoc de Mose, quàm de cæteris dici potest, quia nullus liber majori cum rationis specie debuisset à Judæis aboleri, qui sic à legis durissimæ jugo se liberâssent, & tamen nullus majori studio & zelo ab iis exceptus est. Autentia librorum Mosis ostenditur.

Inst. *Moses saltem fuit impostor,* R. 1. Ethnici ipsi, ut Porphyrius, lib. 4. veracis scriptoris laudem dant Mosi. 2. Quomodo impostor tam admirabilem doctrinam excogitare potuisset, à qua quicquid boni cæteræ habent, mutuatæ sunt. 3. Si falsa est quam tradidit narratio originis mundi, nihil facilius fuit, quàm mendacii eum arguere, ex exiguo generationum numero, quæ ab Adamo ad diluvium, & à diluvio ad exitum populi ex Ægypto recensentur; siquidem tempore Mosis adhuc supersse poterant varij, qui Josephum viderant, cujus parens Semum viderat, qui usque ad centesimum annum vitæ suæ potuit versari cum Mathusalem, ad hoc usque tempus superstite, qui & ipse Adamum viderat; unde nullo negotio rei veritas vel falsitas deprehendi potuit. 4. Quomodo Moses si impostor fuisset, tanto populo persuadere potuisset, ut sibi crederent; an nullus fuisset, qui dubitaret? 5. Moses de iis scribit, quæ non multa ante secula gesta erant, sed hoc ipso tempore; non clam, sed sub oculis sexcentorum millium hominum, & hostium etiam ipsorum. 6. An credibile est, ex tanto hominum numero, quos subinde tanquam gentem rebellem durissimè increpabat, gravissimis pœnis, morte ipsa castigabat, quibus meritò exacerbari potuissent contra ipsum, neminem futurum fuisse, qui suam illi fraudem non objecisset. 7. Si impostorem egit, commodum aliquod, vel gloriam, vel opes, vel imperium captavit: Sed quàm alienus à lucri vel gloriæ cupiditate Moses fuerit, & res ipsa clamat, & sinceritas, quâ propria peccata sua, & incredulitatem imprimis tam ingenuè confitetur, satis testatur.

INST. *Israëlitæ consenserunt in fraudem, ad majorem*

genti gloriam conciliandam. R. Sed quis credat, Israëlitas consensisse in talem imposturam, per quam jugo ἀβαστάκτῳ Legis subjiciebantur, si persuasi fuissent, talem legem fuisse merum Mosis commentum? 2. Tantum abest, ut gloriam apud alios sibi inde conciliarent, ut contrà odium & contemtum omnium in se accerserent: Quis enim dixerit, ad decus gentis pertinuisse ut eorum peccata, murmura, pervicacia, rebellio, &c. oculis hominum exponerentur?

Necessitas Scripturæ.

VI. Necessitas Scripturæ Sacræ hæc est: Debet legi, prædicari, recipi, retineri, & observari. Apoc. 1. v. 3. *Beatus, qui legit, & beati qui audiunt verba prophetiæ hujus, & observant ea, quæ in ea scripta sunt.*

CONTROVERSIA I.

An Ecclesia hodie ad Deum rectè cognoscendum & colendum, indigeat S. Scripturâ?

Affirm. contra *Pontif.*

Pontificii, ut traditiones suas stabiliant, utilem quidem dicunt fuisse Scripturam Ecclesiæ, sed non necessariam. Nos illam necessariam dicimus non *absolutè*, quia Deus ante Mosem 2000. annos solâ vivâ voce Ecclesiam suam instituerat, sed *hypothetice*, propter voluntatem divinam.

ARGUMENTA.

Jac. 1. 18. Rom. 10. 17. Rom 15. 4.

1. Est medium conversionis. Jac. 1. 18. *Progenuit nos sermone veritatis.* Fidei. Rom. 10. v. 17. *Fides est ex auditu.* Consolationis. Nam, *quæ scripta sunt, ad nostram consolationem scrpita sunt.* Rom. 15. 4.

Eph. 2. 20.

2. Est fundamentum Ecclesiæ, & omnis cultûs ejus. Eph. 2. 20. *Superstructi fundamento Prophetarum & Apostolorum.*

Jes 8. 20. Gal. 1. 9

3. Est lapis lydius, ad quem omnia examinanda sunt. Jes. 8. 20. *Cui non est lucis scintilla, legem & testimonium consulat.* Gal. 1. 9. *Quisquis evangelizârit præter id, quod accepistis, anathema esto.*

Col. 3. 16.

4. Omnibus mandatum est, ut eam fideliter retineant. Col. 3. 16. *Sermo Christi inhabitet in vobis copiose.*

2. Pet. 1. 19. Matth. 22. 29.

5. Est *lux splendens in loco obscuro.* 2. Pet. 1. 19. Remedium erroris; Inde Sadducæi *errârunt, quia nesciebant Scripturas.* Matt. 22. v. 29. Hæc autem omnia necessaria sunt.

OB-

OBJECTIONES.

1. *Ab Adamo ad Mosen Ecclesia fuit sine Scriptura.* R. Olim verbum ἄγραφον conservari potuit propter longævitatem Patriarcharum, fœderatorum paucitatem, & frequentiam revelationum; nunc alia res est.

2. *A Mose ad Christum Ecclesiæ inter gentes, ut Job & Amici ejus, Scripturâ caruerunt.* R. Hoc falsum esse, ex uno Eunuchi, Candacis Reginæ exemplo constat. Act. 8. v. 30. Nec absolutè Scriptura ignota fuit gentibus, postquam in linguam Græcam tempore Ptolomæi Philadelphi translata fuit. Act. 8. 30.

3. *Ecclesia conservata fuit in captivitate Babylonica absque Scriptura.* R. Falsum est. Nam Dan. 9. 2. dicitur Daniel sub finem 70. annorum considerâsse ex libris numerum annorum, & Neh. 8. 2. Jubet Esdras afferre, non de novo condere librum legis. Dan. 9. v. 2.

CONTROVERSIA. II.

An Scriptura S. pueris tantùm & incipientibus sit necessaria, perfectiores autem spiritum sequi debeant? Neg. cont. *Enth. & Libert.*

Scriptura non tantùm incipientibus, sed etiam perfectis data.

ARGUMENTA.

Argumenta possunt peti ex 1. Cor. 10. v. 15. *Ut intelligentibus loquor, judicate vos quod ajo.* 1. Joh. 2. v. 13, 14. *Scribo vobis, Patres; scribo vobis, adolescentes; scribo vobis pueruli.* Phil. 3. v. 15. *Quotquot adulti sumus, hoc sentiamus.* 1. Cor. 10. 15. 1. Joh. 2. 13, 14. Phil. 3. v. 15.

OBJECTIONES.

1. Joh. 2. 27. *Necesse non habetis doceri.* R. Verba non sunt absolutè intelligenda, quasi non amplius esset necesse fideles N. T. uti Scripturâ, aliâs frustra ad eos scriberet Johannes; sed secundùm quid, quia propter pleniorem Copiam Spiritûs S. in N. T. non tam operosè erant docendi, ut sub V. T. per rudia & egena elementa. 1. Joh. 2. v. 27.

2. 2 Cor. 3. 6. *Litera occidit.* R. Per literam non intelligitur S. Scriptura, sed lex peccatorem condemnans. 2. Cor. 3. v. 6.

VII. Libri Scripturæ Sacræ sunt: Genesis, Exodus, Leviticus, &c.

CONTROVERSIA.

Libri Apocryphi.

An Libri Apocryphi sint pars Scripturæ Sacræ, & divinam authoritatem habeant ad fundandos & confirmandos articulos fidei? Neg.

cont. *Pont.*

Non quæritur de omnibus libris Apocryphis; sunt enim, qui à Pontificiis non minùs ac à nobis rejiciuntur, ut, 3. & 4. Esdræ; 3. & 4. Macchabæorum, Oratio Manassis, &c. Sed agitur tantùm de *Tobia*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientia*, *Ecclesiastico*; 1. & 2. *Macchabæorum*; *additamentis Estheræ & Danielis*, quos in numerum Canonicorum referunt Pontificii.

Libri Apocryphi unde ita vocentur.

Libri verò *Apocryphi* ita vocantur, non quòd authores illorum ignorentur; Sunt enim & Canonici, quorum author ignoratur, & Apocryphi, quorum scitur; non, quòd privatim tantùm legerentur; nam varii legebantur etiam publicè; sed vel, quia erant ἀπὸ τῆς κρύπτης, à sacra illa capsula, in qua libri S. recondebantur, vel quòd occulta fuerit & suspecta eorum authoritas; vel, quòd sint incertæ & occultæ originis. Hos verò libros non esse canonicos ita prob.

ARGUMENTA.

Rom. 3. 2.

1. Omnia oracula V. T. Judæis concredita fuerunt. Rom. 3. v. 2. Hi verò non; utpote nec à Prophetis, nec linguâ Hebræâ scripti.

2. Authores eorum non fuerunt Prophetæ & viri θεόπνευστοι, cùm scripti sint post Malachiam, ultimum Prophetarum; nec linguâ Hebraicâ exarati sunt, ut libri Veteris Testamenti, sed Græcâ.

3. Stylus & materia istorum librorum clamant, eos esse humanos: Nam præterquam quod stylus non respicit majestatem & simplicitatem styli divini, sed redolet vitia & infirmitates ingenii humani, in vanitate, assentatione, curiositate, affectatione eruditionis & eloquentiæ, quæ non rarò occurrunt in illis, multa extant frivola, absurda, falsa, superstitiosa, contradictoria. E. g. *Tobias* mendacium angelo tribuit, qui c. 5. v. 15. dicit se esse Azariam, Ananiæ filium, &c. 12. 15. Raphaelem, angelum Domini. Idem. c. 6. Consilium magicum dat de fugando dæmone, fumo piscini hepatis; contra illud Christi. Matth. 17. 21. *Hoc genus dæmoniorum non egreditur, nisi per precationem & jejunium.*

Liber

Liber *Judith* factum Simeonis laudat. c. 9. 2. quod Jacobus ferit anathemate. Gen. 49. Fraudes &c. mendacia Judithæ laudat. c. 11. Author *Sapientiæ* falsò se regem in Israële fuisse asserit. c. 9. 7. 8. ut pro Salomone habeatur, cùm tamen. c. 4. 2. alludat ad certamina athletica, nondum in usu apud Græcos Salomonis tempore; adde, quòd Pythagoricam astruat μετεμψύχωσιν. c. 8. 19. 20. *Syracides*. c. 46. 20. Samueli tribuit, quod factum est à Cacodæmone. 1. Sam. 28. 11. falsa narrat de Elia, corporaliter reversuro. c. 48. 10. Et hallucinationes suas in prologo excusat. In *additionibus Esther æ & Danielis* tam multa sunt contradictoria & absurda, ut Sixtus Senensis eas planè rejiciat. *Baruch* dicit, se anno quinto post excidium Hierosolymitanum librum suum legisse Jeconiæ, & toti populo Babylone, cùm tamen Jeconias esset in carcere, & Baruch cum Jeconia abductus fuisset in Ægyptum, post cædem Godoliæ. Jer. 43. 10. Aram Domini commemorat, c. 1. 10. cùm templo diruto nulla esset. Ejusdem commatis sunt *libri Macchabæorum*, qui non semel inter se dissentiunt. Conf. 1. Mac. c. 16 cum c. 9. 5. 28. & lib. 1. c. 10. αὐτοχείρια Raziæ laudatur. 2. Macch. 14. 4. ἐθελοθρησκεία laudatur. lib. 2. c. 12. 42. in Juda sacrificium pro mortuis offerente. Autor infantiam & infirmitatem suam excusat, & de laboris in consarcinando centone suo ex 5. libris Jasonis Cyrenæi molestia queritur. c. 2. 24. & 5. 39.

OBJECTIONES.

1. *Lecti aliquando fuerunt in Ecclesia.* R. Lecti fuerunt ad ædificationem populi, non ad authoritatem dogmatum confirmandam.

2. *A Concilio Carthaginensi III. Canonici appellati fuerunt.* R. Canon sumitur vel latè, quatenus etiam complectitur lectionem Ecclesiasticam, vel strictè, pro eo, quod habet divinam authoritatem ad probanda dogmata. Priori modo libri isti Canonici appellati fuerunt, non secundo.

3. *Citantur in Novo testamento.* R. Citatio loci alicujus non probat librum esse Canonicum. Aliâs etiam Aratus esset Canonicus, quia ex illo citatur illud tritum. Act. 17. 28. ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. ex Menandro sunt verba Pauli. 1 Cor. 15. 33, φθείρουσιν ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί. Ex Epimenide. Tit. 1. 12. κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

VIII. Præcipua Scripturæ Sacræ attributa sunt; authoritas, perfectio, & perspicuitas.

IX. Authoritas est divina ejus eminentia, quâ obligat hominem ad fidem & obedientiam.

CONTROVERSIA.

An Scriptura Sacra authoritatem suam, seu vim obligandi debeat ab Ecclesia, i.e. an ideo pro Canonica recipi debeat, quia hoc jubet Ecclesia Romana, & recipi nec posset, nec deberet, nisi id imperaret Ecclesia? Neg. cont. Pontif.

Pontificii Scripturam contemnunt.

Ita quæstionem formant hodierni Pontificii, aliter locuti sunt superiori seculo; dum Scripturam absque Testimonio Ecclesiæ non majori fide dignam censuerunt, quàm Alcoranum, Titum Livium, vel Æsopi fabulas. Nunc verò cautius loquuntur, & dicunt: Scripturam quidem absolutè & in se authenticam esse & divinam; sed *relatè*, & *quoad nos*, istam authoritatem pendere ab Ecclesia, ita, ut nobis nonnisi beneficio Ecclesiæ innotescat. Sed, si rem bene consideramus, videbimus, distinctionem istam esse excogitatam ad fucum faciendum: Nam, cùm authoritas sit ex genere relatorum, non debet absolutè spectari, sed relatè; itaque non potest Scriptura esse authentica in se, quin sit etiam quoad nos; nam quæ argumenta illi authoritatem quoad se conciliant, eadem debent nos ad assentiendum premovere: sin verò authoritas Scripturæ quoad nos suspenditur à testimonio Ecclesiæ, necesse est ut suspendatur etiam quoad se, quod magis rotundè alii fatebantur. Nos, licèt concedamus Ecclesiæ multa officia circa Scripturam, ut sit ejus custos, index, vindex, præco, interpres, tamen negamus, authoritatem Scripturæ dependere ab Ecclesia.

ARGUMENTA.

Scripturæ authoritas quoad nos non dependet ab Ecclesia.

1. Ecclesia fundatur super Scripturam, Eph. 2. 20. & omnem authoritatem suam à Scriptura mutuatur. E. non potest Scripturæ authoritatem conciliare, vel quoad se, vel quoad nos.

2. Quia authoritas Ecclesiæ esset prior authoritate Scripturæ, atque ita primum credibile, quod absurdum.

3. Quia

3. Quia committitur circulus, dum Ecclesiæ authoritas probatur ex Scriptura, & vicissim authoritas Scripturæ ex Ecclesia.

4. Quia nondum inter adversarios constat, quid per Ecclesiam intelligendum sit; an hodierna, an vetus, an collectiva, an repræsentativa?

5. Quia testimonium fallibile & humanum, quale est testimonium Ecclesiæ, non potest fundare fidem divinam.

6. Scripturæ authoritas per seipsam nobis innotescit: quod prob. 1. *A Scripturæ ipsius natura*: Nam ut lex suam authoritatem non mutuatur à judicibus subalternis, nec à promulgatore, sed à solo Principe; ut Testamentum non à notario, sed à Testatore pondus obtinet, ut Regula virtutem regulandi habet ab innata virtute, non ab artifice: Ita Scriptura, quæ est lex summi Principis; Testamentum Patris cœlestis, & Regula fidei, non potest authoritatem quoad nos habere ab Ecclesia, sed tantùm à seipsa. 2. *A natura primorum principiorum.* Ut enim ista nota sunt seipsis, ita Scriptura, quæ primum est principium in ordine supernaturali, nota est seipsâ. 3. *A comparatis.* Ut lux proprio splendore, cibus propriâ dulcedine, odor propriâ fragrantiâ, etiam nemine testante, statim à nobis cognoscitur: Ita Scriptura, quæ lucis, cibi, odoris symbolo describitur, per seipsam internoscitur. Sed per seipsam innotescit.

OBJECTIONES.

1. *Ecclesia est columna veritatis.* 1. Tim. 3. 15. R. Columna dicitur non *sensu architectonico*, quatenus columnæ adhibentur ad ædificii sustentationem, sed *sensu forensi*, pro ut columnis leges magistratus appingi solebant; Ita Ecclesia est columna ratione promulgationis & custodiæ; unde non dicitur θεμέλιον, fundamentum, quod ipsi Veritati det suam ὑπόστασιν & firmitatem, sed ἑδραίωμα, firmamentum, quo veritas vindicetur, & conservetur. 2. Quicquid columna & firmamentum Veritatis dicitur, non statim est infallibile: Sic enim Veteres vocabant viros pios, sanctos, martyres; ita integri Judices vocantur columnæ legum, &c. 3. Agitur h. l. de Ecclesia particulari Ephesina. 1. Tim. 3. 15.

2. Augustinus. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret authoritas.* R. 1. Augustinus loquitur de se adhuc Manichæo, & nondum Christiano, & quod ponit in imperfecto, valet præteritum plusquam perfectum; *crederem*

& *commoveret*, pro *credidissem*, & *commovisset*. Notatur E. 2, motivum externum ad fidem, non verò infallibile credendi principium.

3. *Committitur circulus, dum Scriptura probatur per spiritum, & spiritus ex Scriptura.* R. Neg. Nam hic triplex quæstio formari potest: 1. De *argumento, propter quod credo*; & hoc fit propter ipsam Scripturam, quæ se talem ipsâ demonstrat per notas, ut lux per splendorem, &c. 2. De *Principio, seu causa efficiente, à qua credo*, quæ est Spiritus S. qui aperuit discipulorum mentes. Luc. 24. 45. & cor Lydiæ. Act. 16. 14. 3. De *medio & instrumento, per quod credo*, & hoc est Ecclesia, quâ Deus utitur in tradendâ Scriptura. Igitur hic non committimus circulum, quia quæstio diversa est, & aliud medium seu causæ genus; quippe probamus Scripturam per Spiritum, tanquam per causam efficientem quâ credimus; sed probamus Spiritum ex Scriptura, tanq. ex objecto & argumento propter quod credimus. In primo respondetur ad quæstionem: Unde, seu qua virtute credis Scripturam esse divinam? sc. per Spiritum. In secundo verò respondetur ad quæstionem; Quare, seu propter quid credis Spiritum qui in te est, esse Spiritum sanctum? nimirum propter notas Spiritûs S. quæ sunt in Scriptura. Sed Pontificii manifestè circulum committunt, quum probant Scripturam ex Ecclesia, & Ecclesiam ex Scriptura. Nam, si quærimus: Cur, vel propter quid credant Scripturam esse divinam? quia Ecclesia hoc dicit, respondent; si petimus rursus: Cur Ecclesiæ credant? quia Scriptura illi infallibilitatem tribuit, regerunt. Si instamus; unde sciant, hoc Scripturæ Testimonium esse αὐθεντον, addunt; quia Ecclesia de eo nos certiores facit; Ita semper recurrunt in idem.

3. *Ecclesia indicat qui libri sint Canonici, qui non.* R. Ita Johannes Baptista indicavit quis esset Messias; non tamen Messias authoritatem ab illo habuit; Aliud est Scripturæ Canonem discernere & declarare; aliud Canonem ipsum constituere & authenticum facere. Prius Ecclesia facit non posterius; ut aurifex scoriam secernens, & lydio lapide aurum explorans non facit aurum verum, nec quoad se, nec quoad nos. Sic Ecclesia Canonicos libros à non Canonicis discernendo, tales non facit, sed authoritatem jam existentem declarat argumentis à libris ipsis petitis.

5. Ec-

5. *Ecclesia est antiquior Scripturâ.* R. Est antiquior *formaliter*, quoad modum scriptionis, non *materialiter*, quoad substantiam Doctrinæ.

6. *Quicquid probatur, per aliud probari debet.* R. Neg. Nam prima principia non aliunde demonstrantur, sed sua luce patent. 2. Scriptura potest se ipsam probare, vel pars ex parte, uti; quum Judæos convincimus ex V. T. vel tota ex tota, non argumento inartificiali testimonii, sed artificiali, & ratiocinativo, quia in ea deprehenduntur notæ divinæ, quæ ut adjuncta & proprietates de subjecto suo demonstrantur.

X. Quædam in Scriptura S. narrantur historica, quæ ita evenisse credendum; & hæc dicitur *authentia historiæ*; quædam docentur & laudantur, quæ amplecti debemus, vel improbantur ut fugienda. Et hæc dicitur: *authentia normæ.* Authentia historiæ & normæ.

XI. Perfectio Scripturæ est divina ejus eminentia, quâ continet omnia, quæ nobis ad salutem necessaria sunt. Perfectio Scripturæ.

CONTROVERSIA. I.

An Scriptura S. sit perfecta, ita, ut Contineat illa omnia, quæ homini ad salutem scitu, creditu & factu necessaria sunt? Affirm. cont. *Pontif.*

Quæstio non est de omnibus, quæ à Christo & Sanctis dicta vel facta sunt, vel ad Religionem quomodocunque pertinere possunt; sed de rebus necessariis ad salutem: Nec etiam quæritur: An omnia ὡς πλεῖστα in S. Scriptura contineantur, sed; an ita, ut etiam legitimè ex ea deducantur.

ARGUMENTA.

1. Paulus dicit, *πᾶσαν γραφὴν esse θεόπνευστον, & utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.* 2. Tim. 3. 15. 16. 17. 2. Tim. 3. 15 16.

Exc. Utilitas insufficiens intelligitur, quemadmodum aqua utilis est ad vitam, non tamen sufficiens; Intelligitur utilitas sufficientissima & completa, quæ enim major posset esse perfectio & utilitas, quàm in eo, quod nos potest *σοφίσαι* ad *διδασκαλίαν* veri, & *ἔλεγχον* falsi, ad *παιδείαν* boni? Exc. 1.

Exc. Paulus loquitur de Scriptura V. T. si E. illa sola sufficiens fuit, superfluum est Novum Test. vel, si Veteri aliquid potuit addi; Exc. 2.

addi; Ergo etiam novo. R. Si V. T. fuit sufficiens suo tempore, non propterea novum superfluum fuit, quia variat gradus revelationis. Et, si V. T. Novum est additum, non sequitur, aliquid jam posse addi Novo, quia perfectus jam est Scripturæ Canon, non modò quoad substantiam rerum credendarum, sed etiam quoad modum revelationis.

Ps. 19.8.9. Exc. 2. *Lex* Dei dicitur perfecta, quæ *restaurat animam, & sapientiam dat simplici*, &c. Ps. 19. 8. 9. *Exc. Agitur de perfectione intensiva, quoad qualitatem, quia lex est immaculata, & sine ullo vitio?* R. Etiam de *perfectione extensiva*: quoad quantitatem & amplitudinem; quia agitur de ea perfectione, quæ animam restaurat, & dat sapientiam simplici, quod sine plena sufficientia obtineri nequit.

3. Finis Scripturæ perfectionem istam postulat, data enim est, ut credamus Joh. 20. 31. & vitam ex ea habeamus. Hic verò finis obtineri non posset, nisi esset perfecta. Data est, ut sit Canon & Regula fidei; at veræ regulæ nihil addi & demi potest. Est Testamentum Christi; at, si humano Testamento nemo quicquam audet ἐπιδιατάσσεσθαι. Gal. 3. 18. quantò minùs divino. Est contractus fœderis, à Deo nobiscum initi; quis verò dixerit vel plura, vel aliena ab iis quæ in istis tabulis scripta sunt, spopondisse nobis Deum, vel à nobis esse stipulatum?

OBJECTIONES

Joh. 16. 12. 1. *Discipuli multa non potuerunt portare.* Joh. 16. 12. R. Multa illa non fuerunt nova dogmata, quoad substantiam diversa à prioribus; sed eadem, plenius declaranda, & per Spiritum. S. certiùs persuadenda.

2. *Scriptura multa non habet.* R. Illa quæ obtendunt Pontificii, vel revera extant in Scriptura, ut, Trinitas, Pædobaptismus; numerus Sacramentorum, saltem numeratus; fœminarum admissio ad Sacram Synaxin, ex Act. 2. 42. & Act. 20. 17. 1. Cor. 11. 28. Sabbathi in diem Dominicum translatio. Vel non sunt dogmata necessaria, ut; perpetua virginitas Mariæ, celebratio Paschatis die Dominico. Vel falsa sunt, ut: Localis Christi ad inferos descensus, purgatorium, missa, Enochi & Eliæ reditus, &c.

3. *Perzonius objicit: Scripturam non esse sufficientem immediatè, sed mediatè, quia nos amandat ad Ecclesiam, quæ postea supplet defectus Scripturæ, simili allato ab Epistola credentiali.*

dentiali, *quæ sufficiens dicitur, licèt non omnia contineat quæ legatus in mandatis habet.* R. 1. Sufficientia mediata est ὕστερον πρώτερον; nam quod est sufficiens, nos non amandat ad aliud. 2. Sic lex posset dici perfecta ad salutem, quia amandat ad Christum, in quo salus. 3. Sacra Scriptura non est tantùm Epistola credentialis, sed etiam Edictum Principis, quod ita omnia credenda & facienda docet, ut nihil addendum vel detrahendum sit.

CONTROVERSIA II.

An ergo dentur traditiones non scriptæ, quæ contineant dogmata ad salutem necessaria?

Neg. contra eosdem.

Traditiones multiplices

Quæstio non est de omnibus traditionibus: Dantur enim traditiones *historicæ* & *rituales*; item *divinæ* & *Apostolicæ*, i. e. dogmata à Christo & Apostolis tradita; sed quæritur de traditionibus *dogmaticis* & *Ethicis*, an tales dentur præter Scripturam? quod negamus.

ARGUMENTA.

Deut. 4. 2. Gal. 1. 8. Exc.

1. Deut. 4. 2. *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo.* Gal. 1. 8. *Etiamsi nos, aut angelus è cœlo evangelizet vobis præter id quod evangelizatum est, anathema esto.* Ubi frustra obtendunt Pontificii, agi tantùm de *additionibus corrumpentibus, non verò perficientibus*, quia nulla datur traditio perficiens id quod jam perfectum est, & omnis additio in materia fidei est corrumpens, quia additur fundamento, quod unum esse debet, & cui si quid additur, eo ipso evertitur, ut circulus destruitur, si vel tantillum addas. Unde Paulus non dicit contra sed *supra* vel *præter*, παρὰ ὃ evangelizatum est, ut V. versio reddit. Huc confer. Apoc. 22. 18. *Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto, & si quis abstulerit aliquid, auferet Deus partem ejus è libro vitæ*: Ubi Johannes non tantùm spectavit Prophetiam suam, ut vetaret eam interpolari; sed, ut fuit Scriptorum ultimus, Apocalypsi suâ totum Scripturæ Canonem clausit, & extremis verbis veluti diris quibusdam obsignavit.

Ap. 22. 18. Exc.

Jes. 29. 13. Matth. 15. 4. 9.

2. Rejiciuntur traditiones omnes dogmaticæ extra Scripturam. Jes. 29. 13. Matth. 15. 4. 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.* Nec reponi potest, rejici

Exc. rejici *traditiones Pharisaicas, non Apostolicas*, quia rejiciuntur in genere omnes doctrinæ; quæ ab hominibus docentur, & in Scriptura non traduntur, & supponitur gratis, dari Traditiones Apostolicas præter Scripturam.

OBJECTIONES.

2 Thess II. 15. I. *Tenete traditiones.* 2. Thess. 2. 15. R. Locus non probat, dari Traditiones ἀγεγράφους, sed duplicem ejusdem doctrinæ tradendi modum designat, tum viva voce, tum scripto; Itaque traditio h. l. notat dogmata tum dicta, tum scripta. Particula verò disjunctiva εἴτε hic non notat diversitatem rei, sed modi; Imò etiam subinde copulativè

Col. 1. 20. sumitur, ut: Col. 1. 20. dicitur, quòd Christus pacem fecerit per sanguinem suum εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

2. *Scripturam & sensum ejus habemus per traditionem.* R. 1. quæstio non est de *principiis*, sed de *principiatis*; an positâ quam habemus, Scripturâ, opus sit non scriptis aliquibus traditionibus. 2. Traditio ista est formalis & activa, quam concedimus, non materialis, & passiva, quæ doctrinam aliquam traditam extra Scripturam notet. Ita Scripturam habemus per traditionem, non quæ sit principium illi credendi, sed tanquam medium & instrumentum, quô illa ad manus nostras perveniat.

XII. Quædam in Scriptura S. continentur expressis verbis, quædam per legitimam consequentiam.

CONTROVERSIA.

Usus consequentiarum. *An possit esse articulus fidei, qui totidem verbis in Scriptura non continetur, sed per consequentiam ex ea elicitur. Aff.* cont. *Pont.*

Pontificij, ut faciliùs se expedirent ab argumentis nostris, nos eò adigere volunt, ut dogmata nostra omnia totidem verbis in Scriptura contineri demonstremus, Autor hujus artis videtur *Perronius* Card. in Replica sua adversus Regem M. Britanniæ, quem præcipuè secutus *Veronus*, unde hæc methodus disputandi Veroniana dicta, item, *Fratres Wallemburgij* in Germania, aliique. Quibus jam olim præluxerunt *Ariani*, hoc argumento non semel usi, ut Θεόμαχον expugnârent. Sic *Macedoniani* negabant spiritûs divinitatem, quia in Scriptura nusquam expresse dicatur, Spiritum S.

esse

esse Deum. Nos præter expressum Dei verbum consequentias evidentes & necessarias in Theologia admittendas esse ita probamus.

ARGUMENTA.

Consequentiarum usum in rebus fidei probant.

1. Finis Scripturæ, qui est, διδασκαλία, ἔλεγχοι, ἐπανόρθωσις, παιδεία, ὠφέλησις. 2. Tim. 3. 16. Rom. 15. 4. qui finis sine usu consequentiarum obtineri nequit.

2. Natura hominis, qui non est truncus, sed creatura rationalis; adeòque debet ad medullam & sensum verborum penetrare.

3. Sapientia Dei: Nam ut qui sapit, quando loquitur, vult ut omne illud dictum â se intelligatur, quod ex verbis legitimè elici potest: Ita Deus, cùm sapientissimus sit, qui prævidit quicquid ex verbo deduci potuit, ita locutus est, ut voluerit pro verbo suo haberi, quod ex dictis legitimè colligitur.

4. Praxis Hæreticorum, qui ut meliùs adversus Orthodoxos errores suos tuerentur, consequentiarum usum repudiabant, ut Ariani, & Pneumatomachi.

5. Pontificiorum usus, qui pleraque sua dogmata per consequentias probare solent.

6. Exemplum Christi & Apostolorum, qui passim usi leguntur consequentiis, ut, quum Christus ex formula fœderis contra Sadducæos probat resurrectionem mortuorum. Matth. 22. Et quum Apostoli Jesum Nazarenum probant esse verum Messiam, in V. T. promissum, cùm tamen de illo nihil ἀῤῥήτως legatur.

Nota] Articuli sunt vel *positivi*, qui dogma aliquod credendum continent, vel *negativi*, qui errores rejiciunt. Illi clarè & certò ex Scripturis debent probari, quia sunt proprium objectum fidei; sed quod ad istos, sufficit, de ipsis in Scripturis nullam mentionem fieri, & ea tradi; ex quibus falsitatis facilè convincuntur. Hinc ludibrium debent adadversarii, quum à nobis petunt, ut probemus totidem verbis ex Scriptura, nullum esse purgatorium, non esse missam, &c. 1. quia affirmantis est probare, non negantis. 2. Ista dogmata nobis non sunt positiva, sed negativa: Sufficit ergò, ut doceamus, ea nusquam contineri in Scripturis, & alia haberi, ex quibus facile refutantur.

OB-

OBJECTIONES.

1. *Simplices id non capiunt.* R. Licèt Theologus perfectiorem notitiam habeat consequentiarum, non obstat tamen, quo minus idiota idipsum possit pro modulo suo, quamvis ignoret Logicam & Metaphysicam, quia sufficit illi lumen rationis, & Logica naturalis, ad discernendas consequentias naturales.

2. *Scriptura S. perfecta est.* R. Licèt Scriptura sit perfecta in genere fundamenti credendorum & faciendorum, quatenus omnia dogmata & præcepta morum continet, quæ necessaria sunt ad salutem, hoc tamen non obstat, quò minùs & explicatione & applicatione opus habeat, ut regula perfecta est, & tamen ejus applicatione opus est.

3. *Ratio nostra falli potest in concludendo.* R. Aliud est fallere aliquando, aliud fallere semper: Ratio verò non semper & in omnibus est fallax; aliàs, si quia ratio aliquando fallitur, nulla illi adhibenda esset fides, omnis notitia & certitudo tolleretur de mundo, & introduceretur Pyrrhonismus.

Perspicuitas Scripturæ.

XIII. Perspicuitas Scripturæ est divina ejus eminentia, qua mysteria salutis ita describit, ut verus sensus ex verbis colligi possit.

CONTROVERSIA.

An Scriptura S. ea quæ necessaria sunt ad salutem, omni loco tàm obscurè proponat, ut qui seriò animadvertit sensum verborum non possit percipere, sed eum ab Ecclesia Romana peters cogatur? Neg. cont. *Pontif.*

Quamvis agnoscamus, mysteria pleraque quæ in Scriptura proponuntur, ita esse sublimia, ut longissimè captum nostrum superent. Etiam fateamur, sua esse Scripturæ adyta, & sua βάθη; quæ assequi non valemus; tamen constanter asserimus, *modum*; quo res illæ abstrusissimæ traduntur, mirabili συγκαταβάσει ita esse temperatum à Deo, ut fidelis qui habet oculos mentis illustratos, sufficienter ad salutem hæc mysteria capere possit. Et licèt in omnibus τὸ πῶς nosse non concedatur, tamen τὸ ὅτι ita perspicuè traditur, ut quæ ad salutem necessaria sunt homo exinde intelligere possit.

AR-

ARGUMENTA.

1. Psalm. 19. 9. *Testimonium Jehovæ est certum, illuminans oculos.* Ubi non tantùm agitur de præceptis legis, sed de tota Scriptura, quod effecta consolandi & restaurandi docent. Sic Ps. 119. 105. *Lucerna pedi meo sunt verba tua.* 2. Pet. 1. 19. *Lucerna splendens in loco obscuro. Exc. Scriptura lucida & lux dicitur, quia intellecta illuminat.* R. N. Quia in se lucida est, & apta nata nos illuminare; unde lux dicitur; atque lux radios spargit, & oculis intuentium se ingerit. Ps. 19. 9. Exc. Ps. 119. 105. 2. Pet 1. 19. Exc.

2. Evangelium dicitur tectum solis infidelibus. 2. Cor. 4. 3. Proinde est perspicuum fidelibus. 2. Cor. 4. 3.

3. Insuper perspicuitas Scripturæ probatur. (a) A *causa efficiente* Deo, qui est pater luminum, & dici nequit vel noluisse, vel non potuisse perspicuè loqui, quin arguatur ejus summa bonitas, & sapientia. (b) *A fine*, qui est, ut sit Canon & regula fidei & morum, quod esse non posset, nisi perspicua esset. (c) *Materia*, Lex sc. & Evangelium, quæ à quolibet facilè percipiuntur. (d) *A forma*, quia nobis est loco Testamenti, contractûs fœderis, Edicti Principis quæ omnia perspicua esse debent.

OBJECTIONES.

1. Act. VIII. 30. 31. *Eunuchus non capiebat.* R. Sensum verborum capiebat, v. 34. sed cui applicari debebat, ignorabat. Act. 8. 30, 31.

2. 2. Pet. 3. 16. *Multa sunt difficilia intellectu.* R. Aliud est esse δυσνόητα in Scriptura, aliud ἀνόητα; Petrus prius dicit, non posterius. Aliud esse δυσνόητα τινὰ, quod concedimus, aliud δυσνόητα πάντα, quod negamus: aliud esse δυσνόητα in modo tradendi Epistolarum Pauli, quod negamus; aliud in rebus ipsis traditis, quod Petrus innuit; nam relativum οἷς non potest referri ad vocem ἐπιστολαῖς, sed ad res quæ tractantur. Aliud est esse δυσνόητα indoctis & instabilibus, qui incredulitate & malitia ea torquent ad proprium exitium, quod fatemur cum Petro; aliud esse δυσνόητα fidelibus, qui ope Spiritûs S. in iis perscrutandis humiliter versantur. 2. Pet. 3. 16.

3. Ps. 119. 18. *Illumina oculos meos.* R. De sua cœcitate, non de Scripturæ obscuritate queritur. Ista verò ex illa non potest legitimè inferri, non magis, quàm solem esse obscurum, quia à cœco non videtur. Ps. 119. 18.

4. Cur

4. *Cur explicatis?* R. Non talem Perspicuitatem Scripturæ asserimus, quæ excludat media ad Interpretationem necessaria, ut lucem spiritûs internam, attentionem animi, vocem & ministerium Ecclesiæ, conciones & commentarios, preces & vigilias; agnoscimus enim, talia media non modò utilia, sed etiam necessaria esse ordinariè; sed proscriptam volumus eam obscuritatem, quæ plebem arcet à lectione Scripturæ, & quæ cogat ad traditionem confugere.

Quid homo naturalis circa Scripturam possit?

XIV. In quæstione: An homo sine gratia Dei Scripturam intelligere possit, quatuor sunt notanda. 1. Quòd aliud est sensum verborum capere, quod in Decalogo, historiis & Evangeliis attentus lector facilè potest. 2. Aliud est fide historica veritatem recipere, quod & possunt irregeniti, ut Exemplum habemus in Rege Agrippa, qui credidit Paulo, & Prophetis. Act. 26. 27. 3. Aliud est bonitatem sibi salutarem in ea videre, & recipere. 4. Et ei se salvandum committere. Ad quæ duo postrema Sp. illuminante & regenerante opus est.

CONTROVERSIA.

An requiratur specialis illuminatio Sp. S. & cordis renovatio, ut homo Scripturam S. rectè intelligat, ei fidem habeat, & obedientiam præstet?

Aff. cont. Soc. & Remonst.

Qui liberum arbitrium in arce ponunt, homini non illuminato Spiritu S. nimis multa tribuunt in intelligenda Scriptura S. Nos docemus: Hominem sine ope Spiritûs S. Scripturam nec rectè percipere, nec ei se subjicere posse.

ARGUMENTA.

Rom. 8. 7. 1. Cor. 12. 3. 1. Cor. 2. 14.

1. Quia φρόνημα τῆς σαρκὸς est *inimicitia adversus Deum.* Rom. 8. 7. & *nemo potest Jesum vocare Dominum, nisi per Spiritum sanctum.* 1. Cor. 12. 3. Et *homo* ψυχικὸς *non intelligit ea quæ sunt Spiritûs Dei.* 1. Cor. 2. 14.

Act. 16. 14. Luc. 24. 45. 2. Cor. 4. 6.

2. Idcircò Deus mentem & cor hominis debet aperire, si debet intelligere Scripturas, ut Lydiæ. Act. 16. 14. & discipulis Emaunticis. Luc. 24. 45. quod Paulus etiam monet. 2. Cor. 4. 6. *Deus, qui dixit, ut è tenebris lux splendescret, is est, qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lucem notitiæ gloriæ Dei, in facie Jesu Christi.*

3. Undè

3. Unde hoc fideles precibus petunt. Pſ. 119. v. 18. *Revela oculos meos ut intuear mirabilia ex lege tua.* Joh. 17. v. 17. *Sanctifica eos tuâ veritate: ſermo ille tuus veritas eſt.* Eph. 1. 17. *Pater ille gloriæ det nobis Spiritum ſapientiæ & revelationis, per agnitionem ipſius.* Pſ. 119. 18. Joh. 17. 17. Eph. 1. 17.

OBJECTIONES.

1. *Scriptura clara eſt.* R. Sed mens noſtra cœca.

2. *Oculi & aures renovari neceſſe non habent.* R. Externa tantùm inſtrumenta ſunt, quæ ſequuntur renovationem mentis; non verò judices.

3. *Si regeniti Scripturam intelligere non poſſunt, fruſtra illis proponitur.* R. Poſſunt hoc quod antea dictum eſt, & proponitur illis, ſi fortè Deus eo medio illis gratiam converſionis dare velit. 2. Tim 2. 25. 26.

XV. Ex his attributis Scripturæ ſequitur, eam nobis eſſe Canonem & normam credendorum & agendorum, ad quam etiam omnes de Religione controverſiæ probari debent. Jeſ. 8. 20. *Legem & Teſtimonium conſulunto.* Gal. 6. 16. *Quicunque ſecundum hanc* regulam *incedant, pax eſto ſuper eos.* &c. Jeſ. 8. 20. Gal. 6. 16.

CONTROVERSIA.

An libri V. T. Chriſtianis etiam ſint Canon, & argumenta ex iis petita ſint ejusdem authoritatis cum iis, quæ ex novo petuntur. Aff. contra Soc. & Anabapt.

Sociniani & *Anabaptiſtæ* auferunt Scripturis V. T. rationem *Canonis* ſub N. T. ex hypotheſi de Fœderis V. & N. diſcrimine ſubſtantiali. Nos, licèt non negemus, V. T. quoad *Oeconomiam Moſaicam* eſſe ſublatum, tamen ſtatuimus, illud adhuc durare quod *ad doctrinam.* Libri V. T. ſunt etiam Canon fidei & morum in N. T. Luc. 16. 29. 2. Pet. 19.

ARGUMENTA.

1. Quia Chriſtus V. T. commendat, & Moſen ac Prophetas vult à fidelibus audiri. Luc. 16. 29. *Exc. agitur* tantùm *de Judæis.* R. Neg. Nam ex Textu patet, de omnibus, qui æternum judicium prævertere cupiunt agi. Conf. 2. Pet. 1. 19. *Habemus ſermonem Propheticum firmiſſimum, cui rectè facitis quòd attendatis, veluti lucernæ ſplendenti in loco obſcuro, uſquedum dies illuceſcat, & luciſer oriatur in cordibus veſtris. Exc. Per luciferum intelligitur tempus N. T. quo dies illu-*

illuceſcere debuit. Reſp. potius dies vitæ æternæ, & exortus luciferi in hæmiſpherio gloriæ, quia Apoſtolus ſcribit ad fideles, qui jam ſortiti erant fidem ἐσόπρον, adeoque, in quorum cordibus dies gratiæ, & lucifer Evangelii jam exortus erat. Et, ſi de N. T. ſumatur, non propterea hac voce ἕως ὅ, *uſque dum*, uſus ſermonis Prophetici reſtringitur uſque ad Tempus N. T. nam iſta vocula non ita ſemper eſt poſitiva præteriti ut ſit excluſiva futuri. E. g. Quando Deus dicit ad Jacobum. Gen. 28. 15. *Non deſeram te, uſque dum fecero quæ locutus ſum.* Sic Chriſtus dicit diſcipulis. Matth. 28. 20. *Ego vobiſcum ero* uſque *ad conſummationem ſeculi.* Sic 1. Cor. 15. 25. *Oportet eum regnare*, uſque dum *omnes inimicos ſuppoſuerit pedibus ejus.* In quibus locis omnibus τὸ *uſque dum* non eſt excluſivum futuri.

Τὸ uſquedum non eſt ſemper excluſivum futuri.

Eph. 2. 20. 2. Quia Eccleſia N. T. ſuperſtruitur fundamento Prophetarum & Apoſtolorum. Eph. 2. 20. id eſt, doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ.

Rom. 15. 4. 3. *Quæcunque ante ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum vitam habeamus.* Rom. 15. 4.

2. Tim. 3. 15. 16. 4. Canon V. T. habet ſufficientiam ad fidem & mores, & ſacræ illæ literæ in quibus Timotheus inſtitutus erat ab utero, antequm erat conſignatus N. T. Canon, potuerunt illum σοφίσαι ad ſalutem. 2. Tim. 3. 15. 16. Et ſi homo Dei, i. e. miniſter Evangelii poteſt ad omne bonum opus ex illis inſtrui, multò magis homo privatus.

Joh. 5. 39. 5. Quia Chriſtus Judæos amandat ad ſcrutandas Scripturas utpote ex quibus haberi poſſit vita. Joh. 5. 39.

6. Scriptura V. T. eandem Doctrinæ ſubſtantiam cum N. T. continet, nec aliud Evangelium nobis hodie proponitur, quàm quod antea in Scripturis Propheticis promiſſum. Rom. 1. 3. Unde Paulus, qui totum Dei conſilium de ſalute annunciavit. Act. 20. 27. nihil tamen dixit extra ea, quæ à Moſe & Prophetis dicta ſunt. Act. 26. 22.

7. Si V. T. ad Chriſtianos non pertinet, non poterit ſolidè probari adverſus Judæos, J. C. Nazarenum eſſe verum Meſſiam.

OBJECTIONES.

Luc. 16. 16. Joh. 1. 17. 1. *Luc. 16. v. 16. Joh. 1. 17. Lex & Prophetæ ad Johannem uſque prophetârunt; gratia autem per Chriſtum.* R. 1. Per legem

legem & Prophetas non intelliguntur libri V. T. sed ejus œconomia. 2. Lex, etiamsi per Mosen data sit, tamen etiam sub Evangelio locum habet, quia Moses non opponitur Christo, sed subordinatur, ut servus Domino, 3. Licèt fœdus Mosaicum strictè sumtum, quoad χέσιν legalem differat à Novo; tamen latè sumtum, cum χέσει Evangelica, non diversum est.

2. *Rom. 6. v. 14. Non sumus sub lege.* R. Condemnante, ut & Ceremoniali. Rom. 6. 14.

3. *Vetus fœdus abrogatum est.* Heb. 8. 13. R. Quoad modum administrationis, non quoad rem administratam. Heb. 8. 13.

4. *Quod tantùm umbram habet futurorum bonorum, id non pertinet ad Christianos. Heb.* 10. 1. R. Non pertinet ad Christianos quoad praxin & observantiam, potest tamen pertinere quoad doctrinam & cognitionem, & relationem ad τὸ εἰκόνα; imò, ex collatione umbræ & formæ expressæ clarius elucescit ipsum Corpus. Hebr. 10. 1.

5. *Scriptura N. T. est perfecta. E. non opus Veteri.* R. Est perfecta *intensivè*, quoad doctrinæ salutaris substantiam, non *extensivè*, quoad omnem revelationis divinæ modum & latitudinem, quia loquitur tantùm de Christo exhibito, non verò de exhibendo, quod testimonii genus utilissimum tamen est ad majorem fidei nostræ ἀσφάλειαν, quia iteratum plurium testium de eadem re Testimonium validius est respectu nostri.

6. *Christus est finis Legis. Rom.* 10. 4. R. Tum, quia fuit scopus, ad quem Lex tota respexit, tum, quia fuit ejus τελείωσις & complementum, implendo ejus oracula, & eam exequendo. Rom. 10. 4.

7. *Non sunt audiendi servi præsente Domino.* R. Si testantur injussu ejus, aut contra eum; sed audiri possunt & debent, si ex mandato ejus testantur de ipso. Atqui Christus jubet audiri Mosen & Prophetas. Luc. 16. 29.

XVI. Spiritus S. circa Scriptores S. hoc egit. (1) Eos ad scribendum excitavit: *Nam acti fuerunt à Spiritu S. viri Dei.* 2. Pet. 1. 21. (2). Verba inspiravit. *Tota enim Scriptura est* θεόπνευστος. 2. Tim. 3. 16. (3) Ab omni errore conservavit: *Nam lac sincerum* nobis propinârunt. 1. Pet. 2. 2.

CONTROVERSIA. I.

An Scriptores Sacri nullo Dei mandato, sed tantum fortuitis occasionibus pro lubitu scripserint?

Neg. cont. Pontif.

Scriptores S. scripserunt Dei mandato, non tantùm fortuitis occasionibus.

Pontificii, ut Scripturæ authoritatem imminuant, docent, eam non expresso Dei mandato, sed peculiaribus tantùm occasionibus traditam fuisse Ecclesiæ; nec Apostolos de scribendo Evangelio primariâ intentione cogitâsse, sed secundariâ tantùm, & ex occasione.

Non autem quæritur: An Scriptores S. quibusdam occasionibus impulsi fuerint ad scribendum; non negamus enim, oblatis sæpe hac in re occasionibus fuisse usos: sed quær. An ita occasionaliter scripserint, ut non scripserint etiam ex mandato divino? Hæc enim non opponenda, sed componenda sunt.

ARGUMENTA.

Exod. 17. 14. Jes. 8. 1. Jer. 30. 2. Hab. 2. 2. Ap. 1. 11.

1. Mandata specialia occurrunt plurima, ut: *Exod.* 17. 14. *dicit Jehova Mosi. Inscribe hoc monimentum libro.* *Ies.* 8. 1. *Sume tibi volumen magnum & scribe.* *Ier.* 30. 2. *Scribe tibi omnia verba, quibus alloquor te, in libro.* *Habac.* 2. 2. *Scribe visionem perspicue in tabulis.* *Apoc.* 1. 11. *Quod cernis, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis.*

Matth. 28. 19.

2. Mandatum docendi. Matth. 28. 19. continet etiam mandatum scribendi, cùm absentes & posteros nonnisi Scripturâ docere possimus.

2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 21.

3. Inspiratio immediata, & impulsus internus fuit Scriptoribus S. loco mandati. Unde Paulus. 2. Tim. 3. 16. vocat Scripturam θεόπνευστον. Et Petrus, 2æ. c. 1. 21. dicit, viros Dei locutos esse ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένους, à Spir. S. actos. Ἀσύγκριτον autem est, Deo inspirante & movente Apostolos scripsisse, & tamen non præcipiente; nec efficacius mandatum datur inspiratione rerum scribendarum.

OBJECTIONES.

1. *Si Apostoli ideo debuerunt scribere, quia tenebantur docere, sequitur.* 1. *Singulos debuisse scribere, quia singuli tenebantur prædicare.* 2. *Pastores hodiernos pariter teneri semper ad scribendum, ut ad docendum.* R. 1. Munus quidem Apostolorum æquale fuit in iis, quæ Essentialia Apostolatui fuêre, ut essent ex æquo omnes Doctores θεόπνευστοι, non verò fuit

munus

munus æquale in exercitio omnium actuum singularium ad id pertinentium; unde non mirum, si pro libertate Spiritûs S. alii ad scriptionem simul & prædicationem, alii ad prædicationem tantùm fuerint adhibiti. 2. Alia est ratio Apostolorum, alia Pastorum hodiernorum; Apostoli quippe omnes gentes debuerunt docere, non sic Pastores ordinarii.

2. *Cur ergo non communem librum condiderunt, vel Catechismum conscripserunt?* R. 1. Tum, ne viderentur omnes ex compacto egisse, tum, ne majoris viderentur authoritatis, quam quod à singulis seorsim scriptum est, quæ ratio etiam videtur, cur Christus à scribendo abstinuerit. 2. Non necesse fuit Catechismum ab Apostolis conscribi, sufficiebat ea illos tradere, ad quæ Catechismi essent exigendi. 3. Si formaliter Catechismum non scripserunt, tamen materialiter.

CONTROVERSIA. II.

An Scriptores S. omnia, etiam minima verba scripserint instinctu Spiritus S.

Aff. cont. Soc.

Scriptores S. omnia scripserunt instinctu Spir. S.

Non quæritur: An Scriptores S. quà homines simpliciter errare potuerint? Hoc enim facilè concedimus. Seu, an quà homines sacri, acti à Spiritu S. reipsa errârint; hoc enim nemo, nisi planè atheus dicet: Sed: An in scribendo ita acti & inspirati fuerint à Spiritu S. & quoad res & quoad verba, ut ab omni errore immunes fuerint, & scripta ipsorum verè sint autentica & divina? quod defendimus.

ARGUMENTA.

1. Scriptura S. est θεόπνευστος. 2. Tim. 3. 16. Et acti fuerunt à Deo Sancti Dei homines. 2. Pet. 1. 2.

2. Nullum est jota legis, quod non tanquam divinum approbetur. Matth. 5. 18. 19.

3. Scriptura est *lac* illud *sincerum*. 1. *Pet.* 2. 2. Et *dicta Jehovæ dicta pura sunt; ut argentum purgatum, & septies defæcatum. Ps.* 12. 7.

OBJECTIONES.

1. Cor. 7. 12.

1. 1. *Cor.* 7. 12. *Non Dominus, sed ego.* R. i. e. Deus in V. T. ea de re expressum mandatum non dederat, ut jam per Apostolum faciebat. Quod ita explicat v. 25. De virginibus

imperium Domini non habeo, sed sententiam in hac re meam dico.

Gal. 2. 11–21 2. *Petrus erravit. Gal.* 2. 11-21 R. In vita, non in scriptis. Petri enim error is fuit. Priusquam venirent quidam Judæi conversi missi à Jacobo Apostolo ad ipsum, Petrus cum gentibus conversi edebat de iis etiam cibis, qui in lege Mosaica prohibiti erant, idque rectè, & juxta libertatem Christianam, quæ discrimen illud ciborum tollit. Cùm autem venissent illi conversi Judæi, segregabat se à convictu gentilium, timens, ne irritaret Judæos, sicque Petrus conversis gentibus scandalum præbuit, & Judæos in errore confirmavit. Igitur nemo non videt, hunc fuisse errorem in vita.

Joh. 6. 19 3. *Joh.* 6. 19. *Viginti quinque aut triginta stadia.* R. Sic fuit inspiratum & mandatum ut scriberet; quia inter utrumque numerum fuit.

CONTROVERSIA. III.

An Scriptura S. pluribus in locis, in ipso textu authentico sit corrupta & depravata?

Neg. cont. Pontif.

Textus originalis purus ad nos pervenit.

Non quæritur: An fontes ita sint puri, ut nulla menda in multos codices irrepserint, vel temporum injuriâ, vel librariorum incuriâ, aut malitia Judæorum, aut Hæreticorum. Sed, an ita sint corrupti, ut non possint amplius censeri judex Controversiarum, & norma, ad quam omnes omninò versiones sint exigendæ. Pontificii hic in diversa abeunt; quidam fontium puritatem agnoscunt, Hebraizantes dicti, ut: Sixtus Senensis, Arias Montanus, &c. Alii illam oppugnant, ut: Stapletonus, Canus, Perronius, &c. Alii puritatem fontium statuere volunt, ita tamen, ut non omnia in versionibus ad eos examinari debeant; quæ sententia est Bellarmini. Fontes verò non esse corruptos evincunt sequentia.

ARGUMENTA.

1. Fontes non esse corruptos, evincit. *Providentia Dei*, cui repugnat libros, quos ad salutem hominum exarari voluit, ita falsari sivisse, ut ad hanc finem inepti essent.

2. *Ecclesiæ Christianæ* in conservandis codicibus *fidelitas* & labor.

3. *Judæo-*

3. *Judæorum Religio*, qui circa codices sacros tanta fide & diligentia ad superstitionem usque versâti sunt, adeò, ut si liber Legis emendatus in terram, ceciderit, indicant jejunium, & metuant, ne tota rerum universitas in pristinum chaos revertatur.

4. *Masoretharum diligentia*, qui non tantùm voces & literas, sed etiam puncta in numerato habuere.

5. *Exemplarium multitudo*; cùm enim longè lateque diffusi essent codices sacri, quo pacto potuerunt omnes corrumpi?

6. Si corrupti fuissent fontes, id factum esset vel *ante* vel *post* Christum. Non *ante*, quia Christus hoc non dissimulâsset; non *post*, tum, quia Exemplaria in Christianos dispersa erant, tum, quia corruptionis talis nullum vestigium occurrit, nam, si tale quid contigisset, cur loca quæ Christus & Apostoli citant ex Mose & Prophetis, eodem modo hodiè ac olim leguntur? Cur *Origenes* & *Hieronymus*, linguæ sanctæ peritissimi, ab hoc crimine Judæos absolvunt? NB.

7. Judæi nec voluerunt nec potuerunt fontes corrumpere. *Noluerunt*, aliâs oracula fidem Christianam confirmantia corrupissent, quæ tamen adhuc sunt integra. *Non potuerunt*, tum propter Exemplarium multitudinem, tum Christianorum vigilantiam, tum providam Dei sapientiam, quæ non patitur unum jota, aut apicem perire ex lege. Matth. 5. 18.

OBJECTIONES.

1. *Keri & Ketib quæ* 848. *numerantur*, *corrumpunt Textum*. R. Tantum sunt variæ lectiones, quibus excluditur omnis Novatorum corruptio.

2. *Tikkun Sopherim*, *seu correctiones Scribarum*, *quæ sunt* 18. *textum corrumpunt*. R. Sunt tantùm elegantes lectiones, non verba mutantes, sed sensum explicantes.

3. *Apostolus Rom.* 10. 18. *reddit per* φθόγγος, *quod* Ps. 19. 6. *per* קו *exprimitur*. R. קו non tantùm notat lineam extensam, sed etiam scriptam, seu literam, quâ pueri elementarii informantur, quâ voce usus est Jesajas, Cap. 28. 10. dum *præceptum post præceptum*, *lineam post lineam populum illum* ait *esse docendum*, instar puerorum. Huic autem voci non malè respondet φθόγγος, quæ non modò pro sono, Ps. 19. 6. Rom. 10. 18.

sed & pro Scriptura literæ sumitur, unde vocabulum diphtongus. 2. Paulus non allegat propriè hunc locum, sed anagogicè accommodat ad prædicationes Evangelij.

Jes. 9. 6. 4. *Jesai.* 9. 6. וַיִּקְרָא שְׁמוֹ & *vocabit nomen ejus, pro* וַיִּקָּרֵא *vocabitur.* R. Apud Hebræos sæpiùs verba activa impersonaliter posita, passivè redduntur: Vocabit, sc. unusquisque. Sic Mich. 2. 4. יִשָּׂא עָלֵיכֶם מָשָׁל *Tollet super vos parabolam*, i. e. tollet aliquis, vel tolletur. **Man wird ein Spruchwort uber euch sagen,**

5. *Ps.* 22. 17. כָּאֲרִי *sicut leo, pro* כָּרוּ *perfoderunt.* R. 1. Est scriptionis anomalia, ubi א additum est per Epenthesin, ut Zach. 14. 10. וְרָמָה *pro* רָמָה exaltabitur. Et ו in י mutatum, ut Esdræ 10. v. ult. נְשָׁאִי *pro* נְשָׂאוּ 2. Ex serie verborum sensus facilis est.

Zach. 9. 9. 6. *Zach.* 9. 9. *Messias dicitur* נוֹשָׁע *servatus*, pro, *Servator.* R. Vox illa vel *passivè* sumi potest, ut donotet Christum salvatum fuisse, ut loquitur Apostolus. Heb. 5. 7. à morte, vel seipsum salvâsse, ut dicitur Esaj. 63. 3. vel per formam deponentis *activè* usurpatur, ut apud Hebræos non pauca reperiuntur, ut נִשְׁבַּע juravit, נִצַּל spoliavit, & erit participium idem significans quod מוֹשִׁיעַ *Liberator, Servator.*

Matth. 6. 13. 7. Δοξολογία *quæ habetur. Matth.* 6. 13. *in clausula orationis Dominicæ non extat apud Lucam, c.* 11. R. Dominus potuit bis eandem precandi formulam proponere, primò in privata discipulorum institutione, sine ea, deinde turbæ promiscuæ, ubi illam adjecit. 2. Nec insolitum unum Evangelistam præterire, quod alter exponit, ut: Matth. 6. 33. habetur: *Quærite Regnum Dei & justitiam ejus.* At Luc. 6. 31. simpliciter habetur: *Quærite Regnum Dei.* E. unum ex altero supplere oportet.

CONTROVERSIA. IV.

Nullus liber Canonicus periit.

An non integri libri, præsertim V. T. perierint? Neg. cont. Pontif.

Quidam etiam ex nostris, ut *Musculus*, *Whitakerus*, post Chrysostomum idem asserunt, sed duplici discrimine.

1. Quod

1. Quod hoc de libris nonnullis V. T. tantùm affirmant, non verò Novi, ut Pontificii. 2. Quòd nihilominùs perfectionem Scripturæ defendunt, quam metiuntur non ex numero librorum, sed ex plenitudine dogmatum. Tutiùs est communiorem sequi sententiam, nullum librum verè Canonicum periisse.

ARGUMENTA.

1. A Testimonio Christi. Matth. 5. 18. & Luc. 16. 17. *Facilius est cœlum & terram perire, quàm legis unum apicem excidere.* Matth. 5. 18. Luc. 16. 17.

2. A Providentia Dei, quæ concipi non potest pati voluisse tam exitialem jacturam.

3. Ab Ecclesiæ officio, quod est oracula Dei sibi commissa religiosè servare. Cuinon defuisse, ex eo patet, quòd nec Christus nec Apostoli Judæos unquam hoc nomine accusent.

4. A fine Scripturæ, quæ consignata est in Canonem fidei & vitæ, qui obtineri non posset; si per jacturam quorundam librorum Canonicorum Canon truncatus Ecclesiæ relictus esset.

5. A Judæorum praxi, quia nunquam plures libri Canonici V. T. iis quos habemus, agniti sunt, nec â Targumim expressi, nec à 70. versi.

OBJECTIONES.

1. *Ubi E. liber bellorum Jehovæ? Num. 21. 14. Jos. 10. 15. Liber Justi. 2. Sam. 1. 14. Chronica Regum Judæ & Israëlis. 1. Reg. 14. 19. 20. & 15. 7.* R. Isti libri non doctrinam Religionis, sed vel annales Politicos, quibus res gestæ Israelitarum consignabantur, vel Tabulas actorum publicorum, & statutorum Politicorum complectebantur.

2. *Ubi libri Nathanis & Gadis, de quibus. 1. Chron. 29. 29.* Et *Jehdonis. 2. Chron. 6. 29. Semajæ & Hiddonis. c. 12. 15?* R. Faciunt partem librorun Samuelis & Regum, ut varii ex Pontif. Sixtus Senensis, Paulus Burgensis, Sanctius, &c. fatentur.

3. *Periit Epistola ad Laodicenses. Col. 4. 16.* R. Agitur de Epistola ἐκ Λαοδικείας, non πρὸς Λαοδικέας. Poterat esse Epistola à Laodicensibus ad Paulum scripta, in quæ, quia nonnulla erant, quæ scire interesset Colossensium, Paulus vult Col. 4. 19.

cum sua ab illis legi. 2. Potuit esse prima Epist. ad Timotheum, ex inscriptione.

4. *In eversione Hierosolymæ lex patrum interiit.* 4. *Esdr.* 4. 23. *& lex exusta est.* c. 14. 21. R. Liber 4. Esdræ ipsis Pontificiis est Apocryphus, E. ex eo nihil probari potest. 2. Autographa legis & Prophetarum potuerunt conflagrâsse, apographa verò penes pios varia remansisse. 3. Locus iste refellitur ab alio libro Apocrypho, Pontificiis Canonico, 1. Macch. 2. 4. qui arcam, in qua depositus erat liber legis. Deut. 31. 26. servatam dicit à Jeremia, in cavea montis Nebo. 4. Hoc commentum refellit altum Scripturæ silentium, quæ, cùm tam anxiè, Sanctuarii pollutionem, Jerosolymorum excidium, vasorum S. interceptionem, Templi ruinam, & alia defleat, tantam jacturam non prætermisisset.

Contextus Hebraicus nunquam deserendus.

XVII. Hinc patet, periculosam esse sententiam Doctiss. Viri *Ludovici Capelli*, qui in Critica sua sacra probare conatur: Nos ad hodiernam Lectionem Textûs Hebraici nequaquam ita teneri, quin liceat sæpe ab ea discedere, quoties vel ex Veterum Interpretum collatione, vel ex rectæ rationis vi, vel proprio judicio, & conjectandi facultate lectionem aliam meliorem & convenientiorem deprehendere possumus. Nam hac ratione nullus alius Canon lectionis authenticæ esset, quàm commodior sensus, qui nobis ita videtur: Constitutio lectionis authenticæ itaque erit humani arbitrii, & rationis opus non Spiritus S. & ratio humana in arce collocabitur, & pro norma ac principio fidei cum Socinianis habebitur. Nulla etiam amplius erit ἀυθεντία Textûs S. sed dubia omnia & incerta reddentur, & privati cujusque Conjectoris arbitrio Textus sacer subjicietur.

Codex noster Hebræus hodiernus est verus codex.

XVIII. Ejusdem furfuris est Cl. viri distinctio, quam ad obtinendam hypothesin suam excogitavit, inter *Codicem Hebræum in se*, & *codicem hodiernum Masorethicum*. Istum dicit haberi in omnibus Exemplaribus, quæ hodie habentur, sive inter Judæos, sive inter Christianos; Illum verò demùm posse colligi ex collatione Textûs hodierni & versionum Veterum. Statuit itaque, Codices Hebræos, quibus usi sunt 70. & alii interpretes, diversos fuisse à Codice hodierno, & discrepantias versionum veterum ab hodierno codice, totidem esse varias lectiones Textûs Hebraici: Unde negat, Biblia nostra Hebræa hodierna totum constituere fontem, sed

pro

pro unico tantùm exemplari esse habenda. Cùm tamen talium codicum à nostrò diversorum nulla memoria apud Veteres, nec ulla vestigia sint apud Hebræos. Et discrepantia versionum à Codice hodierno non est petenda à diversitate Codicum, sed vel inde, quia sæpius ad sensum potiùs quàm ad verba attenderunt, vel ab interpretum imperitia, vel nimia licentia, vel ex scriptorum oscitantia; unde fieri potuit; ut multæ corruptelæ in versiones irreperent.

XIX. Scriptura debet legi, & quidem. (1) Cum attentione & intellectu. *Matth.* 24. 15. *Qui legit, animadvertat.* (2) Cum fide. Heb. 4. 2. *Non profuit illis auditus sermo, ut qui fide contemperatus non fuerit apud illos, qui audierant.* (3) Ordine. *Col.* 2. 5. *Gaudeo, cernens vestrum ordinem.* (4) Omni vita. *Deut.* 17. 19. *Rex leget in libro legis omnibus diebus vitæ suæ.* (5) Recordatione. *Heb.* 2. 1. *Propterea oportet nos eò amplius attendere ea quæ audivimus, ne quando perfluamus.* (6) Cum obedientia. 1. *Thess.* 2. 13. *Excepistis sermonem de Deo non ut sermonem hominum, sed, sicut est verè, ut Dei sermonem.* Scriptura debet legi.

CONTROVERSIA I.

An lectio Scripturæ S. non pastoribus solùm, sed etiam populo sit concedenda & injungenda?

Aff. cont. Pontif.

Sententia *Pontificiorum* non melius potest colligi, quàm ex Reg. 4. Indicis libr. prohibit. ex Tridentina Sanctione editi, quæ sic habet: *Cùm experimento manifestum sit, si S. Biblia vulgari lingua permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quàm utilitatis oriri, prohibentur Biblia, cum omnibus eorum partibus, sive excusa, sive manuscripta, in qualicumque vulgari lingua extent.* Verùm, quia hoc crudum nimis videbatur, *Pius IV.* temperamentum aliquod videtur addere voluisse, quum ad judicium ordinarii Parochi aut Episcopi reducit concessionem Bibliorum lectionis, iis sc. quos intellexerint, ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei & pietatis augmentum capere posse. Sed subsecuta *Clementis VIII.* observatio spem istam planè illusoriam esse ostendit in Reg. hanc 4. dum negat ullam de novo tribui Episcopis vel aliis facultatem, talem licentiam concedendi.

dendi, quæ ipsis hactenus sublata fuit mandato S. R. inquisitionis. Ita altera manu auferunt, quod una dare videbantur.

Nos, licèt non absolutè & simpliciter omnibus necessariam dicamus Scripturæ lectionem, quia & infantes sine ea salvantur, & multi sunt ἀναλφάβητοι inter adultos. Tamen volumus, illam ita esse cuivis licitam, ut nemo quamvis rudis & imperitus sit ab ea arcendus.

ARGUMENTA.

Deut 6. 6. 7. 8. 1. Hoc evincit præceptum; *Deut 6. v. 6. 7. 8. Et erunt verba ista, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: Eaque acutè ingeres filiis tuis, ac loqueris de iis quum sedes domi tuæ, & quum ambulas per viam, quum cubas, & quum surgis. Etiam alligabis ea in signum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* Psalm. 1. v. 2. *Beatus, cujus oblectatio est in lege Jehovæ, & qui de lege illius meditatur interdiu ac noctu.* Jos. 1. 8. dicit Deus ad Josuam. *Ne discedito liber iste legis ex ore tuo, sed meditaberis de eo interdiu ac noctu, ut cum observantia facias omninò, prout scriptum est in eo; tunc enim prosperaberis in viis tuis, & tunc secundaberis.* Joh. 5. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testantur de me.* Col. 3. 16. *Sermo Christi inhabitet in vobis copiose, cum omni sapientia.* 2. Pet. 1. 19. *Habemus firmissimum sermonem propheticum, ad quem bene facitis quòd attendatis.* Apoc. 1. 3. *Beatus qui legit, & beati qui audiunt verba Prophetiæ hujus, & observant ea, quæ in ea scripta sunt.*

Psal. 1. v. 2. Jos. 1. 8. Joh. 5. 39. Col. 3. 16. 2. Pet. 1. 19. Apoc. 1. 3.

2. Scripturæ finis, quia tradita est ad omnium utilitatem & salutem, omnibus arma subministrat adversus hostes nostros spirituales. 2. Tim. 3. 16. *Tota Scriptura est divinitùs inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia.* Rom. 15. 4. *Quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Est gladius spiritus,* Eph. 6. 17.

2. Tim. 3. 16. Rom. 15. 4. Eph. 6. 17.

3. Scriptura est testamentum Patris cœlestis, quis verò dixerit, filium arcendum à lectione Testamenti Patris?

OBJECTIONES.

1. *Inde veniunt hæreses.* R. Illæ ex eo, quòd Scriptura S. non satis, nec benè legatur. Hoc verò fideles non debet arcere à lectione Scripturæ S. sed potius excitare ad eam

eam scrutandam, ut eam probè intelligendo possint talibus erroribus obviam ire.

2. *Sanctum non dandum canibus.* Matth. 7. 2. R. Christus non vult fidelibus denegare Scripturæ lectionem & usum, nec enim filii Dei canum vel porcorum nomine designari possunt. Sed tantùm, non esse communicanda gratiæ divinæ symbola impuris peccatoribus, vel temere effundenda esse infidelibus altissima fidei mysteria, vel iis, qui desperata obstinatione manifestè veritati resistunt, sed accommodandam esse institutionem iis, qui humiles & dociles se præbent. Matth. 7. 2.

CONTROVERSIA. II.

An ergo Scriptura S. in linguas vernaculas transferri debeat? Aff. c. eosdem.

Versionum necessitas.

ARGUMENTA.

1. Quia Scripturæ lectio & meditatio omnium linguarum hominibus est præcepta, ut præcedenti quæstione visum est.

2. Ideo Apostoli dimittebantur ad Gentes, instructi omnium linguarum notitiâ, ut omnibus gentibus Evangelium prædicârent.

3. Adde Praxin constantem Ecclesiarum. Inde nota est *Paraphrasis Chaldaica Jonathanis* Uzielis filii, qui transtulit Prophetas priores & posteriores, cui *Onkelos*, Gamalielis σύγχρονος addidit Pentateuchum, *Versio* item *Syriaca*, quæ censetur opus antiquissimum, & à quibusdam Ecclesiæ Antiochenæ nascenti tribuitur. Sunt etiam notæ Versiones Græcæ, 70. *Aquilæ Pontici*, sub Adriano Imperatore, Anno C. 137. qui initio Græcus Relegione, post Christianus, cùm ob insanum Astrologiæ studium Ecclesiâ moveretur, odio Christianorum defecit ad Judæos, & V. T. vertit, ut oracula de Christo converteret. *Theodotionis*, qui sub Commodo vixit, a. C. 184. genere Ponticus, religione Marcionita, postea Judæus factus novam versionem paravit, in qua sequitur ut plurimùm 70. *Symmachi*, sub Antonino & Aurelio Vero, circa ann. C. 197. qui Samaritanus primò, mox Judæus factus, V. T. transtulit, ut Samaritanos confutaret. *Hierichuntina* in dolio inventa propè Jerichuntem sub Caracalla. ann. C. 220. *Nicopolitana*, reperta

perta prope Nicopolim sub Alexandro Severo, à C. 230. Ex quibus omnibus inter se junctis *Origenes Tetrapla*, *Exapla*, *Octapla* sua concinnavit. Tetrapla continebant quatuor versiones græcas, 70. Aquilæ, Symmachi, Theodotionis. In Exaplis addiderat duas Editiones Hebræas, unam literis Hebraicis, alteram literis Græcis. In Octaplis insertæ erant duæ aliæ versiones, Jerichuntina, & Nicopolitana. His adde versionem *Lucani* Martyris, qui præcedentes feliciter emendavit, & à Constantinopolitanis valde comprobata est. Item *Hesychii*, quam Ægyptii & Alexandrini amplexi sunt. Huc refer *Versionem* Veterem *Italam*, item *Hieronymi*, quæ vulgata censetur, sed progressu temporis corrupta.

1. Cor. 14. 19. 4. In lingua ignota verbum Dei prædicare & audire improbatur. 1. *Cor.* 14. 19. *In Ecclesia malim quinque verba ex intelligentia mea loqui, ut & alios voce instituam, quàm decem millia verborum linguâ ignotâ.*

OBJECTIONES.

1. *Judæi à temporibus Esræ Hebraica legerunt, quæ lingua populo ignota erat.* R. Licèt lingua Hebræa in Captivitate, ex peregrinorum commercio variè corrupta fuerit, & Chaldaica & Syriaca multa vocabula in eam invaluerint, tamen populus contextum S. intelligebat, quia Zacharias, Aggæus & Malachias scripserunt linguâ pure Hebraicâ, quod non feciſſent, nisi populus intellexisset. Deinde Nehem. 8. 18. dicitur, Esdram legisse librum Legis coram tota multitudine, ad quem dicitur attenta fuisse, quod non poterat tamen, si non intellexisset. Et si Esdras cum Levitis dicitur interpretatus quæ legebat, hoc ad expositionem rerum potiùs quàm verborum referendum est.

Neh. 8. 18.

2. *Apostoli omnes Græcè scripserunt, non linguis gentium.* R. Ea lingua tunc erat communissima.

3. *Etsi lingua vernacula legeretur, tamen non intelligeretur.* R. Quidni? Id saltem vitio linguæ non contingeret.

4. *Linguæ vernaculæ singulis seculis magna ex parte mutantur.* R. Non quod ad verborum significationem: forte alicubi, paucis in verbis, quod ad pronunciationem.

Versionum authoritas. XX. Hæc translatio, quatenus sententiam Spiritûs S. proponit, eanden habet authoritatem cum Textu Hebræo V. T. & Græco N. T. sed quatenus hoc Gallicis aut Belgicis verbis exponitur, nonnisi humanæ authoritatis est.

CON-

CONTROVERSIA. I.

An sola editio Hebræa V. & Græca N. T. sit authentica? Aff. cont. Pontif.

Editio Hebræa & Græca V. & N. T. solæ sunt autenticæ

Concilium Tridentinum Sess. 4. sancivit; Ut *V. Versio Latina in publicis Lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro autenticâ habeatur, ita ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat.* Cui Decreto multi ex Pontificiis alienum sensum affingere conantur, quasi nihil contra Textuum originalium autentiam Concilium decreverit, sed solùm ex Latinis versionibus quæ nunc circumferuntur, unam delegerit, quam cœteris anteponeret, quæ sententia est Bellar. Andradii, Salmeronis, Serarii, &c. Tamen hanc detorsionem esse Decreti Synodici, meritò clamat D. Bannes, & ex ipsis Decreti verbis colligitur. Nam, si pro autentica haberi debet, ut nemo illam quovis prætextu rejicere audeat, nonne fontibus ipsis æquatur: imò & præfertur? Contra hos verò militant sequentia.

ARGUMENTA.

1. Soli fontes sunt αὐτόπιστοι, tam quoad res, quàm quoad verba. Nam viri Dei scripserunt, acti à Spiritu S. 2. Pet. 1. 21. qui ipsis non modò res, sed etiam verba dictavit.

2. Quia sunt norma & regula, ad quam versiones omnes sunt examinandæ.

3. *Bellarm. l 2. de V. Dei. c.* 11. ipse fatetur, *certis in Casibus ad fontes esse recurrendum.* a. *Cùm in Latinis Codicibus error librariorum videtur.* b. *Cùm varias habent lectiones.* c. *Quando habent aliquid anceps.* d. *Quando proprietas vocabulorum non videtur satis expressa.*

OBJECTIO.

Puncta non sunt inventum Masoretharum.

1. *Puncta demùm à Masorethis inventa.* R. 1. Bellarminus ipse l. 2. de V. D. c. 2. negat, punctorum additionem officere Veritati. 2. Positâ hac hypothesi etiam versio vulgata nauci erit, nisi velint dicere, ejus authorem genuina puncta non à Judæis, sed ex revelatione accepisse. 3. Licet puncta non semper fuerint quoad figuram, tamen necessariò debent fuisse quoad sonum & valorem tanquam anima consonantium. Doctiss. *Waltonus* tradit, ope trium literarum אהו quæ matres lectionis vocantur, & ante punctorum

ctorum inventionem, loco vocalium erant, veram lectionem conservatam fuisse. *Proleg. 7. ad Biblia Polyglotta.*

CONTROVERSIA.

An versio LXX. V.T. sit authentica?
Neg. c. Pontif.

Versio 70. non est autentica.

Inter Græcas V. T. versiones primum locùm obtinet nobilis illa 72. (qui ob rotunditatem numeri 70. appellantur) quæ versio à 72. interpretibus spatio 72. dierum sumtibus & jussu *Ptolomæi Philadelphi* in cellulis separatis facta traditur, & quidem summo cum consensu, qua de re *Aristæa* prolixam narrationem instituit; Quamvis variæ narrationes historicæ quæ de ista versione traduntur, viris Doctissimis valde suspecta sint, & dubiæ fidei, quarum vanitatem suo tempore *Hieronymus* jam retegere cœpit.

Pontificij, licèt non eodem modo omnes loquuntur, plerique tamen in id consentiunt, versionem authoritatem divinam habere, adeoque Translatores non tam interpretes, quàm Prophetas censendos, qui ne errarent, peculiari modo Spiritum S. assistentem habuerint, ut Bell. loquitur, lib. 2. de V. D. c. 6.

Nos non diffitemur, illam versionem magnam habere authoritatem. 1. Ob antiquitatem. 2. Quod à Judæis dispersis publicè & privatim lecta fuerit. 3. Quia Apostoli eâ usi fuerunt in prædicatione, & locorum citatione. 4. Patres eâ usi sunt, &c. Tamen negamus, illam versionem autenticam esse, i. e. talem, cui plenissima fides debeatur, de qua certò constet, quòd profecta sit ab immediata inspiratione divina.

Scriptum autenticum quod.

ARGUMENTA.

1. Quia humano studio & labore concinnata est, non verò à viris θεοπνεύστοις: Authores ejus fuerunt interpretes, non Propheræ, qui post Malachiam, qui vocatur sigillum Prophetarum, desierunt: Unde apud Aristæam dicuntur *interpretes inter se contulisse, disputantes & conferentes inter se de re qualibet, donec tandem in unum omnes convenerint*, &c. At, si inter se contulerunt, disputârunt, non prophetârunt. Nam viri θεοπνεύστοι sine ulla disputatione scripserunt.

2. Si

2. Si Spiritus S. afflatu scripserunt, numerus talis superfluus fuisset, cùm unus sufficeret.

3. Nec rebus nec verbis convenit in multis cum fontibus.

4. Quia hodie non habetur pura, quod jam Hieron. sæpe observavit.

OBJECTIO.

Apostoli non usi fuissent istâ versione, si non fuisset autentica. R. Non usi sunt ea, quòd autenticam crederent, sed quia tum temporis usitatissima erat; & quia, ubi sensûs & Veritatis ratio patiebatur, noluerunt aut intempestivè rixari, aut scrupulum creare infirmioribus, sed per sanctam œconomiam immutatum reliquerunt quod mutatum offenderet, cùm præsertim etiam non mutatum rem conficeret. Testimonia igitur quæ ex 70. versione allegantur in N. T. autentica sunt non per se, sive quatenus à 70. ex Hebræo in Græcum sunt traducta, sed per accidens, quatenus probata & sanctificata sunt à Sp. S. & ejus afflatu in contextum Sacrum relata.

CONTROVERSIA. III.

An versio vulgata sit autentica?

Neg. cont. Pontif.

Qua ratione *Pontificii* Versionem suam *Latinam* seu *Vulgatam* tanquam authenticam extollant, exposuimus supra, Controv. 1. de Versionibus. Nos, licèt concedamus, Versionem illam etiam esse utilem, & aliquoties etiam Veritatem apprimè reddere, tamen negamus, eam esse autenticam, & fontibus ipsis æquandam.

Versio vulgata non est autentica.

ARGUMENTA.

1. Quia non habet authorem θεόπνευστον. Nam, sive author ejus statuatur Hieronymus, sive Sixtus V. & Clemens VIII. nemo ex illis fuit θεόπνευστος.

2. Pluribus in locis à fontibus deflectit; Unde Clemens VIII. Sixtinam, jam à Concilio authentia donatam, in 2000. locis correxit.

3. Eam variis mendis refertam esse, multi ex Pontificiis agnoverunt, Erasmus, Valla, Pagninus, Cajetanus, Sixtus Senensis, &c.

4. Concilium Tridentinum canonizavit editionem illam,

quæ nondum fuit in rerum natura, sed post 46. annos demùm prodiit. Nam Decretum rogatum est anno 1546. & anno demùm 1590. à Sixto V. & biennio post opus confectum. At quomodo potuit Concilium authenticam facere Editionem, quæ nondum facta erat?

OBJECTIO.

Hebræi & Græci habent suos Textus authenticos. E. & Latini. R. Neg. consequentia: Non enim est eadem ratio: Nam Textus Hebræus & Græcus à Prophetis & Apostolis θεοπνεύστως profluxit, non verò versio Latina.

Unde vulgus noverit Scripturam esse verbum Dei.

XXI. Cùm, Scripturam esse verbum Dei, ex rebus quas tractat, cognoscatur, non ex lingua Hebræa & Græca, vulgus etiam scire potest, Scripturam translatam esse verbum Dei. 1. Ex rebus quas exponit. 2. Ex divina ejus potentia in conscientiam piè legentis & audientis: Nam est *potentia Dei ad salutem cuivis credenti. Rom.* 1. 16. 3. Ex testimonio Spiritûs S. qui nobis *manifestat ea quæ Deus nobis est gratificatus.* 1. *Cor.* 2. 12.

XXII. Interpres Scripturæ S. & Controversiarum Judex est triplex. 1. *Dominans* & authoritativus, qui solus Deus. 2. *Ministerialis* publicus, qui Pastores. 3. *Singularis* discretivus, atque hic quisque fidelis. Regula manet sola Scriptura.

CONTROVERSIA. I.

An præter Scripturam S. in Ecclesia detur visibilis & infallibilis Controversiarum theologicarum Judex, cujus sententiæ omnes reliqui pastores, & vulgus acquiescere debent? Neg. cont. Pontif.

Judex Controversiarum est S. Scriptura.

Quæstio illa primaria est, & unica ferme propter quam aliæ omnes de Scriptura moventur Controversiæ. *Pontificiorum* verò sententia eò redit: Distinguunt inter normam & judicem: Scripturam agnoscunt esse normam, sed partialem & insufficientem, nisi judicis alicujus visibilis sententia accedat: Talem autem judicem quærendum esse in Ecclesia, ubi quatuor erigunt Tribunalia, à quibus non sit appellatio. 1. Ecclesiæ. 2. Conciliorum. 3. Patrum. 4. Papæ. Sed ritè calculis subductis solus restat Papa, cui supremum istud & infalli-

fallibile judicium deferre solent. Non tamen eadem omnium est sententia; licèt enim hanc judicis potestatem Pontifici adscribant illi, qui Papam pertendunt esse supra Concilium, aliter tamen sentiunt, qui Concilium supra Papam esse volunt, alii denique, ut utramque componant sententiam, Papam in Concilio, sive Concilium à Papa approbatum censent esse judicem istum infallibilem.

Nos verò, licèt non diffiteamur in Ecclesia dari Judicem ministerialem & subalternum, qui Controversias fidei ex Dei verbo dirimere publicè possit; negamus tamen quoad externam objecti demonstrationem præter Scripturam ullum judicem supremum & infallibilem quærendum esse.

Quum verò dicimus Scripturam judicem Controversiarum, non aliter intelligimus, quàm quatenus est fons juris divini, & norma fidei absolutissima, quâ possunt & debent omnes de fide Controversiæ definiri; ut in Republica fundamenta decisionum & judiciorum petuntur à Lege. Ita Judex dicitur *latè* & per metonymiam adjuncti, *judex normalis*, non *Personalis*. Unde non confundi debet cum judice subalterno, qui Controversias juxta normam Legis dirimit, & jus Legis ad τὸ κρῖνόμενον applicat.

ARGUMENTA.

1. Deus in V. & N. T. ad istum judicem nos absolutè remittit, *Deut.* 17. 10. *Facies juxta Legem quam docuerint te.* *Jes.* 8. 20. *Ad Legem & Testimonium, Luc.* 16. 29. *Habent Mosem & Prophetas, illos audiant.* Deut. 17. 10. Jes. 8. 20. Luc. 16. 29.

2. Praxis Christi & Apostolorum hoc confirmat, qui in Controversiis fidei ad Scripturas provocant, nihilque dicere se profitentur extra Mosem & Prophetas. Act. 26. 22. Petrus præfert visioni cœlesti verbum, ut λόγον βεβαιότερον, cui benefaciant attendentes. 2 Pet. 1. 19. Laudantur Bereenses, Act. 17. 11. doctrinam expendentes ad Scripturæ normam, non consulentes aliud infallibilitatis oraculum. Act. 26. 22. 2. Pet. 1. 19. Act. 17. 11.

3. Supremus Judex is demùm est, qui in judicando nunquam errat, nullo partium studio ducitur, & à quo non datur provocatio. Sed hoc est solius Dei in Scriptura judicantis.

4. Homo non potest esse infallibilis Scripturæ interpres,

& Controversiarum judex, quia errori est obnoxius, & in eum fides nostra non resolvitur, sed in Deum solum, à quo pendet sensus & sententia Scripturæ, utpote qui est optimus verborum suorum interpres.

5. Si Pontifex R. est infallibilis judex Controversiarum, cur non componit lites gravissimas inter Thomistas & Scotistas, Dominicanos & Jesuitas, Jesuitas & Jansenistas? &c. Si Pontifices non possunt tollere lites istas, quomodo sunt infallibiles? Si possunt, cur non liberant Ecclesiam ab istiusmodi scandalis?

6. Non potest Ecclesia statui judex Controversiarum, quia esset judex in propria Causa, & regula sui ipsius; præcipua enim Controversia est circa Ecclesiæ potestatem & infallibilitatem.

7. Eadem Conciliorum & Patrum est ratio, ut suo loco probabitur.

OBJECTIONES.

Deut. 17. 11. 12. 1. *Moses & Aaron fuerunt infallibiles judices Controversiarum. Deut.* 17. 11. 12. R. Fuerunt Judices ministeriales, non αὐτοκρατορικοὶ, qui controversias decidebant ex Lege & Præscripto Dei. 2. Non agitur hic propriè de Controversiis fidei, sed de ritualibus, de judicando inter sanguinem & sanguinem, lepram & lepram. 3. A summo Sacerdote ad Pontificem non valet consequentia, quia in N. T. nullus est Summus Sacerdos præter Christum,

Eccles. 12. 11. 2. *Eccles.* 12. *v.* 11. *Penitus acquiescendum, cum sententia data est à summo Pastore.* R. Hoc loco intelligitur verus Sacerdos N. T. Christus, ut ipsi Pontificii, Tirinus, à Lapide, & alii explicant.

Matth. 23. 2. 3. *Matth.* 23. 2. *Cathedra Mosis notat infallibile Controversiarum judicium.* R. Cathedra Mosis non est successio in officium Mosis, vel externum judicis supremi forum, nam nec Mosis Cathedra ulla supererat, nec tale privilegium illi tributum, sed est veræ doctrinæ, à Mose traditæ promulgatio. Ergo erant audiendi Pharisæi, docentes in Cathedra Mosis, quatenus Mosis doctrinam sine proprio fermento populo sincerè proponebant.

Matth. 18. 17. 4. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi veluti Ethnicus. Matth.* 18. 17. R. 1. h. l. non agitur de Controversiis fidei, sed de offensis privatis. 2. Alluditur ad morem Judaicæ disciplinæ, quæ contumaces excommunicabat, quod pertinet ad

ad omnes particulares Ecclesias. 3. Ecclesia audiri jubetur, quamdiu Christum audit, & verba Christi loquitur; aliàs, si abit à Christo, & contraria loquitur, ei anathema dicendum. Gal. 1. 8.

5. *Judex & Lex distinguuntur.* R. Non semper necesse est inter Judicem & Legem distingui, nam in jure universali præscribendo, Lex habet rationem judicis: At in applicatione particulari Legis interpres officio judicis fungitur, sed ministerialis tantùm, quod Ecclesiæ concedimus.

6. *Judex audit litigantes, examinat rationes, sententiam dicit, nominatim hunc absolvit, alterum damnat. At non ita Scriptura.* R. Hæc non sunt propriè supremi judicis, sed ministerialis, qui eget examine testium, ratione, & inspectione legis. At supremus Judex citra omnem litem sancit quoad jus universale, quid faciendum & fugiendum. 2. Nunquam in legibus expresè legitur condemnatio hujus vel illius, Titii aut Mœvii &c. 3. Ubi agitur de facto, ibi opus est audire partes; In causa fidei verò, ubi agitur de jure, quid credendum aut non credendum sit, non ita; nam id Judex & Lex potest definire partibus non auditis. 4. Loquitur etiam Scriptura, ut Pater in Testamento, & Rex in edictis. 5. In judicio spirituali non coactione, sed demonstratione opus est.

7. *Si Scriptura esset judex, oporteret quotidie ob novas hæreses orientes, novum verbum nobis afferri.* R. Neg. consequentia. Nam ille, qui id futurum noverat, veritatem suam ita in verbo pronunciavit, ut possint ex ea fideles ministri errores omnes refellere. Hinc Patres ex Scriptura hæreses Pelagii, Arii, Macedonii & aliorum solidissimè refutârunt, licèt nihil de illis expresè tradat.

8. *Necesse est dari judicem infallibilem visibilem, ad componendas omnes Controversias.* R. Finis Controversiarum in hac vita non sperandus; necesse enim est hæreses esse, ut probati manifestentur. 1. Cor. 11. 29. 2. Aliud est *convincere de facto* adversarium, & illi os obstruere; aliud *convincere de jure*, ut habeat, unde sufficienter convinci possit. Licèt Scriptura prius non faciat semper, ob hominum pervicaciam, facit tamen semper posterius. 3. Ut in Republ. sufficit esse bonas leges, ex quibus τὰ κρίματα judicari possint à judicibus subalternis: Ita in Ecclesia sufficit dari verbum scriptum infallibile, unde singuli Pastores nor-

mam judicii petant in singulis Controversiis. 4. Judex visibilis apud Pontificios non impedit, quò minus infinitæ emerserint Controversiæ, quas nondum composuit.

9. *Si agitur de vera alicujus loci interpretatione, quis tum erit judex?* R. Scriptura seipsam interpretatur, & quamvis homo talem interpretationem proferat, non censendus est ejus author, quia nihil de suo comminiscitur, sed tantùm è Scriptura educit, quod in ea latebat.

10. *Quum disputatur de ipsa Scriptura, quis tum erit judex?* R. 1. Quum disputatur de judice Controversiarum, non agitur de Principiis, i. e. de quæstionibus quæ versantur circa Scripturam, quæ ut principium supponitur hic, non probatur, sed de Principiatis, i. e. circa doctrinas in Scriptura contenras, quas positâ Scripturæ authoritate ex ipsa Scriptura sufficienter dirimi posse credimus. 2. Scriptura etiam seipsam probat, ut antea visum.

11. *Concilia à Papis absentibus aliquando postularunt confirmationem authoritativam.* R. Non, sed fraternum assensum, aliâs jus Papas deponendi sibi vindicare non potuissent.

12. *In foro externo Ecclesiæ quilibet privatus tenetur se subjicere Synodicis decisionibus.* R. Tamen illæ decisiones non sunt supremum & infallibile judicium, quia ab eo datur provocatio quoad forum internum conscientiæ, nec ulterius obligat in illo foro, quam persuasi fuerint de illius Consensu cum Scripturis.

CONTROVERSIA. II.

Patrum dicta non sunt Regula Veritatis.

An Patrum Scripta sint Regula Veritatis in Dogmatis fidei, & Scripturæ interpretatione?

Neg. cont. Pontif.

Per *Patres* intelliguntur Veteris Ecclesiæ Doctores, qui ab excessu Apostolorum salutis doctrinam docuerunt.

Ætas verò Patrum non ulterius quàm ad Sextum Seculum protendenda est, quia post annum sexcentesimum, quo Antichristus caput extulit, puritas doctrinæ magnam labem passa est. *Primo* verò *Seculo* post Apostolorum obitum præcipui fuerunt Ignatius & Polycarpus, quorum fragmenta extant. *Secundo* Justinus Martyr, & Irenæus. *Tertio* Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius. *Quarto* Athanasius, Eusebius

sebius Cæsariensis, Hilarius Pictavensis, Basilius, Gregor. Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Joh. Chrysostomus. *Quinto* Augustinus, Cyrillus, Alexandrinus, Theodoretus, Hilarius Arelatensis, Prosper Aquitanicus, Leo I. *Sexto* Fulgentius Afer, Gelasius, Grego. M. & alii.

Circa authoritatem Patrum tres sunt Pontificiorum sententiæ. *Prima* eorum, qui eos æquant Scripturæ. *Secunda* eorum, qui scripta eorum ut merè humana agnoscunt; *Tertia* eorum, qui singulorum Patrum authoritatem humanam & falsibilem concedunt, sed communem & universalem Patrum consensum in Controversiis infallibile & divinum censent, quæ fuit Concilii Tridentini sententia.

Orthodoxi, licèt Patres magno in pretio habeant, eosque usurpari posse affirment pro *Testibus*, qui de Consensu Ecclesiæ veteris testimonium perhibere possunt. Tamen negant, illos esse *judices*, qui authoritate infallibili Controversias fidei dirimant.

ARGUMENTA.

1. Scripta Patrum diversimodè sunt corrupta & adulterata.
2. Patres fuerunt fallibiles, & errârunt sæpius. E. g. *Justinus Martyr* πλατωνίζει, multum tribuit libero arbitrio, Socratem ἁπὸ μέρους Christum cognovisse asseverat. *Irenæus* asserit filium planè ignorare diem judicii, animas non statim à morte frui Dei visione, subscribit etiam Dogmati Chiliastarum. *Tertullianus* Montanistis addictior damnat secundas nuptias, militiam, & fugam omnem tempore persecutionis, liberum arbitrium evehit. *Origenes* duos Christos statuit, putativè tantum mortuum, & purum hominem fuisse Christum, asserit. *Cyprianus* militiam damnat, *Lactantius* asserit, animas omnes in principio in cœlis creatas, & eductas ex substantia Dei, & hinc discedentes non frui Dei conspectu ante extremum judicium. *Hilarius* tribuit Christo Corpus omnis doloris expers. *Ambrosius* immodicus est in allegoriis, & in excusando lapsu Petri. *Epiphanius* Patrem filio majorem facit, etiam quoad Deitatem. *Chrysostomus*, & ante ipsum quoque *Clemens Alexandrinus* homines ante Christum absque ejus fide salvatos scribit. Hom. 37. in Matth. *Hieronymus* iniquior est

conjugiis, contra Jovinianum, & secundas nuptias eodem propè quo scortationem loco habet. *Augustinus* multa ipse notavit in Retractationibus, sine baptismo decedentes damnat.

CONTROVERSIA. III.

Christiani proprium spiritum sequi non debent.

An Christiani proprium aliquem Spiritum, ejusque revelationes, tanquam fidei & morum normam & judicem sequi debeant? Neg. c. Enthus. & Libert.

ARGUMENTA.

1. Deus Verbum suum ut Regulam perpetuam proponit.

Luc. 16. 29. *Luc.* 16. 29. *Habent Mosem & Prophetas, audiant eos.*

Gal. 1. 8. 2. Revelationes tales venditare improbatur. *Gal.* 1. 8. *Etiamsi nos aut angelus e cœlo vobis aliud Evangelium evangelizaret, præter id quod evangelizavimus, anathema esto.*

1. Joh. 4. 1. 1. *Joh.* 4. 1. *Ne credite cuique spiritui, sed probate Spiritus, num sint ex Deo.*

3. Ipsi Apostoli in Disputationibus ad revelationes non confugerunt, sed verbum Dei, ut normam secuti sunt, nihilque dixerunt extra Mosem & Propheras. Act. 26. 22.

Act. 26. 22.

OBJECTIONES.

Joh. 6. 45. 1. *Omnes à Deo docti erunt. Joh.* 6. 45. R. Cùm Legem ejus cordibus inscriptam habebunt. Jer. 31. 33.

1. Cor. 14. 4. 2. 1. Cor. 14. 4. R. Id donum paucorum erat, qui verbum Dei sequebantur.

CONTROVERSIA. IV.

Rationi competit judicium discretionis in rebus fidei.

An quivis Christianus ex verbo Dei discernere & judicare debeat quæ sit vera Religio, atque eatenus sibi sit controversiarum judex? Affir. cont. Pontif.

Quænam in hac Controversia quorundam adversariorum mens sit, supra Loco 1. §. 11. exposuimus; simulque annotavimus, quòd homini Christiano circa res fidei tribuamus non *judicium decisionis*, sed *privatæ discretionis*, quod ita probamus.

ARGUMENTA.

1. Cor. 10. 15. 1. 1. *Cor.* 10. 15. Apostolus provocat ad judicium Corinthiorum. Ut *sapientibus loquor, ipsi judicate.*

2. 1. *Joh.*

2. 1. *Ioh.* 4. 1. Jubemur *probare Spiritus*, quod non potest fieri, nisi rationis beneficio. 1. Joh. 4. 1.

3. Oportet *explorare quæ discrepant. Rom.* 2. 18. *Phil.* 1. 10. *Et spiritualis omnia dijudicat.* 1. Cor. 2. 15. Rom. 2. 18. Phil. 1. 10.

OBJECTIONES.

1. *Labia Sacerdotis custodient legem. Malach. II.* 7. R. Pastorum quidem est publicè explicare, sed populi tamen examinare spiritus. 1. Joh. 4. 1. Mal. 2. 7.

2. *Ergo religio pendet à judicio uniuscujusque.* R. Non: Sed cujusque est videre, an ea religio quæ docetur, ex verbo Dei desumta sit? 2. S. Scriptura & judicium discretionis cujusvis Christiani subordinata sunt, non contraria, & sic ratio judicat semper secundùm Scripturam, tanquam normam primam & infallibilem.

3. *Scriptura non est privatæ interpretationis.* 2. *Pet. I.* 20. R. Apostolus non intelligit interpretationem *privatam subjective*, quæ à privato aliquo potest legitimè ex Scripturæ collatione erui; sed intelligit *privatam orginaliter*, ἰδίαν ἐπίλυσιν, propriam & singularem interpretationem, quæ ex cujusque cerebro & arbitrio oritur. 2. Pet. 1. 20.

XXIII. Verus sensus Scripturæ S. est unicus, qui cum mente Sp. S. circumstantiis loci, & analogia fidei convenit. Sensus Scripturæ unicus.

CONTROVERSIA.

An omnì in loco sint quatuor diversi sensus; literalis, allegoricus, anagogicus, tropologicus?

Neg. cont. Pontif.

Ut Pontificii præter Scripturam obtrudant alium judicem Controversiarum, Scripturæ sensum multiplicem & dubium affingunt, & distinguunt sensum in *literalem & mysticum. Mysticum* in tres partes distinguunt, *allegoricum, tropologicum, anagogicum. Allegoricum* vocant, quando historia S. transfertur ad res fidei, ut quod dicitur. Gal. 4. 22. de duobus fœderibus, ex Sara & Agare. *Anagogicum*, quum verba Scripturæ transferuntur ad res futuri Seculi, ut quod de requie dicitur. Heb. 4. 3. *Tropologicum*, quando transferuntur ad mores. Nos unicum tantùm genuinum sensum Scripturæ competere dicimus: sed sensus ille est vel simplex vel compositus. *Simplex* & *historicus* est,

qui unius rei Declarationem continet, absque ullius alterius significatione, qui vel præcepta vel historias spectat. Et hic rursus duplex, vel *proprius* & *grammaticus*, qui ex verbis propriis, vel *figuratus* & *tropicus*, qui ex verbis figuratis oritur. Sensus *compositus* seu *mixtus* est in oraculis, typi rationem habentibus, cujus pars est in typo, pars in antytypo, quæ non constituunt duos sensus, sed duas partes unius ejusdemque sensûs intenti à Sp. S. qui cum litera mysterium respexit, ut in isto oraculo. *Os non confringetis ei. Exod.* 12. plenus non potest haberi sensus, nisi cum veritate typi, seu agni paschalis, conjungatur veritas antitypi, Christi. Joh. 19. 36. Unicum verò esse Scripturæ sensum, probant sequentia

ARGUMENTA.

1. Veritas Scripturæ unica & simplex est, quæ proinde plures non admittit sensus, aliâs incerta & ambigua foret.

2. Unius rei unica tantùm est forma substantialis; at sensus est forma Scripturæ.

3. Scripturæ perspicuitas non admittit varios sensus alienos & diversos.

OBJECTIONES.

1. *Intellectus Dei est infinitus, qui plura simul complecti potest.* R. Dictorum significatio non metienda est à loquentis fœcunditate, sed ex certa & determinata ejus intentione: Deus quum intelligit, sibi intelligit, sed quum loquitur, non sibi, sed nobis loquitur, i. e. accommodatè ad captum nostrum, qui finitus est, nec plures simul sensus concipere potest.

2. *Spiritus S. sub una eademque voce multa simul connotare voluit.* R. Sed sibi subordinata, ita ut alterum alterius sit signum & figura, vel aliquam inter se connexionem & dependentiam habeant. Hinc oracula vetera plerumque tres χίσεις habuerunt, ad statum Legis in Ecclesia Judaica, ad statum gratiæ in Christiana, ad statum gloriæ in cœlis.

Ezech. 2. 20. Apoc. 5. 1.

3. *S. Scriptura est liber scriptus à fronte & à tergo, intus & foris. Ezech.* 2. 20. *Apoc.* 5. 1. R. Non significatur duplex unius Scripturæ sensus, sed multitudo eorum, quæ utrobique scripta erant, illic plagarum Judæis infligendarum, hîc verò Decretorum Dei.

4. *An E. non possint formari allegoriæ, tropologiæ, anagogæ,*

gogæ, &c. R. Hæc talia non sunt diversi sensus, sed variæ applicationes.

XXIV. Sensus mysticus vel est sacer, quem Spiritus S. per Scriptores Sacros proposuit, & qui propterea in ipsa Scriptura fundatur; Vel est Ecclesiasticus, qui à Scriptoribus Ecclesiasticis adhibetur, vel illustrationis, vel delectationis gratiâ, quod Philo Judæus primus tentavit, quem secutus est imprimis Origenes, qui modum planè excessit. Posterior ille sensus, licèt possit facere ad illustrationem, nullam tamen vim habet ad probationem: sed prior vim habet probandi fidei dogmata, quia authorem habet Spiritum S. Quod ergò vulgò dicitur: *Theologiam symbolicam non esse argumentativam*, valet tantùm in allegoriis & parabolis humanis, non divinis. Sensus mysticus.

XXV. A sensu literali proprio non temerè est recedendum, nisi is in fidei articulos & charitatis præcepta incurrat, & evidenter ex eodem vel aliis locis parallelis figuratus esse sermo deprehendatur. Figuratæ autem sermonis κριτήριον est. 1. Si verba propriè sumta vel nullum vel absurdum sensum fundunt. 2. Si analogiæ fidei repugnant. A sensu literali non temerè recedendum.

XXVI. Ad verum Scripturæ sensum indagandum hæc tria sunt necessaria; ἀνάλυσις, σύγκρισις, & ἀναλογία. *Analysis* triplex est, *grammatica*, quæ proprias, *Rhetorica*, quæ tropicas dictiones excutit, & *Logica*, quæ scopum & circumstantias observat, & ἀκολουθίαν verborum attendit. Σύγκρισις loca Scripturæ inter se confert, obscura cum apertioribus, similia cum similibus, dissimilia cum dissimilibus comparando. *Analogia fidei* significat constantem harmoniam & convenientiam omnium Capitum fidei, cui omnes expositiones conformes esse debent, ne quid articulis fidei, vel Decalogi Præceptis dissonum statuatur. Quænam sint necessaria ad verum Scripturæ sensum indaganda?

CONTROVERSIA.

An in Scriptura occurrant veræ contradictiones, seu loca ἄλυτα, quæ nulla ratione solvi & conciliari possint? Neg.

In Scriptura non occurrunt veræ contradictiones.

Hæc quæstio observanda est. 1. Contra *Atheos* & *Gentiles*, qui varia ἐναντιοφανῆ conquisiverunt, ad S. Scripturæ authoritatem convellendam, ut *Porphyrius*, *Lucianus*, *Julianus* Apostata; unde collegerunt, quædam loca habere

bere veras contradictiones, ἄπυρα. Contra *Enthusiastas*, *Pontificios*, *Libertinos*, qui varia ἄπυρα objiciunt ad Scripturæ authoritatem labefactandam. Nos contradictiones quidem apparentes occurrere non diffitemur, sed non veras & reales; loca quædam esse δυσνόητα, sed non ἄλυτα, quod probant sequent.

ARGUMENTA.

1. Quia Scriptura est θεόπνευστος. 2. Tim. 3. 16. *Verbum Dei mentiri nescij.* Ps. 19. 8. 9. Heb. 6. 18. quod *excidere & solvi non potest.* Matth. 5. 18. & quod est *ipsa veritas.* Joh. 17. 17. Quomodo verò hoc esset, si esset contradictionibus obnoxia?

2. Omnis ἀνυλογία in Scriptura vera non est, sed apparens, nostri tantùm respectu, &, si legitimæ contradictionis Leges observentur, ut opposita conveniant eidem, secundùm idem, ad idem, eodem tempore, facilè conciliari possunt omnia συναυλοφωνῆ

3. Quamvis non possemus statim invenire conciliationem planam inter loca Scripturæ, quæ e. g. de notis numericis & chronologicis agunt, non statim inter ἄλυτα reponenda sunt, vel, si ἄλυτα dicuntur, talia sunt reipsâ, sed τῇ ἀδυναμίᾳ τοῦ λύοντος. Historiæ enim illæ non cum omnibus circumstantiis, sed compendiosè scriptæ sunt, minùs necessariis omissis. Unde Petrus Martyr ad 1. Reg. 15. 1. rationem generalem ostendit, quomodo dubia illa, quæ in libris circa numerum annorum occurrunt, solvi possint. *Fit enim quandoque*, ait, *ut unus idemque annus duobus tribuatur, quod à neutro impletus fuerit; aliquando filij cum parentibus regnârunt aliquot annos, & illi nunc parentum, nunc verò liberorum regno adscribuntur: Contingebant etiam aliquando interregna, & vacuum tempus modò priori modò posteriori Regi attribuitur. Sunt etiam nonnunquam aliquot anni, quibus Principes tyrannice & impiè regnârunt, ideoque prætereuntur, neque cæteris annis imperij eorum accensentur.*

OBJECTIONES.

Luc. 3. 36. 1. *Luc.* 3. 36. *Cainan junior interseritur inter Arphaxad & Sala, contra Historiæ Mosaicæ Veritatem. Gen.* 11. 13. R. *Cainan* est spurius, qui ex versione 70. irrepsit; unde Paraphrasis Chaldaica illum omittit; Et *Beza*, *Usserius* & *Scaliger* testantur, eum in antiquissimis Exemplaribus non

non haberi. 2. Quicquid sit, non potest inde concludi contra authentiam Lucæ, quia corruptio non est universalis, & in qua non multum situm est.

2. *Varietas magna occurrit in Genealogia Christi, apud Matthæum. Cap.* 1. *& Lucam. Cap.* 3. R. Mirum non est, quia Matthæus instituit Genealogiam Josephi, cujus genus à Davide per Salomonem deducit: Lucas verò Mariæ genus per Nathanem, alterum Davidis filium, ad eundem Davidem refert.

3. *Jacobus vocatur pater Josephi apud Matthæum. Heli verò apud Lucam.* R. Nulla est contradictio: Nam Jacobus fuit pater naturalis Josephi, Heli verò civilis, quatenus fuit Pater naturalis Mariæ, cum qua Josephus matrimonium contraxit. Communiter verò Socer nomine Patris appellatur.

4. *Salathiel dicitur genuisse Zorobabelem. Math.* 1. 12. *&* 1. *Chron.* 3. 17. 18. *dicitur filius Pedajæ.* R. Nulla est contradictio, quia Salathiele extincto sine liberis, Pedaja frater potuit illi suscitare semen, juxta legem Leviratûs; Fuit ergo Zorobabel Pedajæ filius immediatus, Salathielis verò mediatus, quatenus illi suscitatus fuerat à fratre. Matth. 1. 12. & 1. Chr. 3. 17. 18.

5. 1. *Chron.* 3. 19. *Filii Zorobabelis dicuntur esse Meschullam & Hanania; Matth.* 1. 13. *verò Abiud. & Luc.* 3. 27. *Resa.* R. In libro Chronic. describitur filius Zorobabelis natu maximus, *Meschullam*, & alii, quorum progenies fuit præclara, ex quibus gubernatores & duces populi extiterunt. Vita verò *Abiud* & *Resæ*, qui fuerunt homines privati, propterea in Chronicis videtur omissa. 2. Alii dicunt, diversos fuisse Zorobabeles & Salathieles, ideo non mirum videri debere, si diversi sint eorum posteri. 1. Chr. 3. 19. & Math. 1. 13. Luc. 3. 27.

6. 2. *Sam.* 24. 24. *David dicitur emisse ab Arauna aream & boves siclis quinquaginta argenti. Et* 1. *Paral.* 21. 25. *mentio fit siclorum auri* 600. R. Dedit 50. siclos pro ea parte areæ, in qua altare primò ædificavit, sed postquam ex igne cœlitûs delapso cognovit, locum esse, quem Deus ad ædificandam domum selegerat, universum agrum & montem emit 600. siclis. 2. Sam. 24. 24. & 1. Par. 21. 25.

7. *Ibid. v.* 13. *proponuntur à Gade Davidi septem anni famis in pœnam. At* 1 *Paral.* 21. 12. *fit tantùm mentio trium.* R. Dicendum, vel, Gadem primò proposuisse septennium, quod postea ad preces Gadis vel Davidis ad triennium redactum 2. Sam. 24. 13. & 1. Par. 21. 12.

ctum fuerit, vel, in numero septenario, de quo agit liber Samuelis, includi tres annos famis, qui jam præterierant, quæ imposita fuit propter Gibeonitas, de qua 2. Sam. 21. 1. cum anno iabente: sed in lib. Chron. mentionem tantùm fieri trium annorum, qui venturi erant.

2. Reg. 21. 8. & 2. Chr. 36. 9.

8. 2. *Reg.* 21. 8. *Joachim dicitur regnum adiisse, quum annos* 18. *natus esset. At*, 2. *Chron.* 36. 9. *dicitur natus tantùm* 8. R. Anno 8. regnare cœpit cum Patre, pro more ejus temporis, ut designaretur legitimus Regni hæres. At anno 18. defuncto parente solus regnare incepit.

2. Chr. 21. 5. & 22. 2. & 2. Reg. 8. 26.

9. 2. *Chron.* 21. 5. *Joram, pater Achaziæ dicitur regnare cœpisse anno* 32. *ætatis, & regnâsse* 8. *annis, adeoque vixisset* 40. *annos. Achazias verò dicitur cap.* 22. 2. *cœpisse regnare ann.* 42. *ætatis, atque ita filius* 2. *annis antiquior Patre videretur. Rursus* 2. *Reg.* 8. 26. *dicitur cœpisse regnare ann.* 22. *non* 42. R. Joram, Pater Achaziæ præter annos regni & vitæ commemoratos in Scriptura vixit adhuc & regnavit 20. annos: Dicitur verò regnasse tantum 8. annis בתקפו *in fortitudine sua*, i. e. bene & feliciter: sed ab eo tempore, quo incidit in manus Arabum, & morbo gravi correptus fuit, de quo agitur c. 21. 16. 17. 19. Chronic. per plures annos vixit, qui non accensentur ipsius regno, sed Achaziæ filii in libro Regum, quia inglorius vixit, & nullum sui desiderium reliquit. 2. Paral. 21. v. ult. Achazias verò, qui cœpit regnare cum Patre a. 22. post mortem a. 42. solus regnum adiit, & per unum tantùm annum regnavit. 2. Paral. 22. 2.

1. Reg. 9. ult. & 2. Chr. 8. ult.

10. 1. *Reg.* 9. *v. ult. Servi Salomonis dicuntur attulisse ex Ophir auri talenta* 420. *At* 2 *Chron.* 8. *v. ult. recensentur* 450. R. De diversis itineribus sermo est, eò quod Salomon singulis tribus annis naves illuc mitteret, ex 1. Reg. 10. 22. vel, quia 30. talenta non ad Regem fuerunt perlata, sed in usum classis consumta.

Matth. 27. 9.

11. *Matth.* 27. 9. *Jeremiæ tribuitur Oraculum, quod extat apud Zachariam, c.* 11. 12. R. est σύγχυσις duorum locorum Prophetricorum, ex Jer. 32. & Zach. 10. 11. Non inusitatum verò, unius tantùm nomen exprimi, quando alter, qui citatur, antiquior est altero, ex quo postremus multa hausit, ut hic obtinet.

Gen. 11. 26. & Act. 7. 4.

12. *Moses. Gen.* 11. 26. *dicit, Abrahamum natum Tharæ anno* 70. *& Stephanus Act.* 7. 4. *asserit; Abrahamum translatum*

latum Charrane in Cananeam mortuo Thara. At certum ex Gen. 12. 4. *Abrahamum profectum fuisse Charane ætatis anno* 75. *& Patrem vixisse annos* 205. *ex Gen.* 11. 32. *Jam, si constat, Abrahamum natum esse anno* 70. *Tharæ, & profectum Carrane anno ætatis suæ* 75. *non profectus erit post mortem Patris, ut ait Stephanus, sed* 60 *annis ante. i. e.* 145. *anno ætatis Tharæ.* R. Nodus hic optimè solvitur, si statuamus duas vocationes Abrahami, prima ex Ur Chaldæorum Caranem, vivente adhuc Patre, & agente annum 145. ipso verò Abramo 75. annos nato, de qua Moses, Gen. 11. 3. & 12. 1. Altera post mortem Patris, Carrane in Canaan, quæ videtur insinuari Gen. 12. 4. 5. Quod etiam Stephanus apertè indicat. Act. 7. 4.

13. *Gen.* 46. 27. *Septuaginta Israëlitæ in Ægyptum descendisse dicuntur, cum Act.* 7. 14. 75. *numerentur.* Quidam dicunt, librariorum incuriâ scriptum esse πάντε, pro πάντες. 2. Quidam nullam esse discrepantiam volunt, quia loca non sint parallela; Mosen se instituere genealogiam Jacobi, sive catalogum solorum posterorum, qui ex femore egressi erant, & ingressi in Ægyptum cum eo, exceptis uxoribus filiorum, & sic dicuntur fuisse 66. v. 26. qui numerus ut inveniatur, excludendi sunt ab eo Josephus & duo filii, qui non ingressi sunt cum ipso in Ægyptum, quia jam ibi erant, & Er & Onam, qui mortui sunt in Canaan, & addenda Dina filia, nam integer numerus filiorum & nepotum Jacobi ascendit ad 71. è quo si demas quinque, restabunt 66. At v. 27. Mosen texere catalogum totius familiæ, tam eorum qui ingressi sunt cum ipso in Ægyptum, quàm eorum qui ibi jam erant, i. e. Josephi cum duobus filiis, quibus si addas Jacobum familæ caput, habebis numerum 70. Stephanum verò docere voluisse, quosnam Josephus in Ægyptum advocaverit, propterea Josephum cum duobus filiis suis excludere, & duos Judæ nepotes, de quibus v. 12. qui nati sunt tantùm in Ægypto, Jacobum verò seorsim numerare, à συγγενείᾳ sua eum distinguendo. Ita restare 64. nim. 11. fratres, filios Jacobi, cum Dina sorore, 52. nepotes quibus si addantur 11. uxores filiorum, quæ ad τῷ συγγενείαν pertinebant, haberi numerum 75. animarum.

Genes. 46. 27. & Act. 7. 14.

14. *Act.* 7. 16. *Stephanus dicit de Patriarchis quòd translati sint in Sichem, & positi in monumento, quod emit Abraham pretio argenti, à filiis Emmor* τῦ Συχέμ. *At, ex Gen.* 23. 9. *con-*

Act. 7. 16. & Gen. 23. 9.

23. 9. *constat, Abrahamum emisse sepulchrum ab Ephron, juxta urbem Hebron, & ex Gen.* 33. 19. *& Jos.* 24. 32. *non Abrahamum, sed Jacobum à filiis Emmor agrum emisse, non argento, sed* 100. *agnis.* R. Hic Stephanus non respicit ad illam emptionem Abrahami, de qua agitur Gen. 23. 9. Sed ad illam Jacobi, de qua Gen. 33. 19. Nec obstat. 1. Quòd mentio fit Abrahami, non Jacobi. Abraham enim sumitur paronymicè pro *Abrahamide*, i. e. pro Jacobo, Abrahæ nepote; ut David pro Roboamo nepote ponitur. 1. Reg. 12. 16. *Quæ nobis portio est cum Davide?* &c. Nec 2. quòd Patres dicuntur translati in Sichem, cùm Josephus tantùm ibi legatur sepultus. Loquitur enim Stephanus in plurali per enallagen numeri,
Math. 26. 8 vel per Synecdochen integri. Sic Matth. 26. 8. murmurare dicuntur discipuli, quod de solo Juda intelligendum, ut patet ex Joh. 12. 11. & Math. 27. 44. Latrones dicuntur ob-
Luc. 23. 39. locuti Christo, quod de uno intelligendum. Luc. 23. 39. Et, licèt non expressè indicat Moses, tamen alios fratres Josephi ibidem sepultos fuisse, facilè colligitur quia omnium eadem erat dignitas. Nec obstat 3. quòd Jacobus dicitur emisse agrum centum agnis apud Mosen, apud Lucam verò pretio argenti: Nam vox Hebr. קשישה non minùs nummum quàm agnum notat, quia nummi tum signabantur imagine agni.

LOCUS. III.

DE

DEO.

I. DEus est. 1. Ens independens. 2. A quo dependent omnia. 3. Quod reliquorum omnium curam gerit.

CONTROVERSIA.

An sit Deus, sive tale Ens perfectissimum?

Affir. c. Atheos.

Primò debemus scire *quòd sit Deus*, adversus Atheos, respectu

ſpectu exiſtentiæ: Secundò *quid ſit*, adverſus Ethnicos, ratione naturæ & attributorum. Tertiò *quis ſit*, adverſus Judæos & hæreticos, ratione perſonarum. Duæ priores partes agunt de Deo ἁπλῶς conſiderato, poſtrema de eo ſpectato πρός τι, relate ad perſonas. Hic agitur de primo. Deum eſſe probatur.

ARGUMENTA.

1. *Ab Eſſentia Creaturarum.* Ubi eſt ens creatum, dependens, ibi neceſſe eſt ſit creator, & ens primum, independens.

2. *A principio Creaturarum.* Omnes Creaturæ principium habuerunt, idque ipſis datum à Deo. Unde gallina? Unde ovum? neceſſe eſt alterutrum ſit creatum à Deo.

3. *Ex miraculis naturæ*, conſtanti ordine, motu ſolis, lunæ & aſtrorum, hyeme & æſtate, &c. Quæ omnia nonniſi ab infinita ſapientia eſſe poſſunt.

4. *Ex rerum omnium tendentia ad finem.* Nam cùm omnia entia naturalia finis alicujus gratiâ agant, & multa ſint inanimata & ἄλογα, neceſſe eſt, ab alio, ſc. ad ipſo authore & rectore naturæ dirigantur.

5. *Ab homine ipſo.* Unde enim Corpus omnibus membris conſtructum tam mirabiliter? Unde mens tot facultatibus & dotibus inſtructa?

6. *A conſcientia ipſa.* Unde enim conſcientia commiſſo ſcelere angitur, etiam in occulto, & remotis arbitris, etiam in illis, qui in ſupremo faſtigio ſunt conſtituti, qui nullum hominem curant?

OBJECTIONES.

1. *Multa in mundo ſunt inutilia, ut, montes ignivomi, ſcopuli naufragi, herbæ venenatæ*, &c. R. Ex his omnibus gloria Creatoris elucet.

2. *Bonis Dei cultoribus multa mala eveniunt, & contemtoribus bona.* R. Hinc elucet Dei ſapientia, omnia ad ſuam gloriam & fidelium ſalutem convertente.

3. *Bonum infinitum deberet tollere omnia mala.* R. Neg. Quia eſt agens liberrimum, non neceſſarium, & ſapientia ac omnipotentia ejus exinde manifeſtatur, ſi ex malo bonum elicit.

4. *Aſtuti homines Deum eſſe dixerunt, & commenti ſunt, ut animis hominum terrorem incuterent, eosq; ſibi obſequentiores haberent.* R. Neg. Nam id nunquam obtinuiſſent niſi jam

prius persuasione de Deo imbutæ fuissent hominum mentes; ex qua velut semine emergit ad Religionem propensio. 2. Quis credat, paucorum vi vel astutiâ diffusam esse per omnes orbis partes constantem illam opinionem, quæ tantopere vexat conscientias, etiam in sceleribus absconditis?

An dentur Athei. Eph. 2. 12.

5. *Si tam solidè potest demonstrari, Deum esse, cur ergo dantur athei, ut gentes. Eph.* 2. 12. R. 1. Athei *speculativi*, qui nullum prorsus Deum agnoscant, non dantur, sed *Practici*, qui ita vivunt, ac si Deus non esset: Dantur *externè disputantes*, & internè ad tempus *dubitantes*, sed non dantur, qui expresè hoc corde credant, & ore profiteantur. Dantur, qui omni studio sensum numinis suffocare conati sunt; non dantur, qui intus planè persuasi sint, Deum non esse. 2. Gentes verò dicuntur ἄθεοι, non quòd nullum prorsus numen agnoscerent, sed quòd veri numinis notitiâ destituerentur; nam qui verum Deum non habet, eo ipso nullum Deum habet.

II. Quatuor de Deo cognoscimus. 1. Nomina. 2. Essentiam. 3. Personas. 4. Opera.

Nomina Dei.

III. Nomina Dei Hebræa sunt. יהוה contractum יה, אדני: אלהים: אל שדי: Græca Θεὸς, Κύριος, Δεσπότης.

CONTROVERSIA. I.

Nomina Essentiæ, &c. recte Deo tribuuntur.

An nomina Essentiæ, Substantiæ, Subsistentiæ, Personæ, Trinitatis, ὁμοουσίου, rectè de Deo prædicentur? Aff. c. Anabapt.

Essentiæ vox.

Οὐσίας, *Essentiæ*, seu *naturæ* vox in Scriptura non semel innuitur, quum Deus dicitur ὁ ὤν. Exod. 3. 3. Apoc. 1. 4. quum Deo tribuitur θεότης. Col. 2. 9. φύσις, Gal. 4. 8. θεία φύσις. 2. Pet. 1. 4.

Substantia.

Substantia Deo tribuitur à Patribus, non quatenus dicitur à substando accidentibus, sed à subsistendo, quia per se & à se subsistit: Quidam verò usi sunt hac voce pro subsistentia, tres in divinitate substantias agnoscentes; quidam verò pro natura & Essentia, unam tantùm in divinis substantiam agnoscentes.

Subsistentia.

Subsistentia, Gr. ὕπαρξις, modum subsistendi, seu personalitatem notat; aliud est quàm *existere*, quod dicit tan-

tantùm actu esse extra suas causas, quod in accidentia etiam cadit. Sed *subsistere* notat modum existendi proprium substantiis. *Subsistentia* autem duplex vulgò statuitur, alia, quâ constituitur Substantia in esse substantiæ, alia, quâ constituitur in esse suppositi; *illa* explicari solet per *independentiam à subjecto*, quæ competit omnibus substantiis, tam completis quam incompletis; *ista* per *incommunicationem*, seu *incommunicabilitatem*, quatenus Substantia singularis neque est pars, neque adjunctum alterius, quæ si sit intellectualis, vocatur *persona*. *Illa* est ipsa substantiæ existentia; *Ista* verò superaddit modum aliquem existentiæ substantiæ singularis, qui modus entitativus dicitur, ultimò terminans & complens naturam substantialem, atque illi dans incommunicabilitatem, ut subsistere hoc sensu sit naturæ singularis, ultimò completæ & incommunicabilis. Priorem Subsistentiam habet humanitas Christi; Hic verò vox subsistentiæ secundo sensu sumitur.

Vox ὑπόστασις magnarum turbarum olim occasionem præbuit inter Orientales & Occidentales, Græcos & Latinos, quorum illi hanc vocem *strictè* sumebant, pro rei subsistentia, & suppositò, hi verò *latè* pro ipsa substantia. Tandem obtinuit Græcorum sententia, ex Scriptura, quæ vocat filium characterem ὑποστάσεως Patris, personam filii cum persona patris conferens. ὑπόστασις.

Hinc patet, quid nomine *personæ* intelligendum? Nam quod apud Græcos hypostasis, id apud Latinos est *Persona*, non prout vox à scena petita est, & histrionum larvam notat, uti histriones larvati, personati olim dicebantur, &c. Sed propriè & strictè, prout designat suppositum intellectuale. Persona.

Vox *Trinitatis*, licèt in abstracto non extet in Scriptura, legitur tamen in Concreto, 1. Joh. 5. 7. ut non opus fuerit Pontificios illam ex Traditione arcessere, ad causam fidei hæreticis prodendam. Trinitatis nomen.

Τὸ ὁμοούσιος origo petenda est ex hæresi Ariana; cùm enim variis modis elabi conaretur Arius, fatendo, Christum esse Deum, sed creatum, genitum, Essentiam divinam habentem dependentem & participatam, tandem Orthodoxi in Concilio Nicæno dixerunt: Christum esse ὁμοούσιον Patri, ejusdem naturæ & Essentiæ: Criminabantur Ariani; Hanc vocem recens esse inventum Patrum Nicænorum, quos propterea ὁμοούσιον.

pterea *Homousianos* vocabant. Cùm verò Ariani se constringi viderent, conati sunt unius literulæ additione omnem vim istius vocis intervertere, agnoscentes, filium Patris ὁμοιούσιον, i. e. similis Essentiæ, sed non ὁμούσιον. Hinc in Concilio Arimin. simpliciores ab Arianis decepti, τὸ ὁμοιούσιον in locum τοῦ ὁμουσίου reponendum consenserunt, unde Ariani Catholicos in suas partes transiisse gloriabantur, sed alii constanter restiterunt, & Athanasius fucum detexit.

μονούσιον. πανθούσιον.

Vocabulum verò ὁμούσιον usurpatum est potiùs quàm μονούσιον vel πανθούσιον, quia hæc duo postrema possent usurpari positâ tantùm unâ hypostasi cum Sabellio. Nam μονούσιον potiùs eum notat, qui unam habet Essentiam, quàm qui est ejusdem Essentiæ cum alio, πανθούσιον potest etiam designare eum, qui Essentiam habet à seipso, non ex alterius communicatione.

ἐμπεριχώρησις.

Ἐμπεριχώρησις, mutua circumplexio, seu inexistentia notat intimam personarum inter se unionem, quæ ex Scriptura non obscurè colligi potest, quum filius dicitur esse in Patre, & Pater in filio, Joh. 10. 38., & 14. 13.

Proprietates.

Voces *Proprietatis*, *Relationis*, *Notionis*, sano sensu locum quoque habere possunt. *Proprietates* notant peculiarem modum subsistendi, quo hæc vel illa persona constituitur, & ab aliis distinguitur. *Relatio* innuit, eandem proprietatem, quatenus dicit πρός τι unius personæ ad aliam. *Notio* eundem characterem designat, quatenus designat personam unam esse distinctam ab alia. Proprietates tres statuuntur; Paternitas, filiatio, spiratio: Quatuor Relationes; Paternitas, filiatio, spiratio activa & passiva. Quinque notiones: ἀγεννησία, paternitas, filiatio, processio tam activa quam passiva.

Relatio. Notio.

Actus notionales.

A notione oriuntur *actus notionales*, qui distinguendi sunt ab Essentialibus, qui fluunt à proprietatibus Essentialibus, & terminantur ad extra, suntque communes tribus personis. Notionales verò proficiscuntur à proprietatibus personalibus, & terminantur ad intra, ut, generatio, & spiratio.

Hæc omnia tenenda ob Hæreticorum importunitatem, qui, ut rem ipsam possint convellere, voces ipsas tanquam peregrinas eliminare sunt conati. Equidem si de reipsa consensus esset, de vocibus non multum esset laborandum.

Et

Et hoc sensu intelligenda sunt Calvini verba, quæ tam odiosè traducuntur à Pontificiis & Lutherianis. l. 1. Inst. c. 13. 5. Utinam sepulta essent nomina Trinitatis, ὁμοουσίος. &c. Verùm terminos illos licitos esse probant sequentia.

ARGUMENTA.

1. *Ab utilitate*, quia faciunt ad pleniorem explicationem, & hæresium oppugnationem.

2. *A necessitate*, ut Scripturam possimus interpretari, ad usus diversos applicare, & contra hæreticos vindicare.

3. Usurpatur vox peccati originalis, Sacramenti, &c. quæ etiam non extant αὐτολεξεὶ in Scriptura.

OBJECTIONES.

1. *Oportet servare* ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων. 2. *Tim.* 1. 13. R. i. e. oportet tenere veram docendi rationem, fidei analogam, non tumidam. 2. Tim 1. 13.

2. *Non oportet* ἑτεροδιδασκαλεῖν. 1. *Tim.* 6. 3. R. Sensus est: Non oportet docere ἕτερα, i. e. à veritate aliena. 1. Tim. 6. 3.

3. Καινοφωνίας *damnantur.* 1. *Tim.* 6. 20. R. Novitas verborum vana & exitialis, non utilis & necessaria. 1. Tim. 6. 20.

4. *De Deo non est loquendum nisi cum Deo.* R. Quoad res in verbo contentas, non quoad verba, aliàs modò esset loquendum linguâ Hebræâ, in qua Deus locutus est.

5. *Verba Scripturæ sufficiunt, neque humanis vocibus opus est.* R. Illa etiam Scripturæ verba sunt, quorum concreta, origines, & similia in ea habemus.

CONTROVERSIA. II.

An Jehova sit nomen Deo proprium, quod nulli Creaturæ in Scriptura communicatur? Nomen Jehovæ soli Deo Proprium.

Aff. cont. Soc.

Sociniani, ut argumentum quod petere solemus ex hoc nomine, ad divinitatem Christi asserendam, eludant, pertendunt, nomen hoc etiam creaturis communicari. Quidam inter Orthodoxos nomen hoc nulli personæ creatæ competere fatentur, usurpari tamen dicunt respectu arcæ fœderis, per metonymiam adjuncti. Sed consentiunt omnes, nomen hoc absolutè & sine tropo acceptum, soli Deo proprium esse. Nihilominus tutius statuere, hoc nomen nulli prorsus creaturæ tribui.

ARGUMENTA.

Es. 42. 8. Exod. 15. 3. 1. Deus hoc nomen tanquam proprium sibi vindicat: *Ego sum Jehova, hoc est nomen meum. Ies.* 42. 8. Unde *Exod.* 15. 3. *Israël canit: Jehova nomen ejus.*

2. Etymon & significatio vocis talis est, ut soli Deo conveniat. Hoc nomen enim significat. 1. *Æternitatem & independentiam*, quatenus Deus independenter per se existit, ut ipse dicit. Exod 3. 14. *Sum qui sum.* Unde vocatur ἐὼν, ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Apoc. 1. 4. 2. *Causalitatem & efficaciam*, quia Deus est per se ipsum, ut omnibus aliis sit causa essendi. Esaj. 44. 24. 3. *Immutabilitatem, & Constantiam in promissis*; Deus enim non solùm ὢν τοὼν, sed ἐστιὼν & ἐστιοποιὸς; quo sensu Exod. 6. 2. dicit se non innotuisse Patribus sub nomine Jehovæ, non quoad vocem significantem, nam contrarium patet ex libro Geneseos; sed rei significatæ respectu, quia nondum dederat esse promissionibus suis de multiplicatione seminis, eductione populi ex Ægypto, introductione in Canaan. &c. Exod 6. 2.

3. Jehova nunquam scribitur cum ה demonstrativo, semper in numero singulari, nunquam cum affixo, aut in statu constructo ponitur.

OBJECTIONES.

Gen. 16. 13. & 18. v. 13. 1. *Hoc nomen tribuitur angelo. Gen.* 16. 13. & 18. 13. R. Intelligitur angelus fœderis, Christus, quod patet, ex effecto, quod est, multiplicare semen. Gen. 16. 10. Et Gen. 18. 25. vocatur Judex totius terræ. *Inst.* 1. *Paulus. Heb.* 13. 2. *allegando historiam Abrahami mentionem facit angelorum, non Jehovæ; dicit, quòd per hospitalitatem quidam angelos exceperint.* R. Paulus non respexit ad apparitionem Abrahamo factam, Gen. 18. sed ad eam, quæ contigit Lotho. Gen. 19. *Inst.* 2. Ἀσύστατον *est, esse angelum Jehovæ, & ipsum Jehovam.* R. Neg. quia quoad prius Jehova sumitur hypostaticè, quoad posterius Essentialiter. Heb. 13. 2.

Exod. 17. 15. 2. *Exod.* 17. 15. *Altare vocatur Jehova.* R. Tantùm est inscriptio altaris: Jehova vexillum meum.

Jer. 23. 6. 3. *Hierosolyma vocatur Jehova. Jer.* 23. 6. R. Imò potiùs is, qui vocaturus est Jerusalem ad salutem.

Exod. 32. 5. 5. *Vitulus aureus vocatur Jehova. Exod.* 32. 5. R. Neg. Nam Aaron promulgat festum celebrandum Jehovæ per vitulum, quod esset symbolum veri Dei, juxta morem Ægyptio-

Ægyptiorum, apud quos Apis colebatur sub forma bovis, unde v. 4. mentio fit Deorum, qui eduxerunt populum ex Ægypto.

CONTROVERSIA. III.

An nomina Dei, Θεὸς, Elohim, &c. Essentiam Dei notent, an verò tantùm imperium, potestatem, aut officium? Aff. prius. Neg. Post. contra Socin.

Nomen Θεὸς, Elohim, Essentiam notant.

Quisnam sit scopus Socinianorum, patet, nempe ut infringant nostra argumenta pro Deitate Christi ex his nominibus ipsi tributis, adducta. Quæstio verò non est de qualicunque horum nominum usu, sed de iis in prima notione, & propriissima significatione sumtis.

ARGUMENTA.

1. Gal. 4. 8. Mentio fit eorum, qui naturâ non sunt Dii. E. è contra verus Deus naturâ Deus est, non propter imperium & potestatem. Gal. 4. 8.

2. Vocabulum Deus non deducitur ab alio nomine aut verbo, muneris alicujus functionem significante, ut quidem *Imperator* ab imperando, *Rex* à regendo.

3. Nec abstractum ejus *Deitas* formaliter officium exprimit, sed ipsam *naturam* Entis perfectissimi; nam procul dubio synonyma sunt *Deitas* & *natura* vel *forma Dei*.

4. Neque supponitur aliud nomen ipsam naturam significans, cui deinceps superaddatur hoc nomen Deus, tanquam denotans ejus officium. Sic homo aliquis, puta Carolus, &c. est Rex.

OBJECTIO.

Magistratus vocantur Dij, ratione officij ac potestatis, non ratione naturæ. R. Magistratus isto nomine non appellantur propriè, sed propter qualemcunque similitudinem analogicam. Vulpes metaphoricè dicitur de homine vafro, atque tunc qualitatem notat, non naturam, verùm inde nequaquam sequitur, etiam in usu proprio non significare naturam, sed qualitatem.

IV. Attributa Dei sunt perfectiones ejus, quæ declarant qualis sit. Attributa Dei.

V. Attributa Dei sunt vel *communicabilia*, vel *incommunicabilia*. *Illa* sunt, quorum similitudo, vel subobscura Communicabilia.

quædam vestigia in Creaturis deprehenduntur, ut; *bonitas*, *justitia*, *sapientia*, &c. Hæc sunt, quæ ita Deo sunt propria, ut eorum nihil simile vel analogum in creaturis reperiri possit, ut, *Infinitas*, *immensitas*. Dicuntur verò attributa communicabilia non per *communicationem Essentialem & formalem*, per intrinsecum esse rei, sed per *similitudinarem & analogicam*, quia Deus in Creaturis effecta analoga proprietatibus suis producit.

Incommunicabilia.

VI. Omnia tamen hoc modo in Deo sunt. 1. In concreto & abstracto. Deus est bonus & bonitas, lux. 1. Joh. 1. 5. Atque ideo ut in Deo sunt, ita 2. in Deo reperiuntur. 1. Tim. 1. 17. solus sapiens. 3. Ut omnia de se mutuò affirmari possint. Potentia est æterna, æternitas est potens, infinita, sancta, &c.

VII. Proprietates divinæ distinguuntur ab Essentia tum νοηματικῶς, quoad *conceptum formalem* diversum, tum etiam *objective* & *effective*, quoad varia objecta & effecta externa: Unde patet, distinctionem illam non esse *realem* simpliciter inter res & res, nec *formalem* tantùm, ratione nostri modi concipiendi, sed *eminentem*, quæ, licèt se non teneat à parte rei ut inter rem & rem, habet tamen fundamentum in re, propter diversitatem objectorum & effectuum. Quod observandum contra *Socinianos*, qui, ut facilius probent Spiritum S. non esse personam divinam, etsi vocetur virtus Dei, volunt, attributa Dei ab Essentia realiter distingui.

Proprietates divinæ quomodo distinguantur ab Essentia.

VIII. Attributa Dei procul dubio innumera sunt: Nobis tamen potissimùm revelatum est, quòd sit Spiritus, unus, æternus, primus, infinitus, immutabilis, simplex, sapiens, &c.

IX. *Spiritualitas* est attributum, quo Deus sine mole est, id omne quod est.

Dei spiritualitas.

CONTROVERSIA.

An Deus sit Spiritus sine corpore, & membris corporis? Aff. contra Anthropomorphitas & Vorst.

ARGUMENTA.

1. Angeli Spiritus sine corpore sunt? non habent carnem & ossa. Luc. 24. 39. multò magis Deus, qui Spiritus dicitur Joh. 4. 24. & Pater Spirituum. Heb. 12. v. 9.

2. Deus non habet oculos carneos, Job. 10. 4. nec dormum

mum luteam incolit. Cap. 4. 18. 19. Nec corpori similis est. Jes. 40. 18. *Cui assimilabitis Deum, & quam similitudinem comparabitis ei?*

OBJECTIONES.

1. *Viscera, oculi, manus Deo adscribuntur.* R. Per ἀνθρωποπάθειαν, quia spirituali sua potentiâ talia agit, qualia homines corporali.

2. *Videri potest.* 1. *Joh.* 3. 2. R. Christus oculis Corporis, Deus mentis. 1. Joh. 3. 2.

X *Unitas* Dei est, quâ solus est id omne quod est Jes. 44. 8. Unitas Dei.

CONTROVERSIA.

An Deus sit unus? Aff. cont. Gentiles & Tritheitas.

Unus dicitur Deus. 1. Non tantùm quòd sit indivisus in se, & divisus à quolibet alio, quomodo individuum humanum est unum numero, sed *exclusive* ad omnes alios. Est unus, i. e. unicus, ut sol unus dicitur, quia est unicus. 2. Est unus non unitate *numerica personali*, sed *essentiali*; Dantur enim plures personæ, unica essentia.

ARGUMENTA.

1. A Scriptura. *Deut.* 6. 4. *Audi Israël, Jehova Deus noster Jehova unus est.* 1. *Cor.* 8. 4. 5. *Nobis unus est Deus, Pater ille, à quo omnia.* 1. *Tim.* 2. 15. *Unus est Deus, & unus mediator.* Deut. 6. 4. 1. Cor. 8. 4. 5. 1. Tim. 2. 15.

2. Ex ratione, quia implicat, plures dari infinitos, æternos, perfectissimos; aut enim essent æquales, & sic neuter esset perfectissimus & primus, vel inæquales, & sic inferior non esset Deus,

3. Hoc ipsis Ethnicis non fuit ignotum, quando mundi gubernacula uni summo Deo tradiderunt; quem Patrem hominum Deorumque vocant. Unde saniores ex Gentilibus πολυθεότητα rejecerunt, ut: Plato, Aristoteles, Epictetus, Cicero, Seneca, & alij.

OBJECTIO.

Unde ergo ortus polytheismus Gentilium? R. Tum inde, quia multiplici necessitate pressi multiplices quæsiverunt Deos, tum, quia nimis venerati sunt eos, qui humano generi beneficia præstiterunt, tum, quia perfectiones divinas in pluribus, quam in uno quæsiverunt.

Simplicitas Dei.

XI. *Simplicitas* Dei est, per quam natura Divina à nobis concipitur non solùm ut expers omnis compositionis & divisionis, sed etiam incapax componibilitatis & divisibilitatis.

CONTROVERSIA. I.

An Deus sit simplicissimus, & omnis Compositionis expers? Aff. c. Socinum & Vorstium.

Sociniani simplicitatem Deo secundùm Scripturam tribui posse negant, eum in finem, ut compositam statuendo Dei Essentiam, mysterium Trinitatis faciliùs labefactent. *Remonstrantes* hanc simplicitatem tanquam Doctrinam merè metaphysicam traducunt. *Orthodoxi* Deum simplicem esse dicunt, non tantùm *comparatè*, ut Cœlum & Elementa vocantur Corpora simplicia respectu mixtorum, &c. Sed *absolutè*, ita, ut in omni Entis genere excludat compositionem.

ARGUMENTA.

1. Ab ejus *independentia*: Nam, quicquid componitur, ab alio componitur.

2. Ab *unitate*, quæ dividi aut componi non potest.

3. Ab ejus *Perfectione*, quia compositio supponit potentiam passivam dependentem, mutabilitatem.

4. Ab *actuositate*, quia est actus purissimus, unde non tantùm nominibus concretis, sed etiam abstractis describitur, vitæ, lucis, veritatis, &c.

5. A *Remotione omnium specierum compositionis*, qualis est *Physica*, ex materia & forma, aut ex partibus quantitativis, aut ex subjecto & accidente. *Logica*, ex genere & differentia. *Metaphysica*, ex actu & potentia, ex Essentia & Existentia.

OBJECTIONES.

1. *Attributa plura & opposita sunt; misericordia, & justitia*, &c. R. Ut sunt in Deo, omnia unum & idem sunt, quæ nos cogimur diversis conceptibus imaginari.

2. *Decreta potuerunt non esse; Non verò ita Deus.* R. Actio decernens, quæ ipsa Dei Essentia est, non potuit non esse; verum sententia concluſa.

3. *In Deo plures sunt personæ.* R. Personæ non componunt essentiam, quia non sunt entia realia, quæ concurrant ad compositionem alicujus quarti, cùm unam habeant

ant communem Essentiam, sed tantùm modificationes, secundùm quas Essentia in tribus personis subsistere concipitur.

CONTROVERSIA. II.

An Deus in compositionem veniat cum ullis rebus creatis, ut rationem habeat partis alicujus, vel materiæ, aut formæ? Neg. c. Platonicos & Manichæos.

Deus in compositionem venire non potest cum ullis rebus creatis.

Platonici Deum esse animam mundi volebant, & *Manichæi* creaturas omnes ex Dei Essentia, ceu traduce quodam propagatas esse pertendebant. Contra hos pugnant sequentia

ARGUMENTA.

Deus est diversissimus à creaturis. E. cum illis in compositionem venire non potest.

2. Deus est immutabilis & incorruptibilis, qui non potest cum ulla re creata mutabili & corruptibili coalescere in unum, quia omnis compositio infert mutationem per quam res fit pars totius, quod antea non erat.

OBJECTIONES.

1. *Omnia sunt ex Deo. Rom.* 11. 36. R. Hoc non ὑλικῶς & materialiter, sed δημιουργικῶς, & efficienter intelligendum est. Rom. 11. 36.

2. *Genus & progenies Dei sumus.* Act. 17. 28. R. Non participatione ejusdem Essentiæ, sed similitudine imaginis, *efficienter*, non *essentialiter*, quomodo etiam vocatur Pater Spirituum. Heb. 12. 9. respectu creationis non compositionis. Act. 17. 28.

XII. *Æternitas* Dei est, qua Deus sine principio & sine est id omne quod est. Æternitas Dei.

CONTROVERSIA.

An in æterna Dei existentia sit successio prioris & posterioris? Neg. c. Socin.

Quæstio non est: An Deus sit sine principio & sine fine, hoc enim Socinus & Vorstius negare non audent: sed An æternitas Dei sit immunis à successione, vel, an subjaceat temporum differentiis: Nos Deum ab omni temporis differentia, & non minùs à successione, quam à principio & fine esse immunem, statuimus.

AR-

ARGUMENTA.

Ps. 102. 27. 1. Deus dicitur *permanere citra omnem mutationem.* Ps. 102. 27. *& semper idem esse. v.* 28. Non verò semper idem est, cui singulis momentis per prius aliquid decedit, & per posterius aliquid accedit. Huc pertinet, quòd Jacobus dicit. Cap. 1. Epistolæ, v. 17. *Penes Deum non esse mutationem, vel mutationis obumbrationem.*

Jac. 1. 17.

Jes. 41. 4. 2. Deus est *primus & novissimus. Esaj.* 41. 4. *Alpha & omega. Apoc.* 1. principium sine principio; quod autem est sine principio, est etiam sine successione, quia successio pendet ex principio, & ordinem dicit secundùm prius & posterius.

3. Deus est summè simplex & immutabilis, ideoque mutationem prioris in posterius respuit.

4. Huc facit quod à Scholasticis vera æternitas describi solet per *interminabilem vitæ totam simul & perfectam possessionem, & per nunc stans, non vero fluens* concipi debeat. Ratio est, quia de vita Dei sicut de nostra nihil cum tempore effluit, sed Deus quovis momento simul habet, quicquid divisim per successum temporis habemus.

OBJECTIONES.

Apoc. 1. 4. 1. *Apoc.* 1. 4. *Deus est, fuit, & erit.* R. Hæc dicuntur non formaliter, sed eminenter & ἀνθρωποπαθῶς, non divisè, sed indivisè, quia Dei æternitas omnia tempora simul complectitur.

Dan. 7. 9. 2. *Anni Deo tribuuntur. Dan.* 7. *v.* 9. R. Tribuuntur Deo non propriè, sed antropopathicè, quia nos, qui in tempore versamur, nihil possumus concipere, nisi per χρόνον, ad tempus in quo sumus.

Ps. 90. 4. 3. *Mille anni sunt coram Deo sicut unus dies. Psalm.* 90. 4. R. Non tantùm agitur de æstimatione, quod Deus non pluris faciat mille annos, quàm diem unum, sed etiam de collatione nostræ durationis cum divina, ut innuatur, Deum non nostro metiendum pede, quasi tardaret promissio ejus, etsi seriùs nostro judicio impleatur, quia Deus non subjacet ullis temporis differentiis, sed mille anni coram Deo sunt instar unius diei.

4. *Ergo omnia tempora simul existunt in æternitate.* R. Etsi æternitas coëxistat omnibus temporum differentiis, non sequitur easdem inter se coëxistere, quia non coëxistit illis simul sumtis, sed divisim existentibus, & sibi invicem

cem succedentibus: Sic præteritum dum fuit, coëxtitit æternitati, præsens jam coëxistit, & futurum coëxistet.

XIII. *Primitas*, seu independentia Dei est, quâ Deus à nullo est id omne quod est, & creaturæ ab ipso sunt omne quod sunt. Primitas Dei.

XIV. Respectu hujus primitatis Deus dicitur esse à *seipso*, quod intelligendum est potiùs *negativè*, quia est à nullo, quam *positivè*, quasi esset sui ipsius causa, quod implicat, quia esset seipso prior & posterior. Quomodo Deus sit à se ipso?

XV. *Infinitas* Dei est, per quam natura divina concipitur à nobis ut carens omni termino & imperfectione, tum ratione *essentiæ* per *incomprehensibilitatem*, tum ratione *durationis*, per *æternitatem*, tum ratione *circumscriptionis*, quoad locum, per *immensitatem*. Infinitas Dei.

CONTROVERSIA.

An Deus sit infinitus ratione Essentiæ? Aff. c. Soc. & Vorst.

Non agitur hic de infinitate *impropriè dicta*, & quoad nos; ut numerus stellarum vel arenæ maris infinitus dicitur, sed de *infinitate propia* & in se; non de infinitate *syncategorematica*, & secundùm quid, de qua dicitur, non tot, quin plura, quomodo quantitas dicitur in infinitum divisibilis. Sed de *categorematica* & absoluta.

Huic infinitati intercedunt *Sociniani* & *Vorstius*, qui nolunt Deum esse actu infinitum simpliciter licèt respectu nostri sic sæpè dicatur. Contra hos militant sequentia

ARGUMENTA.

Scriptura hanc infinitatem prædicat. Ps. 145. 3. *Magnus est Deus, & laudabilis valde, & magnitudinis ejus finis non est.* Ita Tsophar apud Jobum c. 11. 7. *An profunditatem Dei invenies, aut ad perfectionem omnipotentis pervenies? altior est altissimis cœlis, quid agas? profundior inferno, quid cognoscas? longior terrâ mensura ejus, & latior mari.* Ps. 145. 3. Job. 11. 7.

OBJECTIO.

Beati sunt comprehensores. Phil. 3. 12. 1. *Cor.* 9. 29. R. Non, quòd accuratam, & omnibus numeris absolutam Dei cognitionem habeant, quæ objecto planè adæquatur; hoc enim sensu nulli possunt dici comprehensores, nec homines Phil. 3. 12. 1. Cor. 9. 29.

nes nec angeli, quia finitum non est capax infiniti. Sed, dicuntur comprehensores, quoad consecutionem & fruitionem plenam rei desideratæ, per χέιν ad eos, qui in stadio metam attingunt.

Immensitas & omnipræsentia Dei.

XVI. *Immensitas* Dei est, quâ Deus absque mensura & termino est omne quod est. Quæ immensitas distinguitur ab *omnipræsentia*, quòd illa absolutam & æternam in Deo dicit proprietatem; hæc verò notat habitudinem ad locum in tempore existentem.

CONTROVERSIA.

An Deus Essentiâ suâ omnibus mundi locis præsens sit? Aff. cont. Socin.

Sociniani cum *Vorstio* admittunt præsentiam quoad virtutem & operationem, sed negant eam quoad Essentiam, quum cœlo Deum contineri pertendunt. Orthodoxi Dei immensitatem & omnipræsentiam præcipuè etiam ratione Essentiæ credunt. Modum verò illius non curiosè inquirunt; hoc certò tenendum, eam non consistere vel in multiplicatione Essentiæ divinæ, vel in extensione & diffusione corporea, vel in contactu physico, sed in simplici, & nobis incomprehensibili essentiæ divinæ infinitate, quæ ita intimè adest rebus omnibus; ut & ubique sit in mundo, nec tamen mundo includatur.

ARGUMENTA.

Ps. 139. 7. 8. 9.

1. Ex Scriptura. *Ps.* 139. 7. 8. 9. *Quò irem à Spiritu tuo, quò à facie tua fugerem? Si scanderem cœlos, illic es, aut stratum ponerem in sepulchro, illic ades, si assumerem alas auroræ habitaturus in extremitate maris, etiam illuc manus tua deduceret me, & prehenderet me dextra tua.* Sic. *Ies.* 66. 1. *Hoc dicit Dominus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi?* ubi probat se templis manufactis includi non posse, non ratione ducta a distantia loci in quo sit ejus propria sedes, ut fingit Vorstius, sed à substantiæ suæ magnitudine, quæ universum mundum replet. Imò alibi protestatur se *cœlum & terram implere. Ier.* 23. 24. imò *cœlum cœlorum eum non capere.* 1. Reg. 8. 24.

Ies. 66. 1.

Exc.

Excipit Crellius. *Ista loca agere de omnipræsentia virtutis & efficaciæ, non essentiæ.* R. 1. Textus sonat de Essen-

Jer. 23. 24. 1. Reg. 8. 24.

Exc.

tia:

tia: *Tu* illic ades. *Ego* impleo cœlum & terram, cœli cœlorum *Te* non capiunt. 2. Eo modo debet esse in sepulcro vel inferno, quomodo dicitur esse in cœlo; aut ergo est ubique quoad Essentiam, aut nullibi quoad Essentiam. 3. Scopus Psalmi est ostendere, neminem occultari à Deo posse, ut non videatur ab ipso, quia nuspiam potest esse ubi Deus non sit. 4. Opponuntur componenda, nam præsentia potentiæ supponit necessariò præsentiam essentiæ.

2. Idem demonstrant ea loca, quæ docent, *Deum operari omnia in omnibus, & omnia sustentare verbo suo potenti Heb.* 1. 3. *& non longè abesse ab unoquoque nostrûm. Act.* 17. 27. 28. *quia in ipso sumus, vivimus, & movemur*; nam Spiritûs præsentia non certiùs potest cognosci quàm ab ejus operationibus, neque minùs impossibile est, ut quis immediatè aliquid efficiat, ubi non est, quàm quum non est. Heb. 1. 3. Act. 17. 27. 28.

3. Alioqui Christus in terris ambulans non fuisset verus Deus, vel tunc in cœlo verus Deus non fuit, sed Christus Deitatem de loco in locum secum traxit.

OBJECTIONES.

1. *Deus est in cœlo.* R. Hoc non dicitur exclusivè ad terram, sed, quia in cœlo tanquam palatio suo majestatem suam patefacit. Ideò & nos orantes oculos attollimus in cœlum, ut à terrenis corda nostra amoveamus, ut sciamus, cœlum esse thronum Dei, & habitaculum etiam nobis paratum.

2. *Contaminatur locis sordidis.* R. Neg. Quia ibi non est per contactum physicum, vel per commixtionem aliquam aut compositionem, sed ut causa rerum efficiens & conservans. 2. Si Deo indignum non fuit omnia etiam vilissima creare, cur indignum esset illis perpetuò adesse? Sol radiis suis loca sordida permeat, nec tamen illis inficitur, quantò minùs Deus?

3. *Deus longè abest ab impiis.* R. Quoad præsentiam specialem favoris & gratiæ, sed adest illis semper per præsentiam generalem essentiæ.

4. *Non erat in vento.* 1. *Reg.* 19. 11. R. Signis extraordinariis. 1. Reg. 19. 11.

5. *Deus ascendit, descendit.* R. Non respectu essentiæ, sed tantùm diversarum operationum.

XVII. Aliud est præsentiam Dei per operationem ad extra declarare & demonstrare à posteriori; aliud est Phrases re-

præ-

centiorum de omnipræsentia explicantur.

præsentiam Dei ipsâ operatione definire a priori, aut Deum non statuere præsentem, nisi per virtutem & operationem; Priùs ritè posse fieri concedimus, posteriùs verò negamus, quia operatio Dei ejus præsentiam supponit, & priùs concipi debet esse & existere, antequam concipiatur agere. Si qui sunt ergo ex Recentioribus, qui omnipræsentiam Dei ejus operatione definiunt, potest eorum sententia admitti, si priori sensu hoc intelligant, pro ejus manifestatione à posteriori; sed si hoc referant ad ejus constitutionem à priori, meritò rejicitur, ut Scripturæ contraria, & nimis accedens ad Socinianorum errorem.

Deus rectè dicitur ubique repletivè.

XVIII. Deus rectè dicitur ubique *Repletivè*, ad distinctionem τῦ ubi *Circumscriptivi*, quod Corporibus tribuitur, quæ in loco & spatio sunt, ut commensurentur partibus spatii, & τῦ ubi *Definitivi*, quod de spiritibus & substantiis incorporeis creatis dicitur, qui certis locis definiuntur, & ita hîc sunt, ut non sint alibi. Quamvis verò & *replere* videatur propriè pertinere ad Corpus, tamen cùm hic terminus longo usu receptus fuerit, & commodum possit obtinere sensum ex mente Sp. S. qui testatur, *Deum implere cælum & terram*, *Jer.* 23. 24. non videtur temerè rejiciendus.

Deus etiam est extra mundum.

XIX. Deus per immensitatem suam est etiam extra mundum, non quidem *positivè*, quasi concipienda sint spatia quædam extra mundum: quæ Deus repleat præsentiâ suâ, sed *negativè*, quatenus universa mundi non exhauriunt immensitatem Dei, ut illis contineatur: Est igitur nunc extra mundum in seipso, ut olim ante mundi creationem.

Quomodo Deus Creaturis præsens sit?

XX. Deus Creaturis ita præsens est. 1. Omnibus Essentiâ. 2. Piis etiam gratiâ. 3. Beatis gloriâ. 4. Impiis vindictâ. 5. Christo unione personali.

Immutabilitas Dei.

XXI. *Immutabilitas* Dei est, quâ Deus nunquam aliud est, nec esse potest, quàm quod est.

CONTROVERSIA.

An Deus sit immutabilis, & quoad Essentiam, & quoad Voluntatem? Aff. cont. Socin.

Hanc Dei immutabilitatem vellicant etiam adversarii, maximè eam, quæ circa actus voluntatis versatur, ita ut Deus possit jam nolle quod antea voluit, & velle nunc quod

quod prius nolebat. Nos cum orthodoxis omnimodam immutabilitatem illi tribuendam censemus, tam quoad naturam, quam quoad voluntatem.

ARGUMENTA.

1. Ex Scriptura. *Malach.* 1. 7. *Ego sum Jehova & non mutor. Ps.* 102. 26. *Cœli peribunt, tu autem permanes.* &c. *Jac.* 1. 17. *Apud Deum non est transmutatio, nec transmutationis obumbratio. Num.* 23. 23. *Deus fortis non est homo qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat; an ipse dixerit & non faciet? an locutus fuerit, & non præstabit illud? Jes.* 46. 10. *Consilium meum stabit, & omne beneplacitum meum implebo.* Mal. 1. 7. Jac. 1. 17. Num. 23. 23.

2. Rationibus id demonstratur: Nam Deus nec potest mutari in melius, quia optimus, nec in pejus, quia desineret esse perfectissimus. Adhæc omnes Causæ mutationis à Deo removentur, dependentia à priori, & potentia passiva, error mentis, & inconstantia voluntatis.

OBJECTIONES.

1. *Deus per creationem mutatus est.* R. Non, quia per eam Deus in seipso non aliter habet, quàm prius habuerat, sed ipsi tantùm accedit nova relatio.

2. *Deus prius volebat cultum Leviticum, jam non vult.* R. Aliud est mutare voluntatem, aliud, velle alicujus rei mutationem: Deus potest velle variarum rerum mutationem, ut institutionem & abrogationem cultûs Levitici, sed immutatâ manente ejus voluntate, quia ab æterno talem mutationem jam decrevit.

3. *Gen.* 6. 6. 8. *Deo tribuitur pœnitentia de creatione hominis, quæ non poterat infecta reddi.* R. Hoc intelligendum est non παθητικῶς, sed ἐνεργητικῶς, licèt enim quod fecerat non posset infectum reddi per non creationem, poterat tamen mutari per abolitionem. 2. Pœnitentia Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, sed intelligenda est θεοπρεπῶς, non ratione consilii, sed eventus, non voluntatis ipsius, sed rei volitæ, non affectûs & interni doloris, sed effectûs, & externi operis, quia facit, quod homo pœnitens facere solet. Gen. 6. 6. 8. Pœnitentia quomodo Deo tribuatur.

XXII. Intellectus Dei est facultas, quâ novit omnia quæ sunt & non sunt, erunt & non erunt. Intellectus & scientia Dei.

XXIII. Scientia Dei à creaturarum differt. 1. *Objectis,*

Deus novit omnia. 2. *Modo*, omnia per Essentiam. 3. *Gradu*, omnia perfectè.

CONTROVERSIA. I.

Deus novit futura contingentia.

An Deus futura contingentia, actionesque Creaturarum liberarum præsciat? Aff. cont. Socin.

Non quæritur de futuris quibusvis, & quæ habent Causam necessariam, de his enim non dubitatur. Sed de contingentibus, quæ habent Causam liberam & ἀδιάφορον; non respectu Causæ primæ, quo sensu etiam maximè necessaria sunt contingentia, quæ possunt esse & non esse, sed respectu Causæ secundæ contingentis; an Deus non indeterminatè tantùm & verisimiliter ea cognoscat, sed determinatè & certissime, quod negant *Sociniani*, ut faciliùs liberi arbitrii indifferentiam asserant, immunem etiam ab illa necessitate, quæ à Dei præscientia oritur.

ARGUMENTA.

1. Hoc probant sequentia loca. *Omnia sunt* τετραχηλισμένα, *nuda & intimè patentia oculis ejus.* Heb. 4. 12. *Domine, tu nosti omnia.* Joh. 21. 17. *Deus est major corde nostrò, & novit omnia.* 1. Joh. 3. 20. *Nota sunt Deo ab omni ævo omnia opera sua.* Act. 15. 18. Hinc dicitur *intelligere cogitationes nostras e longinquo, nôsse sedere & surgere nostrum, & sermonem nostrum, priusquam est in lingua.* Ps. 139. v. 1--7. Cons. *Jer.* 1. 5. *Antequam te formâssem in utero, jam cognovite.*

Heb. 4. 12. Joh. 21. 17. 1. Joh. 3. 20. Act. 15. 18. Ps. 139. v. 1--7. Jer. 1. 5.

2. Deus passim prædicit futura contingentia. E. ea novit, nam nisi nosset infallibiliter, non posset certò ea prædicere.

3. Deus alioqui nihil posset operari ad consilium voluntatis suæ, contra Paulum. Eph. 1. 11. Nam ut quicquid fit in tempore, Deus immutabiliter apud se decrevit vel efficere vel permittere, ita debet infallibiliter illud omne præscire; nam præscientia Dei sequitur ejus decretum, & ut decretum mutari non potest, ita nec scientia ejus falli.

OBJECTIONES.

1. *Futura contingentia non habent determinatam veritatem. E. eorum non potest esse certa & infallibilis scientia.* R. Non habent determinatam veritatem ratione causarum secundarum, sed bene ratione causæ primæ, quæ eorum futuritionem

nem decrevit, & cui omnia futura obversantur ut præsentia.

2. *Deus dicitur expectare uvas à vinea. Iesʃ.* 5. 4. R. Non quòd nesciret quid esset eventurum, sed humanitùs hoc dicitur, quòd seriò mandaret populo suo ut bonis operibus studeret, & ea esset natura bonorum collatorum, ut non minùs ex iis deberet fructum expectare, nisi incidissent in solum ingratum, quam sedulus agricola fructum solet expectare ex vinea ritè exculta. Iesʃ. 5. 4.

3 *Deus homines tentat, ut Abrahamum.* R. Deus tentat homines non ex ignorantia, sed ex sapientissimâ providentiâ, ut aliis declaret quod antea eos latebat. Ita tentavit Abrahamum, non ut cognosceret fidem & obedientiam ejus, quam antea ignoraret, cùm jam antea Gen. 18. 17. 18. Deus professus esset, se nôsse ejus pietatem, sed ut notam redderet mundo & Ecclesiæ insignem ejus fidem. Inst. *Gen.* 22. 12. *dicitur. Nunc cognovi, quòd times Deum.* R. Hoc non absolutè intelligendum est de cognitione quam Deus obtinuerit, sed transitivè de cognitione quam aliis dederit, ut sæpe verba similia usurpari solent in Scriptura. Gen. 22. 12.

4. *Deus Gen.* 18. 21. *descendit ad videndum an clamor Sodomæ verus esset.* R. Non sequitur eum antea ignorâsse impietatem Sodomæ, quia jam dixerat, clamorem Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatum esse; sed hoc ἀνθρωποπαθῶς dicitur, ut innuat, se boni & exacti judicis partes implere, & nihil temerè vel pronunciare vel exequi, ut judex accuratus in rem ipsam præsens inquirit, ne præcipitanter quid agat. Gen. 18. 21.

5. *Tollitur natura contingentiæ rerum.* R. Neg. Discrimen semper manet inter necessaria & contingentia, quòd illa habent necessitatem intrinsecam, quia oriuntur à causis proximis necessariis, & talia sunt in se; Contingentia verò, quæ licèt necessitatem habeant extrinsecam, ratione eventûs, tamen naturâ suâ per causas contingentes fiunt.

XXIV. Scientia Dei vulgò dividitur in *simplicis intelligentiæ*, seu *naturalem & indefinitam*; vel *liberam*, seu *visionis*, & *definitam*; *Illa* est rerum merè possibilium; *Ista* rerum futurarum. Scientia simplicis intelligentiæ & visionis.

CONTROVERSIA.

An præter Scientiam naturalem & liberam detur

Scientia media non datur.

In Deo scientia aliqua media? Neg. contra Jesuitas, Socin. & Remonst.

Jesuitæ ad tuendum liberi arbitrii idolum, & electionem ex prævisa fide & bonis operibus præter scientiam naturalem & liberam excogitârunt *mediam*, quam dicunt esse præscientiam Dei circa futura conditionata, quorum veritas non dependeat à Decreto Dei, sed à libertate creaturæ, quam Deus prævidit, quomodo se sit determinatura, si in tali vel tali rerum ordine collocaretur. Tantas lites quæstio illa inter *Jesuitas* & *Dominicanos* excitavit, ut nec Papa hucusque eas dirimere potuerit. Contra hanc scientiam mediam pugnant sequentia.

ARGUMENTA.

1. Scientia naturalis & libera omnia scibilia complectuntur; & entia non sunt multiplicanda sine necessitate; nihil enim est, quod non sit possibile aut futurum; nec tertium ordinem constituere possunt futura conditionata; nam vel talia sunt ex conditione duntaxat possibili, nunquam tamen eventura, vel ex conditione certò futura & decreta: priori modo non egrediuntur naturam possibilium, & pertinent ad scientiam naturalem, posteriori futura sunt, à Deo decreta, & ad scientiam liberam spectant.

2. Quæ vera non sunt, non possunt præsciri ut vera; at futura conditionata non sunt vera, seclusâ voluntatis divinæ determinatione, quia nullus effectus potest intelligi futurus absque Dei Decreto.

3. Omnes actus Voluntatis creatæ subjacent providentiæ divinæ, ut nullus sit indeterminatus; hoc evincit dependentia, quæ est inter primam Causam & secundas, inter Creatorem & Creaturas; Et omnis creatura non tantùm in esse, sed etiam in operari pendet à Deo. E. nulla potest dari scientia media, quæ supponitur habere pro objecto liberam voluntatis determinationem, quæ à nulla causâ superiori dependeat.

4. Nulla scientia incerta Deo tribuenda: At scientia media nullam certitudinem habere potest, quia versatur circa objectum contingens, incertum, puta voluntatis ἀδιαφορίαν.

5. Scientia media tollit dominium Dei in actus liberos, quia ea stante actus voluntatis supponuntur esse antecedenter

cedenter ad Decretum, ideoque futuritionem non habent à Deo, sed à se; imò Deus hoc pacto videtur potiùs pendere à Creatura, dum nihil potest decernere vel disponere, nisi positâ humanæ voluntatis determinatione, quam Deus in tali connexione rerum viderit.

6. Nullum futurum conditionatum potest esse scibile ante decretum. E. g. Quando in Evangelio dicitur: Sidonios resipiscentiam acturos fuisse, si virtutes in illis factæ fuissent; indifferenter se habebant naturâ suâ Sidonii ad resipiscendum vel non resipiscendum, positis illis virtutibus. E. aliunde provenire debuit, quòd verum fuerit, eos pœnitentiam acturos positis virtutibus illis. Nulla verò fingi potest hujus rei causa præter voluntatem Dei, ab æterno enim nihil fuit, quod causam esset determinationis rei indifferentis ad partem alteram, præter voluntatem Dei.

OBJECTIONES.

1. *Si David manserit Kehilæ, ipsum tradent.* 1. *Sam.* 23. 9. R. Non agitur de actione ex hypothesi futura, sed de consilio & intentione tradendi Davidem, quam Kehilæi habebant. 1. Sam. 23. 9.

2. *Matth.* 11. 22. *Si Tyrij vidissent ea signa, convertissent se.* R. Hic locus habet proverbialem locutionem, ubi Christus exaggerat contumaciam Judæorum, sicut & nos dicere possemus: Si asinum tamdiu docuissem, hoc non ignoraret. Simile loquendi genus vide *Luc.* 19. 40. *Si hi sileant, lapides clamabunt.* Matth. 11. 22. 23.

3. 2. *Reg.* 13. 18. 19. *Si sæpius percussisses terram, &c.* R. Elisæus dicit ad Joasum: Si quinquies aut sexies percussisses terram, Syros internecioni dedisses, non quòd id per scientiam mediam cognosceret, sed quia Propheta revelatione divinâ indefinitè factâ id pro affectu colligeret. 2. Reg. 13. 18. 19.

XXV. Hæc de Scientia Dei; Voluntas est, quæ vult aut non vult id quod novit. Sumitur autem voluntas (1) Pro quasi facultate, de se indifferente ad hæc & illa objecta *Eph.* 1. 11. *Omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ.* (2.) Pro actu statuente hoc aut aliud. *Apoc.* 4. 11. *Per voluntatem tuam omnia facta sunt.* (3.) Pro conclusione, seu sententia statuta. *Jac.* 4. 15. *Si Dominus voluerit, & vivamus.* Versatur autem vel circa *Deum* ipsum, amore & approbatione, vel circa *creaturas.* Voluntas Dei.

Voluntas Dei quotuplex.

XXVI. Quæ circa creaturas versatur, alia est *realis*, decernens rerum existentiam, vel non existentiam. Alia *moralis*, mandans virtutes, vetans vitia, promittens præmium; Alia *Permittens* peccata.

XXVII. Unica quidem est & simplicissima Dei voluntas, tamen modo nostro concipiendi bene etiam distinguitur in voluntatem *Decreti & præcepti*, εὐδοκίας & εὐαρεσίας, *beneplaciti* & *signi*, *arcanam* & *revelatam*. *Illâ* statuit Deus quid velit ipse facere vel permittere: *Istâ* quid velit à nobis fieri. *Illa* est decernens, *hæc* præcipiens & approbans. Fundamentum harum distinctionum est, quia dantur loca Scripturæ, in quibus voluntas Dei vel pro Decreto sumitur, ut, *Rom.* 9. 19. *Quis voluntati ejus resistet?* *Eph.* 1. 11. *Omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ.* Vel pro Præcepto, ut, *Ps.* 143. 10. *Domine, doce me facere secundùm voluntatem tuam!* Dantur etiam loca in quibus utraque Dei voluntas significatur, ut, *Joh.* 6. 38. dum ait Christus, *se descendisse ut faceret voluntatem ejus qui misit eum*, i. e. ut impleret ea quæ à Deo decreta sunt, & ut Patris mandato obsequeretur.

Deus quædam vult necessariò, quædam liberè.

XXVIII. Deus quædam vult necessariò, quædam liberè: seipsum vult necessariò, quia est ultimus finis, & summum bonum, quod non potest non velle & amare, quia non potest nolle gloriam suam, aut seipsum abnegare. Cætera verò vult liberè, quia cùm nulla res creata necessaria sit respectu Dei, sed contingens, utpote qui eâ potuit carere, ita vult omnia, ut potuerit non velle.

Non datur contrarietas in voluntate Dei.

XXIX. Neque datur contrarietas in voluntate Dei, etiam non quoad voluntatem beneplaciti & signi, quia non idem volunt & nolunt eodem modo & respectu. Sic Deus voluit immolationem Isaaci voluntate signi, quoad præceptionem, i. e. ut illam Arahamo præciperet, ad probationem ejus obedientiæ, sed noluit eandem voluntate beneplaciti, quoad eventum ipsum, quia decreverat cædem istam prohibere.

Voluntatis Dei nulla potest dari causa.

XXX. Voluntatis Dei nulla potest dari causa. Datur quidem causa *rei volitæ*, sed non *actûs volendi*: Datur quidem ratio voluntatis Dei, siquidem illa non est ἄλογος; non verò datur causa propriè dicta, quæ voluntatem Dei moveat ad hoc vel illud volendum. Nam voluntas Dei est omnium rerum causa, nihil se habet prius; aliâs esset causa

causa secunda, non prima, regulatum, non regula. Quod observandum est propter *Pelagianos* & *Pelagianizantes*, qui in negotio Prædestinationis Causas Voluntatis divinæ extra Deum quærunt, in prævisione fidei, & boni usûs liberi arbitrii.

XXXI. Hinc patent propritates Voluntatis divinæ, quòd sit. 1. Sancta. 2. Libera. 3. Æterna. 4. Immutabils. 5. Efficax. Proprietates Voluntatis divinæ.

CONTROVERSIA.

An Voluntas Dei bene distinguatur in antecedentem & consequentem? Neg. c. Soc. Arm. &c.

Quidam ex nostris Theologis etiam utuntur distinctione Voluntatis divinæ in antecedentem & consequentem, per illam intelligunt voluntatem decernentem, quia priùs, quam res ulla creata existeret, ab æterno apud Deum rata fuit: Per istam intelligunt voluntatem præcepti, quia æternam illam antecedentem sequitur. Voluntas Dei non bene distinguitur in antecedentem & consequentem.

Tamen *Neopelagiani* longè aliter explicant illas distinctiones; Voluntatem *antecedentem* eam esse volunt, quâ Deus vult aliquid Creaturæ rationali ante omnem illius actum, seu ante actum aliquem Creaturæ illius; *Consequentem* verò, quâ aliquid vult Creaturæ rationali post actum aliquem, sive post multos actus Creaturæ. Sed hanc distinctionem improbamus propter sequentia.

ARGUMENTA.

1. Hæc distinctio Deo affingit contrarias voluntates: Deum scil. voluntate antecedente velle omnes servare, consequente autem nolle omnes servare, sed quosdam tantùm; ab æterno eum seriò voluisse salutem Judæ, & tamen simul & eodem momento novisse Judam nunquam crediturum, & se nolle dare fidem Judæ, quâ infallibiliter converteretur, imò permissurum, ut in sua infidelitate maneat & pereat. Quis homini sanæ mentis tales voluntates ausit tribuere, ut dicatur velle seriò & ardenter id, quod tamen novit nunquam futurum, & quidem non futurum, quia id efficere nolit, à quo solo effectus dependet?

2. Per distinctionem illam Voluntatis divinæ Deo non tantùm tribuitur insipientia & impotentia, dum fingitur Deus intendere aliquid seriò, & desiderare affectu naturali, quod non assequitur, nec potest assequi per hominem, quia

ipse non vult; sed etiam mutabilitas, quia voluntati consequenti locus esse non potest, nisi priùs rescissâ antecedente, quomodo enim Deus posset simul eodem actu voluntatis velle omnes homines servare, & majorem partem ipsorum damnare?

3. Voluntas antecedens non tam est voluntas, quàm velleitas quædam; & inane desiderium, quod nunquam impletur, quod in Deum sapientissimum & potentissimum cadere nequit.

4. Deus hoc pacto homini ipsi subjicitur, quum voluntas consequens dependere dicitur à determinatione voluntatis humanæ, ut nemo eligatur à Deo, qui priùs Deum non elegerit per fidem & pœnitentiam suam.

OBJECTIONES.

Matth. 23. 37. 1. *Christus voluit omnes congregare voluntate antecedenta. Matth.* 23. 37. *quos voluntate consequente nolebat.* R. 1. Non dicitur, Deum voluisse dispergere, quos voluerat congregare, sed tantùm, Christum voluisse congregare quos *Jerusalem, i. e. primores populi* noluerunt congregari, sed non obstante eorum conatu non desiit Christus congregare quos voluit. E. Jerusalem distinguenda à filiis suis, nam à v. 13. ad 37. alloquitur Christus Scribas & Pharisæos, & illis exprobrat, quòd ipsi non introeant in regnum cælorum, nec introeuntes sinant introire. 2. Voluntas de qua h. l. agitur non est voluntas decreti, quæ unica est & simplex, sed præcepti, quæ ad vocationem refertur, & quæ sæpe iteratur per verbi præconium.

2. *Deus primò volebat mortem Isaaci, postea vitam.* R. Non volebat, i. e. decernebat, sed mandabat. Et primò mandare volebat, postea vetare. Vide supra Thes. XXIX.

CONTROVERSIA. II.

An bene distinguatur Voluntas Dei in efficacem & inefficacem? Neg. contra eosdem.

Voluntas Dei nulla est inefficax.

Hæc distinctio, si eo sensu intelligatur, ut voluntas efficax respondeat voluntati decreti, & ita vocetur, quia semper impletur, & illi resisti non potest, voluntas verò inefficax coincidat cum voluntate præcepti, & ita appelletur, quia manet sæpe irrita propter hominis rebellionem, posset utcunque tolerari, quamvis locutio sit minùs commoda; sed si referatur ad solam voluntatem decernentem, prout

ab

ab adversariis intelligitur, qui Deo velleitates, irrita desideria, &c. tribuunt, non potest admitti.

ARGUMENTA.

1. Immutabile est Dei consilium. *Jes.* 46. 10. *Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum. Rom.* 9. 19. *Ejus voluntati quis obsistit?* Jes. 46. 10. Rom. 9. 19.

2. Voluntas inefficax non potest Deo tribui, quin ipse arguatur vel ignorantiæ, quòd nesciverit eventum non successurum, vel impotentiæ, quòd non potuerit effectui dare quod intendebat.

OBJECTIONES.

1. *An ergo etiam voluntas Dei in peccatis est efficax?* R. Licèt omnis Dei voluntas sit efficax, quia eventum quem intendit semper assequitur, non statim debet esse efficiens; efficientia enim tantùm est in bonis, sed efficacia etiam in malis.

2. *Deo tribuitur desiderium, votum.* R. Hæc loca θεοπρεπῶς sunt intelligenda: si ad præteritum referantur, nihil aliud notant, quàm seriam improbationem peccatorum commissorum, ut *Ps.* 81. 14. *Utinam populus meus obtemperâsset mihi!* Si verò ad futurum respiciant, ut: *Deut.* 29. 19. *Utinam talem habeant mentem, ut timeant me!* innuunt serium mandatum, quo declarat quid approbet ut justum & sanctum. Psal. 81. 14. Deut. 29. 19.

CONTROVERSIA. III.

An bene distinguatur voluntas Dei in absolutam & conditionatam? Neg. c. eosdem.

Voluntas Dei non bene distinguitur in absolutam & conditionatam.

Potest concedi voluntas conditionata, sed non à *priori* & *antecedenter*, quæ à conditione suspenditur, verùm a *posteriori* & *consequenter*, cujus executio fit interveniente aliqua conditione in creatura, ita, ut illa conditio se non teneat *à parte actûs interni*, seu ipsius *volitionis*, sed à *parte objecti externi*, seu *rei volitæ*. *Neopelagiani* verò voluntatem *absolutam* eam vocant, quæ aliunde non pendet, præsertim à conditione aliqua externa: *Conditionatam* verò, quæ suspensa est a conditione extra Deum. Hoc sensu non admittimus voluntatem conditionatam.

ARGUMENTUM.

Quia talis voluntas est Deo indigna, repugnans quippe

ejus tum independentiæ, tum sapientiæ & potentiæ, quæ dubia manet & incerta, suspensa puta ab hominis voluntate mutabili, atque adeò inefficax & frustranea, per quam fine suo Deus sæpe excidere debet.

OBJECTIO.

Deus vult hominibus salutem si crediderint. R. Propositio ista duplicem potest habere sensum; Vel significat: Deum velle seu statuere, ut salus nobis contingat sub conditione fidei, i. e. modò crediderimus, quod utique verum est, sed hîc salus nostra tantùm conditionalis evadit, non autem voluntas Dei. Vel significat, ex conditione fidei positâ vel prævisâ oriri in Deo voluntatem conferendi salutem; hoc sensu falsa est propositio, quia nihil temporale potest esse causa illius quod æternum est.

XXXII. Voluntas *moralis* non extenditur ulteriùs, nisi ad moralem rei bonitatem vel malitiam, quam Deus vult creaturæ proponere, quare ea sæpe non impletur, *decernens* autem & *permittens* semper impletur.

An voluntas Dei sit prima justitiæ Regula?

XXXIII. Quæritur hîc: An voluntas Dei sit prima Regula omnis sanctitatis? seu sola ratio, cur aliquid bonum & sanctum sit? Vel, An res sint bonæ, quia Deus vult, an verò Deus velit, quia bonæ sunt?

Resp. Respectu nostri fons omnis justitiæ non alibi quæri debet quam in Dei voluntate, quæ est Regula omnis rectitudinis & justitiæ. Hoc sensu Theologi dicunt: Voluntatem Dei esse summam Regulam justitiæ, ideoque quæcunque Deus vult, ideo esse justa & bona, quia Deus vult. Sed respectu Dei non semper voluntas potest dici prima regula justitiæ: Regula est in iis, quæ bonitatem tantùm liberam & positivam habent, sed non in illis, quæ habent bonitatem Essentialem, i. e. in ceremonialibus, non in moralibus; in istis enim regulatur voluntas Dei à natura sua sanctissima; unde quædam sunt bona, quia Deus vult: ut, Ceremoniæ, &c. quædam Deus vult, quia bona sunt: ut, amor Dei, &c.

Potentia Dei

XXXIV. *Potentia* Dei est facultas, quâ Deus efficere potest quod vult & velle potest. Quod in Scriptura S. proponitur. (1.) *Positive*, quòd sit omnipotens. Apoc. 1. 8. (2.) *Negative*, quòd nihil ei impossibile. (3.) *Comparative*, quòd possit ea quæ nemo potest. Matth. 3. 9. &c. 19. v. 26.

XXXV. Aliud

XXXV. Aliud est *Potentia*, aliud *Potestas* seu ἐξουσία Dei. *Illa* nihil aliud est quam ipsa Essentia divina, per quam concipitur ut potens facere ea omnia quæ vult, vel velle potest. *Hæc* verò jus & authoritatem aliquid faciendi notat. Potentia & Potestas Dei distinguuntur.

XXXVI. Potentia Dei est vel *actualis* & *ordinata*, vel *absoluta*. Per *illam* Deus actu & irresistibiliter facit, quæcunque vult facere, eo tempore & modo, quo ipsi visum est, de qua *Ps.* 115. 1. *Deus noster in cœlis est, quicquid vult, facit.* Per *hanc* concipitur plura posse facere quam reipsa facit, e. g. potuisset Christo mittere 12. legiones angelorum. Matth. 26. 53. A potentia actuali ad effectum valet consequentia, secus se res habet in absoluta. Absolutam illam potentiam verò *Calvinus* rejecit, non absolutè, sed secundùm quid, ratione abusûs Scholasticorum, qui multa portentosa dogmata inde extruxerunt: ut, Deum posse mentiri, peccare, &c. Potentia vel ordinata vel absoluta.

XXXVII. Quæ defectum aut imperfectionem aliquam notant, non cadunt sub potentiam Dei, e. g. peccare, mori, &c. hæc enim non sunt potentiæ, sed impotentiæ. Nec ea potest facere Deus, quæ implicant contradictionem: objectum enim potentiæ Dei nihil aliud est quàm possibile, i. e. quicquid fieri non repugnat; ut omniscentiæ objectum est scibile. Impossibile autem non cadit sub potentiam Dei, non ex defectu potentiæ in Deo, sed ex defectu possibilitatis rei, quia involvit in conceptu suo prædicata contradictoria; ut visio, licèt infinita esset, extenderetur tantùm ad visibilia, non ad audibilia. Potentia Dei se non extendit ad contradictoria.

XXXVIII. *Justitia* & Sanctitas Dei est, quâ Deus sine ulla iniquitate est omne quod est. Justitia Dei.

XXXIX. Justitiæ verò vox bifariam usurpari solet, vel pro *justitia universali*, pro universo omnium virtutum complexu, per quam Deus in se justissimus & sanctissimus est, & in omnibus operibus suis incorruptam observat justitiam; vel pro *justitia particulari*, quæ suum cuique tribuit, quæ in pœnarum vel præmiorum distributione occupatur, quæ *distributiva* dicitur, quamvis circa præmia piorum non ipsorum merita, sed sua dona coronet; unde non tam propriè quàm analogicè Deo tribuitur. Ad *commutativam* quod attinet, quæ proportionem arithmeticam servat, cùm in dati & accepti æqualitate posita sit, eam à Deo removendam

vendam esse cum sanioribus Scholasticis censemus. *Quis enim prior dedit ei, ut reddatur ei? Rom.* 11. 33.

XL. Rursus justitia divina potest considerari vel *absolutè*, & in se, vel *relate*, respectu exercitij; Hæc verò est vel *Dominica*, quæ illi competit, quâ Dominus est, & supremus rerum arbiter, vel *Vindicatrix*, quæ consistit in judiciis, iisque vel præmiantibus, vel vindicantibus, & hoc vel ad castigationem, vel ad ultionem. De hac justitia vindicatrice seu ultrice agit sequens Controversia.

CONTROVERSIA.

Justitia Dei vindicatrix.

An Essentia Dei ita sit justa, ut peccatum impunitum dimittere non possit? Aff. cont. Soc.

Sociniani, ut faciliùs satisfactionem Christi destruant, negant dari ullum attributum in Deo, quod satisfactionem pro peccato necessariò exigat, sed, si peccatum punit, hoc esse liberrimum voluntatis ejus effectum. Inter *Orthodoxos* etiam datur aliqua sententiarum diversitas circa exercitium justitiæ istius, quod alii necessarium statuunt, alii liberum & indifferens, à quo sc. Deus possit abstinere, si velit; unde de necessitate satisfactionis diversimodè sentiunt: quidam eam tantùm hypotheticam statuunt, ex hypothesi sc. voluntatis & decreti divini, ut Deus non potuerit remittere peccata sine satisfactione, non quòd hoc justitia ejus absolutè & necessariò exigeret, sed quia ita decrevit; quam sententiam post quosdam ex Doctoribus nostris, qui ante Socinum exortum securiùs loquebantur, Doctiss. *Twissus* sequitur. Alii verò absolutam ponunt, quæ non ex decreto tantùm pendeat, sed etiam ex justitia divina oritur. Licèt verò utrique consentiant in cardine quæstionis contra Socinianos necessitatem Satisfactionis negantes, certum tamen est, longè efficaciorem esse ad heresin Socinianam jugulandam, & convenientiorem naturæ Dei & verbis Scripturæ posteriorem sententiam, quam sequimur.

ARGUMENTA.

Ex. 34. 7. Hab. 1. 13. Ps. 5. 6.

1. Hoc probat Scriptura. Exod. 34. 7. *Tu Deus es, qui nullo pacto absolvis sontem, visitans peccata parentum in filios, &c. Habac.* 1. 13. *Purior es oculis, quàm ut aspicias malum. Ps.* 5. 6. *Non es Deus fortis, qui delectetur improbitate, non est commoraturum apud te malum.* Quibus locis describitur odium peccati in Deo necessarium; at, verum

odium

odium & aversatio dari nequit, quin post se trahat depulsionem & destructionem contrarii. Huc pertinent illa loca, quæ judicis χάρις Deo tribuunt. Ut: *Gen.* 18. 25. *An judex totius terræ non exerceret jus?* *Rom.* 3. 6. *Num injustus Deus qui infert pœnam? absit, alioqui quomodo Deus judicaret mundum?* *Rom.* 1. 18. 31. *Patet ira Dei è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, qui & hoc esse jus Dei agnoscunt, nempe eos, qui talia faciunt dignos esse morte.* 1. Thess. 1. 6. *Justum est apud Deum reddere afflictionem iis qui vos affligunt.* Gen. 18. 25. Rom. 3. 6. Rom. 1. 18. 31. 1. Thess. 1. 6.

2. Conscientia hominis hoc testatur; unde enim ista conscientiæ vox & verbera, nisi ex firmissima justitiæ ultricis persuasione?

3. Populorum consensus id probat: Apud omnes enim, etiam ferissimos populos obtinuit ista persuasio, Deum esse justum judicem, unde Ethnici sacrificia instituerunt, ut iis divini Numinis ira averteretur.

4. Mors Christi hoc probat. Nam, si liberum fuit Deo peccatum punire vel non punire, illæsâ suâ justitiâ, quænam E. ratio fuisset, quare Deus filium dilectissimum tam maledictæ morti subjecisset?

OBJECTIONES.

1. *Deus peccata remittit.* R. Respectu nostri, qui nihil solvimus, non Christi, qui satisfecit. E. aliud est, aliquid esse indispensabile & necessarium respectu peccati ipsius, aliud, liberum & positivum respectu peccatoris. Justitia postulat necessariò, ut peccatum omne puniatur, sed non pariter postulat, ut puniatur in ipsa persona peccante, vel tali tempore & gradu.

2. *Miseretur cujus vult. Rom.* 9. 18. R. Nequaquam tamen læsâ justitiâ; quoniam peccata eorum, quorum liberè misereri vult, in mediatore punit. Rom. 9. 18.

3. *Potest de jure suo remittere.* R. Licet remittere de jure positivo & libero, non verò naturali, de jure privato, non publico rectoris & judicis; unde magistratus non potest sceleribus impunitatem largiri. At, jus pœnale est jus naturale, in ipsa Dei sanctitate & justitia fundatum.

4. *Si Deus punit necessariò, tum semper & eodem modo punit.* R. Si puniret ex necessitate physica, qualis est in igne ad urendum, verum esset: sed punit ex necessitate morali

morali & rationali, quia exercitium justitiæ illius pendet à sapientissima Dei voluntate, quæ variam potest in pœnæ infictione adhibere modificationem, sine præjudiciis justitiæ, quæ quidem exigit necessariò, ut omne peccatum puniatur, sed non statim omnis peccator, vel hoc vel illo tempore, hoc vel illo gradu.

5. *E. Deus non fuit justus, antequam creatura peccavit,* R. Non fuit justus quoad esse relatum, & in actu exercito, sed quoad esse absolutum, & in actu signato, quomodo omnipotentia fuit in Deo ab æterno, etsi nihil produxerit,

Bonitas Dei est vel generalis vel specialis vel specialissima.

XLI. *Bonitas* Dei est, quâ concipitur non modò *absolutè* & *in se* ut summè bonus, sed etiam *relate* & *extrinsecè*, ut beneficus erga creaturas. Illa est vel *generalis*, erga omnes Creaturas, de qua *Ps.* 36. 6. *Tua bonitas tendit in cælum*, &c. vel *specialis* erga homines, de qua *Act.* 14. 17. *Deus benefacit hominibus, ipsis dando pluviam*, &c. vel *specialissima* erga electos, de qua *Ps.* 73. 1. *Deus bonus est Israëli.*

Amor Dei.

XLII. Ex bonitate fluit *Amor*, per quem sese communicare gestit Creaturæ, qui, licèt à parte actûs interni sit æqualis in Deo, tamen à parte boni quod Deus vult, est inæqualis, quia effecta amoris alia sunt aliis majora. Triplex autem amor Dei vulgò statuitur, seu tres gradus unius amoris. Amor *Benevolentiæ*, quo Deus ab æterno bene voluit Creaturæ; *Beneficentiæ*, quo illi in tempore benefacit: *Complacentiæ*, quo sibi complacet in Creatura, propter radios imaginis suæ quos in ea videt: *Illo* nos diligit antequam simus, *isto* ut simus, *hoc*, quum sumus ad ejus imaginem renovati: *Illo* nos elegit, *isto* nos redemit & sanctificat, *hoc* verò nos sanctos & justos gratuitò remuneratur. *De illo. Joh.* 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum*, &c. *De isto, Eph.* 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit*, &c. *Apoc.* 1. 5. *qui nos amavit & redemit sanguine suo*, &c. *De hoc Heb.* 11. 6. *Per fidem Deo complacemus.*

Benevolentiæ. Beneficentiæ. Complacentiæ.

Gratia Dei vel affectivè sumitur, vel effectivè.

XLIII. *Gratia* Dei est, per quam Deus concipitur ut volens se communicare Creaturæ ex amore gratuito, citra ullum meritum. Et sumitur vel *affective*, i. e. ratione actûs interni in Deo, qui nihil aliud est, quam propensa ejus voluntas, omnia liberaliter & gratis largiens; vel *effective*, & tum nihil aliud notat, quam χαρίσματα Spiritûs S. gratis nobis à Deo data, sive ordinaria, fidei, spei & charitatis, 1. Cor. 15. 10. Eph. 2. 7. 8. sive extraordinaria, ad communem totius

tius Ecclesiæ ædificationem. 1. Cor. 12. 4. 7. 8. Eph. 4. 7. A Scholasticis dona ista vocantur *gratiæ gratis datæ*, alia verò *gratiæ gratum facientis*. Sed perperam, tum, quia dona ordinaria sunt etiam gratis data, tum, quia non possunt nos gratos Deo facere, quod sola gratia & justitia Christi nobis imputata efficit. Melius E. gratia *gratum faciens* benevolentiam Dei erga nos innuit, per quam non ex nostris meritis, sed gratuitò gratos nos facit in Christo. Per *gratiam* verò *gratis datam* notantur omnia dona, quæ gratis nobis conferuntur per Sp. S. Gratis data, Gratum faciens.

XLIV. *Misericordia* Deo tribuitur, non quatenus significat dolorem ex aliena miseria, sed promptam & propensam voluntatem succurrendi miseris: Oritur non à causa externa, sed à sola bonitate miseris succurrente, adeòque miseria in homine habet tantùm rationem conditionis & qualitatis, non verò Causæ. Est autem vel *generalis*, erga omnes Creaturas in miseria constitutas, vel *specialis*, erga electos. Misericordia Dei.

XLV. *Dominium* Dei in Creaturas est potestas statuendi de iis quod ipsi lubet; quo sequentia facit: (1) Destinat eas fini cui vult. *Rom.* 9. 18. *Miseretur cujus vult.* (2) Dat Essentiam quam vult. *Act.* 17. *v.* 25. *Dat vitam, halitum, & omnia.* (3) Præscribit quod vult. Gen. 22. 2. præscribit immolationem Isaaci. (4) Operatur in iis quod vult. *Phil.* 2. 13. *Operatur τὸ velle & perficere.* (5) Permittit & immittit mala quæ vult. 1. *Sam.* 3. 18. *Dominus est, faciat quod ipsi libet.* (6) Neque ulli rationem debet. *Rom.* 9. 20. *Qui es ô homo, qui cum Deo contendis?* Dominium Dei.

XLVI. Fundamentum hujus dominij divini *in Deo* non est nisi ejus eminentia & primitas. *In Creaturis* quidam actus non requirunt fundamentum; ut destinatio, Creatio: quidam, puta judicij, fundamenta habent. 1. Dependentiam Creaturarum à Deo. 2. Fœdus cum ipsis. 3. Malè aut benefacta ipsarum.

XLVII. Jus seu Dominium in Deo est vel *absolutum*, vel *ordinatum*. *Absolutum* illud est dominium, sive potestas, quam Deus obtinet in omnes suas Creaturas, statuendi de illis pro arbitrio, sine injustitia. *Ordinatum* est ordo seu ratio justitiæ, quam Deus verbo legis & Evangelii nobis declaravit: Ad *illud* pertinet, quòd Deus pro liberrimo suo beneplacito homines peccatores destinat ad salutem, Jus absolutum & ordinatum

tem, & quòd, licèt omnes sint pares, hunc tamen præ illo eligit. Ad *hoc* verò, quòd non absque Christi satisfactione peccatoribus gratiam facit, &, quòd fidem ac opera gratiosè ex promisso remuneratur. In reprobatione jus absolutum cernitur in eo, quòd licèt homines omnes sint pares, tamen hunc præ illo præterit, ex sola δίδκια agens, non ut judex, sed ut αὐτοκράτωρ, & Dominus, qui potestatem habet faciendi vas ad decus & ad dedecus. Rom. 9. 21. Ordinatum verò cernitur in eo, quòd neminem reprobat & damnat, nisi propter peccatum reprobabilem & damnabilem.

LOCUS IV.

DE

SS. TRINITATE.

I. HActenus de Essentia Dei, sequitur de Personis. Ut persona dici possit, requiritur. 1. Ut sit subsistantia. 2. Intelligens. 3. Non pars alterius. 4. Ab alio non sustentata. Persona ergo statum completum subsistantiæ intelligentis notat.

II. Persona divina nec solam Essentiam, nec solum subsistendi modum significat, sed essentiam tali modo se habentem.

III. Tales personæ in Deo sunt tres, à se invicem, quatenus personæ sunt, verè distinctæ, ut alius & alius; omnes tamen ὁμοούσιοι. eandem numero Essentiam habentes, Pater, Filius, & Spiritus S. Matth. 28. 19.

IV. Nomina Dei, Patris & Spiritûs aliquando Essentialiter in Scriptura usurpantur, aliquando personaliter. Essentialiter. *Joh.* 3. 16. *Ita* Deus *dilexit mundum.* Personaliter. *Act.* 20. 28. Deus *redemit Ecclesiam proprio suo sanguine.*

V. Essentia neque Essentiam neque personam produxit, ut nec persona Essentiam; sed producens & productum nonnisi persona est.

VI. Per-

VI. Personæ divinæ differunt ab Essentia non *realiter*, i. e. *essentialiter*, ut res & res, sed *modaliter*, ut modus à re. Nam proprietates personales, quibus personæ distinguuntur ab Essentia sunt modi quidam, quibus characterisatur, non quidem formaliter & propriè, ut in creaturis, quæ modis afficiuntur, sed eminenter & analogice, sublatis omnibus imperfectionibus.

Personæ divinæ quomodo differant ab Essentia?

VII. In distinctione personarum inter se duo extrema sunt vitanda. 1. *Sabellianismus*, à Sabellio Pentapolitano, ex Ptolomaide Ægypti civitate oriundo, introductus, circa a. 260. quem secuti sunt postea Praxeas Asiaticus, & Hermogenes Afer, & superiori Seculo M. Servetus, qui distinctionem tantùm rationis inter personas statuit, ut unica tantùm sit persona, quæ propter varios effectus modò Pater, modò Filius, modò Spiritus S. dicatur. 2. *Tritheismus*, Philoponi, & Valentini Gentilis, qui ex tribus personis tres fingit spiritus æternos & inæquales, essentialiter inter se distinctos. *Orthodoxi* medium tenent, & inter Personas distinctionem *modalem* agnoscunt, quia, ut personæ proprietatibus personalibus tanquam modis subsistendi incommunicabilibus constituuntur, ita per eosdem distinguuntur: Quæ distinctio à quibusdam *realis minor* dicitur.

Personæ divinæ quomodo inter se differant?

VIII. Distinctio autem ista personarum in ipsis personis observatur. 1. *In ordine*, quia Pater est prima, Filius secunda, & Spiritus S. tertia persona. 2. *Proprietatibus*; Sic Patri tribuitur ἀγεννησία, Filio γέννησις, Spiritui S. ἐκπόρευσις. 3. *Modo operandi*; quia Pater à se, Filius à Patre, Spiritus S. ab utroque agit.

IX. Quamvis verò modi isti subsistendi negativè ut plurimùm exprimantur, per incommunicabilitatem; non sequitur, nihil positivi innuere, sed dicere meram tantùm negationem conjunctionis essentiæ divinæ cum alia re, ad constituendum unum suppositum; quia terminus iste negativus infert tamen positivè ejusmodi ultimum complementum, per quod res ita est completa in se, ut cum alia ulterius uniri & communicari nequeat. Unde ista incommunicabilitas in aliquo positivo, quod formaliter personæ est constitutivum, non verò negativo fundatur. Aliâs Trinitatis conceptus esset purè negativus, & tres Personæ Trinitatis in suo esse personali constituerentur

Subsistentia in divinis non dicit meram negationem.

tur & à se invicem distinguerentur per solam negationem; & opera personalia ad intra nullum principium haberent nisi negativum, quæ cùm stare non possint, necesse est ut dicamus modum subsistendi in divinis aliquid positivi superaddere unitati essentiæ divinæ; Quamvis autem facilè non capiamus quid positivi illud sit, non ideo in mera negatione dici debet consistere.

In Essentia divina sunt tres personæ

CONTROVERSIA. I.

An in una Essentia divina tres sint distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus? Aff. cont. omnes Antitrinitarios.

ARGUMENTA

1. Ex Veteri Testamento Personarum Pluralitas probatur: Et quidem ex historia Creationis, ubi Deus de se numero plurali loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram. Gen.* 1. 26. *Exc.* 1. *Deus alloquitur angelos*; R. dicitur: *ad imaginem nostram, ad imaginem Dei*; angeli autem Deus non sunt, neque homo ad eorum imaginem creatus est. *Exc.* 2. *Deus ita loquitur numero plurali honoris causa, instar Regum & Principum.* R. Neg. tum quia Reges etiam ambitiosissimi, ut Pharao, Nebucadnezar, &c. in singulari locuti sunt; tum, quia Reges ita loquuntur non tam ad se attollendos, sed deprimendos, ne videantur tantùm ex suo, sed etiam optimatum sententiâ loqui; tum, quia, si Deus honoris causâ sic loqueretur, semper ita loqui deberet, quod tamen falsum.

Gen. 1. 26. Exc. 1.

Exc. 2.

2. Ex illis locis, in quibus Deus à Deo distinguitur, non utique essentialiter, sed personaliter. Ut, Hos. 1. 7. *Servabo eos per Jehovam Deum ipsorum. Gen.* 19. 24. *Jehova demisit pluviam sulphuris & ignis à Jehova.* Ps. 45. 8. *Unxit te ô Deus, Deus tuus oleo Lætitiæ*, &c.

3. Personarum verò Trinitas distinctius probatur ex historia creationis, ubi Moses distinctè meminit Elohim creantis, Spiritûs Elohim aquis incubantis, & verbi omnia producentis. Elohim esse Deum, non negant adversarij. Per Spiritum verò non potest intelligi aër aut ventus, quia nullus dum creatus erat, & nulla rerum facta erat distinctio; nec angelus aliquis, quia Deus eorum ministerio non usus est in creatione, nec vis quædam & efficacia Dei, quæ fœcunditatis rerum causa fuerit, quia illa incubatione

descri-

describitur, & distinguitur à Spiritu, ut effectum à causa, & actiones sunt suppositorum. E. per spiritum persona, seu suppositum intelligendum est, quæ ad hoc opus concurrerit. *Verbum* autem non esse simplex Dei mandatum, evincit collatio Mosis cum Johanne. Evang. c. 1. 2. Nec enim potest intelligi vel sermo *externus*, quo Deus angelis, ut ministris suis imperaverit, quia nondum erant creati. Vel *internus*, quo ipsi sibi hoc præceperit, quia Deus introducitur loquens in tertia persona, tanquam alteri personæ imperans, non sibi. E. intelligitur *sermo personalis*, i. e. Filius Dei. Licèt enim verbum *dixit* objectivè & terminativè ad creaturas producendas innuat efficax Dei mandatum, supponit tamen ad intra & originaliter verbum Dei personale, tanquam *principium quod* illud mandatum debuit exequi. Quò respiciens David. Ps. 33. 6. *Verbo Jehovæ*, inquit, *cæli facti sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Ubi mentio fit distincta *Jehovæ*, *verbi*, *& Spiritus.*

4. Ex liberatione Populi à servitute Ægyptiaca; Qui illud opus peregit, sine dubio est verus Deus: At tribus Trinitatis personis hoc opus tribuitur: De Patre non dubitant adversarii, de Filio probant loca. Exod. 3. 2. & 23. 10. &. 32. 34. in quibus Angelo Jehovæ adscribitur hoc opus, quem esse angelum increatum, ipsum Dei Filium, ostenditur ex ejus descriptione & attributis variis quæ illi tribuuntur, quæ talia sunt, ut soli Deo competant. Spiritum *S.* etiam eò convenisse ut Personam cum aliis, docet illustris locus. Jesa. 63. 7. 8. 9. *Miserationes Domini memorare faciam* &c. *Dixit vere populus meus ipsis, & fuit ipsis in Salvatorem: Angelus faciei salvavit eos propter dilectionem suam,* &c. *sed illi rebelles fuerunt, & iraſci fecerunt Spiritum Sanctitatis ejus.* &c. Ubi tres personæ distinctæ recensentur; *Jehovæ*, *angelus faciei*, & *Spiritus S.* quibus distinctæ operationes tribuuntur, *Jehovæ* miseratio erga populum, *angelo faciei* redemtio, *Spiritui S.* exacerbatio & pugna contra populum.

5. Ex variis descriptionibus Messiæ; Quò pertinet locus. Jes. 61. 1. 2. *Spiritus Domini super me, quapropter unxit me Dominus, ad evangelizandum mansuetis*: Conf. Hagg, 2. 4. 5. *Sum vobiscum, dictum Jehovæ exercituum, cum verbo quo pe-*

pigeram vobiscum, & spiritu meo stante in vobis. Quibus locis expressa trium personarum mentio.

6. Ex trina nominis Jehovæ repetitione, ut in Benedictione Sacerdotali. Num. 6. 23. 24. quò etiam referendum Trisagium illud Seraphicum. Jesaj. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova Exercituum.* Quâ trina repetitione S. S. Triadem designari patet ex v. 8. quis ibit *nobis*? & mandatum ibi factum non modò Patri tribuitur, sed & Filio, & Spiritui S. Joh. 12. 41. Act. 28. 25.

Ex Novo Testamento hoc mysterium clariùs probatur.

1. A baptismo Christi. Matth. 3. 16. in quo tres personæ distinctæ se manifestârunt personalitatibus; Pater, qui è cœlo loquitur, Filius, qui è Jordane ascendit, & Spiritus, qui de cœlo descendit in specie columbæ, & manet super Filium. Unde illud Veterum: *Abi Ariane ad Jordanem, & videbis Trinitatem.*

2. Ex baptismo nostro, à Christo instituto. Matth. 28. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritûs S.* ubi etiam tres occurrunt personæ distinctæ, ejusdem naturæ, autoritatis, & virtutis, quibus nomina nostra ex æquo damus, & spondemus obsequium.

3. Ex 1. Joh. 5. 7. *Tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt.* Exc. 1. *Locus est adulterinus, qui desideratur in variis codicibus.* R. Imò extat in antiquissimis codicibus, Hieron. prologo in Epist. Canon. in Codicibus Græcis extitisse notat, & Erasmus fatetur, extare in codice Britannico vetustissimo, & laudatissimæ editiones, Complutensis, Antverpiensis, Ariæ Montani, Valtoni, quæ optimis Codicibus usæ sunt, hunc locum habent. Adhæc Textûs connexio illud postulat; nam nullus esset sensus verborum sequentium: *Et tres sunt, qui testantur in terra,* nisi supponerentur tres testes in cœlo. Exc. 2. *Agitur tantum de unitate consensûs.* R. Neg. Nam non dicitur εἰς τὸ ἓν, sed τὸ ἓν, quod identitatem naturæ infert. Exc. 1. *Fideles etiam dicuntur esse unum, ut Pater est unum cum Filio.* Joh. 17. 21. R. Vox καθὼς non semper notat æqualitatem, sed qualemcunque analogiam & similitudinem: ut, Math. 5. 48. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis.*

4. Huc pertinent loca. 2. Cor. 13. 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communio Spiritus S.*

sit

sit cum omnibus vobis. Joh. 15. 26. *Cùm venerit paracletus, quem mittam vobis à Patre, Spiritus Veritatis qui à Patre procedit, ille testabitur de me.* Et Cap. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium vobis dabit paracletum, qui vobiscum maneat in æternum,* ubi mentio fit paracleti missi, Filii mittentis, & Patris, à quo procedit.

OBJECTIONES.

1. *Pater est solus verus Deus. Joh.* 17. 3. R. Non oppositè ad Filium & Spiritum S. sed oppositè ad Deos fictitios Gentilium. Nam vocabulum μόνον non limitat subjectum *Te,* sed prædicatum, verum Deum; Non dicitur, σὲ μόνον τὸν ἀληθινὸν θεὸν, *Te solum esse verum Deum,* sed dicitur: σὲ τὸν μόνον. *Te, qui es solus verus Deus.* E. articulus pertinet ad prædicatum, non ad subjectum. Joh. 17. 3.

2. *Qui sunt tres numero, non sunt unus Deus.* R. Tres numero Dii non possunt esse unus, sed tres numero personæ, quæ participant eandem essentiam divinam.

3. *Ubi sunt unum & tria, ibi sunt quatuor.* R. Si sunt realiter distincta ab Essentia; sed hîc non.

4. *Qui concipit Deum tanquam unum, concipit completum. E. non opus est conceptu Trinitatis.* R. Concipit completum quoad complementum Essentiæ, non personalitatis.

5. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* R. Nimirum tertii illius respectu, in quo conveniunt: Sic, quia personæ conveniunt in Essentia, idem etiam sunt inter se quoad Essentiam, atque ita bene quidem dici possunt idem, sed non iidem.

6. *Essentia divina est Pater: Essentia divina est Filius. E. Filius est Pater.* R. 1. Argumentum nihil valet, quia est ex meris particularibus. 2. Sunt quatuor termini, nam in majore, Essentia sumitur universaliter, & completè, hoc sensu: Quicquid est Essentia divina, est Pater, & sic falsa est: Vel particulariter & incompletè; aliquis, qui est Essentia divina, est Pater, & sic vera est.

7. *Omnis persona est substantia intelligens; ubi ergo tres personæ, ibi tres substantiæ.* R. Neg. Unaquæque persona in Deo est substantia intelligens per eandem numero Essentiam.

8. *Deus ille unus est trinus in Personis: Pater est Deus*

ille unus. E. Pater est trinus in personis. R. Vox Deus in majori Essentialiter sumitur, in minori personaliter. Pater non est Deus ille unus, cùm per vocem *Deus* intelligitur Essentia tribus personis communis.

CONTROVERSIA. II.

Christus est verus Deus.

An Salvator noster I. C. sit verus ille Deus altissimus? Aff. cont. Soc.

Non quær. An Filius possit vocari Deus; hoc enim profitentur se credere adversarii, unde *Smalcius* tractatum fecit de *Divinitate Christi*, *& de Christo vero & naturali Dei Filio*, & contra Franz. disp. 1. p. 5. *Filium*, inquit, *personam esse non diffitemur, eamque divinam* &c. Et *Socinus* contra Wiek. c. 5. *Diximus concedere nos, Christum esse naturalem Dei Filium.* Sed hæc verba tantùm sunt ad fucum faciendum excogitata; quoniam Christo divinitatem tantùm precariam & dependentem adscribunt, ratione tantùm *præeminentiæ, authoritatis, dominii, & muneris.* Nos verò dicimus: Christum esse prium Dei Filium, qui eandem numero Essentiam cum Patre, non in tempore, sed ab æterno per ineffabilem generationem ab eo acceperit.

ARGUMENTA.

Ps. 45. 6. Heb. 1. 8. 9. Es. 9. 7. Jer. 23. 5. 6. Phil. 2. 9. 1. Tim. 3. 16.

1. Nomina Dei ipsi tribuuntur. *Ps.* 45. 6. *Deus tuus, ô Deus, unxit te* &c. quod de Christo dici liquet ex Heb. 1. 8. 9. Sic. *Esaj.* 9. 7. *Puer nobis natus. & filius nobis datus, vocatur Deus fortis. Jer.* 23. 5. 6. *Germen Davidis dicitur vocandum Jehova justitia nostra.* 1. *Joh.* 5. 20. dicitur *verus Deus, & vita æterna. Rom.* 9. 5. *Deus benedictus in secula. Phil.* 2. 9: *Forma Dei ipsi adscribitur.* At, ut forma servi necessariò notat naturam humanam cum statu servili, ita forma Dei Essentiam divinam majestaticam designat. Huc refer. 1. *Tim.* 3. 16. *Deus manifestatus in carne. Act.* 20. 28. *Deus redemit Ecclesiam suo sanguine.*

Mich. 5. 2. Joh. 8. 38. Ap. 1. 8.

2. Ex atributis divinis, ut sunt.

a. Æternitas. *Mich.* 5. 2. *Egressus ejus à diebus seculi. Joh.* 8. 38. *Priusquam Abraham esset, ego sum. Apoc.* 1. 8. *Ego sum α & ω, qui est, qui erat, & qui futurus est.*

Joh. 2. 24. 25.

b. Omniscientia. *Joh.* 2. 24. 25. *Noverat omnes, nec opus erat ut quisquam ei testaretur de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine.*

c. Omni-

c. Omnipræsentia. *Matth.* 28. 20. *Ero vobiscum usque ad consummationem seculi.* Matth. 28. 20.

d. Omnipotentia. *Joh.* 5. 19. *Quæcunque Pater facit, hæc Filius pariter facit*; *Heb.* 1. 3. *Sustinet omnia verbo suo potente.* Joh. 5. 19. Heb. 1. 3.

3. Ex operibus divinis. *Joh.* 14. 11. *Credite, Patrem in me, & me in Patre esse, sin minus, propter opera saltem credite.* Joh. 14. 11.

4. Ex honore divino. *In ipsum credendum. Joh.* 3. 16. *In ejus nomen baptizandum. Matth.* 28. 19. *Ad ejus nomen flectendum omne genu. Phil.* 2. 10. Joh. 3. 16. Matth. 28. 19. Phil. 2. 10.

OBJECTIONES.

1. *Christus factus est Dominus post resurrectionem. Act.* 2. 36. R. Non *dominio Essentiali*, quod habuit ab orbe condito, sed quoad plenam manifestationem & inaugurationem ad dominium *personale* & œconomicum, quod illi competit, quia est θεάνθρωπος. Act. 2. 36.

2. *Hæres constitutus est. Heb.* 1. 2. R. Non dono gratiæ, sed proprietate naturæ; non est Filius, quia hæres, sed hæres, quia Filius. Heb. 1. 2.

3. *Est primogenitus omnis Creaturæ. Col.* 1. 15. R. Dicitur πρωτότοκος, non πρωτόκτιστος, ratione dominii, quia ut omnia per ipsum facta sunt, ita imperium habet in omnia, sed non ratione Creationis; quasi primus inter Creaturas productus esset, aliâs non diceretur, jam fuisse in principio, & omnia condidisse. Col. 1. 15.

4. Est *principium creaturæ Dei. Apoc.* 3. 14. R. Non passivum, quasi esset prima Creatura, sed activum, quia ab eo omnes Creaturæ originem ducunt, ut Paulus loco citato exponit. Apoc. 3. 14.

5. *Pater unus Deus dicitur.* 1. *Cor.* 8. 5. 6. Non relatè ad Filium, aut Spiritum S. sed ad idola, quod patet ab antithesi. v. 4. *idolum nihil est in mundo, & nullus est alius Deus nisi unus.* 1. Cor. 8. 5. 6.

6. *Habet Principium.* R. Communicationis, non inchoationis.

X. Licèt Filius sit à Patre, non minus tamen αὐτόθεος dicitur, non ratione personæ, sed ratione Essentiæ, non relatè quà Filius, sic enim est à Patre, sed absolutè quà Deus; sic Filius est Deus à seipso, licèt non sit à seipso Filius. Unde patet quàm injustè dicam hæreseos scribant Calvino Genebrar- Christus quomodo dicatur αὐτόθεος.

brardus, & alii ex Pontificiis, eò, quòd impietatem Valentini Gentilis confutaturus, qui Essentiam divinam soli Patri tribuebat, quem ideo Deum primarium vocabat, & αὐτοθεὸν, Filium verò & Spiritum S. essentiatos à Patre; Filium non minùs ac Patrem αὐτόθεον dixit, sed respectu essentiæ tantùm, quæ non minus est αὐτουσία in Filio, quàm in Patre, non verò Personæ. Quod rectè dici ipse Bellarm. agnovit. l. 2. de Christo. c. 19.

XI. Nihil in hoc mysterio ad modum creaturarum, verùm omnia dignè Deo cogitari debent. Vocatur generatio, ut cogitemus, quemadmodum genitum in Creaturis est ejusdem naturæ cum generante, & spiratio vita nostra, ita in Deo hanc esse naturam & vitam Dei, quòd sit Pater, Filius, & Spiritus S.

XII. De Sp. S. quinque credi debent. (1.) Quòd sit persona. (2.) Divina. (3.) Distincta à Patre & Filio. (4.) Ab iisdem procedens. (5.) Tertia ordine.

CONTROVERSIA. I.

Spiritus S. est Persona.

An Spiritus S. sit persona?

Aff. cont. Socin.

ARGUMENTA.

1. Actiones personales ipsi tribuuntur: ut, *Docere. Joh.* 14. 15. *Testari. Joh.* 15. 26. *Scrutari profunditates Dei.* 1. *Cor.* 2. *Creare. Gen.* 2. 2. *Dona varia conferre.* 1. *Cor.* 12. 21.

Exc. Exc. *Rebus sæpe tribuitur, quod personarum est, ut peccato, quòd deceperit & occiderit. Rom.* 7. 11. *Legi quòd loquatur. Rom.* 3. 19. *Sanguini Abelis quod clamet. Gen.* 4. 10. R. Loca allata non notant agendi principales Causas, sed media, quibus per usitatam metalepsim actio principalis agentis describitur; nec enim propriè peccatum decipit, sed Diabolus per peccatum, nec activè occidit, sed meritoriè. Lex propriè non loquitur, sed Legislator in Lege. Sanguis clamat non effectivè, sed objectivè. At, quæ tribuuntur Spiritui S. Sic Personarum sunt & viventium, ut in Scriptura ad res inanimatas non transferantur.

2. Est alius à Patre & Filio, *missus ab utroque. Joh.* 14. 16. & 15. 26. & 16. 27. Emphaticè paracletus dicitur, quod innuit officium personale: Emphaticè etiam πνεῦμα conjungitur cum pronomine masculino, *Joh.* 16. 13. ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας.

Joh. 19. 13.

3. Æquali

3. Æquali potestate concurrit cum Patre & Filio, ut patet ex Baptismi formula. Matth. 28. 19. Benedictione Apostolica. 2. Cor. 13. 13. & testificatione de Christo. 1. Joh. 5. 7.

4. Sub specie visibili apparet, ut in Baptismo Christi. Matth. 3. 17. & die Pentecostes. Act. 2. 3. Personarum verò est, non attributorum aut accidentium, visibiles species assumere, & in, vel cum, vel sub ejusmodi formis apparere. Exc. *Non omne quod apparet per se subsistens est, siquidem accidentia apparent, nec tamen per se subsistunt.* R. Licèt certum sit, accidentia immediatè in oculos incurrere, supponunt tamen semper rem substratam, aut Personam: Unde sub specie ista visibili aliquod subsistens fuisse oportet, quod Textus Spiritum S. fuisse asserit, & a Personis Patris & Filii in Baptismo Servatoris expresè distinguit. Exc. 2. *Linguæ igneæ ad Spiritûs S. dona sunt restringenda.* R. Textus manifestè distinguit Spiritum à donis: Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ille Sanctus, quo erant repleti, dabat illis loqui. v. 5.

Matth. 3. 17. Act. 2. 3. Exc. 1. Exc. 2.

5. In Spiritum S. peccatur: Hinc mentio fit Israëlitarum, qui *exacerbârunt Spiritum Sanctitatis. Jes. 63. 10.* & *blasphemiæ in Spiritum S. Math. 12. 31. 32.* & Ananiæ & Saphiræ, qui *mentiri* dicuntur *Spiritui S. Act. 5. 3.* Is autem, adversus quem peccamus, non potest non esse persona divina. Exc. 1. *In Scriptura nonnulla dicuntur blasphemari, quæ non sunt personæ: ut, bonum nostrum. Rom. 14. 16. Doctrina. 1. Tim. 6. 1. Dei sermo. 1. Tim. 2. 5. Via veritatis. 2. Pet. 2. 2.* R. Non sequitur, idem de Sp. S. dici posse; quia res semper dicuntur blasphemari relatè ad Deum ipsum; sic nostri boni blasphemia est Dei ipsius offensio, à quo bonum illud accepimus, doctrinæ & sermonis blasphemia, in Deum ipsum, ejus authorem refunditur: sed blasphemiæ in Spiritum S. alia ratio est, quia expresè distinguitur à blasphemia in Patrem & Filium. Exc. 2. *Ananias mentitus est Spiritui S ceu Dei dono quo pollebat Petrus, non verò ceu personæ divinæ.* R. Atqui mentiri nemo potest alicui, nisi ut personæ intelligenti & viventi, unde v. 5. Petrus inquit: *Non mentitus es hominibus, sed Deo.*

Jes. 63. 10. Matth. 12. 31. 32. Act. 5. 3. Exc. 1. Exc. 2.

6. Distinguitur à donis suis. 1. *Cor. 12. 24. Descrimina sunt donorum, sed idem Spiritus.* & v. 11. *Omnia ista operatur unus & idem Spiritus, distribuens sigillatim unicuique sicut vult.*

OBJECTIONES.

Luc. 1. 35. 1. *Est virtus altissimi.* Luc. 1. 35. R. Per altissimum ipse Spiritus intelligitur; virtus altissimi est virtus Spiritus S.

2. *Spiritui S. tribuitur, quòd eo ungamur, baptizemur, repleamur, quod effundatur* &c. *Hæc vero non competunt personæ.* R. ista de donis ipsius intelligenda sunt, ut etiam Christus dicitur induci, recipi, manducari, &c.

CONTROVERSIA. II.

Spiritûs S. Deitas probatur.

An Spiritus S. sit verus Deus cum Patre & Filio?

Affir. cont. Socin.

ARGUMENTA.

Act. 5. 3. 1. A Nomine Dei ipsi tributo. *Act.* 5. 3. Dicit Petrus ad Ananiam: *Non homini mentitus es, sed Deo*; mentiebatur autem Spiritui S. v. 3.

2. A proprietatibus, quales sunt.

Gen. 1. 2. a. Æternitas. Nam in principio creationis *spiritus incubabat superficiei aquarum. Gen.* 1. 2.

Ps. 139. 7. b. Omnipræsentia. *Ps.* 139. 7. *Quò abibo à Spiritu tuo?*

1. Cor. 2. 10. c. Omniscientia. 1. *Cor.* 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei*, non inquirendo, sed penetrando.

d. Omnipotentia, quæ ex operibus manifesta est.

3. Ab operibus divinis, ut sunt.

Ps. 33. 6. Joh. 26. 13. a. Creatio omnium. *Ps.* 33. 6. *Verbo Jehovæ cæli facti sunt, & spiritu oris ejus totus exercitus eorum. Job.* 26. 13. *Spiritu suo cælos ornavit.*

Gen. 1. 2. b. Conservatio omnium. *Gen.* 1. 2. *Incubabat aquis*; simile à gallinis, pullis insidentibus, eosque foventibus.

Es. 61. 1. c. Missio & unctio Christi. *Esaj.* 61. 1. *Spiritus Domini super me, quoniam unxit me*, &c.

1. Cor 12. 4. d. Dona linguarum & miraculorum. 1. *Cor.* 12. 4. *Varia dona, sed idem Spiritus.*

4. Honores divini. In eum enim credendum, juxta symbolum; In ejus nomen baptizandum. Matth. 28. 19. Ad eundem preces dirigendæ, 2. Cor. 13. 13. Apoc. 1. 4. ubi septem spiritus dicuntur non numeri, sed donorum respectu; unde vetus Ecclesia canit: Tu septiformis munere.

OB-

OBJECTIONES.

1. *Est Spiritus Dei.* R. Ut Christus Filius Dei: voce Dei personaliter sumtâ.

2. *Est digitus Dei.* Luc. 11. 20. R. Digitus Dei est digitus Spiritûs, seu signum potentiæ ejus. Luc. 11. 20.

3. *Nondum erat ante Christi glorificationem. Joh.* 7. 39. R. Nondum erat, non absolutè, sed secundùm quid, ratione uberioris effusionis, quæ postea in Apostolos, aliosque fieri debuit. Joh. 7. 39.

4. *Mittitur.* R. Non per imperium, sed per consensum, quod diversitatem quidem officii notat, sed non essentiæ.

5 *Scrutatur.* 1. *Cor.* 2. 10. R. Ut Deus corda. Rom. 8. 27. i. e. funditus novit: Scrutatur non investigando, sed intimè penetrando. 1. Cor. 2. 10.

6. *Orat pro nobis. Rom.* 8. 26. R. Orat pro nobis non ut Christus, mediator, repræsentando cœlesti Patri meritum suum; sed orat nostro loco, in nobis, quando nos orare non possumus, & ita sublevat infirmitates nostras. Rom. 8. 26.

7. *Audit, & accipit ab alio. Joh.* 16. 13. 14. R. Tanquam alia persona testatur Jesum esse Christum. Tres enim sunt testes in cœlo, Pater, Filius, & Sp. S. & hi tres unum sunt. 1. Joh. 5. 7. Joh. 16. 13. 14.

XIII. Quær. An Sp. S. à Patre & Filio procedat? R. Celebris hæc olim erat Controversia inter *Græcos* & *Latinos*. *Græci* statuebant, eum à Patre solo procedere; *Latini* à Patre & Filio. Tandem in Concilio Florentino, anno 1439. temperamentum quæsitum est, ut statueretur Sp. S. à Patre per Filium procedere. Licèt verò non debeant Græci hæreseos insimulari propter sententiam suam, nec ea debuerit esse occasio Schismatis, tamen Latinorum sententia melius retinetur, tum, quia Sp. S. etiam à Filio mittitur. Joh. 16. 7. tum, quia etiam dicitur Filii Spiritus. Gal. 4. 6. tum, quia quicquid habet, habet etiam à Filio. Joh. 16. 13. 14. tum, quia Christus insufflavit Sp. S. discipulis. Joh. 20. 22. Spiritus S. à Patre & Filio procedit.

XIV. Quodnam sit discrimen inter Generationem Filii, & processionem Spiritûs S. explicari non potest, & rutiùs ignoratur, quam inquiritur. Scholastici differentiam istam volunt petere ab operatione intellectûs & voluntatis, ut generatio Filii fiat per *modum intellectus*, unde dicatur Dei *sapientia*; Processio verò per *modum voluntatis*, unde dicatur *amor* & *charitas*: Differentia inter generationem & processionem.

tas: sed ut hoc sine Scriptura dicitur, ita rem implicat potiùs, quàm explicat. Saniùs loquuntur, qui in re tam ardua balbutientes, discrimen istud in tribus collocant. 1. *In Principio*, quia Filius emanat à Patre solo, Spiritus S. verò à Patre & Filio simul. 2. *In modo*, quia Filius emanat per viam generationis, quæ terminatur non tantùm ad personalitatem, sed etiam ad similitudinem, ob quam Filius vocatur imago Patris, & secundùm quam Filius accipit proprietatem communicandi alteri personæ eandem Essentiam. Sed Spiritus per viam spirationis, quæ terminatur tantùm ad Personalitatem communicandi Essentiam istam alteri Personæ. 3. *In ordine*, quia, ut Filius est secunda Persona, Spiritus S. verò tertia, generatio modo nostro concipiendi spirationem præcedit, licèt reipsa sint coæternæ.

Nomen Elohim non semper probat Trinitatem.

XV. Adjiciendum insuper; In probando sancto hoc mysterio cautè esse agendum: In specie de nomine Elohim observandum: Cùm illud de Trinitate accipitur, non deduci vel ex etymo vocabuli, vel ex numero plurali per se, nec ubique significare Trinitatem, sed quibusdam saltem in locis, pro variis eorum subjectis & circumstantiis; Quod probè tenendum, quia etiam illud nomen pluraliter de unico vitulo. Exod. 32. 31. de uno Mose. Exod. 4. 16. Dagone unico. Jud. 16. 23. pronunciatur.

Mysterium non ex lùmine naturæ probatur.

XVI. Unde nullus hic rationi, sed soli revelationi locus, similitudines variæ quæ hic adhiberi solent ab anima humana, ab iride, ab arbore, à sole & luce, illustrationi quidem aliquo modo possunt inservire, cautè tamen debent proponi. Quæ ex gentilium monumentis ad hoc mysterium pertinentia occurrunt, vel sunt supposititia, ut quæ petuntur ex Trismegisto, & Libris Sibyllinis, vel non huc faciunt, ut quæ ex Platone de tribus Principiis, *Mente*, *Verbo* & *Spiritu* petuntur, quæ tres Essentias seu Deos separatos astruunt, & si quid veri habent, id ex prisca Hebræorum doctrina, & lectione Librorum Mosis & Prophetarum, quos non ignotos fuisse penitùs Platoni, constat, hausum est.

LO-

LOCUS V.
DE
DECRETIS DEI.

I. ACtiones Dei ratione objectorum dividi possunt; quòd vel circa Deum ipsum versentur: ut, *generatio*, *spiratio*, *cognitio & amor sui*. Vel circa creaturas: Quæ vel æternæ sunt: ut *decreta*, vel temporales, ut *creatio*. Actiones Dei quotuplices.

II. Aliâs distinguunt Theologi actiones Dei in actiones *ad intra*, quorum terminus est intra Deum, & *ad extra*, quorum terminus est extra Deum. Actiones ad extra distinguunt in *internas*, quæ fiunt in Essentia Dei: ut, Decretum; & *externas*, quæ fiunt extra Dei Essentiam: ut, Executio *Decreti*.

III. Decretum Dei est definita Dei sententia, rem ab æterno futuram, vel non futuram statuens. Decretum quid.

IV. Decreta in Deo dari, testatur Scriptura, quæ passim πρόγνωσιν, πρόθεσιν, ὡρισμένην βουλὴν, εὐδοκίαν, consilium Deo tribuit. Decreta autem Deo tribuuntur non ratione *inquisitionis*, sed *determinationis* certæ de rerum futuritione, secundùm quam nihil facit temerè, sed consultò, i. e. sciens & volens. Decreta an sint in Deo & quomodo?

V. Decretorum attributa præsertim quinque sunt. 1. Quod sint libera. 2. Æterna. 3. Absoluta. 4. Immutabilia. 5. Prima rerum Causa.

CONTROVERSIA. I.
An Decretum Dei in Deo sit accidens?
Neg. c. Socin. & Vorst.

Socinus & Vorstius volunt, Decreta in Deo esse *inhæsivè* & *accidentaliter*, ut Dei simplicitatem evertant, & in eo compositionem realem dari evincant: Nos in Deo non posse dari accidentia ita probamus. Decreta in Deo non sunt accidentia.

ARGUMENTA.

1. A *simplicitate* ejus; nam in quem cadit accidens, ille componitur ex subjecto & accidente.

2. Ab

2. Ab ejus infinita *perfectione* cui nihil accedere potest.

3. Ab ejus *immutabilitate*, quia accidens est radix omnis mutationis.

OBJECTIONES.

1. *Essentia Dei numero una est; decreta numero plura.* R. Decreta plura sunt ratione rerum Decretarum; sed actio decernens una tantum.

2. *Decreta contraria sunt.* R. Sententiæ Decretæ contrariæ quidem sunt: ut; De mundo creando, & in nihilum redigendo, sed actio tantùm una.

3. *Essentia est independens; decreta à voluntate dependent.* R. Sententias istas statuere, à voluntate dependet; sed actio decernens ipsa voluntas est.

Decreta quomodo necessaria & libera?

4. *Essentia est necessaria; decreta libera sunt.* R. Decreta libera sunt *terminative*, & ex *parte rei*, sed non *subjectivè*, & ex *parte Dei*; Libera *in actu exercito*, quatenus Deo liberum est hoc vel illud decernere; non est in *actu signato*, quia aliquid decernere pendet ex interna constitutione Dei, quâ intelligit & vult. Libera sunt quoad σχέσιν & relationem ad extra, sed non quoad existentiam absolutam ad intra.

Quæ in decreto observanda.

VI. Hinc patet, in Decreto tria probè esse distinguenda. 1. *Essentia Dei volens* & decernens ad modum principii. 2. *Tendentia ejus ad extra*, sine ulla tamen interna vel additione vel mutatione, quia nihil dicit, nisi respectum externum & habitudinem ad Creaturam, quæ se habet ad modum relationis. 3. *Objectum ipsum*, seu res decreta, quæ habet rationem termini. Primo modo decretum est necessarium, sed posteriori liberum.

Decreta quomode sint in Deo?

VII. Dicendum E. Decreta in Deo esse *essentialiter*, ut *actus immanentes voluntatis ipsius*, cum σχέσει & terminatitione ad extra, quique ideò non differunt realiter ab Essentia Dei, cùm voluntas Dei, cum qua identificantur, nihil aliud sit, quàm ipsa Essentia volens, inadæquato conceptu a nobis apprehensa: Hoc sensu Decreta rectè dicuntur identificari cum ipsa essentia, prout concipitur ad modum actus vitalis sese determinantis ad hoc vel illud extra se producendum; unde induunt notionem tum *Causæ efficientis*, quia quæcunque futura sunt, ideò futura sunt, quia Deus decrevit, tum *Exemplaris*, quia Decretum Dei est omnium rerum extra se quasi idea, ad quam ceu ἀρχέ-

τυπον

τυπον ipsa velut ἔκτυπα exprimuntur in tempore.

VIII. Ideò Decreta non malè rerum omnium *ideæ* in mente Dei dicuntur esse, non prout sonant speciem aliquam intelligibilem, vel formam aliquam rerum, quæ ex rebus ipsis eliciatur, & imprimatur in Deo, ut se res habet in ideis humanis. Sed prout innuunt notionem, seu causam Exemplarem, quæ rebus ipsis præexistit in mente Dei, & exprimitur in ipsis quum producuntur. Decreta ideæ bene dicuntur.

CONTROVERSIA.

An omnia Dei Decreta æterna sint, & nulla in tempore facta? Aff. contra Socin.

Ut *Sociniani* faciliùs probent, Decreta differre realiter à Deo, docent, non omnia esse æterna, sed quædam temporalia, quorum multa in tempore, prout rerum ipsarum ratio exigebat, facta sint. Nos verò omnia Decreta absolutè & simpliciter æterna esse credimus. Decreta Dei sunt æterna.

ARGUMENTA.

1. Scriptura illis æternitatem tribuit, ut, quum piis dicitur *regnum paratum à jactis mundi fundamentis. Matth.* 25. 34. quum *electi* dicimur *ante jacta mundi fundamenta. Eph.* 1. 4. & *gratia data nobis* dicitur *in Christo* πρὸ χρόνων αἰωνίων, 2. *Tim.* 1. 9. & *Christus præcognitus à Deo* πρὸ καταβολῆς κόσμου. 1. *Pet.* 1. 19. Matth. 25. 34. Eph. 1. 4. 2. Tim. 1. 9. 1. Pet. 1. 19.

2. Act. 15. 18. Jacobus asserit. *Deo nota fuisse ab æterno omnia sua opera.* Nam, si præscientia Dei est æterna, necesse est etiam ut Decretum quo ipsa nititur, sit æternum, quippe non novit res ut futuras, nisi in decreto, per quod à statu possibilitatis transeunt ad statum futuritionis. Act. 15. 18.

3. *Si* Deus in tempore demùm decreta conderet, tum pro re nata consilium caperet, instar hominum, quod infinitam ejus sapientiam non decet.

OBJECTIONES.

1. *Decreta aliis sunt priora, alia posteriora.* R. Non à parte Dei; sic enim sunt unicus & simplicissimus actus in Deo; sed respectu nostri modi concipiendi, qui propter distincta objecta decreta non possumus nisi distinctè per prius & posterius concipere.

2. *Quo aliquid est prius illud non est æternum. At Deus est prior Decretis.* R. Non est prior ordine durationis & tem-

temporis, sed prioritate ordinis & naturæ, quæ æternitatem Decretorum non tollit.

3. *Causa est prior effectu. At Deus est causa Decretorum.* E. R. Neg. major: Nam id ne in Creaturis quidem valet, in quibus sæpe effectus causis suis sunt coævi, quum scilicet ab illis per emanationem procedunt, ut lumen soli, ratio menti sunt σύνχρονοι. Ita nihil obstat, decretum esse coæternum Deo, à quo fit, quamvis non tam decreti causa, quàm principium dici debeat.

4. *Sic tollitur libertas Dei in decernendo.* R. Neg. Quia, licèt nullum momentum assignari possit, quo Deus ad hoc vel illud decernendum fuerit actu indifferens; tamen certum est, naturam Dei in se fuisse indifferentem, ut vel hoc vel illud decerneret, quia nulla fuit necessaria connexio inter Deum & creaturas.

Decreta quomodo dicantur absoluta?

VIII. Decreta Dei dicuntur absoluta. 1. Quatenus sententiæ determinatæ & certæ sunt; non animi suspensi desideria, necdum planè determinata. 2. Quatenus à nulla præcedente conditione pendent. 3. Quatenus Deus ea impediri aut excidere non vult.

CONTROVERSIA.

An dentur Decreta conditionata? Neg. c. Soc. Remonst. & Jesuitas.

Non dantur Decreta conditionata.

Adversarii Decreta conditionata excogitârunt, ad liberi arbitrii & scientiæ mediæ figmentum extollendum.

Non verò agitur h. l. de Decreto absoluto vel conditionato *à posteriori & consequenter*, vel *respectu rerum Decretarum, & objectorum volitorum* extra Deum. Non quæritur: An dentur talia decreta, quæ vel nullam conditionem & medium in executione habeant vel includant: Hoc enim sensu non negamus, varia decreta posse vocari conditionata, quamvis minùs propria sit locutio: sed agitur de Decreto Conditionato à *priori & antecedenter*, *à parte ipsius Decreti*, & quæritur: An talia dentur Decreta, quæ suspendantur à Conditione aliqua extra Deum potestativâ & incerti eventûs? An verò sint absoluta, quæ pendeant à solo ejus beneplacito. Posterius hoc probatur sequentibus argumentis.

ARGUMENTA.

Matth 11. 26.

1. Quia Decreta Dei pendent ab ejus εὐδοκίᾳ. *Matth. 11. 26.*

26. *Etiam pater, quoniam ita placuit tibi. Eph.* 1. 5. *Prædestinavit nos pro benevolo affectu voluntatis ejus.* Eph. 1. 5.

2. Omne Decretum Dei est immutabile. *Jesaj.* 46. 10. *Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum.* At Decretum conditionatum est mutabile, quia omnis conditio est mutabilis, præsertim, si non sit decreta à Deo, sed in libero hominis arbitrio posita, unde ea cessante Deus sine suo excideret, & nova inire teneretur consilia.

3. Quia repugnat sapientiæ & potentiæ Dei, talia condere Decreta, quæ à conditione aliqua impossibili pendeant, quæ nec futura sit, nec esse possit, quia ipse, à quo solo omnia pendent, eam dare non vult.

4. Si Decreta Dei suspenduntur à Conditione aliqua quæ sit in homine, sequitur: Creatorem pendere à Creatura.

5. Decreta conditionata non possunt poni, quin supponatur, eum, qui decrevit, aut ignorare eventum, aut eventum non esse in decernentis potestate; aut, eum de eventu nihil certi constituisse, quæ omnia in Deum sunt injuria.

OBJECTIONES.

2. *Si credideris, salvaberis. Marc.* 16. 16. R. Id non formam decreti, sed sententiæ moralis continet, qua exponitur, quòd Deus ei, cui fidem dat, etiam salutem daturus sit. Marc. 16. 16.

2. *Omnis promissio vel comminatio hypothetica refundi debet in aliquod Decretum, à quo pendeat: Decretum verò illud debet esse conditionatum.* R. Hoc Decretum non debet esse conditionatum, sed absolutum; non quidem de executione rei illius, seu de ejus certa futuritione, sed tantùm de ejus cum alia infallibili connexione. v. g. Propositio Evangelica servandi peccatores si crediderint, nititur aliquo decreto, non quidem rei futuritionis, quasi omnibus decreverit dare salutem sub conditione fidei, sed connexionis, quâ fidem cum salute indissolubili nexu sociare voluit.

3. *Pharisæi Consilium Dei rejecerunt. Luc.* 7. 30. R. Hic non notatur Decretum ullum Conditionatum, de servandis Phærisæis sub conditione fidei & pœnitentiæ, sed voluntas mandati, testimonium sc. Johannis de Christo, per Luc. 7. 30.

quod Deus consilium iis dabat de modo adipiscendi salutem æternam, quo sensu vox sumitur: *Ps.* 107. 11. *Consilium excelsi spreverunt. Prov.* 1. 30. *Non acquieverunt consilio meo, sed contempserunt omnem correctionem meam. Apoc.* 3. 18. *Consilium tibi do, ut emas à me aurum.* &c.

Num. 14. 30.

4. *Num.* 14. 30. *Quos Deus primò in Canaan ducere decreverat, postea noluit.* R. Locus docet quidem solemnem promissionem factam fuisse à Deo illi populo, introducendi illum in terram Canaan, sed sub Conditione obsequii, quâ cessante cessabat promissio: sed non arguit, aliquod fuisse Decretum conditionatum de illis introducendis; imò, ut decreverat talem promissionem facere, ita suis de causis etiam constituerat illam istorum contumaciam permittere, & istius generationis individua non introducere in terram promissam. 2. Ut promissio facta fuit genti in communi, non necesse est ut singula ejus individua respiciat, ut in illis impleatur, sufficit ut spectarit demùm ea quæ ad sequentem generationem pertinent, in quibus debuit impleri.

Decretum Dei quotuplex?

IX. Decreta Dei ratione rerum Decretarum sunt triplicia. (1.) Est *effectivum* de re efficienda. (2.) *Morale*, de re mandanda. (3.) *Permissivum*, de peccato permittendo; ut de voluntate Dei diximus.

X. Nequaquam tamen omnia quæ decrevit mandare, etiam decrevit efficere; tum enim innumera decreta quotidie excciderent. Et quoniam omnibus sanctitatem & impletionem legis mandat, decrevisset omnes per legem salvare. Sed ea tantùm efficere decrevit, quæ fiunt, sive bona sint moralia, sive naturalia.

CONTROVERSIA. I.

An Deus unicuique homini certum & fixum vitæ terminum decreto suo constituerit? Aff. c. Soc. & Remonst.

Terminus vitæ est fixus.

Quæstio hæc movetur à *Socinianis* & *Remonstrantibus*, qui, ut Decretorum mutabilitatem asserunt, negant etiam vitæ terminum à Dei providentia ita fixum esse & determinatum, ut non possit vel prorogari vel abbreviari.

Non autem quæritur de termino vitæ resp. *Causarum secundarum*; fatemur enim, posse vel contrahi vel produci propter bonum vel malum regimen, sed resp. *Causæ primæ*, & respectu divini decreti & divinæ ordinationis.

Non

Non etiam quæritur: An mors cujusque & vita decreta sit absolutè absque ullo respectu ad media necessaria, adeò, ut quicquid fecerint aut non fecerint homines, certò eventurum sit quicquid decrevit Deus. Hoc enim nemo nostrûm asserit, qui ita fixum terminum agnoscimus, ut necessitatem mediorum non excludamus. Sed quæritur: An Dei Decreto cujusque hominum vitæ terminus fixus & immobilis cum omnibus suis circumstantiis ita sit constitutus, ut alio temporis articulo, & alio mortis genere decedere non possit, quàm quo eum decedere contingit? quod affirmamus.

ARGUMENTA.

1. Hoc probant manifesta Scripturæ dicta. *Job.* 14. 5. *Definiti sunt dies hominum, numerus mensium ejus tecum est, statuta seu determinationes ejus fecisti, quas nemo transgrediatur.* Job. 14. 5. *Ps.* 39. 5. 6. *Fac scire me Domine finem meum, & mensuram dierum meorum quæ ipsa sit, ut noscam quanti ævi ego. Ecce palmas (i.e. ut palmæ mensuram) posuisti dies meos, & tempus meum tanquam nihil coram te.* Ps. 39. 5. 6. Ex *Matth.* 10. 28. 29. 30. concludimus: *Si capilli capitis nostri numerati sunt*, multò magis dies, menses, anni; & si ne passer quidem cadit sine Patris voluntate, quantò minus homo moritur absque speciali nutu summi imperatoris, qui habet jus vitæ & necis. Matth. 10. 28. 29. 30.

2. Vitæ terminus prædicitur infallibiter, ut 120 anni primi mundi. Gen. 6. Mosis. Deut. 31. 14. Infantis Davidis. 2. Sam. 12. 14. Filij Jeroboami. 1 Reg. 14. 12. & multorum aliorum.

3. Mortis genus quod maximè casuale & fortuitum videtur, definitum est immutabili Dei decreto. E. multo magis quodlibet aliud mortis genus. Patet in homicidio casuali, de quo Exod. 21. 13. 14. dicitur, quòd *Deus fecit talem hominem occurrere ad manum ejus.* Exod. 21. 13. 14. In Achabo, cujus instans exitium 1. Reg. 22. 10. prædicitur, & tamen dicitur casu periisse. v. 34. nimirum causæ secundæ respectu. In Idololatris Judæis, quos Deus dicitur numerâsse ad gladium. Jes. 65. 7.

4. Deus certo & præstituto ordine totam hominis vitam, motus & ætates moderatur a principio ad finem. E. & ultimum vitæ terminum debet definire, nam qui singulos actus antegressos providè curat, cur negligeret extremum?

5. Si Deus non præstituit cuique suum vitæ terminum, sequitur Dei Providentiam tantùm versari circa τὰ καθ' ὅλα, non circa τὰ καθ' ἕκαστα; hominem vitæ mortisque esse fabrum, Dei voluntatem & scientiam postponi causis secundis, pro re nata omnia ordinare, ad motus hominum decreta sua formare & inflectere, &c. & sic Deum non esse Deum.

OBJECTIONES.

Exod. 20. 12. 1. *Vita longa promittitur. Exod.* 20. 12. R. Longa; sed non longior constituto termino. E. Quum Scriptura loquitur de prolongatione vel abbreviatione dierum, quæ fit à Deo respectu piorum aut impiorum; non tam intelligitur propriè prolongatio vel abbreviatio termini à Deo positi, quam longævitas absoluta, aut mors præcox, ut Paulus explicat verba legis. *Eph.* 6. 1. *Ut sis longævus super terram.*

Ps. 55. 24. 2. *Impii non dimidiant dies suos. Ps.* 55. 24. R. Non propriè aut absolutè, sed comparatè & relatè, non quidem ad Decretum Dei, sed vel ad naturam suam, & corporis habitum, quia sibi relicti & absque casu divinitùs immisso, potuissent diutiùs vivere, vel relatè ad opinionem, spem & intentionem tum suam, tum aliorum, quia ingentem dierum summam spe jam præceperant.

Jes. 38. 1. 2. 3. *Quindecim anni Hiskiæ additi. Jes.* 38. 1. 2. R. Denunciatio mortis quæ facta fuit Ezechiæ est comminationis, non prædestinationis, non absoluta, sed conditionalis, licèt conditio expressa non fuerit, sed eventu tantùm declarata. Non decreverat E. Deus mori Ezechiam, sed tantùm mortis sententiam illi denunciari, ut dolore salutari contritus ad Deum ardentiùs confugeret; quod à Rege intellectum fuisse ex eo colligitur, quòd illicò ad parietem conversus, ad Jehovam preces ardentissimas pro vitæ prorogatione fuderit.

Eccles. 7. 17. 4. *Improbus moritur tempore non suo. Eccles.* 7. 17. R. Tum resp. causarum secundarum, & constitutionis naturalis, quia ulterius potuisset prorogari ejus vita, quam Deus justo Dei judicio abrumpere voluit, tum respectu voti & spei ipsius, quia intempestivè semper moritur, i. e. illibens & imparatus, qui nunquam vel vivere vel mori didicit.

5. *Longitudo dierum promittitur pietati, & brevitas impiis denunciatur. E. vitæ terminus suspenditur à conditio-*

ne incerta hominis. R. Promissiones & comminationes illæ non declarant quid Deus de singulis apud se decreverit, sed quales sive longævitate ornare, sive brevitate vitæ mulctare velit, & quæ præmia pietati, quas pœnas impietati posuerit; quæ tamen, pro natura rerum temporalium, semper cum conditione voluntatis ejus intelligendæ sunt, qui potest prout expedire judicat, vel vitam contrahere piis ad ipsorum salutem, vel impiis producere ad graviorem ipsorum pœnam.

6. *Sic preces pro longæva vita concipi non possunt.* R. Neg. Tum, quia terminus ille nemini cognitus est, tum, quia preces debent semper esse ex hypothesi voluntatis Dei, cui se suaque omnia fideles submittere debent.

7. *Qui violentas sibi manus inferunt, hoc modo possunt excusari.* R. Neg. Quia tale scelus non committunt, ut Decreto Dei, quod ignorant, morem gerant, sed ut furorem Diabolicum, quo perciti sunt, expleant.

8. *E. excusari possunt Turcæ, qui hoc prætextu, quod dies ipsorum numerati sint, nullum fugiunt discrimen.* R. Neg. Nam doctrina de termino vitæ fixo, sic debet nos fortes & imperterritos reddere in periculis omnibus, quæ nos circumstant, dum vocationem nostram sequimur, ut nos non faciat temerarios ad tentandum Deum.

9. *Tollitur usus mediorum.* R. Imò supponitur, quia Dei Decreto talia media instituta sunt ad futuritionem rei. Licèt Ezechiæ prorogata fuisset vita, ut de eo dubitare non posset, non ideo debuit cibum negligere, sed contra debuit subservire hac in parte consilio Dei. Sic. Act. 27. 24. Deus vitam omnium, quotquot in navi erant, dederat Paulo, tamen, cùm nautæ vellent sese subducere, dicit Apostolus: *Nisi manserint isti, servari non potestis.* Unde patet, mediorum operam sine temeritate negligi non posse. Act. 27. 24.

CONTROVERSIA. II.

An Decretum afferat necessitatem rebus futuris? Aff. contra Pelag.

An Decretum necessitatem afferat rebus?

Quæstio agitatur inter Nos & Pelagianos ac Semipelagianos Vereres & Novos, qui ut faciliùs idolum Liberi arbitrij stabiliant necessitatem rerum ex Decreto & Præscientia negant.

Necessarium spectari potest vel in Deo, vel in rebus ipsis. Quotuplex sit.

In Deo duplex *necessitas* vulgò notatur, una *absoluta*, cujus oppositum simpliciter est Deo impossibile, ut, quùm dicitur Deus incorruptibilis; & qui seipsum abnegare nequit, alia *hypothetica*, quæ oritur ex hypothesi Decreti divini, quo posito necesse est sequi ipsum effectum volitum; quæ iterum est duplex, alia *immutabilitatis*, ex Decreto immutabili, alia *infallibilitatis*, ex præscientia infallibili. In rebus ipsis tres sunt necessitatis species. 1. *Physica*, & interna, à parte causarum secundarum, quæ ita sunt ad unum determinatæ, ut non possint aliter agere; ut in igne necessitas urendi. 2. *Coactionis*, quæ oritur à principio externo per violentiam agente. 3. *Hypothetica* eventûs seu dependentiæ, per quam res, licèt sit naturâ suâ mutabilis & contingens, non potest non esse propter dependentiam à Dei ordinatione, cujus nec voluntas mutari, nec præscientia falli potest. Non quæritur de necessitate *absoluta* & *physica*, respectu causarum secundarum in se, quia fatemur alias esse necessarias, alias contingentes; sed respectu Dei, & in ordine ad ipsum. Non de necessitate *coactionis*, quia Decretum nullam vim infert causis secundis, sed futuritionem rerum decrevit fieri convenienter naturæ ipsarum; sed quær. de necessitate *hypothetica* & *consequentiæ*, respectu certitudinis eventûs & futuritionis ex decreto, quam asserimus.

ARGUM.

Matth. 18. 7. Matth. 26. 54. Luc. 22. 22. Act. 2. 23. & 4. 28.

Istam necessitatem Scriptura prædicat. *Matth.* 18. 7. *Necesse est ut scandala eveniant.* Et *cap.* 26. 54. *quomodo implerentur Scripturæ, quæ dicunt; ita debere fieri. Luc.* 22. 22. *Filius hominis vadit* κατὰ τὸ ὡρισμένον. Ita *Act.* 2. 23. *&* 4. 28. *Herodes & Pontius Pilatus congregati sunt ad faciendum ea omnia quæ manus tua & consilium antea decreverant fieri.*

OBJECTIONES.

1. *Necessitas illa tollit libertatem in Creaturis rationalibus.* R. Neg. Quia non est necessitas coactionis; Lapsus Adami decreti divini respectu necessariò evenit; interea tamen liberè peccavit Adam, nec jussus, nec coactus, nec impulsus à Deo; imò severissimè, ne peccaret, admonitus.

2. *Necessitas illa tollit contingentiam in causis secundis.* R. Tollit quidem contingentiam respectu causæ primæ, sed non respectu causarum secundarum, quia idem decretum,

tum, quod præstituit futuritionem rerum, statuit etiam modum futuritionis, ut quæ necessarias causas haberent, necessariò, quæ contingentes, contingenter fierent.

3. *Si res omnes necessariæ sunt ex Decreto, Deus erit author peccati, & peccatores excusabuntur.* R. Neg. *Prius* non sequitur; quia Decretum, quod est causa futuritionis peccati, non est tamen ejus causa, nec physica, per malitiæ infusionem, nec Ethica, per ejus approbationem: Ita, licèt ad Decretum sequatur peccatum necessariò, non tamen potest dici fluere ex Decreto, quia Decretum non influit in rem, nec est effectivum mali, sed tantùm permissivum, & directivum. *Posterius* non sequitur; quia talis necessitas libertatem peccatorum, & ἀποφασιν in peccando non tollit. Observandum, quod Decretum non sit regula actionum nostrarum, sed Lex Dei; quamvis E. peccatores impleant voluntatem decernentem, non minùs censentur rei, quia peccant contra voluntatem præcipientem, legem sibi positam violando: Sic Herodes, Pilatus & Judæi, crudelissimè peccârunt per crucifixionem Christi, licet fecerint, quod manus & consilium Dei decreverant. Act. 4. 28.

LOCUS. IV.

DE

PRÆDESTINATIONE.

I. HActenus de Decretis in genere, sequitur de Prædestinatione.

II. Prædestinatio est Decretum triunius Dei, de supremo Creaturarum rationalium fine, seu statu, & mediis ad illum finem necessariis. Prædestinatio quid?

III. Quæritur hic. An Prædestinatio publicè doceri & prædicari debeat? Cui quæstioni jam olim tempore Augustini nonnulli ex Gallis fratribus operam dederunt. Cùm enim ille in libris contra Pelagianos multa inseruisset de Prædestinatione, ut hac ratione veritatem adversus illos defenderet, hâc Doctrina multi turbati sunt, quòd exi- An Prædestinatio publicè doceri & prædicari debeat?

ſtimarent ejus prædicationem periculoſam eſſe, quæ premenda potius eſſet ſilentio, quàm in medium proponenda. In ea etiam nonnulli ſunt hodie ſententia, qui pertæſi contentionum, quæ circa hanc doctrinam exortæ ſunt, putant tutiſſimum eſſe ad pacem Eccleſiæ, has quæſtiones non attingere. Nos ita docemus docendam eſſe hanc doctrinam, ut *affectatæ ignorantiæ*, vel *curioſitatis termerariæ* ſcopulum declinemus. Nam. 1. S. Scriptura hanc doctrinam tradit, præſertim Paulus in Epiſtola ad Romanos Cap. 9. 2. Hæc doctrina unum eſt ex primariis Evangelij Capitibus, fons gratitudinis noſtræ erga Deum, radix humilitatis, anchora fiduciæ, fulcrum conſolationis, & potentiſſimum ad pietatem incitamentum. 3. Importunitas adverſariorum, qui primarium hoc fidei Caput exitialibus erroribus corruperunt, & infames quibus doctrinam noſtram proſcindere ſolent calumniæ, tractationis iſtius neceſſitatem nobis imponunt.

Cautiones circa hanc doctrinam.

IV. Cautiones tamen in tradenda hac Doctrina ſunt obſervandæ. 1. Ne fibulam curioſitati humanæ laxemus, nec ſapiamus παρὰ ὁ γέγραπται. 2. Ut rationem habeamus perſonarum, locorum, & temporum, quibus proponi debet. 3. Prædeſtinatio non tam *à priori* ſpectanda eſt, quàm *à poſteriori*, non ut deſcendamus à cauſis ad effecta, ſed ut aſcendamus ab effectis ad cauſas, non ut curiosè librum vitæ evolvamus, ut videamus, an nomina noſtra ibi inſcripta ſint, ſed ut ſolicitè *librum Conſcientiæ* verſemus, quod nobis non modò permiſſum, ſed & mandatum; an ſc. fructus electionis, fides ſc. & pœnitentia in nobis deprehendantur, quæ tutiſſima eſt procedendi via ad ſalutarem doctrinæ iſtius cognitionem.

Vox Prædeſtinationis multifariam ſumitur.

V. Vox *Prædeſtinationis* trifariam ſumitur apud authores. 1. *Latiùs*, pro omni Decreto Dei circa Creaturas, potiſſimum intelligentes, in ordine ad ultimum earum finem: Et ſic non ſemel apud Patres uſurpatur pro ipſa Providentia. 2. *Specialiùs*, pro conſilio Dei de hominibus lapſis vel ſalvandis ex gratia, vel damnandis ex juſtitia, quod vulgò Electio & Reprobatio dicitur. 3. *Specialiſſimè*, pro Decreto Electionis, quæ Prædeſtinatio Sanctorum dicitur.

Prædeſtinationis vox

VI. Circa vocem iſtam autem quæritur: An referenda ſit tantùm ad Electionem, an Reprobationem etiam com-

complectatur? Quæ Controversia olim acriter disceptata fuit in causa Godeschalci, Seculo IX. Johanne Erigenâ Scoto, eam electioni tantùm convenire statuente; Godeschalco autem & Lugdunensibus, & eorum nomine Remigio Episcopo ad Reprobationem eam extendentibus. Idem nunc inter nos & Pontificios quæritur; *Pontificii* enim, quibus Reprobationis nomen exosum est, primo sensu usurpandam esse contendunt, unde reprobos non prædestinatos, sed *præscitos* vocare solent, & non supponunt, sed opponunt Reprobationem Prædestinationi. Nos & de Electione & de Reprobatione vocem illam sumi probamus; quia Scriptura verbum προορίζειν extendit ad actus scelestos reproborum, qui crucifixionem Christi procurârunt: *Filius hominis abit*, κατὰ τὸ ὡρισμένον. *Luc.* 22. 22. & *Act.* 4. 28. *Nihil Herodes & Pontius Pilatus fecerunt, quàm quod manus & consilium Dei* προώρισε *fieri.* Adhæc Scriptura utitur Phrasibus æquipollentibus, quum ait, quosdam esse *positos ad iram.* 1. *Thess.* 5. 9. 1. *Pet.* 2. 8. *coagmentatos ad interitum. Rom.* 9. 22. *Scriptos ad judicium. Jud.* 4. *Factos ad dedecus. Rom.* 9. 21. *& ad diem mali. Prov.* 16. 4. Si reprobatio istis Phrasibus describitur, cur non poterit exprimi Prædestinationis voce? Tandem definitio Prædestinationis, ordinatio scilicet rei ad finem per media, antequam sit, non minus convenit Reprobationi, quàm Electioni. complectitur Electionem & Reprobationem.

VII. Vox πρόγνωσις non sumitur *Theoretice*, sed *Practice* in hac doctrina. Quum E. Scriptura e. g. Rom. 8. 29. utitur voce προγνώσεως in doctrina de Prædestinatione, non eam usurpat pro nuda Dei præscientia, quâ fidem & opera hominum præviderit, sed pro *præcognitione practica*, i. e. dilectione & electione Dei, ut Christus dicit: Joh. 10. 14. se novisse oves suas; ne putemus illam esse ἄλογον, licèt rationes sapientiæ ejus nos lateant. Vox πρόγνωσις.

VIII. Vox κλογῆς seu *electionis* πολύσημος est: Subinde notat vocationem ad munus: Sic Saul vocatur electus 1 Sam. 10. 24. Judas dicitur electus ad Apostolatum; aliquando notat segregationem alicujus populi ad fœdus, ut populus Israeliticus dicitur electus. Deut. 4. 7. aliquando autem per electionem ad æternam salutem. Vox κλογῆς.

IX. Vox πρόθεσις in hoc negotio singularem habet Emphasin; Notat enim Consilium Dei non esse inanem Vox πρόθεσις.

quandam & inefficacem velleitatem, sed constans, & immutabile Dei propositum.

προθεσις, πρόγνωσις, &c. quomodo differant.

X. Vox igitur προθεσις, πρόγνωσις differunt. προθεσις notat consilium Dei, ut primam causam prædestinationis, πρόγνωσις vel ἐκλογὴ secretionem certarum personarum ab aliis ad salutem, προοισμὸς præparationem mediorum. προθεσις vel εὐδοκία respicit finem; πρόγνωσις objecta, προοισμὸς media.

XI. Prædestinatio alia est *angelorum*, alia *hominum*.

Prædestinatio angelorum.

XII. Prædestinatio *Angelorum* est, quâ Deus eorum quosdam ex gratia præservare à lapsu, & in primæva integritate confirmare ad salutem; cæteros verò lapsui permissos, & in eo relictos, citra spem veniæ damnare decrevit.

1. Tim. 5. 2.

XIII. Dari Prædestinationem Angelorum, Scriptura testatur, quum meminit angelorum electorum; *Obtestor te*, inquit Paulus 1. *Tim.* 5. 2. *coram Deo & angelis electis*, quorundam verò reprobatio non semel describitur, quando dicuntur *catenis caliginis traditi*, *damnationi servari judicio magni illius diei.* 2. *Pet.* 2. 4. & *Jud.* 6. & *ignis æternus illis paratus* statuitur *ab æterno. Matth.* 25. 41.

2. Pet. 2. 4.

Objectum ejus.

XIV. Quæritur: Quales Deo prædestinanti obversati sint angeli? Volunt quidam fuisse *pares*, non *impares*, i. e. integros adhuc & stantes, sed labiles ex quibus quosdam à lapsu præservare, alios lapsui permittere decrevit, quod quidem dici potest, si Reprobatio *latiùs* sumatur prout decretum permittendi lapsum includit; Verùm, si *strictiùs* & magis propriè intelligitur, prout notat decretum deserendi in lapsu, & damnandi propter lapsum, angeli ut lapsi hic spectari debent. 1. quia labilitas Creaturam non facit reprobabilem, sed lapsus ipse. 2. Scriptura videtur nos eò deducere, quum ait: *Deum non pepercisse angelis lapsis.* 2. *Pet.* 2. 2. sed *eos catenis caliginis detrusos tradidisse, ut asservarentur ad judicium.* & *Jud. v.* 6. dicit *reservâsse judicio magnæ dici angelos, qui non servârunt suam originem.* E. Prius concipiuntur peccâsse, & deseruisse originem suam, quam concipiantur reprobati.

2. Pet. 2. 2.

Jud. v. 6.

An angeli electi sint in Christo?

XV. Quæritur etiam: An angeli electi sint in Christo? R. Omnes quidem Theologi consentiunt: illos non esse electos in Christo *Redemptore*; sed in eo dissident, an aliqua

qua saltem ratione *mediator* ipsorum dici possit, non quidem *Redemptionis*, sed *Præservationis*, & *Confirmationis*. Quamvis verò sententia ista nihil habeat quod repugnet analogiæ fidei, tamen verior est eorum sententia, qui negant, electionem angelorum factam esse in Christo mediatore: Fatemur quidem, confirmationis gratiam illis per λόγον obrigisse, ut à quo entitatem acceperant, ab eodem ejus conservationem mutuarentur: Sed hoc posse pariter de Christo θεανθρώπῳ & mediatore dici non putamus. Nam 1. Scriptura Christum Mediatorem vocat inter Deum & homines, sed nunquam angelorum. 1. Tim. 2. 5. imò expressè negat Christum assumsisse angelos, sed semen Abrahæ. Heb. 2. 16. 2. Mediatorem utrique parti conjunctum esse oportet, quod de Christo respectu angelorum dici nequit. 3. Quorum Christus est mediator, eorum est ἱλασμὸς & advocatus. 1. Joh. 2. 12. sed cùm actus illi circa peccatores tantùm occupentur, non possunt locum habere respectu angelorum. Nec aliud probat locus. *Eph.* 1. 10. ubi *omnia recollecta* dicuntur *in Christo, tam quæ in cœlis, quàm quæ sunt in terra.* Nam nihil aliud innuit locus, quam, in Christo recolligi & reconciliari Deo universam Ecclesiam, tam Veteris, quàm Novi Testamenti, illam triumphantem in cœlis, istam militantem adhuc in terra. Eph. 1. 10.

XVI. Damnatio angelorum malorum consistit in dejectione è cœlo, & detrusione in tartarum. Et in hoc statu pœnali ita constituti sunt angeli lapsi, ut reprobatio sua ipsis sit cognita, sciantque, nullam spei scintillam ipsis esse reliquam; ita, ut ridiculè *Origenes* eorum restitutionem speret. Angeli mali damnati sine spe restitutionis.

XVII. *Prædestinatio hominum* est, quâ Deus ex universo genere humano, condendo & lapsuro, aliòs ad vitam æternam, alios ad mortem æternam præordinavit.

XVIII. Prædestinationis hujus duæ sunt partes: *Electio* & *Reprobatio.*

XIX. *Electio* est, quâ Deus ex massâ illa corrupta certos homines, quos præ aliis voluit, in Christo Jesu elegit, & ut ad finem, vitam nempe æternam, sic etiam ad media ejus adipiscenda præordinavit.

CONTROVERSIA. I.

An objectum Prædestinationis sit homo creabilis, aut

aut labilis; *an verò homo conditus & lapsus*? Prius neg. Posterius affirm.

Objectum Prædestinationis est homo conditus & lapsus.

Sententiæ Theologorum ad tres ordines possunt referri. Alij enim *supra lapsum* ascendunt, unde & *Supralapsarij* dicti, qui objectum Prædestinationis volunt esse hominem vel nondum creatum, vel saltem nondum lapsum; alij *infra lapsum* descendunt, & hominem non tantùm ut lapsum, sed etiam ut redemtum per Christum, & vel credentem, vel incredulum objectum Prædestinationis statuunt: Alij medium tenentes *in lapsu* subsistunt, & hominem lapsum Deo prædestinanti objici pertendunt. De secunda sententia postea agetur, nunc de prima & tertia.

Qualiscunque verò hac in parte sit Theologorum diversitas, manet tamen apud utrosque salvum fidei fundamentum, contra Pelagianorum errorem; in eo enim omnes conveniunt, quòd homines Deo *pares* non *impares* objiciunt, & tales, quorum discretio à solo Deo pendeat à quo fundamento omnes sectarij recedunt.

Licèt verò geminæ istius sententiæ conciliatio constituatur à quibusdam, dum vox Prædestinationis vel *generaliter* ab illis sumitur, pro omni Dei Decreto circa hominem, in ordine ad ultimum ejus finem, quo sensu dubium non est, quin complectatur decretum de creando homine, & permittendo ejus lapsu; vel *specialiter*, pro Consilio Dei de servandis hominibus ex misericordia, & damnandis ex justitia, quo modo resolvitur in Electionem & Reprobationem, & pro objecto habet hominem lapsum. Quia tamen prior illa significatio non est ex usu Scripturæ, & confundit opera naturæ & gratiæ, lubentiùs acquiescimus in secunda sententia.

ARGUMENTA.

1. Non ens non potest esse objectum Prædestinationis, nam Prædestinatio objectum suum non facit, ut creatio, sed supponit: At homo creabilis vel labilis est non Ens, quia per creationem à non esse ad esse fuit productus.

2. Qui objicitur divinæ Prædestinationi, debet esse vel eligibilis per misericordiam, vel reprobabilis per justitiam, sed hoc dici nequit de homine creabili, & labili, sed tantùm de creato & lapso.

3. Si Prædestinatio respicit hominem creabilem vel labilem,

lem, creatio & lapsus erunt media prædestinationis, sed hoc rectè dici nequit. 1. Quia Scriptura nunquam de illis, ut de mediis prædestinationis loquitur, sed ut de conditione antecedanea. 2. Aliâs peccatum esset propter damnationem, cùm contrà damnatio sit propter peccatum. 3. Medium necessarium habet connexionem cum fine, ut posito medio necessariò debeat suo tempore poni finis. At nec creatio nec lapsus ullam talem connexionem habent vel cum electione, vel cum reprobatione; nam poterant creari & labi homines, nec tamen eligi. 4. Si media essent, Deus consilium iniviſſet de homine salvando vel perdendo, antequam quicquam decreviſſet de ejus futuritione & lapsu, quod absurdum. Igitur creatio & lapsus præsupponuntur instar conditionis in objecto prærequisitæ, ut existentia & ductilitas in luto.

4. Sententia illa est ὑπόβλητος, quasi Deus homines reprobâsset, antequam per peccatum essent reprobabiles; nec ideò voluerit damnare, quòd essent peccatores, sed ideò permiserit fieri peccatores, ut possent puniri, & creare constituerit, ut perderet.

5. Deus nos *elegit ex mundo. Joh.* 15. 19. E. non ut creabiles & labiles, sed ut lapsos. Exc. *Non agitur de Prædestinatione æterna, sed de vocatione in tempore.* R. Ista non sunt opponenda, sed componenda; nam ex qua massa in tempore Deus hominem vocat, ex eadem ab æterno eum elegit. Joh. 15. 19. Exc.

6. Electio hominum fit in Christo. E. hominem respicit lapsum, quia in Christo non possunt eligi, nisi ut redimendi per ipsum. E. ut peccatores & miseri.

7. Massa de qua Paulus loquitur. Rom. 9. 21. est objectum Prædestinationis: At, non alia est, quàm massa corrupta. 1. Quia ea massa intelligitur, ex qua fiunt vasa misericordiæ, & vasa iræ. v. 21. 22. 23. at ira & misericordia supponunt peccatum & miseriam. 2. Ea massa intelligitur, in qua homines jacentes possunt odio haberi à Deo, ut Esavus. At talis debet esse massa corrupta, quia non potuisset Deus creaturam integram odisse. 3. Illa massa intelligitur, ex qua Pharao excitatus est; at nemo dixerit, Pharaonem ex massa integra esse excitatum. Rom. 9. 21.

OBJECTIONES.

1. *Quod est ultimum in executione, est primum in intentione*

ne: At illustratio gloriæ Dei per misericordiam in salute electorum, & per justitiam in Reproborum damnatione est ultima in executione. E. R. Valet hoc de fine ultimo, non de subalternis, aliâs sequeretur; quod penultimum est in executione, esse secundum in intentione, & sic deinceps; ita, quia in executione primò creat, secundò permittit lapsum, tertiò redimit, quartò vocat, sanctificat, glorificat; oporteret Deum primò intendisse hominis glorificationem & redemtionem, antequam cogitâsset de ejus productione, vel lapsûs permissione, quod absurdum. Jam illustratio misericordiæ & justitiæ in hominum salute vel damnatione non est finis ultimus simpliciter, quoad gubernationem hominis in genere, sed relate, quoad gubernationem lapsi: Finis enim ultimus fuit manifestatio gloriæ Dei in communi, per hominis creationem & lapsum.

Rom. 9. 17. 2. *Deus excitavit Pharaonem ad hoc, ut in ipso potentiam suam exereret. Rom. 9. 17. E. Pharao in reprobatione sua fuit consideratus ante creationem & lapsum.* R. Non agitur de prima creatione, sed de erectione ad regnum, quam Deus procuravit, ut quem prævidebat rebellem fore, materiam potentiæ suæ exercendæ in ejus exitio haberet.

3 *Si Deus pro fine primo non habuit patefactionem misericordiæ in salute vel damnatione hominum. E. omni fine caruit.* R. Neg. Quidni enim Deus gloriam suam patefacere potuit per exercitium aliorum attributorum, potentiæ, sapientiæ, bonitatis, &c. licèt non respexerit adhuc ad misericordiam & justitiam, quia nondum eorum objectum erat constitutum: aliâs Deus primò cogitâsset de opere reficiendo, quàm conficiendo.

CONTROVERSIA. II.

Christus non est causa & fundamentum Electionis.

An Christus sit Causa & fundamentum electionis? Neg. c. Armin. & Lutheranos.

Concedimus quidem, Christum ingredi Decretum electionis *consequenter*, tanquam *medium primarium* executionis. Sed negamus illum id ingredi *antecedenter*, ut *causa impulsiva* ipsius electionis. Concedimus, Christum esse causam meritoriam & fundamentum *salutis decretæ, à parte rei*, sed non *decreti salutis, à parte Dei.* Est causa *à parte effectus voliti terminative*, sed non *à parte actus volendi formaliter.* Est funda-

fundamentum Electionis exequendæ *à posteriori*, sed non Electionis decernendæ *à priori*.

ARGUMENTA.

1. Electio est facta ex solo Dei beneplacito. Hinc Deus apud Mosen inquit: *Miserebor cujus miserebor*, &c. Sic *Matth.* 11.25. *Confiteor tibi Pater, quod occultaveris hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea revelaveris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* & *Rom.* 9. 12. Ut *propositum Dei secundùm Electionem firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante*, &c. *& v.* 18. *Non est volentis nec currentis, sed miserentis Dei.* Matth. 11.25. Rom. 6. 12. v. 18.

2. Christus est effectus Electionis; est enim *præcognitus ante jacta mundi fundamenta, & ultimis temporibus manifestatus propter nos.* 1. *Pet.* 1. 20. E. non causa electionis.

3. Intentio finis præcedere debet destinationem mediorum. At salus est finis, Christus est medium. E. prius concipi debet destinari salus electis, quàm Christus, planè, ut intentio sanandi ægrum præcedere debet medici inquisitionem.

OBJECTIONES.

1. *Eligi dicimur in Christo. Eph.* 1. 4. R. Non jam existentes, sed in Christo futuri, & per eum redimendi. Hanc esse Pauli mentem multa evincunt. 1. Quia Paulus dicit: Nos eligi *in Christo*, non *propter Christum*. 2. Dicit nos eligi in Christo *ut simus sancti*. E. non possumus spectari in Christo existentes antecedenter, ita enim jam essemus sancti, sed ut futuri consequenter. Eph. 1. 4.

2. *Gratia dicitur nobis data in Christo πρὸ χρόνων αἰωνίων*, 2. *Tim.* 1. 9. R. Destinatione, non actuali collatione; in Christo, ut fundamento redemtionis & salutis, quia destinatur salus conferenda per Christum; sed non propter Christum, tanquam causam ipsius electionis. 2. Tim. 1. 9.

3. *Propter quod Deus nos salvat in tempore, etiam ab æterno decrevit nos salvare propter illud.* R. Verum est, si τὸ *propter* referatur ad rem decretam, non ad ipsum decretum, ad volitum, non ad volitionem. Nam Deus decrevit nos salvare propter Christum, tanquam unicam viam ad salutem; sed non decrevit nos salvare propter Christum, ita ut Christus sit causa propter quam Decretum tale Deus tulit.

4. *Deus nos amat propter Christum. E. & elegit, itaque*

ab

ab æterno amavit propter Christum. R. Amor *beneficentiæ* & *complacentiæ* non potest erga nos ferri, nisi propter Christum: Non pariter hoc necessarium est respectu *amoris benevolentiæ*, qui in Deo manet.

5. *A quibusdam Theologis Orthodoxis electio Christi statuitur prior electione hominum.* R. Intelligunt tantùm prioritatem ordinis, non causalitatis, ut volunt Arminiani.

CONTROVERSIA III.

Electio non est fact ex prævisione fidei aut operum.

An electio facta sit ex prævisione fidei, aut operum? An verò ex sola Dei gratia? Prius neg. Post. affirm.

Hic præcipuus cardo est Controversiæ Pelagianæ, ad quem ceu communem scopulum impegerunt, quotquot Pelagianismum vel Semipelagianismum hoc sensu renovârunt.

Pontificii in Concilio Tridentino abiverunt in Partes, nonnullis gratuitam Dei Electionem cum Augustino asserentibus, aliis verò cum Pelagianis & Semipelagianis eam ex prævisis hominum meritis, & bono liberi arbitrij usu suspendentibus. Hinc ortæ lites, quæ hodieque durant, inter Dominicanos & Franciscanos, Jansenistas & Jesuitas, illis pro gratuita Dei prædestinatione, istis pro prævisione operum decertantibus.

Quod ad *Lutheranos*, nulla ab initio controversia circa hoc Caput mota fuit magno viro Dei Luthero; factum tamen est, ut alii ab ejus mente deflectentes duriùs locuti sint: Licèt non desint alii, qui saniùs hîc sentiunt, cumprimis Celeb. *Calixtus*.

Arminiani duplex faciunt Electionis decretum; primum *generale*, servandi credentes; secundum *speciale*, servandi hos & illos nominatim quos Deus prævidit credituros. Primi nullam aliam causam dari volunt, quàm puram Dei voluntatem, sed quoad secundum, licèt in divina voluntate etiam fundetur, volunt fidei intuitum & respectum supponere, ut Deus eâ moveatur ad eligendum potiùs unum quàm alterum.

Orthodoxi unanimi Consensu statuunt: Electionem tam ad gloriam quàm ad gratiam planè gratuitam esse; ita ut nulla causa vel conditio, vel ratio in homine fuerit, ad cujus

jus intuitum Deus hunc potiùs quàm alium elegerit; sed hoc à sola ejus εὐδοκίᾳ pependerit.

ARGUMENTA.

1. Fides & obedientia est Electionis fructus & effectus. E. non potest esse causa, vel conditio prævia. Huc pertinent loca. *Eph.* 1. 4. *Elegit nos ut essemus sancti*, non quia eramus. *Act.* 13. 48. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Exc. *Sensus est*: *Crediderunt*, *quotquot ad vitam æternam & fidem erant dispositi.* R. Hæc glossa pugnat cum Textu, ubi ordinatio non habet relationem ad fidem, seu dispositionem in subjecto, sed ad vitam. Non dicitur, qui erant dispositi ad fidem, sed ad vitam. Eph. 1. 4. Act. 13. 48. Exc.

2. Electio facta est ex solo beneplacito, & non ex operibus ullis. Loca sunt: *Rom.* 9. 11. *Ut propositum secundùm Electionem Dei firmum maneret*, *non ex operibus*, *sed ex vocante*. *&* *v.* 16. *non est volentis nec currentis*, *sed miserentis Dei.* Nec aliter Paulus. 2. *Tim.* 1. 9. 10. dicit: *Deum nos salvâsse & vocâsse non ex operibus*, *sed secundum Dei propositum*, *& gratiam quæ nobis data est in Christo ante tempora secularia.* Rom. 9. 11. v. 16. 2. Tim. 1. 9. 10.

3. Si electio est ex fide præviſa, Deus non eligeret hominem, sed homo potiùs eligeret Deum, contra illud Christi. *Joh.* 15. *v.* 16. *Non vos me elegistis*; *sed ego vos elegi.* Joh. 15. 16.

4. Si electio est ex fide præviſa, nullus dabitur locus objectionibus, quæ circa eam moveri solent, & nihil procliviùs erit, quàm satisfacere quæstioni, cur ille eligitur potiùs quàm iste, & frustra exclamaret Paulus, ὦ βάθος. Rom. 11. 33. Nec Apostolo confugiendum fuisset ad solum Dei beneplacitum, qui miseretur cujus vult, si causa discriminis istius esset in homine ipso, nil enim facilius fuit quàm respondere Deum nullam cuiquam injuriam facere, quia si damnat, damnat incredulos, si eligit, eligit credentes, &c.

OBJECTIONES.

1. *Heb.* 11. 6. *Sine fide impossibile est Deo placere.* R. Aliud est hominem placere Deo, aliud placere Deo hominem eligere; Prius supponit fidem in subjecto existentem: & de hoc loquitur Paulus h. l. sed non posterius. Heb. 11. 6.

2. *Pater vos amat*, *quia me amâstis. Joh.* 16. 27. R. Amor hic amicitiæ, qualis inter amicos, non benevolentiæ æternæ est. Joh. 16. 27.

Rom. 8. 29. 3. *Electio est* προγνωσις. Rom. 8. 29. *E. Deus prævidit aliquid in nobis.* R. προγνωσιν istam non speculativè, sed practicè esse intelligendam, diximus supra §. VII.

Jac. 2. 5. 4. *Deus elegit pauperes hujus mundi, divites fide.* Jac. 2. 5. R. Verba *divites fide* non *causaliter*, sed *finaliter* sunt accipienda, per ellipsim infinitivi εἶναι, quod patet à pari, quia eo modo elegit divites fide, ut *hæredes regni*, sed hæredes regni electi sunt ut tales redderentur, non quòd jam actu tales essent ante sui electionem.

5. *Reprobatio facta est ex intuitu peccati. E. electio facta est ex intuitu fidei & bonorum operum.* R. Neg. conseq. Nam reprobatio est actus justitiæ, quæ supponit necessariò peccatum: sed electio est actus misericordiæ, quæ nihil supponit nisi miseriam.

6. *Eligitur id quod melius est.* R. Hoc valet in electione, quæ fit inter dispares, sed non in ea, quæ inter pares, in eadem miseria constitutos.

7. *Deus salvat per fidem. E. per eam salvare decrevit.* R. Verum est sano sensu: Decrevit ut ille ordo esset, ut homo per fidem salvaretur.

CONTROVERSIA. IV.

Electio est immutabilis.

An constans sit & immutabilis certorum hominum ad salutem electio? Aff. cont. Rem.

Arminiani, ut Apostasiam Sanctorum tueantur, Electionis mutabilitatem statuunt; ideò duplicem eam fingunt, aliam *incompletam* & *non peremptoriam* eorum qui crediturí sunt, quæ revocari possit & irrita fieri, ex inconstantia hominum, qui possunt deficere à fide; aliam verò *completam* & *peremtoriam* in fide perseverantium & morientium, quæ sit immutabilis. *Orthodoxi*, licèt fateantur, electos posse excidere à parte sui, quod nimis verum esse experirentur, si sibi relinquerentur; Tamen statuunt, non posse excidere à parte decreti, quo ad salutem electi sunt.

ARGUMENTA.

Esa. 46. 10. 1. Eadem est ratio decreti electionis, quæ aliorum Dei Decretorum. At illa sunt immutabilia. *Esaj.* 46. 10. *Consilium meum stabit, & omne beneplacitum meum perficiam.*

Heb. 6. 17. Hinc Scriptura electioni tribuit ἀμεταθετον τῆς βουλῆς, *immutabilitatem consilii. Heb.* 6. 17. & *propositum quod firmum*

mum manet. Rom. 9. 11. Et alibi teſtatur: *Dona & vocationem Dei eſſe ἀμεταμέλητα. Rom.* 11. 29. Rom. 9. 11. Rom. 11. 29.

2. *Firmum ſtat Dei fundamentum, habens hoc ſigillum: Deus novit qui ſunt ſui.* 2. Tim. 2. 19. Quo loco Apoſtolus emphaticè confirmat fidem fidelium, adverſus defectionem Hymenæi & Phyleti, ne propterea turbentur, quaſi actum eſſet de ſalute eorum; nam, etſi Hymenæus & Phyletus, & alii defecerint à fide, nihilominùs firmum manere fundamentum Dei reſpectu verorum fidelium, quos Deus pro ſuis agnoſcit & amat. 2. Tim. 2. 19.

3. *Electi ſeduci non poſſunt: Matth.* 24. 24. Chriſtus de Pſeudoprophetis loquens, dicit, tot & tanta ſigna facturos, ut ſeducerent, ſi fieri poſſet, ipſos etiam electos, i. e. ſi quà vis valeret adverſus electionem, quod dici non poſſet, niſi revera electos ſeduci, eſſet impoſſibile. Matth. 24. 24.

4. Electorum *nomina ſcripta* ſunt *in cœlis*, *in libro vitæ. Phil.* 4. 3. *Apoc.* 13. 8. *Heb.* 12. 23. Unde Chriſtus jubet diſcipulos ſuos *lætari, non quòd dæmones ipſis ſubjicerentur, ſed præcipuè quod nomina eorum ſcripta eſſent in cœlis Luc.* 10. 20. Hujus verò gaudii nulla eſſet ratio, ſi inſcriptio illa facilè deleri poſſet. Egregiè Auguſtinus. Si homo dixit: Quod ſcripſi, ſcripſi, an Deus quenquam ſcribit in libro, & delet? Si Regum Perſarum Decreta erant irrevocabilia, quantò magis Regis Regum, in quem non cadere poteſt ignorantia in decernendo, nec impotentia in exequendo. Phil. 4. 3. Apoc. 13. 8. Heb. 12. 32. Luc. 10. 20.

OBJECTIONES.

1. *Electionem noſtram firmam reddere debemus* 2. *Pet.* 1. 10. R. Non à priori, & reſpectu ipſius conſilii Dei, ſed à poſteriori, reſpectu ſenſûs noſtri in corde. 2. Pet. 1. 10.

2. *Ne fiam reprobus.* 1. *Cor.* 9. 27. R. Vox ἀδόκιμος non ſumitur pro eo qui reprobatus eſt à Deo, ſed pro inepto & inidoneo: Paulus E. non vult ſupponere ſe poſſe ex electo fieri reprobum, ſed innuit tantùm, ſe corpus ſuum in ſervitutem redigere, ne ob vitam licentioſiorem ἀδόκιμος, & ad Evangelii prædicationem ineptus redderetur; & alludit ad pugiles, quorum ii qui deſidioſi erant & pigri ex nimia ſaginatione rejiciebantur, tanquam inepti, & minùs idonei. 1. Cor. 9. 27.

3. *Moſes optat deleri ex libro Dei. Exod.* 32. 32. R. Liber de quo Moſes optat deleri non eſt liber vitæ æternæ, ſeu Prædeſtinationis, ſed liber providentiæ, ſeu vitæ præſentis, Exod. 32. 32.

ut doceat; se tanta charitate erga populum ferri, ut optet potiùs mori, quàm universam illam gentem in deserto perire, quod colligitur ex eo. 1. Quia tantùm mentio fit libri Dei, non libri vitæ. 2. Quia votum Mosis respondere debet pœnæ, quam Deus populo minatus est, quæ fuit destructio & mors corporea. v. 10. 3. Sermo est hypotheticus, ex quo nonnisi nexus subjecti cum prædicato colligi potest. Ut: si mentirer, vobis similis essem. Joh. 8. 55.

Apoc. 22. 23. 4. *Deus dicitur ablaturus partem è libro vitæ illius, qui abstulerit verba istius prophetiæ. Apoc.* 22. 23. R. Non delendo positivè eum qui nunquam scriptus fuit, sed ostendendo eum nunquam scriptum fuisse, quomodo dicitur pars ejus auferenda ex sancta civitate, non quam habuerat vel habiturus erat, sed ne ullam habeat.

Rom. 11. 23. 5. *Deus potest eos iterum inserere. Rom.* 11. 23. R. Non reprobatos, sed gentem Judæorum, in qua electos suos habet.

Joh. 17. 12. 6. *Joh.* 17. 12. *Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis. E. illi perire possunt, qui Christo à Patre dati sunt.* R. Particula εἰ μὴ non est exceptiva, sed adversativa, non ut excipiatur Judas ex illis, qui dati sunt Christo, & non perierunt, sed ut illis opponatur, ut pateat, non fuisse datum Christo, quia periit ut filius perditionis, i. e. exitio jam antea devotus. Sic particula εἰ μὴ usurpatur. *Matth.* 12. 4. *Panibus propositionis nemini licitum erat vesci nisi* (εἰ μὴ) *Sacerdotibus solis. Apoc.* 21. 27. *Nihil immundum intrabit in regnum cœlorum, sed* (εἰ μὴ) *quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.*

7. *Cur laborabimus ut pij simus?* R. Quia medium ad salutem necessarium est. Hinc sancti non desinunt esse soliciti de salute sua; nam *qui habet hanc spem, purificat se.* 1. *Joh.* 3. 3. Unde patet, quàm impia sit profanorum ratiocianatio, qui ex Electionis certitudine salutem suam putant esse in tuto, quomodocunque vivant, quia hic dividuntur conjungenda, finis à mediis, salus, sc. à fide & sanctitate, & conjunguntur dividenda, vitium sc. cum felicitate: Ita enim electionis decreto ad finem prædestinantur fideles, ut non aliter quàm per media à Deo instituta ad eundem perducantur.

CONTROVERSIA. V.

An fidelis possit esse certus de Electione sua, certitu-

dine

dine non tantùm conjecturali & morali, sed infallibili & fidei? Aff. contra Pontif. & Remonst.

Non quæritur. An electio *à priori* nobis sit perceptibilis; *quis enim novit mentem Domini? Rom.* 11. 34. sed *à posteriori*, in nos descendendo per *syllogismum practicum*, cujus major est in verbo, minor in corde legitur: Quisquis verè credit, & resipiscit, electus est. Atqui ego credo, &c. E. electus sum. Nec agitur de tali certitudine, quæ omnem contrarij formidinem excludat, & in eodem gradu semper maneat? agnoscimus enim, certitudinem illam innatæ imbecillitatis respectu concuti sæpius & fluctuare, sed de tali certitudine, quæ in actum aliquando exeat, ut nemo sit fidelium, qui hac persuasione ante mortem aliquando ad solatium suum non imbuatur. Fidelis potest esse certus de Electione sua.

ARGUMENTA.

1. Fideles possunt scire se esse filios Dei, & se credere. E. possunt scire se esse electos, quia adoptio & fides sunt effecta & fructus infallibiles Electionis. Possunt scire se esse filios Dei, quia *Sp. S. testatur hoc in cordibus eorum. Rom.* 8. 15. 16. Possunt scire se credere, aliâs Apostoli non possent dicere. *Novimus & credidimus. Joh.* 6. 69. Et Pater Lunatici. *Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Marc.* 9. 24. Nec Paulus posset dicere. *Novi cui crediderim.* 2. *Tim.* 1. 12. & alios hortari, ut *se explorent, an sint in fide?* 2. *Cor.* 13. 5. Rom. 8. 15. 16. Joh. 6. 69. 2. Tim. 1. 12. 2. Cor. 13. 5.

2. Huc apprimè facit ψῆφος λευκὴ, *calculus albus*, quem Christus pollicetur se victori daturum. *Apoc.* 2. 17. cui *inscribendum sit novum nomen, quod nemo novit, nisi qui recepit.* Sive enim alluso fiat ad *judicia* Veterum, in quibus absolutio per calculum album, & condemnatio per nigrum fieri solebat, ut notetur plena fidelis justificatio; sive ad *Comitia* publica, in quibus Magistratus creabantur per suffragia, inscriptis tesserulis seu albis calculis nominibus electorum, quo sensu innueretur summa filiorum Dei dignitas, qui Reges & Sacerdotes Deo fiunt. Apoc. 1. 5. Sive ad *certamina*, & ludos gymnicos, in quibus calculus albus symbolum erat victoriæ, ut ita triumphus fidei designetur; certum est, *nomen* illud *novum*, quod isti calculo inscribendum dicitur, non aliud esse, quàm nomen *filiorum Dei*, quod quamvis alios lateat, cognitum tamen Apoc. 2. 17.

Deus esse voluit accipienti. At, hoc dici neutiquam posset, si nec electio, nec adoptio cuiquam fidelium cognita esse posset.

Eph. 4. 30. 3. Spiritus S. nos *obsignat in diem redemtionis.* Eph. 4. 30. At, sigillum immotam rei certitudinem designare solet, quomodo inviolabilia dicuntur, quæ Principis sigillo sunt ob-
2. Cor. 2. 12. signata. Nec aliò pertinet, quod Paulus ait: 1. Cor. 2. 12. *Nos accepisse non spiritum mundi, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus, quæ Deus nobis est gratificatus.*

4. Praxis & Exempla Sanctorum hoc confirmant, ut e. g. patet in Abrahamo, qui *contra spem sub spe credidit, non infirmatus in fide, sed* πληροφορηθεὶς, *plenissime persuasus,*
Rom. 4. 11. 12. *quòd ille qui promiserat, potis erat efficere.* Rom. 4. 11. 12. In Paulo, qui expressè testatur, *se persuasum esse, nihil eum seperare posse ab amore Dei,* πέπεισμαι, inquit, *neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque potestates,* &c. *posse me se-*
Rom. 8. 38. Exc. *parare ab amore Dei in Christo.* Rom. 8. 38. Exc. *Hoc singulari privilegio quibusdam tantùm est indultum.* R. Imò Abrahami fides proponitur in Exemplum cœteris. Rom. 4. 21. Et Paulus certitudinem suam petit non ex peculiari revelatione, sed ex fundamentis & motivis generalibus, æterna scil. Dei electione, Christi morte & intercessione, amore Dei immutabili, quæ cùm sint fidelibus omnibus communia, patet eos non minùs ac Paulum actum istum certitudinis fiducialem elicere posse.

5. Effecta fidei hanc certitudinem postulant, qualia sunt; ἀπολύτρωσις. Eph. 3. 12. πληροφορία Heb. 10. 22. κατάχρισις. Rom. 5. 2. προσαγωγὴ ἀνεκλαλήτῳ. 1. Pet. 1. 6. Quæ cum conjecturali tantùm & incertâ opinatione de amore Dei & salute nostra non consistunt.

OBJECTIONES.

Eccles. 9. 1. 1. *Homo nescit odium & amorem. Eccles.* 9. 1. R. i. e. non potest cognoscere ex eventibus externis, qui bonis & malis pariter contingunt, an sit in odio, an in amore Dei?

Prov. 28. 14. Phil. 2. 12. 2. *Pavor & timor commendantur. Prov.* 28. 14. *Beatus homo, qui admodum pavet jugiter. Phil.* 2. 12. *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem conficite.* R. Hic timor tantùm carnalem securitatem excutit, sed certitudinem electionis non evertit, notat solicitudinem de mediis, per quæ ad finem pervenitur, non hæsitantiam de fine & eventu: Timor est non servilis, diffidentiæ & desperationi-

nis, sed filialis, humilitatis, reverentiæ & piæ solicitudinis, qui cum fiducia optimè consistit.

3. *Scriptura non dicit me credere & resipiscere.* R. Tamen illa veræ fidei & resipiscentiæ naturam, proprietates & effecta describit, ex quibus veritatem fidei & resipiscentiæ nostræ facilè colligere possumus. Itaque, quamvis certitudo salutis meæ non nitatur immediatè verbo Dei, non desinit tamen in eo fundari mediatè.

4. *Multi sancti dubitârunt de amore Dei erga se.* R. Hæc Exempla probant quidem, certitudinis actum non esse perpetuum in ipsis, sed diversimodè interrumpi, sed non evincunt, ab illis semper abesse, nec in ullo statu eos posse illum elicere. Imò iidem, qui aliquando dubitant attoniti, alibi exultant. Idem David, qui queritur se à Deo derelictum. Ps. 22. 1. & à facie ejus projectum. Ps. 31. 32. alibi tamen sibi persuadet, se non confusum iri, & nihil sibi nociturum, licèt ambulet in valle umbræ mortis. Ps. 23. 4. Idem Paulus, qui exclamat: Miser ego homo, quis me liberabit ex hoc Corpore mortis? Rom. 7. 24. paulò post gratias Deo agit, quasi de victoriâ reportatâ. v. 25. Itaque duplex est fidelis status, vel *luctæ*, vel *victoriæ*, in illo languidus est, in isto vividus, in primo timet & fluctuat, in secundo confidit & lætatur. Imò, licèt ad tempus in filiis Dei sopiri possit sensus amoris divini quoad actum secundum, nunquam tamen excutitur quoad actum primum, & certò tandem ex illis tentationibus eluctantur, quum Deus illis reddit gaudium salutis suæ, & facit ut exultent ossa contrita Psal. 51. v. 10. 14.

5. *Hæc doctrina parit securitatem.* R. Imò è contra sensus amoris Dei ita incendit animum, ut totus ardeat reciproco illius amore, à quo tantum beneficium habet, & habet gratis præ aliis in communi perditionis massâ relictis.

XVI. De reprobatione etiam aliquid dicendum, quâ statuit Deus certos homines, quos non elegit, in massa corruptionis relinquere, & propter peccatum æternùm damnare. Reprobatio datur.

XVII. Non defuerunt, qui eam sub prætextu extollendæ Dei misericordiæ negare sustinuerunt, ut *Samuel Huberus*, qui superiori Seculo universalem omnium hominum in Christo electionem ad salutem, sive illi credant,

sive non, asserere non dubitavit. Illam tamen clarè astruit Scriptura; eò pertinet, quod dicit de Dei amore erga Jacobum & odio erga Esavum. Mal. 1. 2. 3. quod a Paulo Electioni & Reprobationi applicatur. Rom. 9. 11. 12. de Deo miserante & indurante. v. 18. de vasis misericordiæ, & de vasis iræ. v. 21. 22. de illis, qui sunt positi ad salutem, & illis qui ad iram & ἀπώλειαν. 1. Thess. 5. 6. 1. Pet. 2. 8. qui inscripti sunt libro vitæ agni. Apoc. 13. 8. & de aliis, qui præscripti sunt ad judicium Jud. 4. de benedictis, qui à Deo in regni possessionem vocantur, & de maledictis, quos nunquam novit. Matth. 25. 41.

Rom. 9. 11. 12. v. 18. v. 21. 22.
1. Thess. 5. 6.
1. Pet. 2. 8.
Apoc. 13. 8.
Jud. 4.
Matth. 25. 41.

CONTROVERSIA.

An absolutum sit Reprobationis Decretum, quod à sola Dei εὐδοκίᾳ pendeat, an verò peccatum vel infidelitas propria sit ejus causa?

Disting.

Decretum Reprobationis quomodo absolutum?

Duplex potest considerari Reprobationis actus; *negativus* & *affirmativus*, seu *positivus: Ille* refertur ad præteritionem, *iste* ad prædamnationem: Quod ad actum positivum, seu prædamnationem, est ille actus Dei judicis, debitam pœnam peccatori decernentis, & ita certum est, peccati considerationem hîc intercessisse. Nec enim potest dari in Deo voluntas puniendi nisi peccatorem, nec pœnæ infligendi vel destinatio justa esse potest sine culpa; sed non est par ratio actûs negativi, seu præteritionis, quæ ab eo ut supremo Domino pro jure suo autocratorico oritur: Illius enim causa præter ejus εὐδοκίαν nulla propriè dari potest. 2. Reprobatio non minùs ac electio vel absolutè consideratur, respectu unius, vel comparatè, & relatè, respectu plurium. Priori sensu quæri potest: Quare Deus hunc vel illum reprobârit? Et respondetur; quia propter peccatum dignus fuit qui reprobaretur; non quòd peccatum propriè sit causa reprobationis, aliâs omnes reprobati fuissent, qui erant pariter peccatores: Sed, quia est conditio & qualitas in objecto præcedanea, ex qua oritur in homine reprobabilitas. Posteriori sensu quæri potest: Cur hunc potiùs quam illum reprobârit, cùm ambo essent ex æquo peccatores, ideoque reprobabiles? Hic peccatum allegari non potest, quia est commune utrique, & causa

causa nulla reddi potest præter solum Dei beneplacitum, quia ita illi libuit.

ARGUMENTA.

1. Reprobatio est ex beneplacito. E. Non ex prævisa infidelitate. Quod Paulus illustrat simili figuli. Rom. 9. nam si figulus hanc potestatem habet in lutum, ut possit ex eadem massa adornare vas ad decus, vel ad dedecus, quidni etiam Deus tantam habeat potestatem in Creaturas, ut unam possit reprobare, alteram eligere? Exc. *In hoc Capite Rom. 9. non agitur de electione & Reprobatione, sed de Decreto justificationis, quo Deus salute & justitiâ donare credentes in Christum constituit, rejectis iis, qui justitiam ex Lege sectantur. Et rejectio & electio quæ proponitur in persona Esavi & Jacobi, ad posteros ipsorum respicit.* R. 1. Scopus Apostoli contrarium evincit, qui est ostendere, promissiones Dei, & fœdus cum Abrahamo initum non excidisse, etsi magna Judæorum pars resisteret Evangelio: ratum quippe esse semper in filiis promissionis, tales autem qui sint, vel non, hoc pendere a divina prædestinatione. 2. Series orationis hoc docet, maximè quæ habentur. v. 11. 15. 16. quæ de justificatione per fidem non possunt exponi, sed ad electionem & vocationem respiciunt, ubi opera non opponuntur fidei, sed electioni ac vocationi Dei. Quod verò habetur v. 30. &c. de justitia fidei quam Gentes consecutæ sunt, non evincit Paulum egisse hoc Capite de justificatione, sed consectarium est ex præcedentibus elicitum, nempe ex hac electione & vocatione gratuita gentes obtinuisse, ut justitiæ per fidem fierent participes; Iudæos verò magna ex parte sectantes opera Legis, justo Dei judicio salute excidisse. 3. Licèt electio & rejectio quæ proponitur in persona Esavi & Jacobi, possit quodammodo posteros ipsorum respicere secundariò, primariò tamen ipsos spectat, ut ostendatur, causam discriminis inter filios carnis & promissionis, quæ proponitur v. 6. 7. non in operibus bonis vel malis præcedentibus & prævisis quærendam esse, sed in æterno Dei proposito, Jacobum ex gratia eligentis, & Esavum reprobantis. Ita ista paradigmaticè, quemadmodum exempla priora Ismaëlis & Isaaci personas singulares respiciunt. Exc.

3. Infidelitas est Reprobationis consequens. E. non potest eam præcedere. *Propterea vos non auditis, quia*

Joh.8.46.47. *non estis ex ovibus meis*, inquit Christus. *Joh.* 8.46.47. ad Phæriſæos.

3. Si Reprobatio fieret ex prævisâ infidelitate, non esset mysterium inscrutabile, nec Apostolus ad arcanum Dei judicium ascendere debuisset, ad homini os obturandum in objectionibus, quas caro hîc movere solet, si tam facilis suppetebat responsio, petita ex ipsis hominibus, & eorum infidelitate.

OBJECTIONES.

1. *Hæc doctrina pugnat cum Dei justitia, quia docet, eum æqualibus inæqualia dare.* R. Neg. Quia tunc non agit ut judex, sed ut Dominus, qui potest sine cujusquam injuria æqualibus inæqualia tribuere, quando agitur de re indebita.

2. *Pugnat contra veritatem Dei, dum dicitur vocare ad salutem, quos tamen absoluto Decreto à salute excluſit.* R. Neg. Quia vocantur sub conditione, quam illi suâ sponte & propriâ culpâ aspernantur.

3. *Pugnat contra misericordiam Dei, quòd majorem hominum partem in peccato relinquere decrevit.* R. Neg. Nam misericordiam suam liberam & indebitam Deus exerere vel non exerere potest erga creaturam peccatricem.

4. *Pugnat contra Sanctitatem Dei, nam indurandi Decretum videtur homines prædestinare ad peccatum.* R. Neg. Nam peccatum sequitur reprobationem ut consequens, non ut effectum: Effectum præsupponit Causam, sed consequens tantum antecedens: Sic sol non potest dici tenebrarum causa, quia ad ejus absentiam sequuntur tenebræ.

Prædestinatio versatur circa homines singulares.

XVIII. Prædestinatio versatur circa singulares aliquos homines.

CONTROVERSIA. I.

An voluntas Dei servandi perseveranter credentes, & damnandi incredulos, sit totum Decretum Prædestinationis? Neg. c. Remonst.

Remonstrantes Decretum istud generale & indefinitum statuunt, ut doceant, non quid de personis singularibus decreverit Deus, sed quid circa *qualitates salvandorum & damnandorum* constituerit, fidem ex omnibus conditionibus possibilibus eligendo in conditionem salutis. Licèt verò

non

non negemus hunc ordinem à Deo constitutum esse, ut fides sit medium salutis; negamus tamen in eo positam esse Prædestinationem, multò minus ut totum & integrum ejus decretum hac constitutione includatur.

ARGUMENTA.

1. Prædestinatio ex usu Scripturæ semper respicit personas singulares. *Multi vocati, pauci electi. Matth.* 20. 16. *Quos præcognovit, eos prædestinavit.* &c. *Rom* 8. 29. 30. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam. Act.* 13. 48. Sed Decretum hoc indefinitum neminem in particulari prædestinat & segregat, & illo stante fieri potuisset, ut vel nullus damnaretur, vel nullus salvaretur, & sic Servator fuisset sine servandis, & caput sine membris. Matth. 20. 16. Rom. 8. v. 29. 30. Act. 13. 48.

2. Prædestinatio qualis in Scriptura nobis proponitur, est voluntas Dei efficax, quæ media electionis efficaciter operatur in Electis, & finem etiam, i. e. salutem infallibiliter confert; & in mediis reprobationis alia permittit, alia justo judicio efficit, & damnationem reprobis certissimè infligit. At voluntas illa Remonstrantium more concepta est ἀεργος & otiosa, quæ suspenditur ab arbitrio humano mutabili.

OBJECTIO.

Si credideris, servaberis. R. Regula Evangelij, non forma decreti est.

CONTROVERSIA. II.

De gratia universali.

An Deo tribui debeat Voluntas aliqua conditionalis, seu propositum universale, miserendi totius generis humani in peccatum prolapsi, omnibus & singulis Christum mediatorem destinandi & eos omnes ad salutarem beneficiorum illius communionem vocandi? Neg.

Non quæritur: An omnes & singuli homines, sive credant, sive non, ad salutem sint prædestinati? Nam hos *Samuelis Huberi* Ecclesiarum Helveticarum quondam turbonis commentum pridem explosum est.

Nec quæritur de amore & φιλανθρωπία Dei generali, quam exercet in omnes creaturas; sed de amore speciali, & salutari, quo ipsorum ad salutem misereri voluerit?

Neç quæritur; An detur in Deo voluntas aliqua præcipiens

cipiens & approbans salutem hominum? sed, an ex tali voluntate approbante & præcipiente hominibus quid sui sit officii, possit colligi voluntas aliqua, seu Consilium Dei, quo intenderit salutem omnium & singulorum?

Nec quæritur: An Decreto quodam absoluto omnium & singulorum salutem intenderit, sed, an decreto quodam conditionato Deus omnibus & singulis constituerit dare salutem, sub conditione fidei.

Quæstio ergo ad hos terminos redigitur: An detur in Deo decretum aliquod generale, sive consilium & propositum dicatur, sive voluntas conditionata, quâ verè & seriò Deus omnium & singulorum misereri ad salutem intenderit, non fidem dando, sed pro omnibus & singulis Christum mittendo, & omnes ac singulos ad salutem vocando sub conditione fidei & pœnitentiæ? Quod gratiæ universalis Patroni statuunt; nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Scriptura propositum miserendi particulare facit, quum testatur; Deum quorundam tantùm misereri, alios amare, & libro vitæ inscribere, alios verò odisse, indurare, ad iram ponere, & ad damnationem præscribere. Rom. 9. 11. 12. 13. 1. Thess. 5. 9. 1. Pet. 2. 8. *Exc. Distinguendum inter amorem comparatum & absolutum. Paulus, quum locutus est de amore Jacobi, & odio Esavi, voluit tantùm innuere, Deum illum magis amasse, & huic prætulisse; quomodo τὸ odisse ponitur sæpè pro minùs amare. Ita Lea dicitur exosa Jacobo, quia eam minus amabat. Gen. 29. 31. Ita etsi quosdam peculiari amore complexus dicatur Deus, non sequitur, quòd alios salvare noluerit; varij enim gradus in amore Dei concipi possunt.* R. Hæc glossa obtinere non potest: Nam odium Dei erga Esavum opponitur amori Jacobi, qui dicitur κατ' ἐκλογήν; Ut igitur amor iste necessariò includit propositum miserendi Jacobi, & illum servandi: Ita odium illud negat, & notat propositum reprobationis.

2. Qui vult alicui seriò finem, is etiam vult & confert quantum in se est, media ad eum obtinendum necessaria, maximè si ea omnia in manu sua habet, & qui non se habet instar Principis vel Patris, qui sæpe oprant subditos & liberos suos bene vivere, & id procurant omnibus modis qui penes ipsos sunt, non possunt tamen hoc reapse efficere; quo simili perperam uruntur adversarij; Deo enim nihil

nihil impossibile & invium. Si E. Deus vult voluntate generali omnium & singulorum salutem, debet velle etiam media ad salutem ducentia, qualia sunt verbi præconium, fides, pœnitentia. Sed ea nec vult nec confert innumeris.

3. Si Deus vult omnes & singulos servari, vel omnes de facto servari debent; vel voluntas quædam Dei manet irrita & inefficax, quod absurdum.

4. Si Deus voluntatem universalem habet omnes servandi, vel est absoluta, vel conditionata. Si absoluta, omnes actu servabuntur. Si conditionata, vel conditionem istam in hominibus efficere, vel exigere tantùm; Si tantùm exigere, talium salutem non vult exigendo ab iis actum, quem novit homini impossibilem. Rursus conditio illa erit vel certò futura, vel non. Si illud, omnes certò servabuntur: Si hoc, statuetur Deus seriò id velle, quod tamen novit nunquam extiturum, quod absurdum.

OBJECTIONES.

1. *Deus dilexit mundum. Joh.* 3. 16. R. 1. Hic non potest dilectio universalis erga omnes & singulos intelligi, tum, quia agitur de summo Dei amore, quo major nec datur nec concipi potest, major enim dilectio inveniri non potest eâ, quâ Deus, cùm homines adhuc essent inimici, filium suum morti tradidit pro ipsis; quomodo verò iste amor intensissimus potest consistere cum odio innumerorum, quos ad damnationem præscribere voluit? tum, quia amor Dei, quo filium dedit, omnia reliqua ad salutem necessaria post se trahit; nam, *qui proprio filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis, quomodo non cum eo omnia gratificabitur nobis? Rom.* 8. 32. Sed non omnibus & singulis, sed solis electis omnia cum Christo largitur: tum, quia finis amoris istius est salus eorum quos amat; at non omnes salvantur. E. 2. Vocabulum *mundi* h. l. notat singulare privilegium, generi humano respectu alicujus partis collatum esse, & quidem oppositè tum ad *societatem angelorum*, quibus in simili peccato similem non fecit gratiam, tum ad *Oeconomiam Vet. Test.* ubi non mundo, sed soli Genti Judaicæ salus proponebatur; quod imprimis faciebat ad scopum Christi, ut Nicodemo eriperet vanam gloriationem, quâ ipse proculdubio cum cæteris Judæis fascinatus erat, quasi Messias suæ duntaxat genti promissus esset; ut E. istius gentis opinioni obviam iret, & mysterium vocationis Joh. 3. 16.

tionis gentium jam aperiret, dixit, Deum dilexisse *mundum*; non unam tantùm gentem & populum. Hoc sensu vocatur
Joh. 4. 42. à Samaritanis. *Joh.* 4. 42. *Salvator mundi*, i. e. non tantùm Judæorum, sed etiam Gentium; nec aliter Christus
à Joh. Baptista vocatur *agnus Dei, qui tollit peccata mundi*.
Joh. 1. 29. *Joh.* 1. 29. Et ab Evangelista. *Epist.* 1. *c.* 2. 2. *Propitia-*
1. Joh. 2. 2. *tio pro peccatis non solùm nostris*, i. e. Judæorum, *sed & totius mundi*, i. e. cæterarum gentium. Nec insolitum ut *mundus* ita restrictè sumatur; ut, quum ponitur pro Gentibus,
Rom. 11. 12. oppositè ad Judæos. *Rom.* 11. 12. *Si eorum rejectio divitiæ mundi.* &c. pro mundo impiorum, de quo Christus ait:
Joh. 17. 9. *Joh.* 17. 9. *Se pro mundo non orare.* & 1. *Joh.* 5. 19. *mundum*
1 Joh. 5. 19. *totum in malo jacere*; pro mundo fidelium, quum Chri-
Joh. 6. 50. stus ait, *se daturum carnem pro mundi vita. Joh.* 6. 50. non
2. Cor. 5. 19. sanè reproborum, qui manent semper in morte, sed electorum, qui per Christum vivificantur. & 2. *Cor.* 5. 19. *Deus erat in Christo* mundum *reconcilians sibi, & non imputans ipsis peccata ipsorum; de solis enim electis verum est, quòd actu Deo reconcilientur, & quòd peccata ipsis non imputentur.*

Rom. 11. 32. 2. *Rom.* 11. 32. *Deus conclusit omnia sub peccatum, ut omnium misereretur.* R. Hoc non debet ad omnes & singulos referri, sed tantùm ad populos de quibus agebat, ut doceat tam Judæos quam Gentiles sub peccatum concluses, ut misericordia Dei erga utrosque distributivè, tam Judæos quàm Gentiles exerceretur; quod patet ex ipsa serie sermonis. v. 30. 31.

Tit. 2. 11. 12. 3. *Gratia salutaris apparuit omnibus hominibus. Tit.* 2. 11. 12. R. i. e. quibusvis, cujuscunque sint conditionis, sive domini, sive servi, de his enim loquebatur v. præcedenti, & postquam hortatus erat Dominos, ne servos inclementiùs haberent, ilicò subjicit; Gratia enim salutaris apparuit omnibus, i. e. tam illis, quàm vobis.

1. Cor. 15. 22. 4. 1. *Cor.* 15. 22. *Omnes dicuntur in Christo vivere, quemadmodum in Adamo omnes moriuntur.* R. Non quòd eadem sit latitudo viventium quæ morientium, multò enim plures moriuntur in Adamo, quam servantur in Christo; sed ratione universitatis fidelium, quia ut quotquot pereunt, & moriuntur, moriuntur in Adamo; ita quotquot vivificantur, vivificantur in Christo: conferuntur enim ista duo Capita inter se, non quoad *amplitudinem objecti*, sed quoad

quoad *analogiam modi communicationis*, quia ut Adamus omnibus suis posteris peccatum, & per peccatum mortem communicat; ita Christus omnibus membris suis justitiam, & per justitiam vitam largitur. Ita explicandus est locus. *Rom.* 5. 18. 19. ubi collatio sit Adami & Christi, non quoad *extensionem*, sed quoad *similitudinem* operationis. Rom. 5. 18. 19.

5. *Deus non vult mortem peccatoris, sed ejus conversionem & vitam. Ezech.* 33. 11. R. hîc agitur de voluntate εὐαρεστίας, & complacentiæ, non de voluntate εὐδοκίας, quod evincit verbum חפץ quod passim delectari & gratum habere significat, ut innuatur, Deum delectari conversione & vitâ peccatoris, tanquam re sibi grata, potiùs quàm interitu ejus, atque ideò eam exigere ab homine tanquam officium debitum, ut se convertat, si vivere cupiat. Sed quamvis nolit, i. e. non delectetur morte peccatoris, prout notat creaturæ destructionem, non desinit tamen eam velle & intendere ut exercitium justitiæ suæ, & ut occasionem manifestandæ gloriæ; ut pius Magistratus, qui non delectatur morte reorum, non desinit tamen eorum pœnam ex Legibus justè decernere. Ezech. 33. 11.

6. *Deus vult omnes homines servari, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. *Tim.* 2. 4. R. Particula *Omnis* h. l. sumitur non *distributivè* pro singulis generum, sed *collectivè*, pro generibus singulorum, i. e. pro quibusvis, ut in triris illis: *Omne animal fuit in arca*; *Christus sanavit omnem morbum*; *Omnis Hierosolyma exivit ad Johannem.* &c. Hunc esse sensum loci, patet. 1. Ex scopo Pauli, qui est ostendere, etiam Ethnicos magistratus sub objecto precum contineri; quod multis scrupulum movere poterat, quem removet Paulus, quum ait: Deum velle omnes salvos fieri, i. e. ex omni ordine hominum. 2. Quomodo particula *Omnis* sit intelligenda, Paulus h. l. explicat, quando vult, ut precemur *omni loco*, non certè in omnibus & singulis, in quibus esse non possumus, sed indiscriminatim in quovis; ita vult, ut pro omnibus precemur, i. e. indiscriminatim pro quibusvis, non pro singulis, cùm non sit orandum pro iis, qui peccant ad mortem. Joh. 5. 16. 3. Eo modo Deus omnes vult servari, quomodo vult ad cognitionem veritatis venire; at innumeri eo non perveniunt. 1. Tim. 2. 4.

7. *Deus est patiens erga nos, & non vult quenquam peri-*

re

2. Pet. 3. 19. re, sed ut omnes veniant ad pœnitentiam. 2. Pet. 3. 19. R. Vel hoc refertur ad voluntatem præcepti, per quam invitantur homines ad pœnitentiam præconio Evangelii, & per pœnitentiam ad vitam, quam malè traxeris ad decretum & intentionem Dei. Vel si referas ad decretum, non ulterius extendendum est, quàm ad electos fideles, in quorum gratiam Deus differt consummationem seculi, donec completus fuerit eorum numerus.

XIX. Interim, quæcunque hîc deprehendatur inter Nostros sententiarum discrepantia, salvum tamen manet utrobique fundamentum, dum utrinque asseritur. 1. *Universalis* omnium & singulorum hominum *corruptio* & *universalis* ex ea emergendi *impotentia*, sine efficaci Dei gratia. 2. *Decretum particulare*, de danda fide his, non illis. 3. *Vocatio efficax & irresistibilis*. 4. *Solum Evangelium*, ut instrumentum unicum ingenerandæ fidei, cæteris omnibus revelationibus ad salutem insufficientibus; quæ capitalia sunt fidei dogmata, quæ adversus Pelagianos & Semipelagianos constanter omnes tuemur.

De ordine Decretorum. XX. Licèt in Decretis *formaliter*, *& à parte Dei* spectatis, non attendi possit propriè ordo, quia sunt actus unicus & simplicissimus, nihil obstat, quò minus in illis ordo aliquis statuatur, quatenus *objective & à parte nostri* considerantur, ratione modi nostri concipiendi.

Prima sententia supralapsariorum. Quo verò ordine quum inter se conferuntur, collocanda sint, non una est omnium sententia. Nam, qui supra Lapsum vel Creationem ascendunt, ad constituendum Prædestinationis objectum, ita censent disponenda esse Decreta, ut Decretum Prædestinationis statuant prius Decreto Creationis & permissionis lapsûs, & concipiatur Deus primò cogitâsse de manifestanda gloria sua in exercitio misericordiæ & justitiæ, quoad salutem vel damnationem hominum, quàm cogitaverit de creando homine, vel permittendo ejus lapsu, ita, ut Creatio & permissio lapsûs habeant rationem medii ad patefactionem misericordiæ & justitiæ suæ. Ita primum Decretum juxta ipsos est de manifestatione gloriæ Dei in exercitio misericordiæ & justitiæ per salutem & damnationem hominum: secundum de creatione; tertium de permissione lapsûs; quartum de missione Christi pro salute eorum quos salvare decreverat. Verùm, licèt nihil habeat iste ordo, quod fundamento salutis,

salutis, & analogiæ fidei absolutè repugnat, & viris magnis, de Ecclesia bene meritis placuerit; varia tamen obstant, quò minùs recipi possit, ut probatum est supra. Controv. I.

XXI. Arminiani quatuor Decreta ita sibi subordinari censent, ut primum sit destinatio Christi in mediatorem, qui acquireret peccatoribus jus salutis. 2. Ordinatio fidei & perseverantiæ in conditionem communicandæ salutis. 3. Ordinatio mediorum ad fidem, quorum beneficio peccatores possint credere & perseverare. 4. Ordinatio ipsius salutis, personis singularibus quà credentibus & perseverantibus facta, cui ordinatio damnationis adversus finaliter impœnitentes & incredulos respondet. *Tria priora* decreta *generalia* sunt, quæ totum genus humanum indefinitè spectant, citra respectum personarum singularium, & quibus fundamenti instar substernitur *Gratia Universalis*, sive benevolus Dei affectus erga totum genus humanum quo Christum in mediatorem, fidem in conditionem salutis, media quoque ad fidem omnibus & singulis peccatoribus indiscriminatim ordinavit. *Postremum* est *particulare*, quo statuit de singulorum salute vel exitio, prout eos credituros vel non credituros prævidit, atque ita nexus ejus cum prioribus non est necessarius, sed contingens & eventualis, quatenus fieri potuit, ut dato Christo in mediatorem, & posità lege fidei, & mediis ad eam administratis, nullus crederet & servaretur, sed damnarentur universi; quia gratia quæ illis confertur, resistibilis semper supponitur, i. e quam homo pro libitu potest vel recipere vel rejicere. Sed ordo iste pessimus est, quia in eo Prædestinationis gratuitæ doctrina corrumpitur, & ad Pelagianorum mentem traditur, dum ab homine, & viribus liberi arbitrii suspenditur, quatenus electio fieri supponitur ex fide præviså, & ex bono usu liberi arbitrii. Arminianorum sententia.

XXII. Patroni gratiæ universalis statuunt duo decreta *generalia*, unum de dando Christo in mediatorem, alterum de vocatione universali, & duo *specialia*, unum de danda quibusdam fide, alterum de danda ipsis salute. Sed & hic ordo impingit. 1. quia ista duo Decreta pugnant inter se; nam, decreto generali omnium salutem vult, & speciali tantùm paucorum, illo amat impensè, quos isto odit & adversatur. 2. Ex hac hypothesi statuitur Deus Sententia Patronorum gratiæ universalis.

primò cogitâsse de mediis quàm de fine, puta de Christo quàm de salute electorum, quod rectæ rationi repugnat.

Sententia Orthodoxorum

XXIII. Orthodoxi verò primum Decretum ponunt de creando homine. 2. De permittendo ejus lapsu. 3. De quibusdam ex humano genere lapso ad salutem eligendis, & aliis in nativa sua corruptione relinquendis. 4. De Christo in mundum mittendo, ut mediatorem electorum, qui ipsis salutem impetraret. 5. De illis efficaciter vocandis, fide donandis, justificandis, sanctificandis, & tandem glorificandis. Quæ Decreta, quia ordine ita evenerunt, & hic ordo rei ipsius naturæ respondet, hunc meritò observamus, cæteris rejectis.

LOCUS VII.

DE

CREATIONE.

I. HActenus de actionibus Dei æternis est actum, sequitur ut agamus de iis, quæ in tempore fiunt, & illæ vel ad *naturam* pertinent: ut, Creatio & gubernatio; vel ad *gratiam*: ut missio Christi, redemptio, justificatio, &c.

Creatio quid?

II. Creatio est productio rei ex nihilo, vel ex materia ineptâ, & diversæ naturæ, solo creantis imperio facta.

Creatio vel latè sumitur.

III. Creatio hic non sumitur *latè* & *impropriè*, vel de qualicunque rerum productione, etiam per generationem. *Ps.* 104. 30. *Emittis spiritum tuum, & creantur, & renovas faciem terræ.* & *Isaj.* 45. 7. *Facio pacem, & creo malum*; vel de eventuum quorundam extraordinariorum ordinatione. *Jer.* 31. 12. *Deus creavit rem novam, fœmina circumdat virum*; vel de regeneratione, quæ secunda quasi creatio est, tum in gratia, ut. *Ps.* 51. 12. *Crea in me cor mundum*, tum in gloria: *Ecce creo novos cælos & novam terram. Jesa.* 65. 17. *Apoc.* 21. 1. Sed *strictè*, pro productione rerum ex nihilo.

vel strictè. Creatio immediata, & mediata.

IV. Creatio autem alia est *prima* & *immediata*, quæ est simpliciter ex nihilo, alia *secundaria* & *mediata*, quæ fit quidem

quidem ex materia aliqua, sed planè inhabili & indispositâ, nec ullâ causarum secundarum vi disponibili ad termini productionem, & in qua sola datur potentia *obedientialis*, seu *non repugnantiæ*, in ordine ad Causam primam, infinitâ virtute agentem. Ita *nihilum* dicitur vel absolutè & simpliciter, tam respectu *sui*, quàm respectu *subjecti*, tam materialiter quàm formaliter, ex quo prima Creatio facta est, vel *secundùm quid & formaliter* tale, respectu sui, si non respectu subjecti, ex quo secunda esse dicitur. Nihilum quotuplex.

CONTROVERSIA.

An Deus solus possit creare, creaturæ verò nec creârint, nec creare possint? Aff. cont. Socin. & Pontif. quosdam. Potentia creandi non est comunicabilis creaturæ.

Pontificii Doctores quidam volunt potentiam creandi etiam esse communicabilem creaturæ, in eum finem, ut transsubstantiationis dogma, juxta quod Sacrificuli impiè dicuntur creatores creatoris sui, faciliùs propugnent. *Socinianorum* verò scopus est, argumentum nostrum quod petimus ex operibus Creationis pro divinitate Christi, convellere. Nos verò dogma hoc ut temerarium rejicimus.

ARGUMENTA.

1. Deus creationem sibi soli tribuit. *Esaj.* 44. 19. 24. *Ego sum Jehova, qui feci omnia, qui extendi cœlos solus.* (exclusivè ad ullam creaturam,) *& expandi terram per me ipsum,* (& per consequens per nulla alia instrumenta,) & 45. 12. *Ego feci terram, & hominem super illâ creavi ego, manus meæ extenderunt cœlum, & omnem exercitum illorum imperavi, &* 18. *Sic ait Jehova, creator cœlorum, is est Deus, qui formavit terram, & fecit illam. Ego sum Jehova, & nemo est præter me*; ubi probat, neminem præter se esse Jehovam, ex eo, quòd solus sit Creator, &c. 43. 12. 13 *Quis mensus est pugillo suo aquas, & cœlum Spithama aptavit? & mensuravit trientali pulverem terræ, & appendit in libella montes, & colles in bilance?* & *v.* 28. *Amon audivisti, Deus seculi est Jehova, creator finium terræ non defatigabitur. Job.* 9. 8. *Qui extendit cœlum solus, & calcat celsa maris.* &c. Es. 44. 19. 24. Esa. 45. 12. v. 18. Es. 40. 12. 13. v. 28. Job. 9. 8.

2. Quia hoc charactere Deus ab idolis & falsis Diis gentium distinguitur. *Jer.* 10. 11. 12. *Dii illi, qui cœlum & terram non fecerunt; pereant de terra: At Jehova Deus veritatis* Jer. 10. 11. 12.

qui fecit terram viribus suis, & intelligentiâ suâ extendit cælum, &c. Et *Ps.* 96. 5. *Omnes Dii gentium sunt res nihili, sed Dominus fecit cælum*, &c. Ps. 96. 5.

3. Creatio est opus infinitæ virtutis, nam solo nutu & verbo peragitur, & per eam tollitur distantia infinita inter Ens & nihil. E. ab Ente finito peragi nequit.

4. Omnis creatura agens requirit subjectum circa quod operetur. At hic nullum datur subjectum præexistens, cùm creatio illud faciat & ponat, non supponat.

OBJECTIONES.

Joh. 1. 3. 1. *Omnia per Christum facta. Joh.* 1 3. R. *Per*, non notat instrumentalem Causam, sed principalem: ut, *Rom.* 11. 36. *Ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia.*

2. *Creaturæ possunt concurrere ad patrationem miraculorum. E. etiam ad Creationem.* R. Neg. 1. Quia in miraculis supponitur semper subjectum, circa quod instrumentum versari potuit, sed non in Creatione. 2. In miraculis patrandis homines se habuerunt tantùm *moraliter*, ut instrumenta moralia, ad quorum præsentiam Deus operabatur, sed non *physicè*, ita ut reali aliqua actione opus miraculosum attingerent; unde Apostoli negant se propria virtute miracula edere, sed virtute Christi tantùm. Act. 3. 12.

V. Deus creavit universa in, seu cum principio temporis. Gen. 1. 1.

CONTROVERSIA.

Mundus non fuit, nec esse potuit ab æterno.

An mundus fuerit ab æterno, vel esse saltem potuerit? Neg. cont. Pontif. quosdam.

Quidam ex Veteribus Philosophis mundi actualem æternitatem statuerunt, vel *materialiter* tantùm, ut Plato, ratione materiæ, quam statuebat coæternam Deo, à quo figmento alieni non fuerunt *Stoici*, duo principia rerum ponentes, *mentem* & *materiam*. Vel etiam *formaliter*, ut *Aristoteles*, qui mundum etiam formaliter æternum asseruit, & ab æterno fuisse vices mutationum in generatione & corruptione, pertendit, prout hodie cernuntur.

De possibili verò æternitate mundi quæstio agitatur inter *Scholasticos*, quorum plerique pugnant pro possibili æternitate mundi: ut, *Thomas*, *Cajetanus*, *Durandus*, *Occamus*, *Biel*, *Capeolus*, *Pererius* &c. Multi verò stant pro negativa.

gativa: ut *Bonaventura*, *Albertus M. Toletus*, *Gandavensis*, &c. quos sequuntur hic orthodoxi.

ARGUMENTA.

1. Deus in principio creavit cœlum & terram. Gen. 1. 1, non quidem in principio *præexistente*, sed *coexistente*. Gen. 1. 1.

2. *Ex parte Dei*; nam Deus non potest producere aliquid sibi coæternum; aliàs duo essent æterna; adhæc, Causa debet esse prior suo effectu, nec effectum potest esse coævum causæ suæ.

3. *A parte Creationis*; nam, cùm creatio sit ex nihilo, in qua res transit à non esse ad esse, necessariò infert novitatem essendi, atque ita æterna esse non potuit.

4. *A parte Creaturæ*: Nam, quod habet esse & durationem successivam & finitam, illi repugnat æternitas: At omnis creatura quà talis habet esse & durationem successivam & finitam, nec potest concipi aliter.

OBJECTIONES.

1. *Deus ab æterno habuit potentiam creandi.* R. Sed non potuit ab æterno exercere actum illius potentiæ; non ex defectu potentiæ in Deo, sed ex incompassibilitate Creaturæ cum æternitate.

2. *Agens æternum requirit patiens æternum.* R. Agens, quod agit extra se in aliud, semper requirit patiens; sed Deus non est agens æternum hoc sensu, quia demùm in tempore cœpit extra se agere.

3. *Si Deus ab æterno non creavit, mutatus est à potentia ad actum.* R. Alia est ratio agentium, quæ solâ volitione agunt, & eorum, in quibus præter volitionem requiritur operosa molitio. *Ista*, quum opus producunt, transeunt reverà à potentia ad actum, à volitione ad effectionem: Sed aliter se res habet in *illis*, quæ merâ agunt volitione, ut Deus, qui ut voluit existentiam mundi in tempore, sic eam voluit ab æterno; atque ita mutatio facta est in mundo, qui transiit à non esse ad esse, sed non in Deo, qui idem in se manens per volitionem suam practicam rem extra se produxit ex nihilo.

VI. Quær. An mundus potuisset citiùs creari, quàm creatus est? Resp. Cùm ante principium temporis, quo mundus creatus est, nihil aliud sit, quam æternitas, propriè non potest dici, quòd Deus potuerit *citiùs* mundum creare An mundus potuisset citiùs creari?

quam creavit, quia τὸ *citiùs* vel *seriùs* sunt notæ temporis, quæ in æternitate non dantur. Interim, si citiùs vel seriùs referatur ad ipsam mundi durationem, potuit ille in æternitatis puncto, quod omnes temporis differentias etiam possibiles complectitur, citiùs vel seriùs creari: ita, ut duratio mundi esset plurium multò seculorum, ac de facto fuit: ut à principio mundi ad præsentem nostram ætatem fluxissent non quinque modò, aut sex millia annorum, sed septem vel novem.

Omnia creata ex nihilo? Heb. 11. 3.

VII. Omnia creata sunt ex nihilo, unde Deus dicitur *vocare* τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, *ea quæ non sunt, ac si essent.* *Rom.* 4. 17. & *facere, ut ex tenebris lux splendescat.* 2. *Cor.* 4. 5. Hinc omnia dicuntur facta *ex non apparentibus.* *Heb.* 11. 3. non *positive*, i. e. ex rebus quibusdam invisibilibus, sed *negative*, i. e. ex nulla re præexistente.

& quomodo

VIII. Cûm E. omnia dicuntur esse ex nihilo, præpositio ex non dicit ἐκ ad materiam, vel ad efficientem, sed ad terminùm, ut notetur non subjectum quod præexiterit creationi, sed tantùm *terminus à quo* omnia producta sunt. Quæ observanda sunt contra *Socin.* qui Creationis ipsius materiæ in hexæmero Mosis nullam mentionem fieri pertendunt, ut hac ratione faciliùs argumentum, quod petimus ad asserendam divinitatem Christi ex existentia ejus ante creationem mundi, enervent.

Quo anni tempestate mundus conditus sit?

IX. Probabile est, mundum autumno creatum esse. 1. Quia extra dubium videtur, mundum creatum esse eo anni tempore, quo Israëlitæ annum suum civilem incipiebant, dum essent in Ægypto; eam enim procul dubio temporum rationem secuti sunt, quam à Patribus suis acceperant, & hi à suis majoribus, Semo, Noacho, & aliis Patriarchis, usque ad Adamum edocti sunt. At ipsos inchoâsse ab autumno, colligitur, tum ex Exod. 23. 16. ubi festum collectionis omnium frugum ex agris dicitur celebrari בצאת השנה in exitu anni, &c. 34. 22. ubi festum Tabernaculorum vocatur solemnitas, quæ debet celebrari septimo mense, בתקופת השנה *in revolutione anni*, seu anno vertente, ut mensis ille *Tisri*, qui respondet Septembri vel Octobri nostro dicatur annum claudere & aperire. 2. Diluvium dicitur contigisse secundo mense. Gen. 7. 11. Gen. 7. 11. at verisimillimum est, illud immissum esse ea tempestate, quæ indonea erat inundationibus, ut secundus mensis

mensis ab æquinoctio autumnali sit computandus. 3. Ea anni tempestate mundus creari debuit, quâ anni Sabbatici & Jubilæi Judæorum inceperunt, quæ fuit autumnalis, nam hi anni autumno, post collectas fruges inchoabantur: unde Levit. 25. 9. clangor tubæ Jubilæi institutus est die decimo mensis Tisri. 4. Conveniens fuit mundum condi eâ anni tempestate, quâ potuit maximè utilis esse homini propter quem condebatur; nulla verò ad id commodior fuit autumnali, quâ arbores onerantur fructibus, & plantæ seminibus suis sunt gravidæ, quæ alias generare possint.

X. Quær. An mundus unico momento creatus sit, an verò sex diebus? Et, an opera singula cujusque hexaemeri absque motu & successione temporis creata sint? an verò uniuscujusque productioni integrum diem Deus impenderit? Resp: *Augustinus*, & multi ex Veteribus creationem non sex diebus, sed unico momento factam esse censuerunt; & quæ Moses recensuit de sex diebus, allegoricè intellexerunt, de cognitionibus angelicis, quasi omnia idcircò creata dicantur 6. diebus, quià totidem notitiis intellectui angelorum fuerunt repræsentata. Sed huic sententiæ obstat. 1. Simplex & historica Mosis narratio. 2. Terra dicitur inanis & vacua, quod dici non potuisset, si omnia uno momento consummata essent. 3. Creatio 6. dierum, & quies 7. diei in quarto Præcepto pro fundamento Sabbathi ponuntur, quod fundamentum nullum esset, si Deus omnia uno momento creâsset. Tenendum tamen, in operibus singulorum dierum Deum non integrum diem impendisse, sed opus cujusque diei momento factum esse, quia res omnes ad imperium & nutum ejus ilicò extiterunt. An mundus unico momento creatus sit?

XI. Omnia creata sunt sex diebus, sequenti ordine.

XII. Opera primi diei recensentur tria: *Cælum*, *Terra*, & *Lux*, juxta prima Geneseos verba: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Quæ verba non prolepticè intelligenda, quæ universæ creationis compendium ob oculos ponant, quæ postea distinctè per singulos dies explicetur, ut Chrysostomus, & multi alii volunt: sed describitur hoc primo versu initium Creationis, per productionem duarum partium generalium mundi, cœli sc. & terræ, Opera primi diei

quam sequitur postea descriptio particularium, quæ cœlo & terra continentur; Et hoc patet ex v. 2. ubi additur: *Et terra erat inanis & vacua*, quod dici non potuisset, nisi terra jam creata supponeretur. v. 1. aliâs vel ea a Deo ante hexaëmeron creata statuetur, vel increata & coæterna Deo fingetur.

Cœlum, quod est locale.

XIII. Et per *cœlum* quidem intelligitur tum æthereum, tum supremum, *Empyræum* dictum, quod est quoad substantiam subtilissimum, quoad qualitatem lucidissimum, quoad durationem indefectibile ab intrinseco, quoad situm supra omnes cœlos aspectabiles constitutum. Unde Christus dicitur suis *parâsse locum. Joh.* 14. 3. & ascendisse *supra omnes cœlos. Eph.* 4. 10. Et Deus dicitur Jehova in *cœlis superne. Deut.* 4. 39. *in alto loco. Ps.* 102. 20. *in altissimis Luc.* 2. 14. Quod opponendum Lutheranis, qui cœlum istud volunt esse increatum, & illocale ac incorporeum fingunt, & quod sit ubique, ut argumentum ab ascensione Christi in cœlum petitum adversus ubiquitatem Corporis Christi elevent. Et sub cœlo supremo *angelos* ejus incolas comprehendi censemus, de quibus postea.

Terra.

XIV. Alterum primi diei opus est *terra*, quo nomine & aquæ comprehenduntur, quam Moses per תהו ובהו i. e. *inanitatem* & *vastitatem* describit; atque ita innuitur massa illa informis, ex aqua & terra simul concreta.

Quomodo materia informis?

XV. Materia verò informis dicitur non *absolutè* & *simpliciter*, quòd omnis formæ expers esset; sed *secundùm quid & comparatè*, quia forma eleganti & exacta, quam postea adepta est, adhuc careret.

Gen. 1. v. 2.

XVI. Quò pertinet, quòd statim additur de *spiritu, qui ferebatur super superficie aquarum.* v. 2. quod nec aëri aut vento competere potest, qui nondum creatus erat, & qui non fovet, sed dissipat potiùs; nec angelo creato, ad quem hoc opus non pertinet; nec vi & efficaciæ Dei in genere, quæ per verbum *incubandi* potiùs exprimitur, à qua distinguitur Sp. S. qui ejus principium erat. Sed soli *Spiritui Dei* convenit, qui & ipse Deus, qui massam illam informem virtute sua fovebat & fœcundabat, metaphorâ sumtâ ab avibus, ovis suis & pullis incubantibus, ut de aquila dicitur. Deut. 32. 11. quæ alarum motitatione & dilatione vel ova fovent & calefaciunt ad pullos producendos,

dos, vel eos jam productos sustentant, quæ vis est verbi רתק Jer. 23. 9.

XVII. Tertium primi diei opus fuit *Lux* primiginia; quæ nec fuit accidens sine subjecto, ut nugantur Pontificij, nec elementum ignis; ignis enim nec dies unquam vocatur, nec diem efficit; nec nubecula lucida, quæ suo motu circulari ab Oriente in Occidentem diem noctemque confecerit; nam primo die nulla dum nubes creata fuit: Sed corpus lucidum, in uno cœli ætherei hemisphærio accensum, quod sui circumrotatione diem noctemque primo triduo distingueret, donec lux illa postea quarto die in corpus Solis & stellarum collecta & distributa fuit. Lux primigenia.

XVIII. Secundi diei opera fuêre. 1. *Expansum*, seu ingens illud intervallum, quod à terrestris globi superficie ad extremum usque cœli spectabilis terminum extensum est; & vocatur aliâs cœlum aëreum. Hebr. רקיע ab expansione, vel extensione; qualis est in aulæo, vel cortina, quò pertinent ista. Ps. 104. ubi Deus dicitur *extendere cœlum instar cortinæ*. *Expansum* verò vel in tota sua latitudine sumitur quomodo complectitur, quicquid cœli aspectabilis nomine venit, vel respectu partis superioris, ut v. 14. 15. 17. vel respectu inferioris, v. 20. quo pacto aquas superiores ab inferioribus dividit. v. 6. 7. Secundi diei opera. Expansum. Expansum quotuplex.

XIX. Alterum opus istius diei fuit *divisio aquarum* superiorum ab inferioribus, i. e. nubium extantium supra infimam expansi partem, ab aquis, quæ infra expansum terræ permixtæ, & velut circumfusæ, indistinctæ usque ad tertium diem fuêre. Divisio aquarum.

XX. Tertij diei opera sunt. 1. *Collectio aquarum* inferiorum in certos alveos, adeoque earum à terra separatio, ut terra ab iis liberata conveniens animantibus, & imprimis homini domicilium esset, relictis tamen occultis & subterraneis meatibus, per quos fontes & flumina irrigandis terris, ex vastissimo mari erumpant. Nec facilè admitti potest, quod quibusdam placuit, opus istud ad secundum diem pertinere, ut per hysterosim hîc apponatur, reddique debeat, ויאמר non *& dixit*, sed, *dixerat autem*; nulla enim ratio est, cur illud ויאמר v. 9. exponatur per plusquamperfectum, cùm in aliis omnibus locis hujus Capitis reddi debeat per *& dixit*: Nec Moses ad- Tertij diei opera. Collectio aquarum

dere debuisset post separationem aquarum superiorum ab inferioribus, ut in fine cujusque diei. *Et fuit vespera & fuit mane, dies secundus*, si quod sequitur v. 9. 10. adhuc pertinuisset ad secundum diem. Nec necessitas ulla videtur fingendi talem hysterosin; nam quæ petitur ex eo, quòd aliàs dies secundus caruisset solitâ benedictione, non potest hoc evincere: cùm sufficiens hujus ratio reddi possit, quòd cœpta quidem hoc die fuerit sublevatio terræ ab ingenti illa aquarum mole, sed sequenti die demùm perfecta fuerit, quo facta est aquarum inferiorum collectio, & arida apparuit.

Germinatio terræ.

XXI. Alterum opus istius diei fuit *Germinatio terræ*, & plantarum, fruticum & arborum seminiferarum productio, ut individuis extinctis servarentur rerum species.

Quarti diei opus; Creatio luminarium.

XXII. Quarti diei opus fuit *Creatio luminarium* in expanso, i. e. cœlo æthereo, quorum usus triplex notatur. 1. Distinctio diei & noctis. 2. Notatio ac disterminatio vicium ac tempestatum anni. 3. Communicatio virium suarum in sublunaria.

Quinti diei opus, aquatilium & volatilium productio.

XXIII. Quinti diei opus fuit *Aquatilium* seu piscium ex aquis, v. 20. 21. *volatilium* & avium ex terra *productio*, ut expresse docetur c. 2. 19.

Sexti diei opus, animanimalium & hominis productio.

XXIV. Sexto die Deus colophonem imposuit operibus suis, per creationem tum *animalium* terrestrium, tum *hominis*, qui mundi conditi foret incola, ad Dei imaginem productus.

XXV. Inter omnes Creaturas excellentissimæ sunt angeli & homines.

Angeli quid?

XXVI. *Angeli* sunt substantiæ spirituales, creatæ, completæ, intellectu, voluntate & potestate præditæ.

Nomina angelorum.

XXVII. Nomina illorum varia sunt in Scripturis, vel petita à natura eorum, ut nomen *Spiritûs*. Vel à virtute, potestate, dignitate eorum, ut nomina *Seraphim*, *Cherubim*, *Thronorum*, *Dominationem*, *Potestatum*, vel ab officiis eorum, ut nomen *angeli*, quod legatum, nuncium significat, & nomina πνευμάτων λειτουργικῶν, *Spirituum administrorum*. *Heb.* 1. 14.

Dari angelos probatur.

XXVIII. Dari angelos, quicquid olim Sadducæi dixerint, & dicant hodie Athei, multa probant. 1. *Gradus Entium, & complementum universi.* Cùm enim Deus creaturas merè corporeas condiderit, alias partim corporeas, partim

partim spirituales, quales sunt homines; ita conveniens fuit creari merè spirituales, quales sunt angeli. 2. *Experimenta* varia petita ab *effectis mirandis*, quæ vires humanas superant, ab *Oraculis* apud Gentes editis, ab *apparitione spectrorum*, ab *energumenis*, linguis peregrinis loquentibus, quæ, cùm a Deo proficisci non possint, nec in homines illos conveniant, malos genios authores produnt. 3. *Scripturæ vox*, quæ hoc tam apodictice demonstrat, ut mirum sit, quo pacto Sadducæi, qui libros Mosis recipiebant, potuerint negare, nec angelum, nec spiritum esse. Act. 23. 8. Hinc factum, ut quidam hoc absolutè intelligendum esse nolint, sed referendum tantùm ad angelos παιδάρια, appositos custodes singulis hominibus. Act. 23. 8.

XXIX. Angelos, præsertim malos, personas esse, non terrores conscientiæ, ex eo apparet. (1.) Quia illis singularis astutia, perversitas, & perfidia adscribitur. Eph. 6. 11. 12. Diabolo adscribuntur artes & machinationes. 2. Cor. 2. 10. 11. (2.) Quia homines tentant. Gen 3. 13. Imò Christum. Math. 4. 1. Occidunt. Joh. 8. 44. Omnibus insidiantur. 1. Pet. 5. 8. (3.) Quia ipsi Deum horrent. Jac. 2. 19. à quo in æternum punientur. Math. 25. 41. Angeli sunt personæ.

XXX. Quæri solet: Quo die angeli sint creati? Resp. Die primo, nam probabile est, illos creatos esse eo die, quo cœlum, domicilium eorum creatum est, unde dicuntur, *applausisse Deo*, ut jam creati, *cum fundaret terram.* Job. 38. 6. 7. quod factum die primo. Quo die angeli sint creati?

CONTROVERSIA.

An angeli diu ante mundum conditum extiterint, & creati sint? Neg. c. Soc. & Arian. Angeli non creati ante principium Mosaicum.

Non pauci ex Veteribus Patribus Angelos ante principium Mosaicum creatos statuunt. *Sociniani* verò volunt, angelos ante principium Mosaicum extitisse, vel saltem existere potuisse, eo fine, ut infringant æternitatem, eoque divinitatem Christi, quæ probatur ab ejus existentia ante mundum. Nos statuimus: Angelos nonnisi in ipso mundi principio cum cœteris omnibus creaturis creatos esse.

ARGUMENTA.

1. Quia principium Mosaicum est principium & temporis & omnis Creaturæ, ante quod, ex stylo Scripturæ, nihil concipi potest, præter abyssum æternitatis. Ergo illi

illi principio non potuerunt præextitisse angeli, quin extiterint ab æterno.

Ps. 90. 2. 2. Quicquid fuit ante mundum, id est Deus, quia hæc prærogativa illi vindicatur in Scriptura. *Ps.* 90. 2. *Quum nondum montes editi essent, aut formasses terram, inde à seculo, & usque in seculum tu Deus fortis es.*

3. Moses disertè dicit: *in principio Deum creâsse cœlum & terram*, h. e. & illa corpora, & omnia quæ in cælo & in terra continentur. E. angeli ante illud principium creati non fuerunt. qa st in cælo in principio creati.

OBJECTIO.

Moses Creationem angelorum prætermittit. R. Eos comprehendit sub exercitu cœlorum. Gen. 2. 1. nihil verò est familiarius Scripturæ, quàm quòd angeli cœli exercitus vocantur. *Ps.* 103. 21. *Benedicite Jehovæ omnes exercitus ejus, ministri ejus, facientes placitum ejus. Ps.* 148. 2. *Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes exercitus ejus.* Et Luc. 2. 13. angeli vocantur *multitudo exercituum cœlestium*: Inde Deus dicitur Zebaoth, seu Exercituum, maximè ab angelis, qui ipsum circumstant. Dan. 7. 10.

Angeli sunt Spiritus.

XXXI. Angeli sunt substantiæ spirituales & incorporeæ. Nam. (1.) Scriptura eos expressè vocat *Spiritus*; Spiritus autem corpori opponitur. Luc. 24. 39. *Spiritus carnem & ossa non habet*, inquit Christus, *sicut me videtis habere*; eadem de causa referuntur inter τὰ ἀόρατα. Col. 1. 16. (2.) Facultates & operationes spirituales illis tribuuntur, quæ à natura corporea proficisci nequeunt, quales sunt intellectus & voluntas. (3) Si essent corporei, haberent quantitatem, atque adeò impenetrabiles essent, nec plures simul in eodem loco esse possent, quod fit tamen, quia legio dæmonum dicitur fuisse in uno Energumeno. Luc. 8. 30. (4.) Si corpora jam haberent, non possent nec deberent alia corpora assumere, quod tamen sæpe fit; quod observandum contra varios ex Patribus, Platonicos, qui propria sua corpora angelis tribuebant; quos sequitur Vorstius. Sunt tamen, qui Patres excusant, quòd vocabulum *corpus* sumserint vel pro re verè existente, quatenus umbræ vel phantasmati opponitur, quo sensu Corpus Deo tribuitur à Tertulliano, vel pro eo omni, quod qualicunque ratione est compositum & mutabile:

Corporis vocabulum quomodo apud Patres in usu?

Quod

Quod quidem sententiam eorum emollit, sed ἀκυρολογίαν & errorem planè non tollit.

XXXII. Bene etiam angelis certum *ubi* seu locus assignatur, non quidem *circumscriptivum*, quod solis Corporibus competit, sed *definitivum*, quod spiritibus convenit, de quo jam aliquid diximus. Loc. III. §. XVIII. Nam, tam necessarium est illud omne quod est, alicubi esse, ut bene Augustin. de anim. immort. c. 1. dixerit: *Quicquid est, nusquam esse non potest.* Et bene dicitur, illud non esse, quod nuspiam est; quicquid enim finitum est, eo ipso quod est tale, debet certo suo ubi definiri, ut ita hîc sit, ut non sit alibi. Nec hîc *præsentia virtualis* à *substantiali* divelli potest, cùm illa istam necessariò supponat, tanquam suum principium: Nam, ut operari supponit esse, ita causa omnis ibi debet esse, ubi operatur. Quamvis verò angeli præsentia à posteriori cognoscatur ex ejus operatione, non sequitur, totam rationem præsentiæ in sola operatione consistere, cùm non necesse sit semper illum operari, saltem ad extra. Nec absurdius est angelum per Essentiam esse alicubi, quàm per operationem, cùm utraque sit spiritualis. Licet autem inter spiritum & corpus nequeat concipi contactus, bene tamen possumus intelligere, dari inter ea relationem, ut inter duo sibi mutuò coëxistentia, quod sufficit ad fundandam rationem præsentiæ seu ubietatis in spiritu. Utut ergo angelus per essentiam non habeat relationem ad locum, quasi illum occupet, & illi coëxtendatur, non desinit tamen habere χέσιν ad ubi, in quo est per Essentiæ suæ finitudinem, indivisibiliter, & absque sui extensione. Angelorum ubi.

XXXIII. Eadem est ratio *motus angelorum*: Quamvis enim motus localis propriè competat corporibus, in quibus est movens & motum; non repugnat tamen dari, si non loci, saltem τῦ ubi definitivi mutationem in entibus finitis quibuslibet, quando uno ubi relicto acquirunt aliud. Nec opus est propterea quantitate vel dimensione propriè dicta, quia, licet locans sit divisibile & extensum, locatum tamen manet semper indivisibile, & virtualiter tantùm potest dici utcunque spatio coëxtendi, per intrinsecam essentiæ definitionem. Fruſtrà verò hîc à nonnullis obtenditur, angelo motum adscribi non posse, nisi quatenus operationem mutat, quia, cùm non possit operari Motus angelorum.

rari nisi ubi est, non potest mutare operationem, sine substantialis sui ubi mutatione. Quod Scriptura clarè innuit, quando de adventu, vel abitu angelorum loquitur, eorumque apparitionibus; siquidem non potuerunt in terram descendere, quin cœlum relinquerent, nec cœlum repetere, quin à terra recederent; & sic ubi suum præcedens mutarent; aliâs essent ubique.

Cognitio angelorum quotuplex.

XXXIV. Angelorum cognitio est triplex. 1. *Naturalis*, quæ à principio Creationis angelis fuit indita, quæ tam bonis quam malis fuit communis. 2. *Revelata*, per quam ex revelatione Dei multa nôrunt, quæ antea ignorabant, ut Daniel. 8. & 9. revelatur angelo Gabrieli mysterium 70. hebdomadum. 3. *Experimentalis*, quæ oritur ex rebus quæ fiunt in mundo. De illa agitur. *Eph.* 3. 10. *Ut nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis ac potestatibus, quæ in cœlis sunt, multiformis illa sapientia Dei.*

Objectum cognitionis angelicæ.

XXXV. Cognoscunt autem angeli. 1. *Deum & res divinas*, non quòd essentiam divinam comprehendant, sed quatenus Majestatis ejus radios quadantenus apprehendunt, quantum potest ferre creaturæ infirmitas. 2. *Seipsos & homines.* 3. *Alias creaturas*, & quidem longè perfectiùs hominibus.

Modus cognitionis angelicæ.

XXXVI. Nesciunt verò 1. *Futura contingentia*, quæ nôsse est solius Dei. *Jes.* 42. 9. *Priora ecce evenerunt; & nova ego indico; quum nondum exoriuntur, pronuncio vobis.* 2. *Corda & cognitiones hominum.* de quo postea.

XXXVII. De modo cognitionis angelicæ tenendum. 1. Cognitionem angelicam esse tantùm *intellectivam*, non *sensitivam*, quæ est corporum. 2. Angelos non intelligere *per suam Essentiam*, quia sic Essentia angelica omnia contineret, & esset omnium imago & causa, quod soli Deo infinito competit; sed per certas species & ideas, seu similitudines rerum, partim ingenitas & insitas, partim acquisitas, vel ex Dei revelatione, vel ex experimentis, per species ex rebus ipsis abstractas. Licèt autem nobis non liqueat, quomodo tales species seu imagines abstrahere possint à rebus, cùm sensibus externis destituantur, non ideò negandum est, hoc ab ipsis fieri, quod vel ex eo colligitur, quòd in colloquiis sanctorum voces eorum percipiunt, & illis respondent. 3. Cognitio non est *intuitiva*, & *noëtica*, sed *dianoëtica* & *discursiva*, quia non simplici

plici intuitu angelus omnia perspicit, sed per modum discursûs.

CONTROVERSIA.

An angeli cogitationes nostras, & statum cordis hominum nôrint? Neg. cont. Pontif.

Angeli non nôrunt cogitationes hominum.

Pontificii, ut invocationem angelorum stabiliant, ipsis etiam hanc cognitionem tribuunt. Nos, quamvis concedere possimus, angelos in effectis & signis externis cogitationes hominum posse utcunque assequi, tamen illos posse cognoscere corda hominum *in seipsis*, & *immediatè*, negamus.

ARGUMENTA.

1. *Deus solus novit corda hominum*, ut Salomon dicit. 1. Reg. 8. 39. Deus ipse hoc sibi vendicat. Jer. 17. 10. *Ego Jehova scrutator cordis, probator renum. Apoc.* 2. 23. *Cognoscent omnes Ecclesiæ; me esse Scrutatorem cordium & renum.* 1. Reg. 8. 39. Jer. 17. 10. Apoc. 2. 23.

2. Præter Deum *nemo scit quid in homine est, nisi Spiritus, qui in ipso est.* 1. *Cor.* 2. 11.

OBJECTIONES.

1. *Angeli vident faciem Dei. Math.* 18. 10. *unde omnia cognoscunt.* R. Licèt Deum omnia videntem videant angeli, non sequitur eos in Essentia Dei omnia videre; quia, cùm Deus sit agens voluntarium, non exhibet necessariò res omnes eorum aspectui, sed tantùm prout vult, vident ergo quantum Deus vult eos videre. Ita qui solem videt omnia lustrantem, non statim videt omnia. Matth. 18. 10.

2. *Lætantur angeli, videntes conversionem hominis. Luc.* 15. 10. R. Cùm ipsis aliunde innotescit. Luc. 15. 10.

Mutua inter angelos communicatio.

XXXVIII. Dari mutuam inter angelos communicationem, Scriptura testatur, quum loquitur de colloquiis angelicis. Zach. 2. 2. & alios ad alios clamantes inducit. Esaj. 6. 3. Apoc. 7. 2. & 14. 18. Sed qualis sit illa, & quomodo fiat, nec Scriptura tradit, nec quisquam mortalium potest affirmare, quicquid Scholastici hîc de *loquela angelorum* temerè garriant. Nobis satis est τὸ ὅτι, sive rem tenere, licèt τὸ πῶς, seu modum ignoremus. Quòd verò Apostolus. 1. Cor. 13. 2. dicit de linguis angelorum. *Si ego linguis hominum, imò & angelorum loquerer*; non huc pertinet, quia loquitur hyperbolicè, & ex hypothesi ad majorem emphasin, ut no- 1. Cor. 13. 2.

notet *linguam excellentissimam & disertissimam*, quales essent linguæ angelorum, si loquerentur; quomodo *facies angelica* vocatur ea, quæ pulcherrima est. Act. 6. 15. & *panis angelorum*. Ps. 78. 25. pro exquisito & optimo ponitur.

Angeli non operantur per meram voluntatem.

XXXIX. Voluntas angelorum non est *independens*, & *operativa*, quasi sola voluntate agerent, quia operari per meram voluntatem, & jussionem potentissimam ad solum Deum pertinet; Creaturæ verò omnes præter voluntatem egent potentiâ, quæ sit principium effectivum operationum ad extra, & quæ realiter influat in effectum. Sed est liberrimum volendi principium, ex quo actus multiplices & varij pro ratione objectorum sponte eliciuntur, juxta dictamen intellectûs practici.

Liberum arbitrium angelorum.

XL. Angeli habent liberum arbitrium nobiliori modo quàm homines; Istud quidem ab initio indeterminatum fuit ad bonum & ad malum, postea in bonis determinatum est tantùm ad bonum, in malis tantùm ad malum.

An affectus angelis tribuendi?

XLI. Ut nulla est in angelis cognitio sensitiva, ita nec appetitus sensitivus, nec affectus propriè ipsis competunt. Si ergo dicuntur amare Deum, odisse malum, gaudere de nostra resipiscentia, &c. hæc *analogicè* tantùm intelligenda sunt; quia semoto perturbationum æstu, in simplici rectæ voluntatis actu positi sunt, qui naturæ ipsorum spirituali convenit.

Potentia angelorum qualis?

XLII. Potentiam angelorum magnam esse, non Scriptura solùm testatur, quum eos *valentissimos robore* vocat. *Ps.* 103. 20. *imperia* & *potestates*. *Eph.* 6. 12. Δυνάμεις, & *angelos potentes*. 2. *Thess.* 1. 7. Sed & effecta mira & stupenda, quæ ab ipsis producuntur, satis evincunt.

XLIII. Finita tamen est illa potentia; licèt multa possint, non possunt tamen omnia; possunt agere supra ordinem naturæ particularis, non universalis; possunt agere mirabilia, non miracula quæ superant vim totius naturæ creatæ.

Quid possint in corpora?

XLIV. Quoad *Corpora*, plurimùm possunt in Corpora elementaria & sublunaria, ad ea localiter movenda, & diversimodè agitanda; Possunt etiam agere in *sensus externos & internos*, ad eos excitandos vel ligandos. Sed

In animam.

quoad *animam rationalem*, nihil possunt *immediatè* in ipsam, quod solius Dei est, qui est Scrutator cordum, & ea flectit

flectit quocunque vult, sed *mediate* tantùm; non *effectivè* & *physicè*, aliquid in eam infundendo, vel efficaciter operando, sed *objectivè* & *moraliter*, phantasmata objiciendo, & affectus excitando & commovendo, quibus voluntas ad hoc vel illud præstandum impellitur. Ita intelligendum, quando Diabolus dicitur ἐνεργεῖν *in filiis rebellionis. Eph.* 2. 2. quando Satanas dicitur *replevisse cor Ananiæ. Act.* 5. 3. & *intrâsse in cor Judæ Joh.* 13. 2. Eph. 2. 2. Act. 5. 3. Joh. 13. 2.

XLV. Quoad *productionem substantiarum*, licet occasionaliter & dispositivè possint ad eam concurrere, per excitationem causarum, applicando activa passivis, non possunt tamen propriè & physicè quicquam producere, quia, cùm duo tantùm sint productionis modi, per *creationem*, & per *generationem*, neuter in eos cadit; non prior, quia ad eum virtus infinita requiritur; non posterior, quia cùm sint incorporei, non sunt generationis capaces. Unde malè quidam Judæi, ut *Josephus* & *Philo*, quos plurimi Christianorum secuti sunt, angelos finxerunt sexu discretos, ex quibus gigantes geniti sint; aliud enim docet Christus, dum ait: beatos in resurrectione fore ἰσαγγέλους, qui nec uxorem ducunt, nec nuptui dant. Math. 22. 20. Per filios verò Dei, qui accepisse dicuntur uxores ex filiabus hominum. Gen. 6. 2. intelliguntur *posteri Sethi*, qui ob retentum puriorem Dei cultum, hoc filiorum Dei nomine à *posteris* profanis *Caini*, seu *filiis hominum* discriminantur. An possint substantias producere? Gen. 6. 2.

XLVI. Cùm à privatione totali ad habitum non detur regressus naturaliter, *Suscitatio mortui* etiam virtutem angelicam superat. Et si quæ afferuntur exempla à Philostrato & aliis apud Delrio. lib. 2. q. 29. eorum qui à dæmonibus suscitati dicuntur, si ficta non sunt, fuerunt aut spectra diabolica, specie hominum defunctorum, aut cadavera defunctorum ad tempus gestata & mota à Diabolo, vel homines illi reverà mortui non erant, sed gravi aliqua syncope pressi, ut pro mortuis habiti sint, vel, qui ita à Dæmone sopiti erant, cohibito & represso eorum motu & sensu, ut adstantibus mortui viderentur. Quod verò 1. Sam. 28. 12. de Samuele à Maga excitato dicitur, certum est, non fuisse verum Samuelem, vel animam ejus, sed spectrum Satanæ, quia excitatum dicitur de terra. v. 13. An possint suscitare mortuos? 1. Sam. 28. 12.

cum Sanctorum animæ sint in cœlo in manu Dei, non in potestate Satanæ.

Quare Deus utatur ministerio angelorum?

XLVII. Deus utitur operâ angelorum, non ex *necessitate* & *indigentia*, sed ex *indulgentia* & *bonitate sua*. 1. *Ad bonum ipsorum angelorum*, quos Deus hoc honore dignatur. 2. Ad *fidelium solatium*. 3. Ad *amicitiam* inter angelos & homines fortiùs *conciliandam*. 4. Ad ἀνακεφαλαίωσιν *universi*, ut ira creaturæ superiores & inferiores certis quibusdam officiorum vinculis inter se connectantur. 5. Præcipuè ad *Dei gloriam*.

Officium eorum multiplex.

XLVIII. Multiplex verò eorum officium notatur in Scriptura. 1. *Respectu Dei*, eum celebrando & adorando, quo pertinet Trisagion Seraphicum. Jes. 6. & canticum quod in nativitate Christi accinunt. Luc. 2. 13. 14. Deoque obsequendo: Unde dicuntur adstare coram ipso, ut ministri, & videre ejus faciem, ad ejus mandata exequenda. *Millies milleni serviunt ei, & myrias myriadum coram eo stabant*, Dan. 7. 10. *Vidi Jehovam insidentem solio suo, & totum exercitum cœli adstantem ei à dextra ejus, & à sinistra ejus*. 1. Reg. 22. 19. 2. *Respectu mundi*, non, ut orbes cœlestes moveant, quod voluit Aristoteles, sed, ut res creatas, & earum ordinem tueantur & conservent, providentiæ divinæ ministrantes, quò pertinent angeli descendentes & ascendentes, qui in scala Jacobi visi sunt. 3. *Respectu hominum*, & quidem circa *malos* in judiciorum Dei inflictione; circa *electos* & *fideles*, sive in illis castigandis, sive in beneficiis Dei dispensandis, & quidem. 1. docendo. 2. consolando. 3. custodiendo. Exemplis tota Scriptura est referta.

Apparitiones variæ angelorum.

XLIX. Ἀγγελοφανείαι triplices leguntur. 1. Quædam in *somno* fiebant, qualis Jacobo contigit in visione scalæ mysticæ. Gen. 28. 12. Josepho, cui angelus Domini apparuit in somnio. Math. 1. 20. Paulo, cui nocte adstitit angelus Dei, dicens, ne metue Paule. Act. 27. 23. 2. Aliæ in *visione* merè *extaticâ*, quales obtigerunt sæpe Prophetis, & Johanni in Apocalypsi. 3. Vel in *visione sensibili*, & ejusmodi specie, quæ in oculos incurreret, quæ videntibus & vigilantibus hominibus contingebant, quales fuerunt pleræque apparitiones Patriarchis exhibitæ.

Quænam corporea

L. Corpora autem ista, in quibus apparebant, nec erant inania phantasmata, nec *corpora propria*, sibi *hypostaticè*

ticè unita, sed *œconomia* & *mutuatitia*, ex Dei præscripto, ministerij certi peragendi gratiâ ad tempus assumta. Qualia autem illa fuerint, & unde assumta; an ex nihilo, vel ex materia aliqua præjacente, sed inhabili condita; an ex condensato aere aptata & coagmentata; an verò ex alia aliqua materia compacta, curiosum est quærere, & temerarium Scripturâ tacente definire. Vera tamen corpora angelos sæpe assumsisse, sive ea de novo à Deo immediatè condita fuerint, sive fuerint corpora hominum viventium jam existentia, in quæ delapsi actiones quasdam œconomicas peragerent, aversâ tantisper eorum quorum erant phantasiâ, ut ipsi nescirent, quid in se & per se fieret; negari non potest, & operationes angelorum in istis corporibus, & colloquia quæ ipsis intercedebant cum hominibus, & convictus satis testantur. Unde sancti viri, qui habebant sensus omnes bene dispositos, hoc agnoverunt. pora angeli assumserint?

LI. Ita tamen uniti erant illis corporibus, ut propterea homines dici non potuerint, quia *unio* non erat *personalis* & *interna*, qualis est animæ & corporis, sed *externa* & *accidentalis*, ad modum *formarum assistentium*, ut motores uniuntur mobili, corpora illa tanquam vestes induendo, & deponendo, quibus uterentur ad ministeria sua, non tanquam compartibus, sed ut instrumentis ad opus suum exequendum. Unde operationes quæ ab angelis in istis corporibus fiebant, quales erant loquela, ambulatio, manducatio, *Vitales* non possunt dici *propriè & strictè*, quatenus fieri debent in subjecto vivente, & animato ab anima corpori hypostaticè unita, & illud intimè movente; sed *improprie*, quia sunt efficienter à principio vivente.

LII. Quid verò de corporibus istis assumtis factum fuerit, peracto eo, ad quod mittebantur, opere, superfluum est quærere, cùm Scriptura notet tantùm ea disparuisse, ex quo angeli abscedebant, sive corporibus illis in principia sua, unde composita fuerant, resolutis, sive in nihilum redactis, vel, si hominum viventium fuerunt corpora, in pristinum statum restitutis.

LIII. Ut verò Deus tempore Patriarcharum, verbo Dei nondum scripto, & obscura adhuc nocte Ecclesiam tum adhuc occupante, frequenter angelorum apparitionibus usus est, ad fidelium consolationem, & fidei confirmatio- Angelorum apparitiones non amplius sunt in usu.

mationem. Ita nunc, claro Evangelii jubare exorto, filio Dei in carne manifestato, Sp. S. copiosissime in Ecclesiam effuso, & Scripturæ canone clauso, Ecclesia non amplius eget talibus subsidiis. Hinc factum, ut licèt sub initium Evangelii aliquæ adhuc fuerint ἀγγελοφανείαι, ad ministerium Christo exhibendum, & fidem doctrinæ ipsius faciendam, postea tamen confirmato Evangelio desierint, ut quamvis Deus invisibilis utatur angelorum ministerio in mundo, non ampliùs tamen, vel rarissimè eos conspicuos hominibus reddat.

Angeli boni & mali.

LIV. Duo angelorum sunt genera; alii boni, quibus Deus utitur ad ministerium salvandorum. Heb. 1. 14. alii mali, qui propriâ suâ culpâ à Deo desciverunt, & statu suo exciderunt. Job. 8. 44.

CONTROVERSIA.

Angelus custos, an detur?

An quilibet homo habeat singularem suum angelum tutelarem; vel etiam alterum bonum, alterum malum? Neg. c. Pontif.

Pontificii volunt, singulis fidelibus assignatum esse à Deo aliquem angelum, ab ipsa nativitate, qui perpetuus sit eorum comes & custos usque ad mortem, cui sententiæ religiosum angelorum cultum, & nominatim angeli comitis quotidianam venerationem superstruxerunt, opponimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Scriptura angelos à Deo liberè huc illuc mitti testatur ad ministerium illorum, qui salutem hæredare debent, Heb. 1. 14. E. certis hominibus non sunt alligati.

Heb. 1. 14.

2. Unus angelus sæpe ad multorum fidelium custodiam mittitur, & plures uni destinantur: Unus angelus obsidione Hierosolymam solvit. Jes. 38. unus *angelus castra metatur circa timentes Dominum.* Ps. 34. 8. Plures etiam sæpe uni destinantur; *angelis suis præcipiet de te, ut te custodiant in omnibus viis tuis.* Ps. 91. 11. circa Elisæum mons plenus erat equis & curribus igneis, 2. Reg. 6. 17. Jacobo obviam veniunt angeli Dei, dixitque ille, quum videret eos, acies Dei hæc est. Gen. 32. 1. 2.

Ps. 34. 8.

Ps. 91. 11.

2. Reg. 6. 17.

Gen. 32. 1. 2.

3. Hæc sententia originem habet paganam; notum enim Ethnicos unicuique hominum peculiarem genium seu Dæmonem datum esse, censuisse. Nec alieni fuerunt

Judæi

Judæi ab hac sententia, à quibus ad Christianos transiit, quæ proinde meritò suspecta nobis esse debet, eò vel magis, quod non parum superstitioni Pontificiæ super θρησκεία angelorum obstetricetur.

OBJECTIONES.

1. *Matth.* 18. 10. *Angeli parvulorum.* R. Non dicitur definitè, angelum uniuscujusque ex illis parvis, vel singulos angelos singulorum parvulorum videre faciem Dei, sed indefinitè tantùm *angelos eorum*, sive plures uni assignentur, sive unus pluribus, nimirum ut innuatur, eos sub angelorum tutela in genere asservari. Matth. 18. 10.

2. *Act.* 12. 15. *Mentio fit angeli Petri.* R. 1. Non est vox Scripturæ, sed nonnullorum, qui ita loquuntur ut Judæi, conversi quidem, sed non satis in doctrina Christiana adhuc instituti. 2. Potest vox ἀγγέλος pro nuncio sumi: ut, Matth. 11. 10. Luc. 3. 24. 27. & 9. 52. q. d. *nuncius est ab eo missus*, de eo aliquid nunciaturus. Act. 12. 15.

LV. Inter angelos bonos dari ordinem, negari non potest, cum in cœlo nulla sit ἀταξία, & nomina *exercituum cœlestium*, ut & *thronorum*, *Dominationum*, *& Potestatum*, *archangelorum*, *angelorum* tale quid satis apertè videantur insinuare; sive ille ex diversitate officiorum ipsis impositorum, sive ex mero Dei arbitrio pendeat. Respectu verò malorum res etiam indubia est, quia fit sæpe mentio *Principis dæmoniorum* in Scriptura, cui tribuuntur angeli, quum ignis æternus dicitur paratus *Diabolo & angelis ejus. Math.* 25. 41. Quis verò & qualis sit ille ordo, Scripturâ tacente, nemo curiosiùs inquirere debet. Talis verò ordo non est, per quem unus angelus altero non modò differat specie, sed & vim & authoritatem habeat in eum, unde certæ oriantur Hierarchiæ, quod Pontificiorum delirium est. Ordo angelorum.

CONTROVERSIA. I.

An dentur novem ordines angelorum, Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, virtutes, potestates, principatus, archangeli, angeli? Neg. cont. Pontif.

Pontificii, ut faciliùs Hierarchiæ suæ Ecclesiasticæ figmentum obtrudant, aliam in cœlis angelorum Hierarchiam sunt commenti. Angelos verò omnes in *tres classes* seu Hierarchia angelorum refutatur.

hierarchias dividunt, in *supremam*, *mediam*, & *ultimam*. In *suprema* collocant *Cherubinos*, *Seraphinos*, & *Thronos*. In media *Dominationes*, *Principatus*, *Potestates*. In infima *Virtutes*, *Archangelos*, *Angelos*. *Cherubinos* autem dicunt, qui lumine scientiæ excellunt. *Seraphinos*, qui amore divino maxime flagrant. *Thronos*, qui alios regunt in judicio. *Dominationes* regunt officia angelorum. *Principatus* præsunt populis & provinciis. *Potestates* coërcent potentiam diabolorum. *Virtutes* operantur miracula. *Archangeli* nunciant majora negotia; *Angeli* minora.

Hisce jam præluserant Judæi, decem Angelorum Hierarchias constituentes, qui sapientiâ, dignitate & potestate ab invicem sint discreti, quorum supremi infra solium majestatis sint, infimi verò cum hominibus conversentur. Et inter superiores pertendunt dari septem præcipuos, ut inter ministros regios dantur quidam intimæ admissionis, quod videtur haustum ex *Tob.* 12. 15. ubi Raphaël dicit, se esse *unum ex septem angelis sanctis, qui referunt preces sanctorum & egrediuntur coram gloria sancti*. Sed hæc omnia figmenta sunt.

ARGUMENTA.

1. Pontificij suæ sententiæ autorem prædicant *Dionysium Areopagitam*, de quo Act. 17. 34. narrat Lucas, Paulo prædicanti adhæsisse. Sed Scripta hujus Dionysij sunt supposititia. 1. Quia per 5. secula penitus ignota fuerunt. 2. Quia stylus est turgidus, inflatus, &c. 3. In libro de Hierarchia multa scribit de Templis, altaribus, locis sacris, choro, &c quæ locum habere non poterant ætate veri Dionysij, cùm cogerentur Christiani in locis occultis convenire propter persecutiones: Dicit idem de Monachis, quos nullos tum fuisse, non possunt diffiteri adversarij, qui Paulum & Antonium primos Monachorum Patres fuisse scribunt, qui tamen aliquot post Areopagitam Seculis vixerunt.

2. De hac Hierarchia altum est apud Paulum silentium.

3. Si ex variis appellationibus variæ sunt instituendæ Hierarchiæ, ternarius triplex non sufficeret; angeli enim vocantur etiam *vigiles*, *exercitus Dei*, & *filij Dei*, &c.

4. Omnes hos ordines perturbat Apostolus, quum omnes vocat *spiritus administratorios. Heb.* 1. 14.

5. Proprietates ex notatione vocum istarum erutæ, omni-

omnibus angelis sunt communes, omnes vident Deum, amant Deum, mittuntur, &c.

6. Hæc Platonicam scholam sapiunt; sic enim distinguebant Genios suos in supercœlestes, cœlestes & subcœlestes.

OBJECTIONES.

1. *Col.* 1. 16. *Throni, Principatus.* R. Non obtinet ibi ille numerus, quem jactant Pontificij, nulla enim eo loco mentio fit Cherubinorum, & Seraphinorum, nec Archangelorum aut angelorum, sed ita loquitur Apostolus vel ex hypothesi Platonica Angelicorum, contra quos disputat, qui talibus epithetis ornabant angelos, ad multiplices ordines eorum notandos: vel sunt varia angelorum encomia; ut, sancti, electi, beati, &c. quæ encomia notant multiplicia angelorum officia, nominibus petitis ab iis, quæ inter homines ad designandam varietatem dignitatum obtinere solent: Nam in politia sunt Throni, quales sunt Regum & Monarcharum, sunt κυριότητες, quales sunt regulorum, sunt ἀρχαί, quæ præficiuntur Provinciis & urbibus, sunt ἐξουσίαι, magistratus infimo loco constituti, Italis Podestà dicti. Ex hoc loco igitur aliquis ordo inter angelos, sed quis sit, definiri nequit. Col. 1. 16.

2. *Apoc.* 12. 7. *Mentio fit Michaelis & angelorum ejus, qui pugnârunt cum Dracone.* R. Intelligitur Christus, qui Draconi, Serpenti, Diabolo, caput contrivit. Gen. 3: 15. Apoc. 12. 7.

3. *Jud* 9. *Mentio fit Archangeli, qui certavit de corpore Mosis cum Diabolo.* R. Hoc de Christo dici patet ex eo, quòd tribuitur Jehovæ. *Zach.* 3. 2. quod hic Michaeli adscribitur; *Increpet te Jehova.* Quòd verò dicitur non ausus esse pronunciare maledictionem, hoc non factum est per impotentiam, sed per moderationem, quâ seipsum compressit, ut nobis patientiæ Exemplum præberet. Jud. 9.

4. *Ipse Dominus veniet cum voce Archangeli.* 1. *Thess.* 4. 16. R. Intelligitur insignis majestatis Christi inter angelos quasi anteambulo, & voluntatis promulgator, ad similitudinem Regum terrenorum. 1. Thess. 4. 16.

5. *Inter malos angelos datur unus, qui supra reliquos eminet, qui dicitur Diabolus, Satan, Draco, Beelzebub.* R. Tamen non sequitur bonis etiam unum angelum inter cæteros præesse; hæc enim præfectura rectiùs dicitur Christi privilegium. Col. 1. 18.

CONTROVERSIA. II.

Angeli non sunt intercessores nostri.

An angeli sint intercessores nostri apud Deum? Neg. cont. Pontif.

ARGUMENTA

1. Ille solus potest esse παράκλητος, & advocatus, qui solus est ἱλασμός; nam hæc conjunguntur, Rom. 8. 34. 35. & 1. Joh. 2. 12. At angeli non sunt pro nobis mortui. E. non intercedunt.

2. Preces aliorum Deo offerre est pars muneris mediatorij & sacerdotalis; at Christus est unicus mediator inter Deum & homines. 1. Tim. 2. 8.

8. Ille solus preces nostras deferre potest ad Deum, qui earum sordes abluere, & imperfectionem expiare potest, quod nulli angelo creato competit.

OBJECTIONES.

Zach. 1. 12. 1. *Angelus deprecatur pro populo. Zach.* 1. 12. R. Non fuit angelus creatus, sed increatus, Dei filius, qui inducitur orans pro Ecclesiæ restauratione, & stans in procinctu ad pugnandum pro ipsa, & quidem inter myrtos, i. e. in Ecclesia, hac debili planta, sed pretiosâ, & semper virente ac fragrante adumbratâ; cui adjunguntur angeli varij ut ministri, qui illi rationem reddere tenentur v. 11. equorum variorum emblemate descripti, ad multiplicem Dei erga homines dispensationem designandam; Nam: ut equi rufi notant instrumenta severitatis, albi gratiæ, ita variegati sunt symbola correctionis, quæ benignitate & severitate temperatur.

Apoc. 8. 3. 2. *Apoc.* 8. 3. *Angelus dicitur stare ante aram cum thuribulo aureo, & cui dantur suffitus multi, ut offerat cum precibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.* R. Inducitur hic Christus, angelus fœderis, ut summus Pontifex N. T. qui meriti sui σὺν δύναμις preces nostras offert Deo, & acceptas illi reddit, allusione facta ad Sacerdotem typicum V. T. qui intercessurus pro populo, thuribulo aureo imponebat thymiamata, quæ gratum Deo odorem exhalare dicebantur. Nam, angelus ille proponitur ut Sacerdos, qui suffitum offert; at Christo soli hoc officium vindicatur. Heb. 9. 24. Utpote qui unus est noster apud Deum mediator & advocatus. 1. Tim. 2. 5.

2. 5. & 1. Joh. 2. 1. 3. Et agitur de precibus omnium Sanctorum, qui ab angelo creato offerri nequeunt. Inst. *Angelus ille distinguitur ab altari aureo, quod Christus est.* R. Multi typi possunt simul ad Christum respicere; ita Sacerdos dicitur respectu personæ, altare holocaustorum in cruce, suffituum in intercessione, candelabrum in Evangelio, mensa cum panibus conspectûs in beneficiis quæ nobis communicat. Inst. 2. *Suffitus illi angelo dantur. At Christo nihil datur.* R. Non dicuntur dari quòd illis egeret, sed ut illos ex officio Patri offerret. Ita Christo officium mediatorium, & omnia data sunt à Patre, & Spiritus sine mensura. Math. 11. 27. Joh. 3. 34.

CONTROVERSIA III.

An cultus aliquis religiosus angelis debeatur?

Cultus religiosus Angelis non debetur.

Neg. c. Pontif.

ARGUMENTA.

1. Quia θρησκεία seu cultus angelorum exprsè damnatur à Paulo. *Col.* 2. 18. *Nemo vos brabio defraudet pro libidine, in demissione animi, & cultu angelorum, in ea quæ non vidit se ingerens, temere inflatus mente sua carnali.* Ubi varia latent argumenta. 1. In eo quod Ap. ait eos, qui errorem illum fovebant fideles καταβραβεύειν, i. e. *præmium* ipsis *intercipere*, vel à præmio proposito impedire, quia à Christo, qui meta est cursûs nostri, eos abstrahebant. 2. Dicit *volentes* id facere, ut innuat *cultum* hunc esse *voluntarium*, qui fiat ex propria hominis libidine, non Dei mandato. 3. *Humilitatem affectare*, & nihilominus *turgere sensu carnis* suæ, quia falsi istius cultûs commentum, indicium est superbiæ, quâ sapientiores volunt videri Deo. 4. *Non tenere caput*, quia Christo ipso excidunt, qui alium socium illi in cultu adjungunt. Col. 2. 18.

2. Angelus cultum istum repudiat, *Apocal.* 19. 20. & 22. 9. Cùm Johannes ad pedes ejus procumbere vellet, angelus statim ad ipsum: *Vide*, inquit, *ne facias, adora Deum; conservus tuus sum, & fratrum tuorum.* Exc. *Angelus recusavit illum cultum modestiæ causâ.* R. Duplex ratio quam affert angelus, à legitimæ adorationis objecto, & ab ipsius ministerio, vanitatem cœterarum satis evincit. Exc. 2. *Si illicitum esset angelos adorare, Johannes hoc non feciſſet.* R. Quamvis cognosceret theoreticè, angelos Apoc. 19. 20. & 22. 9. Exc. 1.

non esse adorandos, potuit tamen ex animi perturbatione ortâ ad conspectum angeli, ab illa theoria in praxi deflectere, & mensuram excedere in honore angelo exhibendo, ut simile quid contigisse legitur Cornelio erga Petrum. Act. 10. 26. 2. Johannes magis erravit in facto, & personâ, quam in jure, putando angelum istum fuisse angelum increatum.

Matth. 4. 10. 3. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Deut. 6. 13. & Matth. 4. 10.*

4. Nemo objectum esse potest cultûs religiosi, qui non sit omnipotens & omniscius. Tales verò non sunt angeli.

OBJECTIO.

Abraham. Gen. 18. Jacob. Gen. 32. Josua. c. 5. 14. adorâvunt angelos. R. Imò angelum increatum, filium Dei: Nam 1. Abraham. Gen. 18. eum vocat Jehovam, orat eum pro incolumitate Sodomæ, & eum vocat judicem totius terræ. 2. Angelus qui luctatur cum Jacobo. Gen. 32. Deus fuit, ex Hos. 12. 3. ubi dicitur Jacobo *principem se gessisse cum Deo*, quod confirmat benedictio, quam ab ipso postulat, & denominatio פניאל *Peniel*, quia vidisse dicitur Deum de facie ad faciem. 3. Josua c. 5. adorat angelum increatum, quia dicitur *Princeps militiæ Jehovæ.*

Peccatum angelorum malorum.

LVI. Peccatum angelorum quodnam fuerit: Scriptura S. non definit; non diffitendum tamen, in isto peccato *Superbiam* præ cæteris eminere, per quam jugum Dei excutere, & æqualitatem cum Deo affectare volebant, quod non obscurè videtur insinuare Paulus. 1. Tim. 3. 6. dum non vult promoveri νεόφυτον, ne inflatus incidat in judicium & condemnationem Diaboli, i. e. in pœnam peccati Diabolici. Adde, quòd cùm hoc semper præcipuum fuerit Diaboli studium, qui ut Deum & Principem se gessit in mundo, & talis haberi ac coli voluit à principio. 2. Cor. 4. 4. Joh. 2. 31. non sine causa in illud peccatum dicitur incidisse. Tertiò, quia ad hoc peccati genus Adamum tentavit à principio, & quotidie homines impellit.

Homo 1. Thess. 5. 23.

LVII. Homo constitit corpore terreno, & anima spirituali. Gen. 2. 7. Object. 1. *Thess.* 5. 23. *Additur Spiritus.* R. Spiritus mentem seu intellectum significat, anima voluntatem.

CON-

CONTROVERSIA. I.

An Adamus primus mortalium fuerit; an verò homines extiterint ante Adamum? Prius aff. Post. neg. cont. Præadamitas. Adamus primus homo.

Præadamitæ fingunt Adamum, cujus creatio refertur, Gen. 2. fuisse patrem tantùm Judæorum, non verò omnium hominum, & diversam fuisse ejus formationem a creatione hominis, quæ narratur c. 1. à qua volunt Gentiles ortum ducere, ita, ut jam ante Adamum multæ myriades hominum terram incolerent. Sed contra afferimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Scriptura nobis proponit Adamum ut primum mortalium. Sic. 1. *Cor.* 15. 45. *Factus est* primus homo *in animam viventem. & v.* 47. Primus homo *e terra terrenus.* Et Eva hoc nomen ea de causa sortita est, quia fuit *mater omnium viventium. Gen.* 3. 20. Huc pertinet, quòd Scriptura in genealogiis recensendis ab Adamo orditur, & in eo desinit. Gen. 5. Luc. 3. Et Paulus. *Act.* 17. 28. asserit: *Deum totum genus humanum fecisse ex uno sanguine.* 1. Cor. 15. 45. Gen. 3. 20. Act. 17. 28.

2. Mas & fœmina qui dicuntur creati sexto die, cap. 1. non alij sunt, quàm Adamus & Eva, de quibus agitur cap. 2. pater 1. ex v. 1. 2. 3. cap. 2. ubi præmittitur recapitulatio primævæ creationis cœli & terræ, de qua actum fuit c. 1. E. quod in sequentibus subjicitur de creatione maris & fœminæ, eodem pertinet. 2. Utrobique origo ejusdem Adami describitur, quia idem nomen utrobique occurrit, & eadem nominis ratio, pura ex terra productio, quod dici non posset, si hoc de duobus diversis esset intelligendum. 3. Si duo Adami intelligendi essent, vel de secundo non constabit, quòd sit factus ad imaginem Dei, quia nihil de eo dicitur. c. 2. vel de primo non liquebit præditum esse animâ rationali, quia nihil traditur de insufflatione animæ in nares ejus, quod demum c. 2. traditur. 4. Sequeretur primis hominibus, quibus dictum est, crescite & multiplicamini, nullam tamen conjugij legem esse positam, quæ demum cap. 2. legitur, contra expressa Christi verba: Math. 19. 4. 5. qui ab initio Deum marem & fœminam creâsse asserit, illisque dedisse legem, ut relinquat homo patrem & matrem, & adhæreat uxori suæ. 5. Primis

mis hominibus datum est imperium in animalia. cap. 1. 28. quod confirmatur. c. 2. 19. quum omnia animalia Adamo sistuntur, ut singulis nomina sua imponeret, & dominium istud solemni quasi investiturâ acciperet. 6. Ut dantur ipsis in cibum herbæ, olera, fructus arborum. c. 1. v. 29. ita eadem lex repetitur. c. 2. 16. 7. Quum cap. 2. 6. Deus dicitur formâsse Adamum de luto terræ, nullus dum dicitur fuisse homo ad colendam terram.

Ps. 49. 2. Ps. 62. 10. 3. Homines vocantur בני אדם *Filii Adami*. Ps. 49. 2. & 62. 10. E. Adamus primus parens fuit omnium.

3. Si innumeri homines ante Adamum conditi fuissent, non opus fuisset iteratâ hominis ex pulvere creatione, cùm ordinaria generatio abundè sufficere potuisset.

OBJECTIO.

Gen. 4. 14. *Omnis qui inveniet Cainum eum occidet*, Gen. 4. 14. R. Non opus est hic Præadamitas fingere, multi enim alii Adami liberi erant, multi quoque filii & nepotes ipsius Abelis, jam centenario majoris quum obiit, quos tanquam fraterni & paterni sanguinis vindices Cain tum metuere potuerat. Quid? quòd verba ista turbatam conscientiam notant, quæ iræ divinæ pœnam vel per homines vel bestias infligendam metuit.

CONTROVERIA. II.

An anima à parentibus generetur; an verò à Deo solo creetur? Neg. prius, aff. post. cont. Luth.

Anima non est per traducem. Sententiæ de Traduce animæ author est *Tertullianus*, libro de anima, quam hic Luciferiani, & varii ex Latinis secuti sunt Augustinus verò hîc ἐπίσχ.

Communior verò sententia eorum, qui volunt animam esse ex traduce, est: Animam traduci ex anima non per decisionem aut partitionem animæ paternæ, sed modo quodam spirituali, ut lumen accenditur de lumine. Nos statuimus, animas omnes immediatè à Deo creari, & creando infundi, atque ita ex nihilo, absque ulla præexistente materia produci.

ARGUMENTA.

1. *Ex creationis lege.* Quia eadem debet esse origo animarum nostrarum, quæ fuit animæ Adami, quia ejus creatio

creatio est exemplar formationis omnium hominum. Sed anima Adami immediatè à Deo creata fuit, quum insufflavit in nares Adami spiraculum vitæ. Gen. 2. 7. Exc. *Non valet ab Adamo ad nos, quia idem dicendum esset etiam de Corporis origine, quod tamen locum non habet.* R. Quamvis in creando Adamo modus actionis singularis fuerit respectu Adami, rei tamen natura eadem utrobique est; nam ut anima Adæ ex nihilo creata est, ita & animæ posterorum, & ut corpus ipsius ex pulvere terræ formatum est; ita & corpora nostra ex semine, quod itidem terrenum est, & materiale. Gen. 2. 7. Exc.

2. Ex Scripturæ Testimoniis. *Eccl.* 12. 9. *Et redibit pulvis in terram, quemadmodum fuerat, spiritus autem redibit ad Deum, qui dederat illum. Zach.* 12. 1. dicitur *Deus formare spiritum hominis in medio ejus. Hebr.* 12. 9. *vocatur Pater spirituum, contradistinctè ad patres carnis.* Petrus, *Ep.* 1. *c.* 4. 14. *eum vocat fidelem animarum creatorem. & Numer.* 16. 22: *Deus vocatur Deus spirituum universæ Carnis.* sic *Es.* 57. 16. *Non in seculum contendam, neque in æternum efferveseam; nam spiritus à conspectu meo obruetur, & animæ quas ego feci.* Eccl 12. 9. Zach. 12. 1. Heb. 12. 9. 1. Pet. 4. 14. Num. 16. 22. Esai. 57. 16.

3. Rationibus. Nam. 1. Si anima generando propagatur, aut ab utroque parentum, aut ab altero tantùm: sed neutrum: Non prius, quia sic duæ animæ in unam coalescerent, & miscerentur: Non posterius, nam, si ab altero, vel à patre vel à matre tantùm, nulla verò ratio dari potest, cur ab uno potiùs, quàm ab alio propagetur; cùm uterque parentum ex æquo sit principium generationis. 2. Anima propagatur vel quoad totum sui, vel quoad partem; non prius, quia ita parentes exanimabuntur; non posterius, quia anima esset divisibilis, adeoque materialis & mortalis. 3. Similitudo luminis quæ hic solet afferri, aliena est; nam, præterquam quòd flamma & candela sunt substantiæ corporeæ, certum est lumen educi de potentia materiæ, nec posse accendi sine decisione particularum ignearum, quæ transmittuntur à face accensa ad extinctam, quod de anima dici nequit.

OBJECTIONES.

1. *Gen.* 46. *v.* 26. *Animæ e lumbis* Jacobi egressæ. R. i. e. homines. ut v. 22. (2) וַיֵּצֵא etiam de cadavere dicitur. Lev. 19. 28. Gen. 46. 26.

2. *Deus*

2. *Deus quievit ab omni opere. Gen.* 2. 2. R. Non vacando ab administratione rerum, sed cessando à creatione novarum specierum, vel individuorum, quæ essent principia novarum specierum.

3. *Quomodo homo generat hominem, si non animam?* R. Ut occidit hominem; quamvis non animam. Generatio enim tendit ad compositum, non verò ad productionem utriusque partis. Ita homo hominem generat, quia partes istas inter se copulat, ex quibus homo exsurgit, licèt non sit ψυχογόνος; nec qui generat totum hominem, statim totum hominis debet producere.

4. *Vel pura creatur anima, vel impura. Utrum dicatur, Deus erit author peccati.* R. Distinguendum inter animam puram, impuram, & non puram. Pura dicitur, quæ ornata est habitu sanctitatis. Impura, quæ contrarium habitum injustitiæ habet; non pura, quæ, licèt nullum habeat habitum bonum, nullum tamen habet malum, sed creatur simpliciter cum facultatibus naturalibus, qualis supponitur creari a Deo post lapsum. Quamvis autem animæ creentur à Deo destitutæ justitiâ originali; non propterea Deus potest censeri author peccati, quia aliud est impuritatem infundere, aliud puritatem non dare, quâ homo se indignum reddidit in Adamo.

LVIII. Homo creatus est ad imaginem Dei, sapiens, sanctus, immortalis, beatus. &c.

CONTROVERSIA. I.

Homo non est conditus in puris naturalibus.

An homo revera cum qualitatibus illis sapientiæ, justitiæ, & immortalitatis creatus sit?

Pelagiani Veteres & novi finxerunt statum *puræ naturæ*, & hominem in puris naturalibus conditum esse asserunt, i. e. in tali statu, ut constiterit tantùm partibus suis & proprietatibus essentialibus, absque dono justitiæ originalis, & sine ullis qualitatibus vel habitibus superadditis bonis, vel malis. *Sociniani*, ut faciliùs peccati originalis veritatem evertant, negant hominem in sapientia & justitia esse conditum: Fatentur quidem, hominem conditum esse absque corruptione peccati quæ nunc est; sed sapientem, justum & sanctum, absque dissidio & rebellione rationis & appetitûs creatum esse negant, ut innocentia quidem, & carentia peccati illi tribui possit, sed non justitia; atque ita imaginem Dei in solo dominio positam esse volunt. Nos verò

verò hominem nunquam in puris naturalibus, seu in statu puræ naturæ ita intellectæ, conditum pertendimus, nec verò condi posse putamus.

ARGUMENTA.

1. Homo creatus est *rectus & bonus. Gen.* 1. 31. *Deus vidit ea quæ fecit, & erant omnia valdè bona. Eccl.* 7. 29. *Deus fecit hominem rectum, sed ille quæsivit ratiocinia multa.* Fecit autem Deus hominem rectum, non tantùm bonitate naturali, sed præcipuè etiam morali, quia conditus est ad gloriam & cultum Dei. Prov. 16. 4. Rom. 11. 36. quo officio non potuisset defungi, nisi dotibus necessariis instructus fuisset, sapientiâ sc. & sanctitate. Gen. 1. 31. Eccl. 7. 29.

2. Qualis est imago, quæ in nobis restauratur per gratiam, talis debuit esse, quæ collata est homini in natura, quia renovatio fit κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος *juxta imaginem Creatoris. Col.* 3. 10. At imago illa, quæ est hominis regeneratio, in illuminatione mentis, & sanctificatione voluntatis consistit. Unde dicimur *transformari spiritu mentis nostræ. Rom.* 12. 2. *Et Col.* 3. 10. *renovari* εἰς ἐπίγνωσιν, *in cognitionem. Et Eph.* 4. 24. *novus homo* dicitur esse *secundùm Deum in justitia & sanctitate veritatis.*

3. Deus hominem perfectum creavit. E. cum justitia originali, quia hæc est animæ rationalis perfectio.

4. Homo à Deo conditus est ad Creatorem suum agnoscendum & colendum, & ut dominium in cœteras creaturas exerceret: sed neutrum potuit præstare sine sapientia & sanctitate.

OBJECTIONES.

1. *Justitia comparatur per crebros actus.* R. Non ea quæ infunditur. Luc. 1. 35.

2. *Sapiens & justus non peccat.* R. Qui est immutabiliter talis. 2. Non peccat *in sensu composito*, & quâ talis, sed potest peccare *in sensu diviso*, quum deficit à sapientia & justitia sibi collata, quod fecit Adamus.

3. *Etiam post lapsum dicitur ad imaginem Dei creatus. Gen.* 9. 6 *Jacob.* 3. 9. R. Ratione reliquiarum quarundam naturalium imaginis divinæ, & restitutionis in Christo. Gen. 9. 6. Jac. 3. 9.

4. *Ignorabant se nudos.* R. Nuditas alia est *innocentiæ* & *Sanctitatis*, quam ante lapsum agnoverunt, nec propterea erubuerunt, quia nulla αἰσχύνη & turpidine comitata erat; alia *reatûs* & *turpitudinis* post peccatum, quæ non

potuit

potuit non pudore eos suffundere, statim atque conscientia eorum evigilavit, & aperti sunt oculi ad eam cognoscendam.

CONTROVERSIA II.

Homo ante lapsum fuit immortalis.

An homo ante lapsum verè immortalis fuerit, ita, ut nec moriturus fuisset, nec mori potuisset, nisi peccâsset? Aff. contr. Socin.

Sociniani nolunt agnoscere primi hominis immortalitatem, quæ debuit esse consequens justitiæ, & pertendunt, mortem fuisse sequelam naturæ, non stipendium peccati, ita, ut homo moriturus fuisset, etsi nunquam peccâsset: scopus est, evertere peccatum originis, quod à morte tanquam à proprio effectu in infantibus astruitur & satisfactionem Christi pro nobis negare.

Non autem quæritur de *immortalitate essentiali & absoluta*, in qua nulla est vel intrinseca vel extrinseca interitûs causa, quæ soli Deo competit; sed de *immortalitate comparata & participata*. 2. Non de *immortalitate animæ in genere entis*, & quoad statum naturæ, quæ competit illi in quolibet statu: sed de immortalitate hominis *in genere moris*, & quoad felicitatem. 3. Non de *immortalitate gloriæ*, quæ posita est in *impotentia absoluta moriendi*, quæ solis beatis convenit; sed de *immortalitate viæ*, quæ sita est in *potentia non moriendi conditionatâ*, per quam homo poterat non mori, si non peccâsset. 4. Non de *mortalitate remotâ*, quo sensu illud mortale dicitur, quod potentiam habet remotam mortis, puta quod compositum est ex materia terrena & elementari; Et sic Adamus potest dici mortalis remotè, sed de *mortalitate proximâ*, à qua actus immediatè pender, & quæ infert moriendi necessitatem: An Adamus ita fuerit mortalis potentiâ proximâ, ut necessariò & certò moriturus fuisset, licèt non peccâsset? Sociniani Affirmant: Nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Adamus fuit justus. E. immortalis, quia datur nexus inter justitiam & vitam, ex ordine Dei: *Fac hoc, & vives.*

Gen. 2. 17. 2. Adamus per peccatum mortem contraxit, quæ illi in peccati pœnam denunciatur. Gen. 2. 17. & 3. 19. unde per peccatum dicitur ingressa, ut ejus stipendium. Rom. 5. 12. & 6. 23. à qua proinde immunis fuisset, si non peccâs-

sset

set Exc. 1. *Agitur de morte æterna, non temporali.* R. Imò de temporali agi, patet, quòd designatur per reditum in pulverem. Gen. 3. 19. Exc. 2. *Est tantùm comminatio, non sententia definitiva, siquidem eo die quo peccavit Adamus, non est mortuus.* R. Licèt mors homini non fuerit inflicta eo momento quo peccavit, cœpit tamen infligi tum quoad reatum & moriendi necessitatem, cui factus est obnoxius, tum quoad *mortem spiritualem*, tum quoad *initia mortis corporalis*, sc. miserias, morbos, &c. quæ in seipso experiri cœpit. Exc. 1. Exc. 2.

3. Quod est contra naturam non potest esse sequela naturæ, cùm omnia maximè in statu integritatis fuerint valde bona, & naturæ convenientia. At, mors est contra naturam.

4. Nullæ fuerunt causæ mortis in homine ante lapsum; nec internæ, quales sunt peccatum, pugna affectuum, δυσκρασία humorum, & calidi atque humidi nativi defectus, unde languores & morbi. Nec externæ, ut corruptio elementorum, carentia alimenti, vel vis externa, quæ in hominem agere potuisset, &c.

OBJECTIONES.

1. *Pulvis erat.* R. Ita & in cœlo erit pulvis, ratione originis carnis, non ratione fragilitatis.

2. *Cibo utebatur.* R. Ut medio à Deo præscripto & instituto: Deus enim immortalitatem Adami non procurare voluit immediatè, sed interventu ciborum, ad vitæ animalis sustentationem.

3. *Immortales non contrahunt matrimonium. Luc.* 20. 35. 36. R. Alia est immortalitas absoluta patriæ; alia conditionata viæ, illi competit ἰσαγγελία, & negatio procreationis & sobolis; & de ea Christus loquitur loc. cit. Sed de ista pariter dici non potest, quia in ista propagari debuisset genus humanum, si non ad conservationem speciei, ut hodie post peccatum, tamen ad illius multiplicationem. Luc. 20. 35. 36.

LIX. Imago Dei non posita est in *participatione Essentiæ divinæ*, quasi hominis natura esset divinæ auræ quædam particula, ut Gentiles loquebantur: Hac enim ratione solus filius Dei est imago Dei invisibilis. Col. 1. 15. 2. Nec in *corporis aliqua figura*, quo homo Deum referat, quod fuit olim *Anthropomorphitarum* delirium. Nam, licèt non putemus omnem rationem imaginis istius à In quo non consistat imago Dei.

corpore esse planè removendam, & aliquos ejus radios fulgere in ipso censeamus, sive immortalitatem hominis spectemus, cujus corpus etiam suo modo particeps fuisset, sive majestatem illam, quam præ se ferebat, sive admirabilem corporis organici compagem; Certum tamen est, non tam formaliter quàm consequenter & effectivè fulsisse in corpore istam imaginem, quatenus figura ipsius hominis, & majestas ab illa resultans testatur quòd habeat animam contemplationi & cognitioni idoneam; atque adeò propriam imaginis divinæ sedem non in corpore, sed in anima fuisse.

In quo consistat imago Dei.

LX. In his verò rebus statuunt Theologi imaginem Dei in homine. *Antecedenter* in natura spirituali. *Formaliter* in sanctitate. *Consequenter* in dominio. Sed primum & ultimum etiam in Diabolis & damnatis quodammodò reperitur: Quare dicendum potiùs, hominem in iis Deo quodammodò similem esse, sed imaginem ejus sanctitate sua referre.

Justitia originalis homini fuit naturalis.

LXI. Hæc imago homini naturalis dici potest: non quasi naturæ pars essentialis esset. Sed 1. Quia cum natura creabatur. 2. Quæ ei contraria non erat. 3. Ad finem creati hominis erat necessaria. 4. Cum natura fuisset propaganda, ut nunc reliquiæ.

CONTROVERSIA. I.

An Sanctitas illa homini supernaturalis fuerit, quasi frenum quo naturales cupiditates ad malum coërcerentur? Neg. c. Pontif.

Pontificii volunt, justitiam originalem esse donum supernaturale, quod ad nativas hominis integri dotes & vires superadditum fuerit: Cur autem ita statuant, Bell. exponit de gratia primi hom. c. 5. & 6. quòd in homine naturaliter pugna fuerit inter carnem & spiritum, rationem & appetitum, ex qua flueret morbus & languor quidam naturæ, qui ex conditione materiæ oriretur: Ideò Deum justitiam originalem tanquam frenum aureum addidisse, quod cohiberet illam pugnam, & instar pretiosæ vestis, quæ nuditatem ipsius tegeret, & medicamenti, quod sanaret illum languorem; quæ communior est apud ipsos sententia, licèt reclament *Jansenistæ* & alii; unde ortum illud Scholasticorum. *Naturalia mansisse integra, supernaturalia verò*

verò tantùm amissa. Orthodoxi verò, licet non diffiteantur, justitiam istam supernaturalem posse dici ratione statûs corrupti, tamen naturalem bene dici censent ratione statûs integri, quia illi concreata est, & ita necessaria ad hominis integri perfectionem, ut sine ea talis esse non potuisset.

ARGUMENTA.

1. Quia bonitas & rectitudo, in quibus justitia originalis sita est, sunt naturales homini integro; qualis quippe fuit relatio bonitatis ad reliquas creaturas, talis etiam fuit relatio ad hominem. At reliquis creaturis bonitas fuit naturalis. E. & homini.

2. Quicquid transfunditur ad posteros, debet esse naturale. At justitia propaganda fuisset ad posteros, si homo perstitisset in integritate, siquidem sibi simile genuisset.

3. Peccatum originale, quod à parentibus derivatur in filios est naturale, unde dicimur *natura filii iræ. Eph.* 2. 2. E. Justitia originalis, quæ illi opponitur, naturalis etiam debuit esse.

4. Reliquiæ imaginis divinæ dicuntur naturales, quia sunt opus legis, quod gentes faciunt naturâ. Rom. 2. 14. E. & ipsa imago tota.

OBJECTIONES.

1. *Homo pulvis erat.* R. Fuit pulvis non secundùm omnes Essentiæ partes, sed tantùm respectu corporis, quod non ipsam labem, sed tantùm labilitatem infert.

2. *Quomodo alioqui caro spiritui rebellare potuisset?* Resp. Homo potuit naturaliter ferri ad utrumque bonum, sensibile & spirituale, sed in suo ordine, absque rebellione carnis & Spiritûs, ut anima imperium semper obtineret, caro verò illi morem gereret: Quamdiu E. homo bonum sensibile respexit ut medium ad finem, nulla fuit in eo vitiositas; sed quum ferri cœpit in objectum appetitûs sensitivi, tanquam in ultimum finem, & summum bonum, tum demum orta est ἀταξία.

3. *Naturalia per lapsum amissa non sunt: justitia est amissa.* R. Naturalia quæ Essentiam hominis constituunt non sunt amissa; sed quæ rectitudinem moralem.

CONTROVERSIA. II.

An homo ante lapsum eâsdem vires habuerit quibus

Adamus vires habuit credendi in Christum.

bus hodie regeniti credunt in Christum ? Affirm. cont. Remonst.

Quæstio hæc nobis intercedit cum *Arminianis*, qui, ut hypothesin suam tuerentur de necessitate gratiæ universalis sufficientis, hanc invexerunt opinionem; Adamum non habuisse unquam vires credendi in Christum, ideoque eas non potuisse amittere per peccatum, nec proinde Deum posse fidem in Christum à nobis nunc exigere in Evangelio, nisi antea sufficientem ad eam gratiam largitus sit, quia ad impossibile nemo teneatur. Hinc pertendunt, Deum aut dare, aut saltem paratum esse omnibus dare potentiam credendi, si velint. *Orthodoxi* sic sentiunt: Adamum quidem in Christum tanquam Redemptorem actu non credidisse ante lapsum, quia Christus revelatus illi non fuit, nec tunc redemtione illi erat opus: sed tamen in creatione vires sufficientes à Deo accepisse, quibus omni verbo revelato aut revelando credere potuit, ac proinde etiam in Christum redemptorem, si ei hoc à Deo fuisset revelatum.

ARGUMENTA.

1. Adam accepit vires credendi omni Dei verbo; aliâs defectus aliquis in illo fuisset, quia sic non credendo Dei verbo se infidelem probasset. E. etiam verbo Evangelii, si illi revelatum fuisset.

2. Habuit ante lapsum vires Deum amandi, eique obsequendi: At amor fidem supponit; nam qui jubetur ex lege amare Deum, & ei obtemperare, jubetur etiam ei credere loquenti.

3. Nemo negare potest hominem integrum potuisse affici misericordiâ & pœnitentiâ, si objectum utriusque illi oblatum fuisset. E. & potuit habere fidem in Christum, si illi prædicatus fuisset; hoc enim non minùs repugnat statui integritatis, quàm illud.

OBJECTIONES.

1. *Potentia illa frustra fuisset.* R. Nequaquam: quia eadem illâ potentiâ credebat, & adhærebat Deo.

2. *Evangelium illi non poterat revelari.* R. Ita nec Messiam videre, nec audire poterat; aures tamen & oculi ad hoc satis apti erant.

LXII. Libertas Adami in statu integritatis non fuit *independentiæ*, quæ competit soli Deo, nec libertas à *mutabilitate*

bilitate, mutabilis enim fuit. Sed ejus libertas fuit. 1. Libertas *à coactione*, per quam homo agit sponte & cum lubentia, non coactè. 2. *A necessitate physicâ*, per quam homo agit ἐν ἀπροαιρέτως, non bruto instinctu, & cœco impetu. 3. *A servitute*, per quam homo nullius servitutis, vel peccati, vel miseriæ jugo obnoxius est. Qualis fuerit libertas Adami in statu integritatis.

LXIII. Quær. An libertas Adami posita fuerit in indifferentia? Neg. 1. Quia talis ἰσορροπία, seu æqualis ad bonum & malum propensio cum voluntatis natura pugnat, quæ necessariò sequitur dictamen intellectûs. 2. Cum statu creationis, in quo voluntas creata fuit valdè bona; valdè bona autem non esset, si ad vitium æquè ac ad virtutem propensa fuisset. Libertas ejus non fuit posita in indifferentia.

LXIV. Hactenus fusè egimus de nobilissimis Dei Creaturis, angelis & hominibus; Restat ut aliquot adhuc quæstiones de quibusdam aliis creaturis opponamus.

CONTROVERSIA. I.

An ex usu luminarium à Mose posito Astrologia judiciaria extrui possit? Neg. cont. Astrologos & Planetarios. Astrologia judiciara rejicitur.

Affirmativam tenuerunt olim *Priscillianistæ*, quos secuti *Planetarii*, *Astrologi*, & *Genethliaci*, qui ex astris hominum naturam & fortunam prænunciant.

Nos concedimus, Corpora cœlestia in hæc sublunaria, imò & in ipsum corpus humanum magnam vim habere; sed in animos hominum negamus. Concedimus etiam, luminaria ista posse dici *signa naturalia* tempestatum, frigoris, æstus &c. *civilia* & œconomica, ut temporis arandi, serendi, navigandi. &c. *moralia*, quia ad opificem suum ducunt, & etiam *mystica* subinde, variorum eventuum, vel in ira vel in gratia. Nec rejicimus *Astrologiam naturalem*, seu scientiam de ordine ac motu naturali Corporum cœlestium; sed *judiciariam*, quæ ars est curiositatis temerariæ, & superstitionis plena, quâ ex astris & eorum constellationibus fit judicium de homine, ejus inclinationibus, actionibus, studiis, eventibus, fortunâ omni, adeoque de vita & morte; item de conversionibus Imperiorum & Rerumpublicarum, & similium, quæ accidunt in societate civili, & quæ ex ea ut futura certò & indubitatè prædicuntur.

ARGUMENTA.

1. Quia Deus talem Astrologiam in verbo suo damnat. *Levit.* 19. 26. *Ne convertite vos ad Pythones, & Ariolos.* Præcipit, ut tales morte afficiantur. Levit. 20. 27. Alibi Deus confusionem, stultitiam, furorem interminatur istiusmodi Aretologis. Esa. 44. 20. Et cap. 48. 12. 13. Vanitatem & artis & artificum, & illorum qui ab illis deluduntur, crudelitatem perstringit. Eò pertinet, quòd Deus edicit Israëlitis, *ne discant viam gentium, & ne à signis cœli metuant, quæ metuunt gentes. Jer.* 10. 2.

Lev. 19. 26. Lev. 20. 27. Es. 44. 20. Es. 48. 12. 13. Jer. 10. 2.

2. Scriptura futurorum cognitionem soli Deo tribuit. *Esa.* 41. 21. 22. *Producite causam vestram, ait Jehova, admovete firmamenta vestra, ait Rex Jacobi; proponant & annuncient vobis ea quæ obventura sunt.* &c. & *Dan.* 2. 28. *Est Deus in cœlo revelans arcana, qui notum facit regi id quod futurum est sequentibus temporibus.*

Esa. 41. 21. 22. Dan. 2. 28.

3. Mores & actiones hominum sunt voluntariæ & liberæ, quæ proinde non possunt à causa naturali, qualis est constellatio, deduci.

4. Si mores & eventus pendent ex astris, similes erunt mores & simile fatum eorum, quorum idem est nativitatis punctum, quod falsum esse, vel uno Exemplo Esavi & Jacobi gemellorum patet. Multi etiam, quorum diversissimus fuit horoscopus, eodem mortis genere pereunt, E. g. Ægyptiorum primogeniti, & infantes Bethlehemitici.

5. Punctum nativitatis nullus mortalium accurate subducere potest, cùm ea, quæ cum motu conjuncta sunt, momento non absolvantur; Quis nescit verò facilem esse aberrationem in paucis horæ momentis, quibus tamen magna fieri solet solis & stellarum, ob rapidissimum motum, inclinatio?

OBJECTIO.

Eventus docet Astrologos verum prædicere. R. Eventuum veritas non vanæ isti arti tribuenda, sed vel vaticinantium solertiæ, qui, ubi ipsis comperta est inclinatio eorum, apud quos vates agunt, facilè in multis astra obtendere possunt, vel consulentium credulitati, vel Dæmonis operæ, qui vel per revelationem divinam, vel cognitionem experimentalem, vel summam pernicitatem, cujus beneficio potest in remotissimis locis facta, alibi statim renunciare, multa præsagit: Vel denique justo Dei judicio, qui isto ludibrio

vanas

vanas hominum mentes castigat. 2. Vera etiam quandoque prædixit Diabolus, ut Spiritus ille Samuelis speciem mentitus. 1. Sam. 28. 16. 18. 3. Si quædam prædictiones eventu sunt comprobatæ, non sequitur scientiam illam certam esse, quia innumeræ sunt aliæ, quarum vanitatem eventus elusit.

CONTROVERSIA. II.

An ex aquis superioribus, quarum Moses mentionem facit, possit colligi, dari aquas supracœlestes? Neg. cont. Luth.

Aquæ supracœlestes rejiciuntur.

Lutherani post plerosque Scholasticos finxerunt *aquas supracœlestes*, ut difficiliorem ascensionem Christi & fidelium in cœlum reddant. Contra hos valent sequentia.

ARGUMENTA.

1. Aquas superiores ad nubes commodè referri posse, Scriptura clarè innuit, variis locis, quæ aquas de nubibus interpretantur. *Ps.* 104. 3. *Contabulans aquis cœnacula sua, ponens nubes in vehiculum suum.* Et *Job.* 26. 8. *Constringit aquas in nubibus suis, ita, ut non scindantur nubes sub ipsis. Jer.* 10. 13. *Ad vocem dat multitudinem aquæ in cœlis, & ascendere facit vapores à fine terra.* Ps. 104. 3. Job. 26. 8.

2. Ex ipsa nubium natura, quæ nihil aliud sunt quàm aquæ, vi caloris diuturni evaporatæ, & frigore aëris rursus concretæ, quas *Plin. l.* 2. *c.* 1. *aquas in cœlo stantes* vocat.

3. Moses aquas tantùm duplices facit, superiores & inferiores. Nubes autem, quæ sunt aquæ, non possunt esse inferiores. E. sunt superiores.

4. Tales aquæ nihil usui esse possunt, nec ad refrigerandum siderum ardorem, qui nullus est in ipsis, nec ad comprimendum cœlos, ne violentia ventorum agitati vacillent, sic enim à Deo firmati sunt orbes cœlestes, ut nulla ventorum vi queant luxari, imò ut nulla ad eos usque pertingat.

OBJECTIONES.

1. *Aquæ quædam dicuntur supra cœlum. Ps.* 148. 4. R. Non supra cœlum æthereum, sed aëreum. Ps. 148. 4.

2. *Nubes non possunt esse in cœlo, nisi per solis attractionem. At, quum aquæ superiores creatæ essent, sol nondum erat.* R. Licèt nubes per solem attrahuntur in natura constituta, aliter tamen potuit esse in natura constituenda.

3. *Aquæ illæ dicuntur supra Expansum.* R. Non dicuntur tam רקיע על *supra Expansum*, quàm מעל רקיע *de super Expanso*, ut innuatur, non evectas fuisse aquas supra totum expansum, sed fuisse evectas sursum, ut una cum expanso essent supra, potiùs respectu nostri, quam totius expansi.

CONTROVERSIA. III.

Sidera moveri tur, & terra immota stat.

An Sol & Luna in Cœlo moveantur, & in orbem circumagantur, terra verò quiescat? Aff. cont. Philosophos quosdam.

ARGUMENTA.

Ps. 19. 6. 7. 1. Sol dicitur in cœlo moveri, oriri, & occidere. *Ps.* 19. 6. 7. *Sol est tanquam sponsus prodiens è thalamo suo; lætatur tanquam robustus decursurus viam.* Ps. 104. 19. *Sol agnoscit occasum suum. Eccles.* 1. 5. 6. *Oritur Sol, & occidit Sol, iterumque ad locum suum aspirat, ubi oriatur.*

Ps. 104. 19. Eccl. 1. 5. 6.

Jos. 10. 12. 13. 14. Jes. 38. 8. 2. Sol miraculo quievit tempore Josuæ. Jos. 10. 12. 13. 14. & miraculo retroceſſit temporibus Ezechiæ. Jesai. 38. 8.

Ps. 93. 1. Ps. 104. 5. Ps. 119. 90. 3. Terra dicitur immota stare. *Ps.* 93. 1. *Stabilitur orbis habitabilis, ne dimoveatur.* Ps. 104. 5. *Fundavit terram super bases ejus, ne dimoveretur in seculum.* Ps. 119. 90. *Quum statueres terram, illa constabat.*

4. Nec aves, quæ per horam sæpe in gyrum volitant, ad nidos suos redire possent; interea enim mota esse terra 450. milliaria nostra.

5. Quicquid volitat & pendet in aëre, ab occasu ad orientem moveri videretur; quod falsum esse cognoscitur ex avibus, emissis sagittis, atomis splendente sole, & pappis in aëre volitantibus.

EXCEPT.

Scriptura non loquitur ad opinionem vulgi.

1. *Scriptura in rebus naturalibus loquitur secundùm opinionem vulgi.* R. Neg. Nam. 1. Spiritus Dei res naturales optimè novit. 2. Illis in religione tradenda non abuti, sed uti voluit. 3. Nullius est erroris magister. 4. Nec corrigendus cum illa specie à cæca nostra ratione, etiam quando per conjecturas aut hypotheses suas oculatissima vult videri. 5. Quando Scriptura dicit: Solem moveri, terram verò quiescere, locutio illa non potest dici impropria, apparens, vel ad captum vulgi tantùm accommodata;

modata: Nam impropriæ locutiones inter alia inde cognoscuntur, si in aliis propriis locutionibus Scriptura aliud profert. E. G. Si Scriptura Deo tribuit manus, oculos, &c. facilè colligitur, illam locutionem esse impropriam, quia in aliis locis Deus dicitur Spiritus. At, si Scriptura alicubi dicit, solem moveri, & terram quiescere, nuspiam aliter loquitur, sed ipsam naturam harum rerum naturalium exprimit.

2. *Apes, aër, & omnia cum terra moventur.* R. Figmenta sunt, Aër est corpus fluidum. 2. Quâ virtute aves tunc ab oriente ad occidentem moveri possent?

LOCUS VIII.

DE

PROVIDENTIA DEI.

I. NOmine Providentiæ divinæ intelligitur administratio mundi, quâ Deus mundum, & omnia in illo observat, conservat, operatur, regit. Providentia quid?

II. Providentiam divinam præter Scripturam etiam probant. 1. *A priori*, Dei ut primæ & independentis causæ sapientia, potentia, bonitas, ac actuositas summa; unde negatio providentiæ negationem Deitatis infert; cui appone Creaturarum etiam nobilissimarum dependentiam ac imperfectionem. 2. *A posteriori*, ex futurorum prædictionibus certis, conscientiæ metuentis orantisque sensu, rerum adversarum stabili harmonia, fixo ordine, inexpectato sæpe eventu, fine communi. &c. Providentiam dari probatur.

III. Norma totius Providentiæ sunt decreta; omnia curat, ut omnia perveniant ad decretos fines. Eph. 1. 21.

IV. Necesse ergo est hæc Dei Providentia versetur circa omnia. (1.) Circa cœlum. *Jes.* 40. 26. *Attollite in sublime oculos vestros & videte, quis creavit ista?* (2.) Angelos, quos emittit tanquam *ministratorios Spiritus. Heb.* 1. 14. (3.) Homines. 1. *Tim.* 4. 10. *Deus est Salvator omnium hominum, præcipuè fidelium.* (4.) Bestias, quæ *in Deum*

expectationem habent, ut ipsis det escam tempore suo Ps. 104. 27. (5.) Herbas. *Vestit enim lilia campi. Math.* 6. 28. (6.) Contingentia, ut sors. Prov. 16. 33.

V. Hinc fit, ut nulla creatura fiat independens, nec Deus dependens.

VI. Deus circa creaturas providentia sua hæc agit. (1.) Conservat eas in natura, vita, & virtute. *Nehem.* 9. 6. *Tu ille Jehova solus es; tu fecisti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum eorum, terram, & quicquid est in ea, maria, & quicquid est in eis, & tu conservas hæc omnia.* (2.) Statuit illis leges, & naturæ ordinem. *Jerem.* 33. 20. *Sic ait Jehova, si irritum facere potestis fœdus meum de die, & fœdus meum de nocte, idque ut non sit diurnum tempus, & nocturnum tempore suo: Etiam fœdus meum cum Davide irritum fiet.* &c. (3.) Determinat illis loca, tempora, ortus & interitus. *Act.* 17. 26. *Fecit ex uno sanguine totam gentem hominum, ut habitaret super universa superficie terræ, definitis præstitutis temporibus, & positis terminis habitationis eorum.* (4) Dat scientiam & conatum statutum ordinem observandi. *Jer.* 8. 7. *Ciconia in cœlo novit stata tempora sua, & turtur, grusque, & hirundo observant tempus adventus sui.* (5.) Bona omnia in illis operatur. *Rom.* 11. 36. *Ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia.* (6.) Dirigit in suos fines. *Prov.* 21. 1. *Cor regis est in manu Domini.*

VII. Quæ actiones, ut omnes Dei, necessariò esse debent omnipotentes, sanctæ, sapientes, independentes, &c.

CONTROVERSIA.

Deus providentiâ suâ regit minima.

An Deus providentiâ suâ minima quæque regat?

Aff. cont. Soc.

Occasio quæstionis oritur ex iis, qui, licèt Providentiam Dei videantur agnoscere, eam tamen arctioribus limitibus quàm par est, includunt, dum eam ad res magnas referunt, vilibus exemtis, quod post Peripateticos voluerunt etiam quidam ex Scholasticis, imprimis Thomas. Contra hos ita pugnamus.

ARGUM.

Quid vilius *pilis* capitis? & tamen omnes dicuntur *numerati à Deo.* Luc. 12. 7. Quid leviùs *passerculis*? *nullus tamen eorum cadit in terram sine voluntate Patris cœlestis. Math.* 10. 29. Qui *aves* omnes Providentiâ suâ *nutrit. Matth.*

Luc. 12. 7.

Matth. 10. 29.

Matt. 6. 26. 28. *& pullis corvorum dat escam. Ps.* 147. 9. Quid minoris momenti herbis & floribus agri? *Et eos tamen Deus vestit* & augescere facit. *Matth.* 6. 28. 30. Quid pediculis, ranis, locustis, vermiculis, cæterisque insectis abjectius? hæc tamen Deus excitare dicitur ad executionem judiciorum suorum. Exod. 8. 16. 17. & 10. 12. imò vocantur *exercitus ejus robustus, faciens verbum ejus. Joel.* 2. 11. Matth. 6. 26. 28. Ps. 147. 9. Math. 5. 28. 30.

OBJECTIONES.

1. *Id nimis vile est Deo.* R. Non magis, quàm minima quæque creare. Deus enim ita est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis.

2. *Num boves sunt curæ Deo?* 1. *Cor.* 9. 9. R. Hoc non absolutè intelligendum, sed tantùm secundùm quid, & vult docere: si Deus bovem vult vivere ex labore suo, multò magis æquum est, ut minister ex Evangelio vivat, quod clarum est ex antecedentibus & consequentibus. 1. Cor. 9. 9.

VIII. Hæc Dei Providentia dividitur in *realem*, qua Creaturas influxu potentiæ suæ gubernat. *Jes.* 45. 7. *Deus format lucem, & creat tenebras.* In *moralem*, quâ creaturas intellectu præditas gubernat legibus. *Mich.* 6. 8. *Indicavit tibi, ô homo, quid sit bonum; ecquid Jehova requisivit abs te.* Et *permissivam*, quâ malum peccati permittit. *Act.* 14. 16. *Præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum viis incedere.*

CONTROVERSIA. I.

An Deus efficiat & determinet ea, quæ casu & fortuitò eveniunt? Aff. c. Soc. Remonst. & Pontif.

Deus Providentiâ suâ regit contingentia & fortuita.

Veteres & novi Pelagiani contingentia & fortuita à Dei Providentia excludunt; adeoque ut homines faciant liberos, fecerunt Sacrilegos. Contra hos militamus sequentibus argumentis.

ARGUMENTUM.

Nihil magis contingens est cæde hominis, qui à lignatore præter intentionem suam est occisus, quæ tamen Deo tribuitur, qui dicitur illum *objecisse manui occisoris. Exod.* 21. 12. 13. *& Deut.* 19. 4. Nihil magis casuale & fortuitum sortibus, sed illarum tamen decisio in ipsum refunditur Deum. *Prov.* 16. 33. *Sors pojicitur in gremium, sed à Domino* Exod. 21. 12. 13. Deut. 19. 4. Prov. 16. 33.

mino est tota ratio ejus. Nihil magis contingens fuit venditione Josephi, & ejus incarceratione & exaltatione, hæc tamen dispensata esse omnia à Dei Providentia, Josephus ipse testatur. *Nequaquam vos estis, qui misistis me huc, sed Deus ipse.* Gen. 45. 8. *Cogitaveratis in malum, sed Deus cogitavit in bonum.* Gen. 50. 20. &c.

Genes. 45. 8.

OBJECTIO.

E. Omnis contingentia de mundo tollitur. R. Neg. Sic enim Deus, qui omnia operatur in omnibus, causas secundas gubernat & regit, ut naturam & conditionem earum non tollat, sed potiùs tueatur & conservet, & suos etiam exercere & agere motus sinat. Licèt E. omnia sint necessaria respectu Causæ primæ, non desinunt tamen multa esse contingentia respectu causæ secundæ, à qua actûs denominatio & specificatio oritur.

CONTROVERSIA. II.

Deus determinat etiam ea, quæ creaturæ liberè faciunt.

An Deus etiam determinet ea quæ creaturæ liberè faciunt? Aff. contra eosdem.

Πρῶτον ψεῦδος idem est, quod in præcedenti quæstione; Contra verò opponimus sequentia.

ARGUMENTA.

Prov. 16. 1. & v. 9. Prov. 20. 24.

1. Ex Scriptura. *Hominis sunt dispositiones cordis, sed à Domino pronunciatio linguæ.* Prov. 16. 1. & 9. *Cor hominis cogitat viam suam, & Dominus dirigit gressus ejus.* Et Cap. 20. 24. *A Domino diriguntur gressus viri.* Et cap. 21. 1. *Cor Regis in manu Domini, ut rivus aquarum, quocunque voluerit, inclinat illud.* Jer. 10. 23. *Scio Domine, quòd non est hominis via ejus, nec viri ut dirigat gressus suos.* Quod luculenter confirmatur exemplis Labanis. Gen. 31. 29. Esavi. Gen. 33. 4. Ægyptiorum. Exod. 12. 36. Bileami. Num. 22. 23. Cap. Saulis. 1. Sam. 24. 15. 17. & 26. 17. &c.

Jer. 10. 23.

2. Ut homo pendet à Deo quoad Essentiam & vitam, ita debet ab eo pendere quoad actiones & motus animæ, quæ potissima est pars hominis.

3. Si actiones liberæ à Deo non penderent & regerentur, fierent Deo vel ignorante & inscio, vel negligente aut invito, quod sine impietate cogitari nequit.

OBJECTIONES.

1. *Quomodo ergo agit liberè?* R. Cùm Providentia non concurrat

concurrat cum voluntate humana vel per coactionem, cogendo voluntatem invitam, vel determinando physicè, ut rem brutam & cœcam, absque ullo judicio; sed rationaliter, flectendo voluntatem modo ipsi convenienti, ut seipsam etiam determinet, ut causa proxima actionum suarum, proprio rationis judicio, & spontanea voluntatis Electione. E. Providentia libertati nostræ nullam vim infert.

Fatum quotuplex.

2. *Hoc est fatum introducere.* R. Quadruplex vulgò fatum apud authores legitur. 1. *Fatum physicum*, quod nihil aliud est, quàm ordo & series causarum naturalium ad effectus suos definitarum. 2. *Fatum Mathematicum*, quod Chaldæorum est & Genethliacorum, quæ ex Cœli ac Siderum positura voluntates hominum ad actus suos necessariò impelli dicuntur; quo quidam referunt *fatum Judaicum* & *Pharisaicum*, de quo Josephus. lib. 18. Antiq. c. 2. qui loquens de Pharisæis, dicit, *eos fato tribuere, quæcunque geruntur.* 3. *Fatum Stoicum*, quod fatalem & ineluctabilem rerum omnium necessitatem, & causarum inter se seriem & rerum æternam & naturalem ponit, cui Deus ipse subjiciatur. Quamvis multi mitiùs intelligant eorum sententiam, quòd voluerint tantùm decretorum divinorum immutabilitatem asserere. 4. *Fatum Christianum*, quod est series & ordo causarum, pendens à divina Providentia, per quas illa effectus suos producit. Et hoc sensu Providentiam Fatum dici posse concedimus; Præstat tamen cum Calvino ab hac voce, utpote quæ calumniis adversariorum opportunior est, abstinere.

3. *Ad quid ergo adhortationes & minæ?* R. Media sunt, quibus Deus utitur ad excitandam voluntatem creaturarum rationalium, ut agant cum ratione.

CONTROVERSIA III.

Conoursus Dei cum creaturis qualis?

An Providentia sita sit tantùm in conservatione & sustentatione rerum, an verò etiam in gubernatione earum, per quam Deus ipse agat, & efficaciter concurrat cum ipsis, concursu non generali & indifferente, sed particulari, specifico & immediato? Neg. prius. Affirm. posterius cont. Jesuitas. Socin. & Remonstrantes.

Res

Res hîc nobis est cum *Durando*, & nonnullis cum Pontificiis, qui providentiam & concursum Dei tantùm in eo collocant, quòd creaturæ vires solùm conservet, & eam pro libitu agere sinat, tanquam per se solam ad agendum sufficientem. *Jesuitæ* influxum & *concursum* Dei tantùm *generalem* & *indifferentem* statuunt, qui determinetur à Causis secundis; ut sol, causa generans universalis determinatur ab homine generante, ut à causa particulari, unde non generatur equus, sed homo, cùm influxus solis per se sit indifferens ad generationem hominis & equi. Ita volunt influxum causæ primæ esse indifferentem ad illam actionem, vel ad contrariam, nec esse antecedentem & præmoventem, sed contra causam secundam se determinare antequam agat causa prima, quæ non excitet ad motum causam secundam, sed causa secunda sit occasio agendi causæ primæ: Hæc est communis sententia *Jesuitarum*, *Socinianorum & Remonstrantium*, qui duabus de causis se hanc amplecti profitentur; tum, ut Deus vindicetur à peccati causalitate, tum, ut voluntatis humanæ αὐτεξουσίαν in omnibus actibus, præsertim in conversione, asseratur.

Aliud longè statuunt *Thomistæ* & *Dominicani*, qui prædeterminationem physicam urgent, ut omnes causæ secundæ à Deo sint prædeterminatæ ad agendum, & Deus non tantùm agat cum causa secunda in effectum, sed & in ipsam immediatè, atque ita ad hoc volendum vel nolendum in particulari determinetur voluntas ab eo, non tantùm in bonis actionibus, sed etiam in malis; Quam sententiam etiam sequuntur orthodoxi.

ARGUMENTA.

1. Scriptura passim actiones causarum secundarum Deo tribuit ut causæ primæ, quod perperam diceretur, si tota providentiæ ratio consisteret tantùm in sustentatione facultatum, & Deus effectivè cum illis non concurreret. Ita Deus dicitur *misisse Josephum in Ægyptum. Gen.* 45. 7. *Cor Regis habere in manu sua, & inclinare quocunque voluerit. Prov.* 16. 1. *uti impiis tanquam securi, virgâ, serrâ, baculo ad opus suum. Jes.* 10. 15. 26. & 13. 5. Nam ut ista non operantur ex seipsis, nisi concurrat artifex; ita causæ secundæ, quæ hisce instrumentis comparantur, non agunt solâ suâ virtute, sed motæ demùm à causa prima.

Genes. 45. 7. Prov. 16. 1. Es. 10 15. 26. & 13. 5.

2. *Act.* 17.

2. *Act.* 17. 28. *Dicimur in Deo esse, moveri, & vivere.* *Phil.* 2. 13. dicitur *Deus in nobis operari velle & perficere.* & 1. *Cor.* 12. 6. *Omnia in omnibus operari.* Quod dici non posset, si Providentia Dei tantùm consistat in conservatione facultatum, vel in concursu generali & indifferente. Act. 17.28. Phil.2.13. 1. Cor. 12.6.

3. Deus est moderator & Dominus mundi & omnium quæ in eo sunt. At moderari est ita præesse, ut destinato ordine regat ille qui præest, quod complectitur tum definitionem finis, tum ordinationem mediorum. At hæc sola conservatione, vel concursu generali fieri non possunt.

4. Quomodo se habet creatura in essendo respectu Dei, ita & debet se habere in operando; nam modus operandi sequitur modum essendi. At omnis creatura pendet à Deo in esse. E. Etiam in operari. Sed si Deus per providentiam tantùm versatur in conservatione rerum, vel in concursu generali, & indifferente, qui determinetur à causa secunda, Creatura non pendebit in operari à Deo, imò Deus potiùs pendebit à creatura.

5. Si datur tantùm concursus generalis, frustra Deus oratur ad aliquid obtinendum, quia Deus nec malum avertere, nec bonum conferre potest, nisi prout allibuerit hominibus ipsius Dei motionem determinantibus. Frustra etiam gratias agimus de bonis per agentia libera procuratis: Frustra in Deum confidimus, & voluntates nostras patienter Deo submittimus, quia Deo concurrente tam non evenire possunt, quàm evenire bona vel mala, quæ speramus, aut timemus.

6. Stante hac sententia, dispositio sortium non poterit dici à Deo, casus passeris non erit à Deo; falsa hæc omnia erunt: Deum dare nives, imbres, glaciem, ventos, dare corvis escam, alas ciconiæ, robur equo. Job. 37. 38. 39. Capp. Ps. 104. 147. Dare cibum famelicis, aperire oculos cœcorum, orphanos & viduas levare, morti addicere, & è sepulchro educere. 1. Sam. 2. 7. 8. 9. Ps. 146. 7. 8. & sim. quæ in Scriptura illi tribuuntur, quia omnes isti effectus sunt determinati, qui non possunt tribui concursui Dei indifferenti & indeterminato.

7. Posito concursu generali & indifferente subtraherentur Dominio Dei operationes voluntatis, & homo fieret independens; imò plus ageret Creatura quàm Deus, quia motio specialis est potior generali, & perfectior esset, quia

quia quod determinat est perfectiùs eo quod determinatur.

CONTROVERSIA IV.

Concursus physicus & moralis.

An Deus concurrat cum Causis secundis, non modò concursu particulari & simultaneo, sed etiam prævio? Aff.

1. *Concursus* alius est *physicus*, quo quis per modum causæ physicæ concurrit & agit, i. e. verè & efficaciter, ac realiter influit in effectum, positivo quodam influxu, alius *moralis*, quo per modum causæ moralis operatur, i. e. suadendo, vel dissuadendo, vel objecta & occasiones proponendo, vel removendo. De primo, non secundo hîc agitur.

Mediatus & immediatus.

2. *Concursus* alius est *mediatus*, alius *immediatus*; Concursu immediatè causa agit vel *immediatione suppositi*, vel *virtutis*. Illa causa agit immediatè *immediatione suppositi*, inter quam effectum nullum aliud suppositum singulare per se subsistens interjectum est, quod prius in se recipiat actionem agentis, ut aqua, quæ manum abluit & refrigerat. Causa agit immediatè *immediatione virtutis*, quæ agit per virtutem sibi propriam, & non aliunde acceptam, ut ignis calore suo calefacit. Contra illa causa agit mediatè, *mediatione suppositi*, inter quam & effectum aliud cadit suppositum, ut inter fabrum & statuam, securis: Mediatè verò, *mediatione virtutis* illa causa agit, quæ per virtutem non suam, sed aliunde acceptam operatur, ut quum luna lumine à sole mutuatitio terram illuminat: Deus verò cum causis secundis concurrit immediatè, immediatione virtutis & suppositi, etiam tum, quum utitur causis secundis tanquam mediis, quia utitur iis non ratione actionis creaturæ, ipsius que adeò effectûs, quasi illum non attingat immediatè, sed quia sibi subalternat causas secundas, in quas influendo, ipsum effectum etiam immediatè attingit.

Concursus per modum principii & per modum actionis.

3. Rursus *concursus* talis dicitur vel per *modum principii*, seu *actûs primi*, quo Deus virtutem causæ secundæ conservat, & eam agere finit, vel per *modum actionis*, quatenus Deus est proximum principium operationis, quæ à causis secundis editur, ita ut eadem illa sit operatio & actio Dei concurrentis, quæ includitur in ipsa creaturæ actione, tanquam per se quoque & immediatè tendens ad eundem terminum,

minum, ad quem tendit actio creaturæ; quæ ratione termini eadem est cum ipsa Dei cooperatione. Non de primo, sed de secundo hîc agitur.

4. *Concursus* alius dicitur *prævius*, *& prædeterminans*, alius *simultaneus*, sive *concomitans*. *Prævius* est actio Dei, quâ in causas, eorumque principia influendo, creaturas excitat, & ad agendum præmovet; & ad hoc potiùs quàm ad illud agendum applicat. *Simultaneus* vero est, per quem Deus actionem creaturæ, quoad suam Entitatem vel substantiam producit, quô unà cum creaturis in earum actiones & effectus influere ponitur, non vero in creaturas ipsas. Per concursum prævium Deus agit *in creaturis*; per simultaneum *cum illis*. Concursus prævius & simultaneus.

Quod verò per concursum prævium, qui meliùs *Præcursus* diceretur, intelligitur, id ipsum etiam nomine *Prædeterminationis*, seu *Præmotionis* designatur, quâ Deus ciet & applicat causam secundam ad agendum, adeoque antecedenter ad omnem operationem Creaturæ, eam efficaciter movet ad agendum in singulis actionibus.

Quæstio ergo movetur de concursu: An sit tantùm simultaneus, an verò etiam prævius? De qua variæ sunt inter Pontificios sententiæ. *Jesuitæ* concursum tantùm simultaneum agnoscunt. *Thomistæ* verò & *Dominicani* stant pro concursu prævio, seu Prædeterminatione, qui inde *Prædeterminantes* dicuntur. Ex nostris quidam concursum tantum prævium volunt, quoad bona opera gratiæ, sed in aliis omnibus simultaneum sufficere existimant. Alii verò utrumque, & prævium & simultaneum hîc conjungendum esse putant, quos & nos sequimur.

ARGUMENTA.

1. Militant ea argumenta, in superiori quæstione adducta.

2. Prima causa est primum movens in omni actione, ideô causa secunda non potest movere, nisi moveatur, nec agere, nisi acta à prima; alioqui erit principium sui motus, & sic non amplius esset causa secunda, sed prima.

3. Ubi datur tantùm concursus simultaneus, ibi Deus operatur quidem cum creatura, sed non in ea, & causa prima & secunda sunt causæ partiales & sociæ ejusdem actionis, quomodo duo equi trahentes currum, & sic unaquæque adhibet proprium & peculiarem influxum, quem habet

bet à seipsa, ita ut in influendo non dependeat ex influxu alterius causæ, tanquam à Causa verè efficiente, licèt effectus dependeat ab utraque. Hoc verò non potest salvare dependentiam causæ secundæ in agendo.

4. Quod est ex se indifferens ad plures actus, ad agendum, aut non agendum, necesse est ut ad agendum ab alio determinetur; quia quod est in potentia, non potest reduci in actum, nisi ab aliquo, quod sit in actu; sed omnis causa secunda, & præcipuè voluntas hominis est talis. E. necesse est, ut ab aliquo alio principio & externo determinetur ad agendum, quod non potest aliud esse, quàm ipse Deus.

OBJECTIONES.

1. *Prædeterminatio Dei tollit libertatem voluntatis.* R. Imò eam conservat, quia per eam Deus non cogit creaturas rationales, nec facit, ut necessitate physicâ vel brutâ agant; sed tantùm hoc efficit, ut agant, & quidem sibi consentaneè, & convenienter naturæ suæ, i. e. ἐν αὐτεξουσίως, & sponte, nimirum ita determinantur à Deo, ut seipsas etiam determinent.

2. *Si præmotio Dei extenditur ad actiones malas; Deus erit author peccati.* R. Neg. Quia illa præmotio tantùm pertinet ad actiones, quatenus *materialiter* & *entitative* se habent, non verò *moraliter*, i. e. ad actûs substantiam, sed non ad ejus malitiam. Nec novum est, ut una eademque actio diversimodè consideretur, vel *physicè* vel *moraliter*; ut magistratus est causa mortis quæ infligitur reo à carnifice, sed non est causa crudelitatis, quam in illa cæde exhibet; cytharædus pulsando citharam est causa soni, non verò dissonantiæ, quæ oritur à chordis, & qui agitat equum claudum, causa est incessûs, sed non claudicationis.

Inst. 1. *Actio & effectus est potius causæ principalis, quàm instrumentalis.* R. Valet in *causis homogeneis*: ut, verbum Dei ut instrumentum nos sanctificat; ergo multò magis Spiritus S. per verbum: Pseudopropheta seducit Achabum. E. multò magis Diabolus, qui per ipsum agit. Sed non valet *in heterogeneis*; unde non valet: Gladius occidens hominem ut instrumentum, non est causa culpabilis homicidii: E. nec homo movens gladium. Vel: Carnifex, ut instrumentum justi judicis sontem plectit ex studio

ſtudio vindictæ. E. multò magis juſtus judex, quia cauſæ ſunt heterogeneæ. 2. Valet in *inſtrumentis propriis puris, & irrationalibus*, quæ quicquid ſunt & agunt, id à principali agente mutuantur, & ſunt merè organica: Ut, Cauſa homicidii à gladio perpetrati, non gladio, ſed homini, qui tractat gladium, debet imputari, quia eſt inſtrumentum purum & ἄλογον. Sed non valet in *inſtrumentis metaphoricis & mixtis*, qui de ſuo aliquid admixtum habent, quo operentur, quod à principali cauſa non mutuantur. v. g. non valet: Equus calcaribus adactus à ſeſſore claudicat: Ergo ipſe ſeſſor magis claudicat, quia non eſt inſtrumentum purum ſeſſoris, ſed tale, quod aliquod de ſuo admixtum habet in motu claudicationis, in quo non ſubordinatur ſeſſori, nimirum luxatam tibiam, quæ cauſa eſt adæquata & principalis claudicationis.

Inſt. 2. *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. At Deus eſt cauſa voluntatis hominis, quam præmovet. Voluntas verò eſt cauſa peccati.* R. Diſtinguendum eſt inter cauſas per ſe & Eſſentialiter ſubordinatas, & inter cauſas per accidens ſubordinatas: Regula iſta valet in cauſis per ſe & Eſſentialiter, non verò per accidens ſubordinatis. *Cauſæ Eſſentialiter ſubordinatæ* dicuntur quælibet cauſæ ejuſdem generis, quæ ita ſunt affectæ inter ſe, ut altera ex natura ſua dependeat ab altera in cauſando, quo modo omnes cauſæ ſecundæ ſubordinantur Deo, quia concurrit cum actionibus omnium creaturarum. *Cauſæ per accidens ſubordinatæ* ſunt, quæ ita affectæ inter ſe ſunt, ut altera ab altera dependeat aliquo modo, non tamen in cauſando. Sic filius, ſi patrimonium perdat, ſcortetur, &c: pater actionum illarum filii cauſa dici nequit, quia filius in actionibus ſuis patri non ſubordinatur Eſſentialiter; pendet enim filius à patre non in cauſando, ſed in exiſtendo: Ita voluntas humana Deo in agendo eſſentialiter ſubordinatur, non ſubordinatur in peccando, quia peccare (ſi non materialiter ſed formaliter accipiatur) non eſt agere, ſed in agendo deficere. Et peccatum formaliter ſpectatum, ſive ut peccatum eſt, non eſt actio, ſed defectus actioni inhærens, & ſic non habet cauſam efficientem, ſed deficientem.

IX. Deus operatur per media. (1.) Ut media aliquando

quando influant in effecta. *Pſ.* 104. 13. *Qui irrigat montes e cœnaculis ſuis, ut à fructu operum tuorum ſatietur terra.* (2.) Aliquando media ſupra vires elevat ut cibum, cujus virtute Elias ambulavit 40. dies & 40. noctes. 1. Reg. 19. 8. (3.) Aliquando media nihil agunt, ſed Deus ad præſentiam mediorum: ut in miraculis. Unde providentia vulgò dicitur mediata & immediata; ordinaria & extraordinaria.

X. Miraculum eſt opus Dei ſingulare, extra ordinem, & ſupra vires creaturarum, ad confirmandam veritatem divinam. *Pſ.* 72. 18. *Deus Iſraëlis facit mirabilia ſolus.*

XI. Homines igitur in miraculis nihil agunt, niſi Deum precari, alios compellare, attingere, vel ſimile quid; ſed virtute ſua effectum minimè producunt.

Providentia Dei circa peccati, 1. Initium per permiſſionem. Pſ. 81. 13. Act. 14. 16.

XII. Peccatum non debet ſubduci providentiæ Dei; cadit enim ſub illam quoad *initium*, *progreſſum* & *finem*.

XIII. Quoad *initium*, Deus peccatum liberè permittit, quod Scriptura non uno loco teſtatur. *Pſ.* 81. 13. *Permiſi eos ambulare ex ſententia animi ſui.* Et *Act.* 14. 16. *Deus in præteritis ætatibus ſivit gentes ſuis ipſarum viis incedere.*

XIV. Permiſſio verò illa non eſt *Ethica*, vel licentia peccandi; ſed *Phyſica*, ſeu non impeditio peccati. Nam ſi Deus peccatum Ethicè permitteret, idem etiam approbaret tanquam licitum, quod implicat.

Quæ non eſt Ethica ſed phyſica.

XV. Permiſſio iſta etiam non concipienda eſt *negativè*, quaſi eſſet mera ἀνεργία ſeu ceſſatio voluntatis & Providentiæ in operibus malorum, quâ Deus quaſi in ſpecula ſedens ſpectaret tantùm eventum actionis permiſſæ, quique ideò incertus, ambiguusque relinqueretur, ut volebant olim Pelagiani Veteres, & ut volunt hodie eorum ſequaces, quo ſenſu *Calvinus* & *Beza* permiſſionem rejiciunt. Sed concipienda eſt *poſitivè & affirmativè*, non ſimpliciter, ut Deus *non velit impedire* peccatum, quæ eſt otioſa negatio, ſed ut velit non impedire, quæ efficax eſt affirmatio. Hoc innuit Scriptura, quando dicit: Deum indurâſſe Pharaonem: Uxores Davidis Abſolomo filio violandas traditas eſſe à Deo. 2. Sam. 12. 11. imò, Deum in conſpectu Iſraëlis, per Abſolomum palam feciſſe; quod David clam fecerat. ibid. Deum præcepiſſe Semei ut malediceret Davidi. 2. Sam. 16. 10. à Deo Spiritus malos immitti, addito nocendi præcepto. 1. Reg. 22. 23. eum mittere Spiritum erroris. Jeſ. 19. 14. implere Spiritu

Non otioſa ſed efficax.

ritu vertiginis. Jer. 13. 12. 13. Mittere efficaciam erroris, ut credatur mendacio. 2. Thess. 2. 11.

XVI. Quænam autem sit illa Providentiæ efficacia, à nullo mortalium satis potest concipi. Huc tamen pertinet. 1. *Oblatio occasionum.* Sic ad Josephi venditionem occurrere fecit mercatores Madianitas. Achani avaritiam voluit excitari ad conspectum chlamidis Babylonicæ. Jos. 7. & ut Davidis luxuria inflammaretur nuditate Bersabæ. 2. *Traditio Satanæ*, quando Deus Satanæ & cupiditatibus suis pravis homines tradit, quomodo Gentiles dicitur tradidisse Deus cupiditatibus suis fœdis, & in reprobum sensum. Rom. 1. 24. 26. 28. Sic Spiritus malus à Jehova dicitur exagitâsse Saulem. 1. Sam. 16. 14. & mitti dicitur à Deo Spiritus mendacii in ore pseudoprophetarum. 1. Reg. 22. 22. Unde Deo illi habenas laxante, operatur efficaciter in filiis rebellionis. Eph. 2. 2. Quæ patet in oblatione occasionum.

XVII. Ad hanc permissionem accedit *Desertio*, per quam Deus hominem deserit, subtrahendo gratiam peccato adversantem, vel non dando tam efficacem, quâ superare possit tentationem ingruentem. Desertio.

XVIII. Quoad *progressum* peccati exerit sese divina providentia per potentem ejus *terminationem*, dum illi limites ponit, tum *intensionis*, ne in immensum excrescat, tum *extensionis*, ne latius serpat, tum *durationis*, ne diutiùs duret, & sic peccator sibi ipsi & aliis magis noceat; quod facit vel *interne*, mentem illuminando, ut turpitudinem mali, & pœnarum illud subsequentium magnitudinem percipiat, vel cupiditates pravas cohibendo & refrænando; Vel *externè*, Satanæ & mundi furores reprimendo, occasiones mali amovendo, mandatis etiam & minis à peccato amovendo, quod Exemplis Labanis, Esavi, Bileami, Senacheribi, & aliorum plurium constare potest, inprimis ex historia Jobi & Christi. 2. Progressum.

XIX. Quoad finem peccati Providentia divina patet in *sapienti ordinatione & directione*, dum præter peccati naturam, & peccantis voluntatem, malum in bonum convertit, & ad bonum finem dirigit & deducit. *Vos cogitaveratis in malum*, inquit Josephus. *Gen.* 50. 20. *Sed Deus cogitavit in bonum.* &c. 3. Finem.

CONTROVERSIA I.

An Deus sit author peccatorum? Neg. c. Libertinos.

Deus non est author peccati.

Impegerunt hic olim graviſſimè *Manichæi*, *Simoniani*, & *Priſcillianiſtæ*, qui Deo cauſam ſcelerum & peccatorum tribuebant, quod peccatores facilè arripiunt ad excuſanda ſcelera ſua, qualis Agamemnon Homericus, ἐγὼ δὲ ἐπ' αἰτίῳ εἰμὶ, ἀλλὰ Ζεὺς καὶ Μοῖρα, & Lyconides Plauti in Aulularia: *Deus impulſor fuit, credo Deos voluiſſe*, quam impietatem ſequuntur hodierni *Libertini*, ſed impiè.

ARGUMENTUM.

Deus peccati nec *cauſa phyſica* dici poteſt, quia nec illam inſpirat, aut infundit, nec facit; nec *ethica*, quia nec imperat aut approbat & ſuadet, ſed ſeveriſſimè prohibet & punit. Unde Deus dicitur *nolle iniquitatem. Pſ.* 5. 5. 6. 7. *Oculi ejus ſunt puriores, quàm ut ferat malum. Habac.* 1. & *Jacob.* 1. 14. *Deus neminem tentat, nec poteſt à quodam tentari, ſc. ad peccatum.*

Pſ. 5. 5. 6. 7. Hab. 1. Jac. 1. 14.

OBJECTIONES.

2. Sam. 16. 10.

1. *Deus juſſit Semejum maledicere Davidi* 2. *Sam* 16. 10. R. Juſſione providentiæ, non juſſione legali, juſſione phyſicè directivâ, non moraliter ſuaſivâ, juſſione judiciali voluntatis beneplaciti, quâ eſt juſtus judex, puniens & caſtigans, non juſſione approbativa voluntatis ſigni, quâ Legislator imperans, juſſione non propriè ita dicta, quam Semei cognoverit, & cui obedire voluerit. Sed impropriâ & figuratâ, quomodo Deus juſſiſſe dicitur piſcem evomere Jonam. Jon. 2. 11. quæ nihil aliud eſt, quam motio efficax, quâ malam Semei voluntatem ad hoc peccatum inclinavit in pœnam Davidis.

1. Reg. 22. 22.

2. *Deus miſit Spiritum mendacem ad decipiendum Achabum.* 1. *Reg.* 22 22. Hoc non eſt approbantis, ſed permittentis, & efficaciter ordinantis ad impii Regis pœnam; nec enim ſpiritui iſti mendaci indidit libidinem mentiendi, ſed cupido, & operam ſuam offerenti habenas laxavit.

Matth. 6. 13.

3. *Deus nos tentat; unde in oratione Dominica petimus: Ne Deus nos inducat in tentationem. Matth.* 6. 13. R. Alia eſt tentatio *probationis*, alia *ſeductionis*. Priori tentat Deus, non poſteriori: Et de poſteriori agitur in oratione Dominica, ad quam Deus poteſt dici nos inducere, quando non modò permittit nos in eam labi, ſed cupiditatibus & Satanæ nos tradit, à quibus tentemur. Ita petimus ex hypotheſi voluntatis divinæ, i. e. ſi Deo ita viſum fuerit, ut ita nobis provideat, ne inducamur in periculum tentationis. Sin autem

autem aliter Deo placeat, tunc petimus ne nos deserat, aut permittat, ut hostium spiritualium tentationibus succumbamus.

4. *Jerem.* 20. 6. *Seduxisti me, Domine, & seductus sum.* R. Verbum פתה unde Græcum πείθω videtur deductum, in bonam partem sumi potest pro *allicere*, *pellicere*, *persuadere*; ut alibi Gen. 9. 27. Prov. 25. 15. Hos. 2. 14. hoc sensu: *Pellexisti me, & pellectus fui.* i. e. ad obeundam functionem meam. Vel, si in malam partem sumitur, pro seductione, ut Ezech. 14. 9. hypotheticè intelligendum: Si ego seductus sum, ut seducerem alios, prout calumniantur hostes mei: Tu Domine me seduxisti. At hoc falsum est. E. & illud. Sic, si alibi *seducere* dicitur Prophetas; vel populum. Ezech. 14. 9. Jerem 14 10. Hoc tum ad permissionem & desertionem Dei bene refertur, quia permittit homines decipi, nec impedimentum ullum opponit, tum ad Satanæ traditionem, quia tradit Satanæ & impostoribus decipiendos. Ezech. 14. 9. Jer. 4. 10.

5. *Dei est errans, & errare faciens.* *Job.* 12. 16. 17. R. Potest intelligi vel in Dativo, *Deo est errans & errare faciens*, ut innuat, tum decepti ignorantiam, tum impostorum malitiam divinæ providentiæ inservire, quat. sc. ex malis bona elicit; vel in genitivo. *Ejus est errans*, &c. quia uterque est in Dei potestate, ita ut nemo erret, vel in errorum inducat, nisi, prout Deo libet permittere. Job. 12. 16. 17.

6. Deus dicit: *Ezech.* 20. 25. *Se dedisse populo suo statuta non bona.* R. Intelliguntur præcepta idololatrica Gentilium, quibus Deus iratus populum suum subjecerat, quorum observatio mortem eis afferret æternam, ut *dedisse* dicatur, quia *permisit eis dari*, vel quia eos, ut sua gubernatione indignos justo suo judicio excœcavit, & imperio Satanæ mancipavit, ut mendacio obedirent, q. d. mentem ipsis ademi, ita, ut meis legibus contemtis ipsi sibi leges facerent duras & mortiferas. Ezech. 20. 25.

7. *Deus dicitur excœcare & indurare homines.* R. Omnino, & quidem non tantùm *negativè*, non illuminando, vel *privativè*, gratiam subtrahendo, quâ abusi sunt, vel *permissivè*, non impediendo: sed etiam *positive*, non quidem cœcitatem & duritiem inferendo; sed tum *objectivè*, externa objecta iis offerendo, tum *judicialiter*, scoromate eos percutiendo, ablato lumine, quo perperam usi fuerant. Quomodo induratio & excœcatio Deo tribuatur?

frœna laxando cupiditatibus ipsorum; & Satanæ tradendo ac manicipando, aliisque modis inexplicabilibus, quibus judicium suum in contumaces exerit. Quod non obstat tamen, quò minùs impij ipsi scipsos etiam excœcent & indurent, abusu eorum, quibus maximè deberent emolliri. Alia igitur est *induratio culpabilis*, respectu hominum, alia *justa & pœnalis* à parte Dei.

8. *Aliquando idem opus Deo, Diabolo & impiis tribuitur: ut, Josephi venditio, induratio Pharaonis, Jobi calamitas, deceptio Achabi*, &c. R. Sed diversimodè, Deo quidem ut sanctissimum opus, quod in bonum finem tendit; Hominibus verò ut pessimum. Sic opus quod Assur Deo mandante peracturus erat in abductione populi bonum fuit respectu Dei, qui hac ratione voluit populum suum castigare, ideò dicitur *virga furoris Dei:* Sed respectu Assyrij malum, quia non alium sinem sibi proposuit, quàm populi excidium, & cupiditatis suæ expletionem. *Esaj.* 10. 6. 7. *Ipse autem non sic existimabit, nec cor ejus ita reputabit, sed ad perdendum se missum putabit in corde suo*, &c. Ut E. medicus hirudinibus & sanguisugis, imò & ipsis viperis ad curationem ægrorum utitur; ita Deus creaturarum peccatis ad bonum sinem utitur.

Esaj. 10. 6. 7.

CONTROVERSIA. II.

An Deus providentiâ suâ ita malum regat, & ordinet, ut eô permittente certò eveniat? Aff.

Quænam circa hanc quæstionem orthodoxorum mens sit, ex jam dictis abundè liquet: Restat, ut aliquas adhuc objectiones solvamus.

OBJECTIONES.

1. *Ergo Deus est causa peccati.* R. Imò, qualiscunque sit Dei actio circa peccata, manet tamen semper Providentia sancta & immunis ab omni culpa, ut radij solares non inficiuntur, licèt in sordes aut cadaver influant. Nam circa peccatum tria sunt spectanda. 1. Actio ipsa. 2. ἀνωμία actionis, 3. Judicium subsequens. Actio ipsa, tanquam motus naturalis fit efficaci Dei operatione; Judicium subsequens etiam habet rationem boni, ideoque est à Deo. Anomia, seu malitia fit actuosa Dei permissione. Regitur enim peccatum. 1. Permittendo. 2. Determinando, & intra limites continendo. 3. Ad bonum eventum

rum dirigendo. Jam verò Deus nullo istorum modorum peccati author dici potest. Non *efficiendo tò materiale*, seu actionem naturalem; ut enim in cithara alia est causa sonûs, alia dissonantiæ; ita aliud est esse causam actionis, aliud esse causam adhærentis malitiæ: Non *permittendo pravam actionem*, quia peccatum impedire nulla lege cogitur. Non *determinando*; ut enim, qui incendium restinguit, ne latiùs grassetur, non causa est incendii, ita qui terminos figit peccato, non est causa peccati. Non, *dirigendo ad bonum finem*; ut enim summum artificium est ex venenatis animalibus salubrem parare medicinam, ita Deo gloriosum est, etiam ex tenebris lucem, ex malis boni quid elicere.

Inst. *Peccatum dicitur medium illustrandæ gloriæ Dei: At, qui vult finem, etiam media vult.* R. Vocatur medium non tam *causaliter* & *effectivè*, quasi concurreret finaliter ad finem illum efficiendum, quam *materialiter* & *objectivè*, quia est occasio, ex qua Deus gloriam suam illustrat. 2. Non est medium per se, quia potius obscurat gloriam Dei, quam illustrat, sed per accidens, ex sapientia Dei, qui ex malo bonum elicit. 3. Qui vult finem, vult media, sed non semper eadem volitione, si media sunt diversæ naturæ, potest velle finem volitione effectiva, quia finis per se bonus est, sed medium volitione tantùm permissiva, si sit malum, non tam volendo medium ipsum, quam *usum medij*, nimirum peccati ipsius permissionem & ordinationem.

2. *Ex vestra doctrina peccator se posset excusare.* R. Planè non, nec, quia implet voluntatem Dei; quia voluntas non est revelata & signi, quæ in regulam vitæ proponitur, sed occulta & beneplaciti, quam ignorat & minimè attendit, non probans aut imperans, sed justissimè decernens. Nec, quia voluntati isti resisti nequit ab homine, quia quicquid hic est necessitatis, fit ratione *eventûs*, non ratione modi agendi, *infallibilitatis*, non *coactionis*; *consequentiæ* & *secundùm quid*, non *absolute* & *consequentis*. Nec, quia Deus ipse indurare & excœcare dicitur; quia actio Dei non evertit libertatem actionis hominis, qui ita induratur & excœcatur à Deo, ut seipsum etiam liberrimè excœcet & induret, tum quia actio Dei judicialis est, quam homines peccatis suis præcedentibus jam sunt promeriti.

Ex nostra doctrina non potest colligi, Deum esse authorem peccati.

XX. Et hæc est doctrina nostra de Providentia Dei, quæ tam male traducitur ab adversariis, acsi Deum faciamus authorem peccati, quod non tantùm verbis & scriptis detestamur, sed etiam nullo modo ex doctrina nostra colligi possè, jam abundè probavimus.

LOCUS IX.

DE

LEGE ET LAPSU.

Lex quid?

I. LEx, voce latissimè sumtâ, est agendi regula.

Vocis Legis Etymolog.

II. Lex Hebræis dicicitur תורה a verbo ירה quod in Hiphil *docere* significat, quia per illam de officio suo omnes monentur. Græci νόμος, ἀπὸ τοῦ νέμειν. quod tum *regere*, tum *distribuere* notat, quia juxta ejus præscriptum homines regi debent, & cuique quod suum est tribuitur. Latinis vel à *legendo* deducitur, quod legi soleat, cùm fertur; vel in publicis tabulis legenda prostet. Vel quatenus *legere* ponitur pro *diligere*, quia in ea delectus habetur rerum agendarum & fugiendarum: Vel à *ligando*, quod homines vinculo quodam liget & obstringat.

Ejus Homonymia.

III. Diversimodè autem sumitur in Scriptura, vel *latè*, pro universo Dei verbo. *Psal.* 1. 2. *Beatus, cujus oblectatio est in lege Dei.* Modò pro omnibus libris V. Testam. *Joh.* 10. 34. *Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi, Dii estis?* Modò pro solis libris Mosis, distinctè à Psalmis & Prophetis. *Luc.* 24. 44. *Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Mosis, Prophetis & Psalmis.* Vel *strictè*, pro dispensatione Mosaica, oppositâ Novo Test. *Joh.* 1. 17. *Lex est per Mosem data; gratia & veritas per Christum facta*; vel pro fœdere operum, contradistinctè ad fœdus gratiæ. *Rom.* 6. 14. *Non estis sub lege, sed sub gratia*; VEL PRO NORMA FACIENDORUM ET FUGIENDORUM.

Lex naturalis.

IV. Lex Dei est vel *naturalis*, vel *positiva*. *Naturalis*, quæ in jure Dei naturali fundatur; cujus respectu res non dicuntur

dicuntur justæ, quia sunt justæ, sed justæ sunt, quia justæ erant & bonæ: Et talis est ejus natura, ut suppositâ hominis productione non potuerit non illi ferri. *Lex* verò *positiva* est, quæ nititur jure Dei libero & positivo, cujus respectu res demùm bonæ sunt, quia Deus eas jubet; qualis fuit Lex cibaria & symbolica data Adamo. Gen. 2. 16. 17. & positiva.

V. Lex verò naturalis vel *latè* sumitur, quarenus etiam ad inanimata & bruta extenditur, & nihil aliud notat, quàm Providentiæ Dei sapientissimam gubernationem Creaturarum, quo sensu dicitur omnia stabiliviſſe in æternum, & posuisse Legem quæ nunquam intercidet. Ps. 148. Vel *strictè & proprie*, pro Regula practica officiorum moralium, ad quam naturâ homines obligantur. Naturalis vel latè vel strictè sumitur.

CONTROVERSIA.

An Adam præter mandatum de non edendo fructu illo totam quoque legem moralem cordi inscriptam habuerit? seu: *An detur Lex quædam naturalis?* Aff. c. Soc. & Libertinos. Dari Legem naturalem probatur.

Libertini justitiam & honestatem à sola voluntate hominum pendere, & ex consensu humanæ societatis oriri, & propria cujusque utilitate metiendum esse censent. Longè aliter loquuntur Orthodoxi, qui affirmant, dari legem aliquam naturalem, non ortam ex contractu vel lege voluntaria societatis, sed ex divina obligatione, à Deo quippe primitùs in creatione hominis conscientiæ impressam, in qua fundetur discrimen honesti & turpis, & quæ principia practica immotæ veritatis contineat, v. g. Deum esse colendum, parentes honorandos, honestè vivendum, &c. Atque hujus legis, licèt per peccatum diversimodè corupta fuerit, superesse adhuc in natura tot reliquias, ut nemo sit mortalium, qui ejus vim vel magis vel minùs non sententiat, probamus.

ARGUMENTA.

1. Paulus asserit: *Gentes, quæ legem non habent*, sc. Scriptam Mosis; *naturaliter facere quæ sunt legis*, &c. *Rom.* 2. 14. & *Rom.* 1. 19. 20. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ dicitur *manifestum esse in gentibus*. Rom. 2. 14.

2. Hoc populorum docet consensus, inter quos, maximè etiam *feros*, jus aliquod gentium primigenium obtinuit, ex

ex quo Deum esse colendum, Parentes honorandos, honestè vivendum didicerunt.

3. Uniuscujusque Conscientia dictat, bonum esse faciendum & malum fugiendum.

OBJECTIONES.

1. Tim. 4. 2. 1. *Datur conscientia cauterio resecta.* 1. *Tim.* 4. 2. R. Inde potest colligi suppressio legis naturalis quoad actum secundum, seu exercitium, sed non ejus extinctio & deletio quoad actum primum, seu principium.

2. *Variæ leges impiæ obtinuerunt inter Gentes.* R. Hinc tantùm colligitur, homines lumine concesso malè usos esse.

Origo Legis naturalis non petenda est ex præceptis Noachidarum.

VI. Unde patet, originem & fundamentum legis istius non debere peti, ut perperam faciunt Judæi, ex septem præceptis, quæ statuunt data Adamo & Noacho. 1. De idolis non colendis. 2. De nomine Dei non blasphemando. 3. De furto non faciendo. 4. De incestu & fœdis libidinibus fugiendis. 5. De judicibus & magistratibus constituendis. 6. De sanguine non fundendo. 7. De carne cum sanguine, qui est anima ejus, non comedenda. Nam præterquam, quid ista sola traditione nituntur, non sunt omnia simpliciter moralia, sed quædam ceremonialia, nec exhauriunt omnia quæ sunt juris naturalis.

Discrimen inter Legem naturalem & moralem.

VII. Quær. Quomodo conveniat vel differat Lex naturalis à morali? R. Conveniunt quoad substantiam, & ratione principiorum; differunt quoad accidentia & ratione conclusionum. In lege morali officia erga Deum & erga proximum clarè, distinctè & plenè declarantur, in naturali verò obscurè & imperfectè. Ad hæc lex naturalis insculpta est cordibus hominum; moralis inscripta tabulis lapideis. Illa ad omnes in universum pertinet; ista ad vocatos tantum per verbum. Illa nihil nisi morale continet; ista quædam ceremonialia admixta habet.

Cur Deus Legem naturalem repetiverit?

VIII. Deus legem naturalem solenniter in Decalogo repetiit. 1. Ut lex naturalis confirmaretur, ne paulatim diffluere hominum malitiâ. 2. Ut corrigeretur in iis, in quibus corrupta erat per lapsum. 3. Ut suppleretur, quæ in ea desiderabantur. 4. Ut Mediatoris necessitatis intel-

intelligeretur. 5. Ut populus Israël ab aliis segregaretur.

IX. Legem illam homo observare debuit perfectione partium, graduum, & temporis, i. e. totam, viribus omnibus, & semper.

X. Ea lex fit fœdus, quando accedit pactum, & conventio quâ Deus sese obligat, daturum se obedienti tale præmium.

XI. Tale fœdus cum Adamo initum esse negat *Episcopius*, & cum eo *Remonstrantes*: sed tale fuisse probatur. 1. Quia dantur partes Essentiales fœderis, Deus, qui non potest non esse gubernator & legislator, & remunerator quærentibus ipsum, Heb. 11. 6. Et homo, qui tanquam integer legem potuit servare, & tanquam creatura rationalis legum præscriptione, præmiorum promissione, & pœnarum comminatione gubernari debebat. 2. Quia Lex Adamo posita fuit, quæ necessariò importat pactum & contractum aliquem fœderalem, quia qui eam accipit, ex officio se obligat ad obedientiam sub pœna per eandem denunciata, & qui eam fert, tenetur obedienti præstare indemnitatem & securitatem. 3. Ex loco *Hos. 6. 7. Et ipsi sicut Adam violârunt fœdus.*

Dari fœdus naturæ probatur.

Hos. 6. 7.

XII. Tale verò fœdus cum Adamo initum est, quo. 1. Omnium hominum caput constitutus est, Excepto Christo, qui ex Adamo ortus est ut principio materiali tantum, non ut principio activo. 2. Omnium nomine obedientia ipsi mandata. 3. Præmium promissum. 4. Comminatio mortis addita. 5. Eaque omnia ab homine approbata sunt.

Quale fuerit illud fœdus Merces Adamo qualis promisse? Sacramenta fœderis naturæ. Arbor scientiæ boni & mali.

XIII. Merces, non ex dignitate operis, sed ex liberalitate promissa fuit vita æterna, in cœlis beata: obligatio enim respectu Dei fuit gratuita, utpote pendens ex pacto, seu promissione gratuita, per quam Deus non ipsi homini, sed sibi, suæque bonitati & veracitati obstringebatur.

XIV. Fœderi illi Deus adjunxit Sacramenta; quorum unum fuit sacramentum explorationis, quod officium homini præscribebat, & consistebat in *arbore Scientiæ boni & mali*; alterum fuit Symbolum præmii, quo ejus obedientiam remunerari Deus voluit; fuitque *arbor vitæ*.

XV. *Arbor scientiæ boni & mali* ita dicta est non *formaliter*, quasi in se λογικὴ & rationalis esset, sciens bonum & malum

malum. Non *effectivè*, quasi esu suo scientiam produxisset, ut quibusdam ex Judæis, & post eos Socinianis placuit: Non *putative*, à fallaci serpentis nomenclatione & promissione, quod Ruperto, Tostato, & aliis visum, quia nulla ratio est, cur Adamus vel Moses voluissent arbori nomen imponere ex impudentissimo mendacio deductum. Sed tum *Sacramentaliter*, quia erat signum exploratorium & commonitorium de cavenda scientia experimentali mali æquè ac boni, tum *eventualiter*, à posteriori per prolepsim, quatenus ex ejus esu homo revera experturus erat quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum.

Arbor vitæ.

XVI. *Arbor vitæ* non ita dicta fuit *effectivè*, quòd vim innatam haberet hominem vivificandi, i. e. non tantùm morbos & languores, sed & ipsam mortem arcendi, & immortalitatem ipsi conferendi, quod Bellarmino & variis ex Pontificiis placet, nam Potentiæ finita non potuit habere efficaciam infinitam, vitam in infinitum tempus extendendi. Sed ita dicta fuit *Sacramentaliter*, 1. respectu *vitæ præteritæ*, quia erat symbolum vitæ à Deo acceptæ. 2. Respectu *vitæ futuræ*, quia fuit signum vitæ beatæ in paradiso transigendæ, & in cœlestem postea transmutandæ, si in integritate perstitisset. 3. ratione *status gratiæ*, quia fuit illustris typus felicitatis æternæ, quæ in cœlis nobis parata est, & Christi ipsius, qui eam nobis acquisivit & confert, qui ideò vocatur arbor vitæ. Apoc. 2. 7. & 22. 2.

Quum autem Deus expellens hominem à paradiso, dicit: *Ne homo extendens manum suam acciperet de fructu arboris vitæ, & viveret in æternum. Gen.* 3. 22. Loquitur non ad rem ipsam, vel ejus eventum respiciendo, quasi actu debuisset arbor illa vitam illi conservare, etiam post peccatum; sed relatè, ad præposteram opinionem Adami, qui hoc potuit cogitare, non intellectâ verâ nominis istius ratione. Ne ergo conaretur, licet frustra, irritam reddere Dei comminationem, expellitur ex paradiso.

Gen. 3. 22.

CONTROVERSIA.

An homo ante lapsum habuerit promissiones vitæ beatæ & gloriæ cœlestis? Aff. c. Soc.

Adamus si integer mansisset, tandem in cœlum fuisset evehendus.

Sociniani, ut mortalitatem primi hominis asserant, & mortem non esse pœnam peccati, sed sequelam naturæ, evincant, pertendunt fœdus Dei cum Adamo non fuisse spiri-

spirituale, sed de animalis tantùm, & tetrenæ vitæ commodis. Hic etiam peccatur ab iis, qui triplex fœdus constituentes, naturale, Legale, & Evangelicum, ita promissionem unicuique fœderi additam exponunt, ut sola Evangelica fuerit vitæ æternæ in cœlis peragendæ: Legalis constituerit in beatitudine perfectissima cùm animi tum corporis, fruenda in terra Canaan: Promissio verò fœderi naturali annexa non aliò respexerit, quam ad vitam perpetuam, & affluentem omni bonorum genere, eamque in paradiso terrestri fruendam, ut *Amyraldus* docet. *Orthodoxorum* verò sententia est: Promissionem Adamo datam non fuisse tantùm vitæ felicis continuandæ in paradiso, sed & cœlestis & æternæ, ad quam evehendus fuisset Adamus, emenso perfectæ obedientiæ curriculo.

ARGUMENTA.

1. Lex operum habuit promissionem vitæ cœlestis & æternæ. E. etiam Lex præscripta Adamo, quia eadem est lex quoad substantiam. Prius patet ex *Levit.* 18. 5. *Qui fecerit illa, vivet in eis. Matth.* 19. 17. *Si vis intrare in vitam, nim. cœlestem, serva mandata.* Et *Rom.* 7. 10. *Præceptum dicitur datum ad vitam.*

2. Cùm Christus mortuus sit, ut per ipsum recuperemus quod amisimus in Adamo, & vitam cœlestem nobis meritus sit, necesse est illam nobis periisse in Adamo, & Adamum ad illam perventurum fuisse, si perseverâsset in obsequio.

3. Comminatio mortis, quæ denunciatur transgressoribus, complectitur etiam mortem æternam. E. & promissio vitæ illi opposita vitam cœlestem & æternam includit.

4. Hoc exigit summa Dei bonitas, sui communicativa; cùm enim Deus creaturæ rationali, & Dei capaci non possit non se communicare, debet se fruendum exhibere naturæ suæ convenienter, i, e. Spirituali modo: Nam corporalia & terrestria bona possidere non est illo frui ut Deo.

5. Cùm homo nobilissimâ sui parte spiritus sit, originis proinde cœlestis, qui cœlestia appetit, non potuit in terra plenam suam felicitatem consequi, sed cœlo tandem donandus fuit.

6. Alius debet esse status viæ, & status Patriæ, locus certaminis, & locus præmii & mercedis. At paradisus terrestris

restris fuit locus explorationis & viæ; ideo debuit alius locus assignari statui patriæ & præmii.

Paradisus non amplius supereſt.

XVII. Unde non sine mysterio videtur Deus voluisse Paradisum deleri, ut innueret, alium longè feliciorem jam nobis quærendum esse. Falsò igitur Pontificii somniant, Paradisum adhuc supereſſe, ubi Enoch & Elias degant tantisper, donec inde prodeuntes contra Antichristum tandem bellum gerant; quo fine id statuant, non est obscurum, nimirum, ut vulgo persuadeant, Pontificem suum non esse Antichristum, utpote qui proditurus demùm sit sub finem seculi, redeuntibus Enocho & Elia, qui nondum apparuerint. Nos locum quidem supereſſe non negamus circa Euphratem in Mesopotamia, sed hortum ipsum jam olim vastatum & destructum statuimus universali diluvio, vel etiam singulari aliquo Dei judicio nobis incognito, ne reditum in illum homines affectarent, & scirent alium quærendum esse longè præstantiorem, nim. cœlestem, qui nullo diluvio deleri possit, sed in æternum ad felicitatem piorum sit perennaturus.

XVIII. In illo statu homo necdum jus vitæ habuit, sed potestatem acquirendi.

CONTROVERSIA.

Deus creaturam innocentem non potest æternis cruciatibus afficere.

An Deus creaturam innocentem non tantùm vitâ illâ privare posſit, sed & ad cruciatus æternos damnare? Neg. c. Scholast. quosdam.

Digna est hæc quæstio, quæ huc apponatur: Ex ejus enim Explicatione patet, quòd bonum morale cum physico, & malum physicum cum morali, naturali quadam neceſſitudine consocientur, nec sine absurditate fingi posse, vel sanctitatem absolutissimam comitem habere perpetuam miseriam & calamitatem, vel summum scelus cum summa felicitate conjungi: Adeòque inde natura justitiæ Dei vindicatricis, ac consequens neceſſitas satisfactionis Christi patet.

ARGUMENTA.

1. *Omnes viæ Domini misericordia & veritas sunt iis qui custodiunt fœdus.* Pſ. 25. 10.

Pſ. 25. 10.

2. *Accedens ad Deum credere debet eum præmio remunerare obedientem, non damnare.* Heb. 11. 6.

Heb. 11. 6.

3. In

3. In creatura innocenti non potest esse conscientia criminis, & justi Dei judicii, quæ pœna sensus est.

4. Ex eo nulla Deo nasci posset gloria, sed potius ignominia tyrannici imperii.

5. Justitia Dei postulat, ut sanctum absolvat. *Ps.* 18. 26. *Cum benigno benignum te exhibes.* &c.

OBJECTIONES.

1. *Potest innocentem in nihilum redigere.* R. Tunc tantùm aufert quod dedit: hic verò existenti injuriam faceret.

2. *Ita agit cum Christo.* R. Ille Sponsor noster, qui debita nostra in se receperat.

3. *Deus nobis potest imputare peccatum Adami.* R. Putatur esse nostrum, quod revera nostrum est. Ut servorum liberi servi, & civium filii cives sunt & putantur.

4. *Nobis licet creaturas innocentes occidere.* R. Non rationales. 2. Bruta ad usum. 2. Pet 2. 12 3. Aliud est occidere, aliud viventi summum malum pro voluptate dare.

XIX. Legem homo hoc modo transgressus est: *Legem moralem* incredulitate, superbiâ & contemtu. 2. *Legem Sacramentalem* usu veriti fructûs.

XX Hujus peccati Deus. 1. Nec suasor. 2. Nec impulsor. 3. Nec approbator. 4. Nec ereptor datæ gratiæ. 5. adeòque nec author fuit.

XXI. Nec voluit fieri se permittente, si *velle* significet approbare, laudare; neque si *velle* sit *decernere*, voluit existentiam peccati, quod nec *essentiam* nec *existentiam* habet; sed voluit, seu decrevit permittere, ut homo liberè Causa peccati fieret.

XXII. Quomodocunque igitur Providentia Dei circa illud versata sit, sanctissimè semper se in eo exeruit; ut nulla ideo vel minima peccati labes ipsi adscribi possit: Nec quia *præscivit*, quia præscientia non est rerum causa, nec ideò res fiunt, quia præsciuntur, sed præsciuntur, quia futuræ sunt; Nec quia *decrevit*, quia decrevit quidem permittere, sed non efficere. Nec quia tentationem *permisit*, quia nec voluntatem tentandi diabolo inspiravit, nec illum ad id impulit, sed tantùm permisit *physice* non impediendo, ut id præstare nullâ lege tenebatur, non *ethice*, approbando & consentiendo.

Deus non est causa lapsûs Adami.

Causa lapsûs Adami interna.

XXIII. Quando ergo quæritur: Quomodo labi potuerit homo integer? Non censendum est cum *Pelagianis* Veteribus & recentioribus, *Pontificiis*, *Socinianis & Remonstrantibus*, hominem integrum habuisse præcipitem ad vitia inclinationem, ex qua ortum sit primum peccatum, licèt non tam vehementem ac inordinatam prout nunc est; quæ mala inclinatio cum justitia & sanctitate primi hominis naturali non convenit. Sed recurrendum est ad hominis primi *mutabilitatem*, quippe qui justus quidem & sanctus conditus est, sed mutabiliter, & ad *liberam hominis Voluntatem*, qui se à Diabolo decipi passus est, & suadente Satanâ, licèt non cogente, liberè à Deo defecit, ita nec quà integer propriè lapsus est, nec quà corruptus, sed quà falsi specie imbutus, semetipsum corrumpens, & neglectâ cognitione habituali à Deo inditâ, errorem à Diabolo suggestum suscipiens.

Externa.

XXIV. Præter causam istam internam moventem, fuit & alia externa adjuvans, eaque alia *Principalis*, Diabolus, alia *instrumentalis*, serpens, quo Diabolus ad hoc opus uti voluit.

Diabolus sub serpente latebat.

XXV. Diabolum verò hîc adfuisse, & sub serpente latuisse & locutum esse, multa probant: Tum loquela & argumentatio serpentis, quæ cùm illi à natura non inesset, necessariò debuit proficisci à creatura aliqua intelligente, quæ nulla tunc potuit esse præter Diabolum: Tum, quòd effectus moraliter malus causam debuit habere moraliter malam, quæ extra Diabolum quærenda non fuit.

Serpens fuit verus serpens.

XXVI. Serpentem verò, sub quo Diabolus latebat, fuisse verum serpentem, probant; tum simplex & nuda Mosis relatio, quæ temerè in allegoriam non est vertenda; tum serpentis ipsius tanquam callidissimi inter bestias agri descriptio; tum pœna, quæ illi seu seductionis instrumento inflicta est. Unde non admittenda est eorum sententia, qui post *Cyrillum & Eugubinum* pertendunt, serpentem verum nullum hîc fuisse, sed Diabolum sub istius animantis carne primis parentibus illusisse. Vel eorum, qui post *Cajetanum*, ne quidem externam serpentis imaginem hîc admittunt, sed à solo Diabolo serpentis nomine hîc indigitato rem totam peractam volunt.

Gravitas primi peccati.

XXVII. Peccatum primum non fuit simplex, sed aggregatum ex variis peccatis, quia in utramque Legis tabulam

bulam incurrit. Nam ut incredulitate & contemtu verbi divini, ingratitudine, superbia, & nominis divini profanatione primam tabulam; ita secundam ἀσωτίᾳ in liberos, homicidio quo se & posteros in mortem præcipitavit, intemperantiâ & gulâ, furto & contrectatione rei alienæ invito domino, illicito amore, & pravâ concupiscentiâ transgressus est.

XXVIII. Quæ gravitas peccati colligitur tum ex parte *personæ peccantis*, quæ tot dotibus erat ornata & omnis boni ipsi necessarii particeps; tum ex parte *objecti*, circa quod peccavit, à quo facilè abstinere potuisset, tum ex parte *Legis violatæ*, quæ fuit non specialis, sed universalis, quam violando & in Deum, & in posteros, & in seipsum graviter peccavit; tum ex parte *actus*, qui fuit totalis à Deo Apostasia, & cordis, oris & operis conjuncta ab officio declinatio; tum ex parte *loci* & *temporis*, quia vix è creatoris manibus egressus, & in paradiso amœnissimo positus, ad tentationis impetum statim concidit; tum ex parte *effectorum & pœnarum* tristissimarum, quæ illud consecutæ sunt, sub quarum pondere etiamnum hodie universa natura gemit.

Gradus istius peccati.

XXIX. Non anxiè litigandum censemus super ordine actuum istius peccati, vel primo istius peccati gradu, quia in plurium actuum complicatione consistit. Interim possumus dicere, hominem priùs per *incogitantiam* cessâsse à consideratione interdicti Dei, & ipsius veracitatis & bonitatis. Hinc fluxit primò *incredulitas*, seu diffidentia, per quam homo fidem verbo Dei, quam habere debuit, non habuit, sed dubitatione primùm, mox negatione excussit, non credens seriò sibi interdictum fructum, nec se moriturum. Deinde *credulitas*, quâ verbis Diaboli cœpit auscultare, & mox judicium erroneum fecit; unde appetitus ejus in voluntate, & inclinatio concupiscentiæ extitit ad illum fructum comedendum, & tandem externa actio.

Primus gradus peccati incredulitas.

XXX. Primus gradus peccati incredulitas itaque potiùs fuit, quàm superbia. Nam. 1. Is debet esse ordo in peccato, qui fuit in tentatione. At in tentatione prius sollicitatus fuit ad incredulitatem, quàm ad superbiam; primò enim tentator iis dicit, *non moriemini*, antequam ipsis promittat *divinitatem*, *& scientiam boni ac mali*. 2. Superbia in homine locum habere non potuit, nisi positâ incre-

dulitate; nam, quamdiu homo manſiſſet in fide verbi Dei, nunquam ad ſuperbiam impelli potuiſſet, nec jugum Dei excutere, vel gradum ſuperiorem ſcientiæ & excellentiæ affectare auſus fuiſſet, niſi interminationem mortis interdicto adjectam non credidiſſet veram, vel ſaltem de ea dubitâſſet.

Fructus iſtius peccati.

XXXI. Fructus hujus peccati ſunt: *Macula Job.* 14. *v.* 4. *Quis edat mundum ex immundo?* Reatus. *Rom.* 5. *v.* 16. *Reatus eſt ex una offenſa ad condemnationem.* Servitus Diaboli. *Joh.* 8. *v.* 34. *Quisquis operam dat peccato, ſervus eſt peccati.* Conſcientia vexans. *Gen.* 3. 10. *Extimui, quòd nudus ſum, & abſcondi me.* Expulſio ex paradiſo. *Gen.* 3. 23. Terra execrata. *Gen.* 3. *v.* 17. *Maledicta eſt terra propter te.* &c. Mors. *Gen.* 3. 19. *In ſudore vultûs tui veſcitor cibo donec revertaris in humum.* &c. Quæ vera imaginis divinæ amiſſio ſunt.

CONTROVERSIA.

Adam per peccatum amiſit imaginem Dei.

An homo peccando verè amiſerit imaginem Dei, & juſtitiam originalem? Aff. c. Socin. & Rem. quosdam.

NB.

Sociniani imaginem iſtam per lapſum Adami ullo modo amiſſam eſſe negant, utpote quam integram adhuc ſupereſſe contendunt. *Remonſtrantes* verò fatentur, Adamum lapſu ſuo meruiſſe, ut Deus ab ipſo auferret juſtitiam originalem; ſed negant eum actu ipſo illam amiſiſſe; quod ideo aſſerunt, ne cogantur agnoſcere hominem omnem juſtitiam originalem amiſiſſe, adeòque ei non amplius ſupereſſe liberum arbitrium. *Nos* verò amiſſionem imaginis divinæ, ſeu juſtitiæ originalis dupliciter lapſum Adami ſecutam fuiſſe ſtatuimus, tum *meritorie & moraliter*, propter ordinationem divinam, tum *efficienter & realiter*, propter peccati iſtius gravitatem.

ARGUMENTA.

1. Quia peccatum iſtud non particulare fuit, ſed univerſale quod totius Legis violationem poſt ſe traxit, unde non potuit non omnem rectitudinis habitum excutere.

2. Nuditatis ſenſus & pudor aliquid in homine pudendum aguebat.

3. Deus hanc privationem illi interminatus eſt; mors enim,

enim, quam illi peccanti denunciavit, non minùs spiritualem, in privatione justitiæ originalis, quam temporalem & æternam complectebatur.

4. Qualis homo nascitur hodiè, talis fuit Adamus post lapsum; siquidem, quicquid habet à natura, ab ipso Adamo originem ducit. At, nascitur cum universali corruptione.

OBJECTIONES.

1. *Homo etiam post lapsum ad imaginem Dei creatus dicitur. Gen. 9. v. 6. Jac. 3. v. 9.* R. Ratione primæ Creationis in Christo, & substantiæ animæ. Gen. 9. 6. Jac. 3. 9.

2. *Regeniti uno actu justitiam non amittunt.* R. Hoc non pendet à natura peccati, sed à gratia perseverantiæ, quia fideles habent promissionem perseverantiæ, quam Adamus non habuit.

3. *E. etiam per unam actionem justam expelleretur peccatum.* R. Quod ad dominum, non quod ad reliquias.

4. *Habitus acquisitus uno contrario actu non amittitur.* R. Hic Canon non post universaliter admitti: Juxta Philosophos enim dantur actus quidam adeò enormes, ut totum tollant habitum antegressum, v. g. actus incestûs totum habitum castitatis, actus parricidii amorem paternum tollit. &c. 2. Quamvis axioma consideretur quoad alia peccata, peculiaris tamen est ratio illius, quo fœdus fractum est, ac proinde omnia fœderis beneficia amissa. 3. Confirmatur à pari in angelis, qui peccato suo ita excusserunt habitum sanctitatis & justitiæ, ut malum ἀνίατον sibi accersiverint. 4. Ipsi adversarii fatentur, quovis graviori peccato amitti Spiritum S.

XXVI. Peccato hoc admisso abrogatum est fœdus operum, quatenus pactum & promissionem continebat. Mansit tamen quatenus Lex, sanctitatem præcipiens, peccatum sub pœna mortis vetans.

CONTROVERSIA.

An homo pepetrato peccato non ad pœnam primi peccati tantùm obligatus fuerit, sed & ad novam obedientiam legi præstandam, atque iterum ad pœnam si peccaret? Aff.

Lex obligat simul ad obedientiam & pœnam.

Quæstio de obligatione Legis; an obliget ad obedientiam & pœnam simul? nata est ex occasione sententiæ *Cargii*, de justitiâ Christi tantùm passivâ nobis imputatâ, quia, cùm lex ad obedientiam non obligârit peccatores, sed ad pœnam tantùm; Christus loco nostro substitutus pœnam tantùm pro nobis debuerit, non verò obedientiam.

Quæstio verò non est; An lex obliget ad obedientiam & ad pœnam? cùm enim præcipiat obedientiam sub promissione præmii, & inobedientiam veret sub comminatione pœnæ, patet ad utrumque hominem obligari; sed de modo, an simul, an successivè obliget, & an homo peccator teneatur ad utrumque, quod affirmamus.

ARGUMENTA.

1. Homo quà creatura debet Deo obedientiam, & quà peccator pœnam.

3. Si lex peccatorem non obligat ad obedientiam, tum Deus per peccatum hominis excideret jure suo obedientiam ab homine requirendi, & homo non obediendo non peccaret.

OBJECTIO.

E. homo tenetur debitum bis solvere. R. Neg. seq. Quia lex ad obedientiam præsentem & futuram obligat, pœna autem irrogatur tantùm pro peccato jam commisso, & actu semel violatæ obedientiæ.

XXXII. Peccatum à primo ortum vel originale est, vel actuale.

Peccatum originale.

XXXIII. Originale est impuritas illa cum qua homo nascitur.

CONTROVERSIA.

An detur peccatum originale? seu, an omnis homo, excepto Christo nascatur peccator? Aff. contra Soc. Anab. Rem.

Nomen *Peccati originalis* primus Augustinus in Ecclesiam invexit, contra Pelagianos, qui Pelagium Britannum, magistrum suum sequuti illud peccatum negârunt, quasi peccatum Adami illi soli nocuisset, reliquis tantùm noceat quoad imitationem, non propagationem: Quibus assentiuntur *Sociniani*, *Remonstrantes*, quidam *Pontificii* & *Anabaptistæ*. Hos impugnamus sequentibus.

ARGUM-

ARGUMENTA.

1. Quia *omne figmentum cogitationum cordis hominis dicitur tantùm malum, omnibus diebus, & à pueritia. Gen.* 6. 5. 6. Exc. *Agitur de actionibus & cogitationibus malis incolarum primi mundi.* R. Ita peccata actualia innuuntur, ut habituale conjungatur; quia principiata corrupta esse non possunt, quin & corrupta sint ipsa principia; unde agitur de *figmento* cordis malo quod Judæi יצר הרע dicunt, quo exprimere solent originale peccatum, idque ab ipsa *infantia*, i. e. ab ipso vitæ primordio, non tantùm ab *adolescentia*, ut Sociniani vellent, quia agitur de Causa diluvii, quo perierunt etiam ipsi infantes, in quos malitia actualis non cadit. 2. Quamvis ita dicantur de primi mundi incolis, non tamen exclusivè intelligenda sunt ad alios homines, qui omnes eandem naturam in statu peccati habent, quod ex eo patet, quòd cap. 8. 21. eadem dicuntur non ampliùs de mundo illo Prisco, aquis deleto, sed de novo mundo, ex Noachi sobole condendo. Gen. 6. 5. Exc.

2. *Gen.* 5. 3. *ubi Adamus dicitur genuisse Sethum ad imaginem suam*; ubi notanda antithesis inter imaginem Dei ad quam formatus fuerat Adamus, de qua v. 1. & imaginem Adami, ad quam formatus Sethus: Ut ergo illa moraliter designabat tum sapientiam mentis, tum sanctitatem voluntatis; ita ex oppositio imago Adami debet notare corruptionem inhærentem & hæreditariam tam mentis, quàm voluntatis. Gen. 5. 3.

3. Ex *Jobi* 14. 4. *Quis edat mundum ex immundo? Ne unus quidem.* Ubi ab hominibus omnibus, ne uno quidem excepto, removetur puritas, non actualis tantùm & transiens; sed permanens & hæreditaria, derivata à parente in sobolem, quæ alia esse nequit à peccato originali. Job. 14. 4.

4. Ex *Ps.* 51. 7. *Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato fovit vel calefecit me mater mea.* Ubi David ascendendo à consideratione peccati actualis à se admissi, ad primam mali labem, fatetur coram Deo se inde ab utero corruptum fuisse, & peccato obnoxium, unde invictum pro peccato originali fluit argumentum. Ps. 51. 7.

5. Omnes naturâ sunt caro, & nati ex carne. *Joh.* 3. 5. 6. *Nisi quis regenitus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum Dei; quicquid natum est ex carne, caro est.* Ubi Joh. 3. 5. 6.

1. Notatur *necessitas regenerationis* supernaturalis, quæ supponit generationem naturalem corruptam. 2. *Universalitas corruptionis*, quæ in omnes grassatur, quia omnes sunt caro. 3. *Universalitas traductionis*, dum caro nascitur ex carne.

Eph. 2. 3. 6. Omnes, tam Judæi quàm Gentiles sunt filii iræ φύσει, *naturâ*, ut innuatur, malum esse inhærens ab utero, & non tantùm perveniens à peccatis actualibus. Eph. 2. 3.

7. Rationes variæ hoc probant, desumta; tum à *necessitate universali mortis* etiam infantibus imposita; tum à *necessitate redemtionis*, tum à *necessitate regenerationis*, tum à *necessitate Sacramenti*; administrandi infantibus recens natis, tum ex *lege communi*, ut omne genitum simile sit gignenti, tum ex *Experientia*, quæ latens illud vitium in infantibus ipsis esse docet etiam ante rationis usum.

OBJECTIONES.

1. Cor. 7. 14. 1. *Liberi fidelium sunt sancti.* 1. *Cor.* 7. 14. Non ratione immunitatis ab omni peccato, sed ratione communionis cum Ecclesia, à qua qui excluduntur, censentur profani & immundi. *Sanctitas* ergo ista est potiùs *relativa* & fœderalis, quàm *inhærens*.

Ps. 106. 38. 2. *Infantes sunt innocentes. Ps.* 106. 38. *& Jonæ.* 4. 11. R. Hoc non absolutè intelligendum, quasi distituantur omni peccato; sed secundùm quid, & comparatè ad adultos, qui peccant actualiter.

3. *Non prohibetur ullo præcepto.* R. Licèt lex nemini prohibeat nasci cum peccato originali, damnat tamen ut ἀνομίαν corruptionem hæreditariam & inhærentem, quia adversatur illi justitiæ & sanctitati, quam exigit ab omnibus.

XXXIV. Peccatum autem originale vel *imputatum* est, vel *inhærens*.

XXXV. *Imputatum* est ipsum Adami peccatum, quod nobis imputatur; Malim dicere, *quod putatur & censetur esse nostrum*, quia in eo peccavimus.

CONTROVERSIA.

Peccatum Adami ejus posteris imputatur. *An omnes homines peccârint in Adamo; ita ut hoc peccatum omnium censeri debeat?* Aff. cont. Soc. Anab. Rem. & Gallos quosdam.

Pelagiani Veteres pertendebant, peccatum Adami ipsi soli

foli nocuisse, non verò ipsius posteris. *Sociniani* disertè negant, totum genus humanum peccâsse in Adamo. *Anabaptistæ* itidem negant posteros propter lapsum primorum parentum esse reos. *Remonstrantes* imputationis quidem nomen retinent, sed rem ipsam tollunt. NB

Hoc commentum etiam adoptavit Vir Cl. *I. Placæus*, Professor Salmurienſis, cui oppositum fuit Decretum Synodi Nationalis Carentonensis. 1644. Ut verò vim Decreti Synodici declinaret, distinxit *imputationem* in *immediatam & antecedentem*, & *mediatam & consequentem*; *Illam* vocat, quâ actio Adami ejus posteris omnibus, Christo excepto, proximè, immediatè, hoc ipso quòd sunt filij Adami, imputatur, antecedenter ad corruptionem inhærentem. *Istam* verò, quæ hæreditariæ corruptionis in nos ab Adamo derivatæ intuitum consequitur, eaque mediante fit; Hujus corruptionis participatione statuit, nos communicare peccato Adami, eique habitualiter consentire, ac propterea dignos esse qui Adamo peccato annumeremur. Verùm illa distinctio nomen imputationis retinet, rem ipsam tollit. Nam, si ideò tantùm Adæ peccatum nobis imputari dicitur mediatè, quia apud Deum rei constituimur & obnoxij pœnæ simus propter corruptionem hæreditariam quam ab Adamo trahimus, nulla erit propriè imputatio peccati Adami, sed tantùm labis inhærentis, quod tamen Synodus proscriptum voluit. Nos docemus: Actuale peccatum Adami ita omnibus viâ ordinariâ ab ipso descendentibus reipsa imputari, ut propter illud omnes rei censeantur, & vel pœnas dent, vel saltem pœnis digni existimentur.

ARGUMENTA.

1. Paulus hoc docet *Rom.* 5. 12. 13. 14. *Sicut per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit*, in quo *omnes peccârunt*. Ubi ἐφ ᾧ, sive reddatur *in quo*, sive pro *eò quòd*, vel *quia*, res eodem redit: Nam Causa redditur ab Apostolo, cur mors in omnes & singulos pervaserit, quia sc. omnes peccârunt, non utique actualiter, & personaliter in se, quia nondum erant, sed in Adamo peccante. Rom. 5. 12.

2. *In Adamo omnes moriuntur.* 1. *Cor.* 15. 22. i. e. mortis ac damnationis reatum contrahunt. E. in eodem etiam peccârunt. Nemo enim potest in aliquo pœnam mortis 1. Cor. 15. 22.

mereri, nisi cum eo & in eo peccatum, quod causa est mortis, commune habuerit.

3. Adam fuit stirps, radix, & Caput generis humani, qui fuit instar beneficiarij, qui feudum accipiens à Domino accipit illud & sibi & posteris; sed ea lege, ut si rebellet, adversus Dominum, beneficium non sibi duntaxat, sed & posteris suis amittat: Nam, ad quem pertinent commoda, ad illum quoque onera & incommoda pertinere æquissimum est.

4. Proximorum parentum peccata justo Dei judicio non rarò transeunt in liberos, & iis imputantur. E. multò magis hoc dici potest de primo, quod non particulare est Personæ Adami, sed universale totius naturæ. Antecedens patet non modò ex communicatione legis. *Exod.* 20. 5. quâ Deus denunciat *se ut fortem & zelotypum, peccata parentum visitaturum in filiis*: Sed & exempla varia evincunt, in Achane. Jos. 7. 24. 25. Amalekitis. 1. Sam. 15. 2. 3. Filiis Saulis. 2. Sam. 21. Jeroboamo. 1 Reg. 14. 9. 10. Achabo. 1. Reg. 21. 21. 23. Nec hoc apud Gentiles ignotum fuit: Cicero ad Brut. Ep. 15. in Græcis civitatibus liberos Tyrannorum oppressis illis eodem supplicio affici notat. Curtius lib. 6. Macedonibus legem observatam ait, ut qui Regi insidiati essent, illi cum cognatis & propinquis suis morte afficerentur. Et apud omnes ferè populos mos fuit in criminibus læsæ majestatis liberos cum parentibus reis ad pœnam deposcere.

OBJECTIONES.

1. *Deus illud Adamo non imputavit.* R. Non imputavit, i. e. remisit ei ut reliquis fidelibus; imputavit tamen, i. e. censuit esse peccatum ejus.

2. *Filius non portabit iniquitatem Patris. Ezech.* 18. 20. R. Intelligendus locus. 1. de filiis adultis, qui peccata parentum non imitantur, ut patet ex v. 19. at tales non sunt filij Adæ, qui ab utero sunt transgressores. 2. Non hic constituitur regula generalis justitiæ, sed agitur negotium particulare cum Judæis, quibus hoc Deus ex speciali concessione largitur, ut non cum ipsis agat ex illo justitiæ rigore, quem posset observare, ut aliena peccata ipsis imputet. 3. Aliud est jus summum, aliud jus ἐπιεικείᾳ temperatum. Ex illo Deus potest visitare peccata parentum

in

in filios: sed ex isto non ulteriùs quàm ad peccatores ipsos pœnam extendit.

3. *Quisque proprium onus portabit. Gal. 6. 6.* R. Est hoc onus nostrum. Gal. 6. v. 6.

4. *Cur non imputantur reliqua Adami peccata?* R. Quia rupto fœdere desiit esse caput fœderatorum.

5. E. *Et ejus justitia imputari debuisset.* R. Licèt omnium personam sustinuerit Adamus peccando, non pariter & remissionem obtinendo; ut ut essemus æquè in lumbis ejus; quia status quo excidit, naturalis fuit, ideò omnes implicuit ejus lapsus; sed ad omnes non debuit pertinere ejus restitutio, quæ supernaturalis & gratuita, ac proinde etiam personalis.

6. *Si actus inobedientiæ Adami nobis potuit imputari ad condemnationem. E. actus ejus obedientia debuisset nobis imputari ad justificationem.* R. Neg. Nam, reatus oritur ex uno actu inobedientiæ, sed justitia requirit complementum & perseverantiam integram obedientiæ.

7. *Deus justum cum injusto non punit.* R. Respectu peccati Adamici omnes injusti sumus: Nam, quamvis non fuerimus actu & personaliter in Adamo, fuimus tamen in potentiâ, tum *seminaliter*, quatenus in ipso tanquam totius speciei radice continebamur, tùm *repræsentativè*, quatenus ex ordine Dei personam nostram referebat, & Deus in ipso cum toto genere humano fœdus pepigerat. Ita, quamvis non fuerimus actu in Christo, quum pro nobis mortuus est, mors tamen ejus nobis bene imputatur, propter unionem quæ nobis cum eo intercedit.

XXXVI. Peccatum *originale inhærens* est peccaminosa illa dispositio, quâ homo ad omne bonum ineptus est, & propensus ad omne malum.

XXXVII. Quæ *positiva qualitas* dicitur, quatenus homo eâ verè privatur bono habitu, qui inesse debeat, & ad omne malum disponitur atque irritatur. Ubi igitur tenendum; Aliud esse positivum *physicè*, quo sensu Ens & bonum convertuntur, & nihil est positivum, quod non sit à Deo; aliud *positivum ethicè & logicè*, quod affirmatur de subjecto cui inhæret, sive sit bonum, sive malum. Peccatum positivum dicitur non priori sensu, sed posteriori; atque ita potest habere causam positivam non physicè, quia Peccatum an sit positiva qualitas.

quia sic est tantùm causa deficiens, sed logicè & ethicè, quia positivam qualitatem inducit.

CONTROVERSIA.

Peccatum originale non tantum negativè concipiendum.

An post lapsum humana natura non tantùm justitiâ originali privata sit, sed etiam verè corrupta, atque ad malum inclinata? Affirm. contra Pelag. Socin. Remonst. &c.

Pontificij & alij totam naturam peccati originalis restringunt ad meram privationem justitiæ originalis, sine ullius malæ qualitatis accessu. Scopus est evincere, hominem post lapsum non plus differre à seipso ante lapsum, quàm languidum à vegeto vel sano, ligatum à soluto, ut ea ratione liberum arbitrium ad bonum stabiliant, & non tam impotentiam in eo esse, quàm difficultatem bene agendi astruant. Nos verò duo hic necessariò includi censemus. Primò privationem justitiæ originalis. Secundò positionem contrarii habitûs injustitiæ.

ARGUMENTA.

1. Hoc peccatum θετικῶς & per modum affirmationis describitur in Scriptura, dum vocatur *caro*, *Joh.* 3. 6. *concupiscentia*, *lex membrorum*, *peccatum inhabitans*, *corpus mortis*. *Rom.* 7. 18. 20. 23. 24. *vetus homo*. *Eph.* 4. 22.

2. Quia actu & subjectivè inhæret homini, & prava desideria in eo continuò excitat, & reipsa per generationem transit ad posteros, quod de mera carentia vel privatione dici nequit.

3. Ut moribus non dicit meram privationem sanitatis, sed etiam temperamenti δυσκρασίαν; ut lepra non tantum est privatio puri sanguinis, sed etiam ejus corruptio. Ita peccatum est positiva corruptio, unde per cœcitatem mentis, malitiam & contumaciam voluntatis describitur.

4. Quia justitiæ originali non modò privativè opponitur, sed etiam contrariè, tanquam originalis injustitia, ut apud Philosophos vitia virtutibus, non tantùm ut privationes, sed etiam ut contrarii habitus opponuntur.

5. Peccato huic effectus positivi tribuuntur. Hinc. *Tit.* 3. 3. peccatores dicuntur *amentes*, *rebelles*, *errantes*, *servientes cupiditatibus*, & *Matth.* 15. 19. *ex corde dicuntur exire cogitationes pravæ*, *cædes*, &c.

XXXVIII. La-

XXXVIII. Labes itaque illa hæreditaria non partem tantùm inferiorem animæ, seu τὸ αἰσθητικὸν, & *sensualitatem* infecit, ut vellent Pontificij, libero arbitrio patrocinaturi, sed etiam partem superiorem, seu τὸ λογικὸν, intellectum nim. & voluntatem. Hinc cœcitas & ignorantia, menti, rebellio & contumacia voluntati tribuitur, & homo totus quantus quantus est, corruptus dicitur, ut nihil vel veri cognoscere, vel boni præstare queat, atque adeò regeneratione & sanctificatione egeat quoad utramque sui partem.

Peccatum originale etiam animæ partem superiorem infecit.

XXXIX. Inde exurgit doctrina de Libero arbitrio, in quo peccatum relatè spectatur, de quo nunc hac occasione agendum.

Liberum arbitrium.

XL. Vox *Liberi arbitrii* deducenda videtur à Schola Platonica, cujus sectatores varii ex Patribus erant, antequam ad Christum converterentur: Nam quod Peripatetici vocabant ἐλευθέραν προαίρεσιν, & Stoici τὸ ἐφ' ἡμῖν, Platonici αὐτεξούσιον dicebant.

Vox liberi arbitrii unde?

XLI. Quamvis verò nomen hoc nimis superbum videatur, atque hac de causa quidam optârint illud removeri ab usu Ecclesiæ: Quia tamen longo usu in Ecclesia receptum est, utiliter retineri posse censemus, si dexter ejus sensus doceatur, & abusus caveatur. Unde non sine calumnia nobis impingi potest, quod nec nomen nec rem liberi arbitrii ferre possimus.

An retinenda?

XLII. *Subjectum* liberi arbitii nec est intellectus, nec voluntas seorsim, sed utraque facultas conjunctim; nam ut ad intellectum pertinet ratione arbitrii seu προαιρέσεως; ita ad voluntatem ratione libertatis; unde facultatem mixtam rectè dixeris, sive utriusque tam intellectûs, quàm voluntatis connubium & συγκρᾶσιν. Non tamen facilè dixeris in utra potiûs facultate consistat; sicut enim arbitrium intellectûs terminatur in voluntate; ita libertas voluntatis radicem habet in intellectu.

Ad quam facultatem animæ liberum arbitrium pertineat?

XLIII. Quoniam Adversarii semper inculcant; *Necessitatem quamvis libertati voluntatis adversari, & necessitatem ac libertatem ἀναιρετικῶς oppositas esse*, quæritur: An voluntatis libertati repugnet quævis necessitas? Resp. Sextuplex est necessitas. 1. *Necessitas coactionis*, quæ oritur ab agente externo, nihil conferente eo qui cogitur. 2. *Physica & bruta*, quæ occurrit in inanimatis & brutis, quæ cœco

An libertati quævis necessitas repugnet?

cæco naturæ impetu, vel bruto instinctu agunt. 3. *Dependentiæ* Creaturæ à Deo. 4. *Necessitas rationalis determinationis ad unum*, ab intellectûs practici judicio, cui refragari non potest voluntas. 5. *Moralis*, seu *servitutis*, quæ oritur ex habitibus bonis vel malis, & appulsu objectorum ad facultates suas. Ea enim est habituum moralium ratio, ut quamvis in nostra potestate eorum acquisitio fuerit, ubi tamen voluntas iis imbuta est, neque non exerceri, neque deponi possint: Hinc fit, ut voluntas in se libera, ita determinetur, vel ad bonum, vel ad malum, ut non possit non vel benè vel malè agere. Unde fluit *Servitus* peccati, vel justitiæ. 6. *Existentiæ* rei, seu *eventûs*, per quam fit, ut quando res est, non possit non esse.

XLIV. Libertati quidem repugnat necessitas *physica* seu *bruta*, & *coactionis*. Non verò *necessitas dependentiæ* à Deo, utpote omnes creaturæ à Deo dependent in esse, fieri, & operari, & quantacunque sit creaturæ libertas, in operationibus suis, necessariæ tamen sunt respectu præscientiæ & decreti Dei; aliâs Præscientia Dei posset falli, & decretum ejus mutari. Nec *necessitas rationalis*. Cùm enim voluntas sit appetitus rationalis, non potest non sequi ultimum intellectûs practici judicium; aliâs posset appetere malum sub ratione mali, & aversari bonum sub ratione boni. Nam si ultimum judicium intellectus practici eò fertur, ut judicet hoc objectum hîc & nunc, expensis omnibus circumstantiis esse optimum, & voluntas huic judicio refragaretur, tum aversaretur bonum sub ratione boni, quod est ἀσύστατον. Nec *necessitas moralis*, quæ oritur ex habitibus; Nam ut voluntas libera potest dici, si est habitu vacua; Ita *serva* rectè dicitur, si per habitum ad certum agendi modum fuerit determinata. Nec *necessitas eventûs*; nam etsi quicquid est, quando est, necessariò est, non minùs tamen liberè vel contingenter fieri dicitur, prout à Causis liberis vel contingentibus pendet.

Liberum arbitrium in genere Entis.

XLV. Liberum arbitrium potest spectari vel *in genere Entis*, & absolutè, prout competit Enti rationali in quovis statu; vel in *genere moris*, & relatè, ad varios status, vel peccati, vel justitiæ.

CON-

CONTROVERSIA.

An ratio formalis liberi arbitrii in indifferentia posita sit? An verò in lubentia rationali? Prius Neg. Post. aff. c. Pontif. Soc. & Remonst.

Non consistit in ἀδιαφορίᾳ.

Res hîc nobis est cum Jesuitis, Socinianis, & Remonstrantibus, qui Pelagium sequentes liberi arbitrii Essentiam in ἀδιαφορίᾳ constituunt, & illud definire solent *facultatem, quâ positis omnibus ad agendum requisitis, voluntas potest agere vel non agere*: Requisita autem illa dicantur, sine quibus actio non potest produci, qualia sunt Decretum Dei, & concursus ejus, judicium mentis, & cæteræ circumstantiæ, quæ huc pertinent.

Non autem quær. An voluntas absolutè spectata, ex naturali sua constitutione, sepositis requisitis ad agendum, sit determinabilis ad varia objecta, & indifferenter se ad ea habeat? Non negamus enim, voluntatem ex se ita esse comparatam, ut possit vel actum elicere vel suspendere, vel ad utrumque oppositorum ferri; fatemur etiam, voluntatem indifferenter se habere, quamdiu intellectus hæret dubius & incertus quò se vertat. Sed quær. An voluntas omnibus ad agendum requisitis, positis v. g. Decreto Dei & ejus concursu, judicio intellectûs practici &c. ita semper sit indifferens & in æquilibrio posita, ut possit agere vel non agere. Hoc adversarii pertendunt, nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Quia talis indifferentia ad oppositа in nullo agente libero deprehenditur: Non *in Deo*, qui liberrimè bonus est, non tamen indifferenter, sed necessariò & immutabiliter. Nec *in Christo*, qui liberrimè Deo obedivit, & tamen maximè necessariò, quia non potuit peccare. Nec *in Angelis & Beatis*, qui summâ cum lubentiâ Deum colunt, & ad bonum tamen sunt determinati. Nec *in Dæmonibus* & *Reprobis*, qui non possunt non peccare, quamvis liberè peccent.

2. Quia voluntas nunquam potest esse sine determinatione tàm extrinseca à Dei Providentia, quàm intrinseca ab intellectûs judicio. E. non potest positis omnibus ad agendum requisitis agere vel non agere: Aliâs nec esset creata, quia non penderet à Deo; Nec rationalis, quia

contra

contra rationis judicium ageret, & malum sub ratione mali appeteret.

3. Quia volitio summi boni & ultimi finis non potest non esse sine summa lubentia; Et tamen non est sine summa necessitate; nam ab appetendo summo bono abstinere non possumus, quia nemo à se impetrare potest, ut velit esse miser.

4. Positâ indifferentiâ voluntatis. 1. Tollitur *precum & hortationum usus*, quia frustra oratur Deus ut nos convertat, frustra hortationes adhibentur, si positâ qualibet Dei actione voluntas non potest dimoveri ab æquilibrio, & manet semper in ejus potestate se convertere vel non. 2. Vanæ redduntur *promissiones Dei* de effectione sanctitatis, & efficacia gratiæ. 3. Perit omnis *consolatio*, quia quomodocunque Deus agat in nobis, nunquam certi erimus de gratia, si pendet semper à voluntate, illam admittere vel rejicere. 4. Abrogatur *imperium Dei in voluntatem*, quæ hac ratione fiet independens & sui juris.

Libertas posita est in lubentia rationali.

5. Ratio igitur formalis libertatis non potest alibi quæri, quàm in *lubentia rationali*, per quam homo facit quod lubet, prævio rationis judicio. Talis enim lubentia omni, solique agenti rationali, & semper convenit.

OBJECTIONES.

1. *Tollitis usum hortationum.* R. Imò asserimus, nam, si voluntas determinatur ab intellectu, intellectum priùs persuaderi necesse est, antequam voluntatem flectat: At, quomodo persuadebitur, nisi rationibus & hortationibus?

2. *Non dabitur præmio & pœnæ locus.* R. Ut detur præmio vel pœnæ locus, non necesse est ut detur indifferentia in voluntate ad utrumque oppositorum: Sufficit ut sit spontaneitas & lubentia.

CONTROVERSIA. II.

In genere Moris.

An homo habeat liberum arbitrium; i. e. an in homine post lapsum vires supersint, quibus ille Legem Dei servare, bona spiritualia agere, & salutem operari possit? Neg. cont. Soc. Remonst. Pontif.

Non quæritur de bono *civili* & *morali externo*: Non negamus enim aliquas vires in homine adhuc post lapsum super-

supereſſe, quoad opera illa externa, & civilia bona, ut juſtitiam & temperantiam exerceat, miſericordiæ & charitatis actum edat, ut manus à furto & homicidio abſtineat, & ſimilium virtutum operationes edat, antecedente concurſu Dei & auxilio ejus generali; quò ſpectant virtutes Gentilium, de quibus poſtea. Sed quæritur *de bono ſpirituali & ſupernaturali*, quod gratum & acceptum ſit Deo. An homo in ſtatu peccati ita ſit corruptus, ut liberi ejus arbitrii vires quoad bonum iſtud non modò ſint labefactatæ & attritæ, ſed planè deperditæ, ut nihil vel veri ſalutaris cognoſcere, vel boni præſtare queat: Quod affirmamus.

ARGUMENTA.

1. Quia homo *ſervus* dicitur *peccati*. *Joh.* 8. 34. qui *ſiſtit membra ſua ſerva impuritati* εἰς ἀνομίαν, *& ſubeſt dominio peccati*. *Rom.* 6. 12. 14. Qui à *Diabolo* devictus ei *in ſervitutem addictus eſt*. 2. *Pet.* 2. 19. Sub quo ut hujus mundi Principe deſideria mala implet, & facit quod illi placet. Joh. 8. 44. & in quo *efficaciſſime operatur*. *Eph.* 2. 2. & qui *veniditus eſt ſub peccatum*. *Rom.* 7. 14. Joh. 8. 34.

2. *Homo in peccatis mortuus eſt*. *Eph.* 2. 1. Qualis ergo eſt in mortuo ad vitam ex ſe recuperandam impotentia, eadem dicenda eſt in peccatore ad vitam ſpiritualem obtinendam. Eph. 2. 1.

3. Homo quoad intellectum non modò *cæcus* dicitur, & *obtenebratus mente*. *Eph.* 4. 18. Sed & *tenebræ* ipſæ. *c.* 5. 8. *Eratis olim tenebræ*. Et quoad voluntatem non modò dicitur habere cor pravum & fraudulentum, quod corrigi, immundum, quod purgari, clauſum, quod aperiri, incircumciſum, quod circumcidi, ſed *lapideum*. *Ezech.* 36. 26. quod frangi & auferri debeat, potiùs quàm emolliri, & vitam admittere poſſit. Eph. 4. 18. c. 5. 8. Ezech. 26. 26.

4. Scriptura peccatoribus tribuit ἀδυναμίαν ad bonum, quum *figmentum cogitationum hominis dicitur malum omni tempore, à juventute*. *Gen.* 6. 5. Ita Chriſtus, *ſine me*, inquit, *nihil poteſtis facere*. *Joh.* 15. 4. Sic Paulus, *Homo animalis non capit ea quæ ſunt Dei, nec poteſt ea cognoſcere, quia diſcernuntur ſpiritualiter*. 1. *Cor.* 2. 14. *Non ſumus idonei ad cogitandum aliquid ex nobis ipſis ut ex nobis*. 2. *Cor.* 3. 5. *Prudentia carnis non ſubjicitur Legi, & ne quidem poteſt*. *Rom.* 8. 7. *Arbor mala non poteſt bonos fructus ferre* *Math.* 7. 18. Gen. 6. 5. Joh. 15. 4. 1. Cor. 2. 14. 2. Cor. 3. 5. Rom. 8. 7. Math. 7. 18.

Joh. 6. 44. 7. 18. Sic *Joh.* 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit ipsum.*

5. Opus conversionis nostræ est creatio, resurrectio, regeneratio, & cordis novi productio. Ut verò homo ad sui creationem, resurrectionem, & regenerationem nihil conferre potest; ita nec peccator ad sui conversionem, sed in solidum hoc gratiæ Dei acceptum ferre debet.

OBJECTIONES.

1. *Deus ab homine obedientiam requirit. E. potest.* R. Præcepta Dei non sunt mensura virium, sed regula officii; non docent quid nunc possimus, sed quid debeamus, & quid olim potuerimus, & quanto justitiæ culmine per lapsum Adami simus devoluti. Ut intemperans, cujus consuetudo versa est in naturam, sobrietatis tamen legibus constringitur. Sic à debitore, qui grandem pecuniam fœnori sumtam aleâ decoxit, non injustè exigitur quod debet. Cùm E. homo suâ sibi culpâ contraxerit impotentiam obsequendi Deo, non injustè Deus ab eo postulat obedientiam quam debet: Quippe non æquum est, ut peccatum hominis illi prosit, & ideo sit ex lex.

Deut. 30. 15. 2. *Deus proponit Israëlitis eligendam vitam & mortem. Deut.* 30. 15. R. Compellat jam illuminatos, ut operentur pro libertate data, non infideles, de quibus hîc agitur. 2. Si qui fuerunt adhuc irregeniti, illos docet officium, ut sciant quid eligere sit consultius & quid à Deo petere debeant, ut per gratiam promissam id eligere possint.

3. *Ad impossibile nemo tenetur.* R. 1. Quod est absolutè & simpliciter tale, ad quod homo nunquam habuit potentiam. 2. Valet de *impossibili* planè *involuntario*, & merè *physico*, quod oritur vel ex coactione, ut qui vinctus catenis currere non potest, vel ex defectu potentiæ naturalis, qualis est impotentia in cœco videndi, in mortuo resurgendi. Sed non valet de impossibili ἠθικῶς & *voluntario*, quod conjunctum est cum magna animi lubentia, qualis est ἀδυναμία peccatoris. Licet ergo frustra jubeatur cœcus videre, & mortuus resurgere; non perinde frustra jubetur peccator se convertere; quia cœcus amissâ facultate videndi non tenetur amplius videre, nec mortuus amissâ vitâ, tenetur eam sibi restituere: sed nulla est hominis impotentia, quæ eum à debito obedientiæ Dei eximat.

4. Si

4. *Si homo non potest implere mandata. E. sunt inutilia.* R. Neg. Quia finem à Deo intentum semper obtinent, qualis est. 1. Juris Dei, & hominis officii repræsentatio. 2. Regulæ Justitiæ propositio, ne quis peccatis suis obtendat ignorantiam. 3. Impotentiæ nostræ convictio, ut eâ agnitâ ardentiùs gratiæ auxilium requiramus. In specie multiplices sunt præceptorum usus, & quidem quoad *pios* inserviunt ad eos ad gratiam præparandos, per agnitionem impotentiæ suæ, tum, ad opus ipsum regenerationis promovendum; Quoad *impios* verò tendunt mandata tum ad cognitionem officii & impotentiæ suæ, tum ad præstationem obedientiæ externæ; tum ad patefactionem latentis malitiæ, tum ad ipsorum ἀναπολόγησιν.

5. *Gen.* 4. 7. *Dominaberis peccato.* R. Non peccato, sed Abeli; inauditum enim est, hominem, maximè irregenitum, qualis fuit Cain, dominari peccato, cùm contrà in Scriptura dicatur servus peccati. Non aliò igitur spectat Dei alloquium, quam ad mitigandum Cainis animum, tribus argumentis. 1. Ut eum doceat; Causam, cur sic à Deo non sit habitus ut frater, non in fratre, sed in ipso hæsisse, qui non egerit bene. 2. Si male agere pergat, eum non laturum impunè. 3. Fratrem eum colere, ac ei sese tanquam primogenito subjicere; ideò dicitur appetitus ejus *ad te*, πρὸς σε, ut LXX. exponunt, non *sub te*: q. d. An justum est ignoscere fratri minori, qui sub tua est potestate? &c. Quid verò libertas arbitrii, imperans peccato, faciebat ad invidiam Cainі conceptam contra Abelem? Gen. 4. 7.

6. *Quomodo Deus hominem punire posset, si nihil boni possit?* R. In scelerum pœnis non attendi debet quid homines potuerint, sed quid ex officio debuerint; cùm illis convincendis sufficiat, quòd malum patrent deliberatè, ultrò, & sua sponte, contra quàm sibi faciendum esse optimè noverunt.

XLVI. Impotentia hominis peccatoris nec est simpliciter dicenda *moralis*, prout impossibile dicitur id quod tale est potius ex consuetudine, quàm ex natura. Nec simpliciter *naturalis*, prout id naturale dicitur, à quo neque boni neque mali dicimur, vel prout naturale contra distinguitur voluntario, vel ut naturale dicitur, quod oritur ex defectu facultatis naturalis. Optimè tamen & *naturalis* Impotentia hominis peccatoris an sit naturalis vel moralis?

& *moralis* dicitur diverso respectu. *Moralis.* 1. *Objectivè*, quia versatur circa officia moralia. 2. *Originaliter*, quia oritur ex morali corruptione. 3. *Formaliter*, quia est voluntaria & culpabilis, quæ in habitum voluntatis corruptæ refunditur. *Naturalis* etiam. 1. *Originaliter*, quia est nob. congenita, ut naturale est serpenti venenum, & lupo rapacitas. 2. *Subjectivè*, quia naturam nostram totam inficit. 3. *Essentialiter*, quia est invicta & insuperabilis, non minùs ac impotentia merè naturalis in cœco videndi, & in mortuo resurgendi.

Liberum arbitrium in omni statu hominis.

XLVII. Liberum arbitrium diversum in quolibet statu hominis. Nam *libertas gloriæ* in beatis est, *non posse peccare. Libertas peccatorum* in statu peccati est *non posse non peccare. Libertas fidelium* in gratia est *posse peccare, & non posse peccare.* Sed Libertas *Adami* fuit *posse non peccare.* Prima est *absoluta impotentia peccandi*; secunda *absoluta impotentia bene agendi*; Tertia *potentia peccandi & bene agendi.* Quarta fuit *potentia non peccandi.*

XLVIII. Spiritus ergo rationalis in homine supereſt, & *rudera cognitionis & conscientiæ* Dei remanserunt, sed nulla *Sanctitatis*, quæ propriè erat imago Dei.

CONTROVERSIA.

Gentilium virtutes non fuerunt bona opera.

An ergo Gentiles, seu homines irregeniti, nihil quod Deo placeat, seu rectè possint agere?

Aff. c. Pontif.

Ut *Pontificii* ostendant supereſſe libero arbitrio in statu peccati vires ad bonum, utuntur Gentilium Exemplo, qui præ cœteris virtutibus studuerunt, quæ peccata fuisse negant. Nos non diffitemur, aliquid boni in illis actionibus deprehendi, quoad externam honestatem actûs; tamen propriè & univocè posse bona opera dici, quoad rei veritatem, & operationis modum, internam sc. rectitudinem cordis, & intentionem finis, negamus.

ARGUM.

Tria requiruntur ad bonum opus: 1. Ex parte *principii*, ut fiat corde per fidem purificato. Act. 15. 9. quia *quicquid non fit ex fide, peccatum est. Rom.* 14. 23. & *Deo displicens. Heb.* 11. 6. 2. Ex parte *formæ* seu modi, ut fiat secundùm Legem Dei, non solùm externo opere, sed præcipuè

cipuè internâ cordis obedientiâ. 3. Ex parte *Finis*, ut fiat ad gloriam Dei. 1. Cor. 10. 31. Certum autem est, virtutes Ethnicorum in tribus istis peccare. Nam quoad *principium* non protuerunt proficisci ex fide, aut mundo corde, quod ipsis defuit: Ita quoad *modum* defuit illis interna & spiritualis obedientia; Et quoad *finem* directio ad Dei gloriam, cùm litârint propriæ ambitioni & gloriæ

OBJECTIONES.

1. *Amant proximum. Math.* 5. 46. R. Amore naturali & civili, quod ad Deo placendum non sufficit. Math. 5. 46.

2. *Act.* 10. 35. *In omni gente Deo placet, quisquis operatur bonum.* R. Tales verò inter irregenitos nulli sunt. Act. 10 35.

3. *Rom.* 1. 21. *Cognoscunt verum Deum, & eum glorificare possint.* R. Deum esse nôrunt, quis sit, sed quomodo celebrari debeat, ignorant. Ita præbuit quidem illis Dominus exiguum divinitatis suæ gustum, ne ignorantiam impietati obtenderent, & eos interdum ad dicenda nonnulla impulit, quorum confessione ipsi convincerentur: & ita viderunt quæ videbant, ut tali intuitu ad veritatem minimè dirigerentur, qualis est nocturni fulgetri coruscatio, quâ viator circumfusus, longè lateque ad momentum videt, sed adeò evanido aspectu, ut noctis caligine ante resorbeatur, quàm gradum movere queat, tantum abest, ut in vitam tali subsidio deducatur. Rom. 1. 21.

4. *Egerunt, quod recta ratio docebat.* R. Ratio naturalis docere non potest, quomodo Deo placere queamus.

CONTROVERSIA. II.

An homo irregenitus seipsum ad conversionem disponere possit? Neg. c. eosdem.

Homo irregenitus se non ad conversionem disponere potest.

Non quæritur: An ullæ necessariæ sint dispositiones in homine, quibus ad conversionem præparetur. Fatemur enim, per multas præcedaneas operationes ad spiritualem nativitatem perveniri, & Deum, qui opus istud in homine non per raptus violentos, sed modo naturæ nostræ convenienti, & qui non uno momento, sed successivè illud promovet, uti variis dispositionibus, quibus homo paulatim præparetur ad gratiam salutarem recipiendam, saltem in vocatione ordinaria: Ita, ut varii sint actus antecedanei ad conversionem, & quasi *gradus ad rem*, antequam ad statum regenerationis perducatur, vel externi, qui ab

homine fieri possunt, quales sunt Templum adire, verbum audire, &c. vel interni, qui à gratia etiam in nondum conversorum cordibus excitantur, quales sunt verbi propositi receptio & apprehensio, notitia voluntatis divinæ, sensus aliquis peccati, timor pœnæ, & desiderium aliquale liberationis. Sed quæritur: An in ipso conversionis momento, & quoad *gradus rei*, homo habeat aliquid ex se, quo cooperetur gratiæ efficaci, ita ut opus non gratiæ tantùm, sed & libero arbitrio à gratia excitato tribui possit, quod affirmant Pontificii, & cæteri Pelagianizantes. Nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Est in regno, & sub potestate Diaboli, qui nisi à Christo vinci non potest. *Col.* 1. 13. *Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum Filii sui dilecti.* Col. 1. 3. Math. 12. 29. *Math.* 12. 29. *Quomodo potest aliquis ingredi domum potentis alicujus, & vasa ejus diripere, nisi primò vinxerit potentem illum, & tunc domum illius diripiet.*

2. Regeneratio est excitatio mortui. *Eph.* 2. 5. *Etiam nos, quum in offensis mortui essemus, unà vivificavit cum Christo. Col.* 2. 13. *Vos mortuos in offensis cum eo vivificavit.* Eph. 2. 5. Col. 2. 13. Mortuus autem nihil potest.

3. Nemo potest ad Christum venire, nisi efficaciter à Deo trahatur. *Joh.* 6. 44. *Nemo potest venire ad me; nisi Pater traxerit eum. Cant.* 1. 4. *Trahe me, & curremus post te.* Joh. 6. 44. Cant. 1. 4.

4. Solus Deus homini novum cor, & Sp. S. dare potest. *Ezech.* 36. 26. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri.* &c. Ezech. 36. 26.

5. Initium boni in nobis à Deo est, non à nobis. *Deus enim in nobis bonum opus & incipit, & perficit. Phil.* 1. 6. Phil. 1. 6.

OBJECTIONES.

1. *Non procul es à regno Dei.* R. Non naturæ præparatione, sed veritatis confessione. Marc. 12. 34.

2. *Act.* 2. 37. *Compuncti erant corde.* R. Per Spiritum regenerantem.

3. *Cur E. verbum illis prædicatur?* R. Si forte Deus eo medio ad conversionem eorum uti velit, 2. Tim. 2. 25. ut: *Lazare prodi. Joh.* 11. 43.

XLIX. Tres vulgò gradus statuuntur Propagationis peccati

peccati originalis. 1. *In conceptione* Corporis ex semine immundo. Nam licet corpus per se non sit subjectum ἐνεργὸν peccati, ut dicatur in eo *consummate, formaliter, & perfectè*, nihil tamen obstat, quo minus in eo dicatur esse *inchoative, dispositive, & radicaliter*, tanquam in proprio animæ domicilio, mox in eandem hypostasin cum anima coalituro. 2. *In creatione animæ* rationalis cum carentia justitiæ originalis. 3. *In constitutione compositi*, per arctissimam *animæ & corporis* conjunctionem in unam hypostasin, eò magis, quòd anima privata justitiâ originali, non amplius corpus regere, & sibi subjectum retinere possit. Quomodo peccatum originale propagetur?

L. Hoc autem pacto Deus non potest censeri author peccati, sed vindex. Author est conjunctionis, tanquam operis sui, sed non peccati, tamquam vitii alieni: Animam conjungit corpori, ad conservationem speciei; Et animam privatam justitiâ corpori corrupto conjungit in pœnam peccati. Nec Deus est corruptionis causa, si in conjunctione animæ cum corpore naturæ institutam legem tuetur, à qua propriè homo, ex accidenti verò tantùm peccator oritur. Unde non sequitur, Deum esse authorem Peccati.

CONTROVERSIA I.

An virgo Maria in peccato originali nata sit? Aff. c. Pontif.

Beata Virgo in peccato originali nata.

Quantæ fuerint super hoc argumento contentiones in Ecclesia Romana, inter Dominicanos, Franciscanos, & Jesuitas; Istis immaculatam B. V. conceptionem asserentibus, illis verò negantibus, nemini ignotum est. Error videtur primùm ortus a Canonicis Lugdunensibus, circa a. 1136. ex immodico in B. Virginem cultu, à Scholasticis illius ævi refutatus. Lis renovata postea acrius, circa a. 1300. & porrecta usque ad ann. 1439. quo Concilium Basileense in gratiam Franciscanorum pronunciavit, quod postea Sixtus IV. ann. 1476. confirmavit, & à Concilio Trid. approbatum, tandem ab Alexandro VII. a. 1661. per novam Bullam sancitum est, ut pro Ecclesiæ dogmate in posterum habeatur. Militant verò pro nobis sequentia.

ARGUMENTA.

1. Quia ipsa opus habuit servatore, quem ut suum celebrat. Luc. 1. 50.

2. Quia Veteris Legis Sacrificia, quæ non sine peccati confessione peragi potuerant, offerre debuit.

3. Calamitas & ærumnæ, quæ sunt peccati fructus, animam ejus transfigere debuerunt. Luc. 2. 35. Imò propter peccata actualia a Christo objurgata: Joh. 2. 4. Quid mihi rei tecum, mulier?

OBJECTIONES.

Gen. 3. 15. 1. *Gen.* 3. 15. *Ipsa conteret caput serpentis.* R. Ita Pontificii corrumpunt hunc locum, contra analogiam Grammaticam, & rei naturam, quod etiam saniores quidam, vi veritatis adacti agnoverunt, ut *Pagninus*, *Arias Montanus*, *Vatablus*, *Isidorus Clarius*, *Lucas Brugensis*, & alii. Per semen ergo mulieris neminem intelligi, quam Christum, rei natura evincit, quæ talis est, ut vires humanas simpliciter superet, contritio sc. serpentis capitis, i. e. destructio imperii Satanici, quæ Christo in Scriptura passim vindicatur. Nam ipse *abolevit eum, penes quem est mortis robur, i. e. Diabolum. Heb.* 2. 14. Et *ad hoc manifestatus est filius Dei, ut dissolvat opera Diabli. 1. Joh.* 3. 8.

Cant. 4. 7. 2. *Pulchra, sine macula. Cant.* 4. 7. R. Illa est Ecclesia, quæ ita dicitur tum in capite & sponso suo *imputativè*, tum *inhærenter*, quia per Spiritum renovata est perfectè, si non perfectione graduum, tamen partium, & gratiæ, quæ tandem coronanda est perfectione gloriæ.

Luc. 1. 28. 3. *Benedicta inter mulieres. Luc.* 1. 28. R. Non quia sine peccato erat, sed quia singularis gratia ei facta.

CONTROVERSIA II.

Concupiscentia quæ post baptismum in regenitis supereſt, verè peccatum est.

An concupiscentia quæ post Baptismum in regenitis supereſt, verè peccatum morte dignum sit? Aff. contra Pontif.

Pontificij volunt Concupiscentiam in renatis languorem & morbum naturæ, & depravationem quæ effectus peccati sit, & Causa peccatorum, dici posse, sed negant habere rationem peccati propriè dicti. Sic sancit *Synod. Trident. Sess. 5. Can. 5. Si quis per Jesu Christi Domi-*

nū

in nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, &c. anathema sit.

Quamvis verò per regenerationem statuamus tolli *peccati originalis reatum, & maculam quoad dominium*, quia nec in ipsis imputatur amplius ad damnationem, nec in iis dominatur. Negamus tamen absolutè tolli quoad *existentiam*, & quicquid in eo peccati rationem habet.

ARGUMENTA.

Quia Paulus subinde nomen *peccati* illi tribuit. Rom. 6. & 7. quod non potest aliò, quàm ad peccatum propriè dictum referri, quia agitur de peccato pro quo Christus traditus est, cui mortui sumus in baptismo. Rom. 6. 3. quod cum Christo crucifixum est. v. 6. cujus stipendium mors est Rom. 6. 2. 6. 12. 23. quod repugnat Legi. cap. 7. 7. quod generat omnem cupiditatem. v. 8. & fit peccatum peccans. & hominem reddit carnalem & venundatum sub peccato. v. 14. Cujus φρόνημα est inimicitia adversus Deum, & quod nec Legi Dei subjicitur, nec subjici potest. Rom. 8. 7. quod peccatorum omnium est Causa & origo. Jac. 1. 15. quæ omnia peccato propriè dicto conveniunt.

OBJECTIONES.

1. *Jac. 1. 15. Parit peccatum.* R. Actuale. At, malus effectus necessariò arguit causam malam, ut arbor æstimatur ex fructu. Jac. 1. 15.

2. *Rom. 7. 17. Ego illud non facio: Non erat ergo ejus peccatum.* R. Approbatione non erat ejus; commissione omninò. Rom. 7. 17.

3. *Rom. 8. 1. Nihil est condemnabile in regenitis.* R. Aliud est in renatis nullam esse *condemnationem*; aliud nihil *condemnabile*, & odio dignum; Prius dicit Paulus, non posterius. Aliâs, si nihil in iis esset condemnabile, nullum prorsus peccatum in iis esset. Rom. 8. 1.

4. *Regeneramur per Baptismum. 1. Cor. 6. 11.* R. Regeneratio dominium peccati tollit, non omnes reliquias.

CONTROVERSIA. III.

An peccatum originale sit Substantia, vel ens positivum? Neg. cont. Flacc. Illyricum. Peccatum originale non est substantia hominis.

Superiori seculo *Flaccius Illyricus* hunc errorem propugnavit, qui, ut fortiùs pugnaret contra *Victorium Strigelium* Collegam suum, liberum hominis arbitrium in Conversione extollentem, & corruptionem extenuantem, peccatum ipsam hominis substantiam infeciſſe pertendit, quem secutus est *Cyriacus Spangenberg*, cum quo videtur hæc opinio evanuiſſe. Unde non sine Calumnia Bell. l. 5. c. 1. errorem hunc tribuit illis, qui adversus illam decertârunt. Contra Illyrici verò opinionem pugnant sequentia.

ARGUMENTA.

1. Quia omnis substantia creata est à Deo, & eo sensu bona. Gen. 1. 31. 1. Tim. 4. 4.

2. Quia Scriptura distinguit naturam, & peccatum ipsi adhærens, quum vocat illud ἐυπερίστατον ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΟΝ, & quod habitat in nobis, & vestem, quæ exuenda est.

3. Quia sic sequeretur, Christum assumendo naturam, assumsisse etiam peccatum & corruptionem ipsam, & hominem post sanctificationem & resurrectionem alium esse quoad Essentiam, ab eo qui erat antea.

4. Peccatum non potest prædicari de homine in quæstione *quid est*, quia esset vel genus, vel species, sed tantùm in quæstione *quale quid*.

OBJECTIONES.

1. *Operatur.* R. Ut omnis privatio: Qui in tenebris ambulat, impingit; ita mens bonitate destituta, dum agit, malè agit.

2. *Pugnat cum lege Dei.* &c. R. Ut tenebræ cum luce.

3. *Est cor lapideum, quod in regeneratione aufertur.* R. Metaphora est; Et novum cor dicitur fieri in nobis per regenerationem non *physicè*, sed *ethicè*, quia eadem substantia, quæ infecta fuit peccato, debet restaurari per gratiam.

LI. Peccatum actuale est *aberratio actionis à lege.* 1. *Joh.* 3. *v.* 4. Quod intellectu, voluntate, memoriâ, & corpore committi potest.

Peccatum actuale. Ejus Etymon.

LII. Peccatum Hebræis dicitur חטאה quod proprie est deflectio à scopo, & tribuitur sagittariis, qui scopum non assequuntur: Peccatum enim nihil aliud est, quam deflectio & aberratio à scopo nobis in Lege Dei proposito. Græcis dicitur ἁμαρτία, quasi ἀμαρτία, *non assecutio*, ut ἁμαρ-

ἁμαρτάνειν sit τὸ σκοπὸν ἀποτυγχάνειν, *à scopo aberrare*. Latinis *peccatum*, à pecudibus, ut *peccare*, sit ἀλόγως, instar pecudis agere.

LIII. *Augustinus* peccatum definit: *Concupitum, dictum, factum, contra Legem Dei*, sed non satis accuratè, quia pertinet tantùm ad peccatum actuale, & quidem commissionis. Rectiùs ergo dicitur inclinatio, actio, vel omissio pugnans cum lege Dei, vel carens rectitudine legali, debitâ inesse. Augustinus quo modo peccatum definiat.

LIV. Hinc sequitur, rationem formalem peccati in ἀνομίᾳ & *privatione* consistere, quæ notat carentiam rectitudinis, secundùm præscriptum Legis debitæ inesse Creaturæ rationali. Sed *privatio* illa non est *pura* vel *simplex*, sed *corrumpens*, non *otiosa*, sed *actuosa*, non *puræ negationis*, quâ non tollitur tantùm rectitudo debita, sed & ponitur prava qualitas, planè, ut morbus corporis non est tantùm sublatio temperiei humorum, sed etiam prava dispositio, & δυσκρασία humorum. Ratio formalis peccati est ἀνομία

CONTROVERSIA.

An hæreses & errores mentis in negotio religionis peccata sint? Aff. contra Rem.

Hæreses & errores mentis sunt peccata.

ARGUMENTA.

1. Ut peccata improbantur. *Tit.* 3. 10. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem repelle.* 2. *Joh. v.* 9. *Quisquis non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* *Heb.* 3. 10. *Infensus fui isti genti, & dixi semper errant corde, neque cognoverunt vias meas.* Tit. 3. 10. 2. Joh. v. 9. Heb. 3. 10.

2. Sunt causa interitus. *Joh.* 8. 24. *Nisi crediderit is me eum esse, moriemini in peccatis vestris.* Joh. 8. 24.

3. Mandatum est, ne errate. Errare ergo peccatum est. 1. Cor. 6. *v.* 9. *Ne errate; neque scortatores, neque idololatræ, &c. regni Dei hæreditatem possidebunt.* 1. *Cor.* 15. 33. *Ne errate: Commercia mala corrumpunt bonos mores.* *Gal.* 6. *v.* 7. *Ne errate: Deus non irridetur.* *Jac.* 1. *v.* 16. *Ne errate, fratres mei dilecti.* 1. Cor. 6. 9. 1. Cor. 15. 33. Gal. 6. v. 7. Jac. 1. 16.

4. Sunt opera Diaboli, carnis, & malorum hominum. *Eph.* 4. *v.* 14. *Ne simus amplius pueri, qui fluctuemus, & circumferamur quovis vento doctrinæ.* 2. *Thess.* 2. *v.* 11. *Deus mittet eis efficaciam erroris, ut credant mendacio.* 1. *Tim.* 4. *v.* 1. *Desciscent quidam à fide, attenti spiritibus deceptoribus, ac doctrinis* Eph. 4. 14. 2. Thess. 2. 11. 1. Tim. 4. v. 1.

1. Tim. 3. 13. *Errinis dæmoniorum.* 2. *Tim.* 3. 13. *Improbi autem homines, & impostores procedunt in pejus, tum seducentes, tum seducti.*

5. Nihil opus esset emendare, si peccata non essent.

OBJECTIONES.

1. *Homines nullâ suâ culpâ errant.* R. Non omne peccatum requirit præcedentem culpam; ut in Adamo patet.

2. *Opera Spiritûs, Gal.* 5. 22. *in ipsis esse possunt.* R. 1. An ideò non etiam peccatum? 2. Sæpe speciem habent, vim negant. 2. Tim. 3. v. 5.

3. *Errores non sunt voluntarii.* R. Eatenus, ut placeant errantibus.

LV. Peccatum actuale variè dividi potest: Est enim aliud *omissionis*, aliud *commissionis*, aliud *regnans*, aliud *vexans* ex *ignorantia* & *malitia*, vel in *Deum*, vel in *nos*, vel in *proximum*, *remissibile* vel *irremissibile*.

CONTROVERSIA.

Non omne peccatum est voluntarium.

An τὸ ἑκούσιον sive voluntarium, quatenus est illius, qui sciens & volens aliquid agit, sit de Essentia peccati? Neg. contra Pontif. & Socin.

Pontificii & *Sociniani* litem hanc nobis movent, ut facilius veram peccati originalis naturam obscurent, & motus primos naturæ, utcunque fœdos & turpes, qui pleno animi assensu carent, peccata esse negent. Ideò nihil volunt peccati rationem habere, nisi quod pariter sit voluntarium, i. e. quod fit scienter, & οὐ προαιρέσεως.

Nos quæstionem sequentibus distinctionibus solvimus. 1. Voluntarium vel *strictè* dicitur, vel *late*. Priori sensu pro eo, quod fit per actualem motum voluntatis; Posteriori pro eo, quod à voluntate pendet, & involvit actum προαιρέσεως. Primo sensu peccatum potest dici voluntarium; non negamus enim esse in voluntate. Sed posteriori sensu non omne peccatum est ἑκούσιον. 2. *Involuntarium* dicitur, vel *positivè*, per nolitionem positivam, & idem est cum invito. Vel *negativè*, per nolitionem negativam, quod fit cessante actu voluntatis, cùm agere debuisset. Primo modo nullum peccatum est involuntarium, sed posteriori. 3. *Voluntarium* dicitur vel *radicaliter*, in actu

actu signato, vel *actualiter*, in *actu exercito*. Priori sensu omne peccatum est voluntarium, quia propria sedes peccati est voluntas. Posteriori verò non.

ARGUMENTA.

Quia hoc requisitum nec omni peccato, nec soli, nec semper convenit. Non *omni*, quia nec dici potest de peccato originis, non peccatis ignorantiæ & imprudentiæ, tam ex ignorantiâ accersitâ, qualis fuit Noachi & Lothi, qui ebrii peccârunt, quam ex simplici, qualis fuit Abimelechi rapientis uxorem Abrahami, & Pauli. 1. Tim. 1. 13. Conf. Ps. 19. v. 13. *Errores quis intelligat? me ab occultis absolve.* Non *soli*, quia τὸ ἑκούσιον est affectio communis omnium affectionum, quæ fiunt ἐν προαιρέσεως. Non *semper*, quia quandoque datur luctа in actionibus peccaminosis, ut quum Paulus peccatum facit, *quod non vult, & odit. Rom. 7. 16.* 1. Tim. 1. 13. Ps. 19. 13.

CONTROVERSIA II.

An dentur peccata venialia: i. e. tam parva, quæ mortem non merentur? Neg. cont. Pontif. Peccata venialia non dantur.

Pontificii peccatum distribuunt in *mortale* & *veniale*: scopus ipsorum est, perfectioni justitiæ, operibus supererogatoriis, meritis operum, & Purgatorio patrocinium quærere.

Mortalia peccata ipsis sunt, quæ hominem planè avertunt à Deo, & quibus pœna debetur æterna. *Venialia* verò, quæ non quidem planè avertunt à Deo, cursum tamen ad Deum impediunt, & facili negotio expiantur, vel, quæ ex se & suâ naturâ sunt tam levia, ut non valeant aliquem privare gratiâ divinâ, aut reddere dignum morte æternâ.

Nos, licèt fateamur, quoad eventum, per gratiam Dei, multa peccata esse venialia, quæ sc. remittuntur à Deo, & eo sensu censemus omnia peccata fidelium posse dici venialia, quia nullum est, quod eventualiter per Dei misericordiam non condonetur; Et omnia peccata reproborum esse mortalia, quia nullam eorum veniam obtinent. Tamen negamus, talia esse *per se & naturâ suâ*, ut quædam mortalia sint, i. e. morte digna, quædam verò venialia, quæ veniam ex se mereantur.

Fatemur

Fatemur etiam, non deesse ex nostris, qui astruunt, quædam peccata in fidelibus mortalia dici posse, quia gravia sunt & atrocia, quæ altiùs vulnerant conscientiam, & actum fidei justificantis impediunt; &c. alia verò venialia, quæ sunt leviora, & quotidianæ incursionis, quæ gratiæ regimen & operationem non impediunt, nec sensum favoris Dei à fidelibus auferunt: sed non satis commoda videtur hæc distinctio, & melior distinctio peccatorum gravium & levium. Quæritur ergo simpliciter de natura peccatorum in se, & juxta rigorem legis, quæ mortalia omnia esse censemus, nullum verò veniale.

ARGUMENTA.

Rom. 6. 23. Ezech. 18. 20. 1. Quia *stipendium peccati mors est*, Rom. 6. 23. *& anima quæ peccavit, morietur.* Ezech. 18. 20. ideo vel peccatum veniale non est peccatum, vel mortem meretur, adeòque veniale non est.

Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. 2. Hoc ipsum probat horrendum Legis carmen: *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. Si verò omnis aberratio à Lege maledictionem meretur, & omne peccatum est ἀνομία, nullum datur peccatum, etiam minimum, quod maledictionem non inferat.

Jac. 2. 10. 3. Quia *qui impegit in uno præcepto, reus est omnium.* Iac. 2. 10. Ratio 1. ab *authore*, quia idem est author omnium præceptorum, ideò in unius violatione offenditur Legis-latoris majestas. 2. *à connexione peccatorum*, quia omnia præcepta revocantur ad unum præceptum charitatis, quo violato tota lex violatur. 3. *à fine legis*, quæ non partialem, sed universalem obedientiam postulat; ideo qui unum violat, reus est totius legis violatæ, nec amplius ex Lege vitam potest obtinere.

4. Quia omne peccatum gloriæ Dei adversatur, & majestatem ejus infinitam lædit, atque adeò culpam habet suo modo *infinitam*, si non *intensive & intrinsece*, saltem *objective*, quatenus committitur contra bonum infinitum.

5. Christus pro omnibus peccatis, etiam leviſſimis mortuus est; E. omnia sunt mortalia.

OBJECTIONES.

1. Cor. 3. 15. 1. *Licèt opus comburetur, ipse salvabitur.* 1. Cor. 3. 15. R. Fœnum & stipulæ, de quibus h. l. agitur, non notant peccata venialia, sed doctrinas novas, vanas, & curiosas, quæ, licèt

licèt fundamentum non evertant, non sunt tamen illi homogeneæ, ideò examen judicii divini, sive lucem & efficaciam verbi & Spiritus, quæ per ignem probantem opus uniuscujusque notantur. v. 13. sustinere nequeunt. 2. Quamvis qui ædificant talia super solidum fundamentum, non damnentur, non inde sequitur, peccatum ipsorum non fuisse morte dignum, sed gratia Dei illud condonâsse.

2. *Matth. 5. v. 22. Postremum tantùm morte dignum.* Matth. 5. 22.
R. Locus nihil habet, quod faveat peccatis venialibus: Verba enim non sunt ad literam urgenda, quasi ageretur propriè in duobus primis gradibus pœnæ, *judicii* sc. & *concilii*, de judicio humano, in tertio verò, *Gehennæ ignis*, de divino tantùm, seu morte æterna; quia sic sequeretur, iram intus conceptam, nec in actum erumpentem, humano judicio esse obnoxiam, & aliquod dari peccatum, quod peccatorem judicii Dei non redderet obnoxium; quod absurdum. Sed figuratè sunt intelligenda, ut diversitas gradûs pœnarum in judicio Dei describatur, per allusionem ad diversos gradus judiciorum & pœnarum capitalium, usitatos inter Judæos. Nam præter judicium infimum, quod erat triumvirale, quod judicabat de mulctis seu pœnis pecuniariis, dabantur adhuc tres gradus pœnarum Capitalium inter eos. Primus erat *judicii*, sc. 23. virorum, quod in singulis civitatibus constitutum erat, ad quod pertinebant judicia animarum, i. e. causæ capitales. Secundus erat *concilii magni*, sive *Sanhedrim*, quod constabat 70. viris, quod Hierosolymis tantùm conveniebat, & de gravissimis criminibus cognoscebat. *Tertius* erat *Gehennæ ignis*, qui erat cruciatus omnium maximus, sive hoc referatur ad vivicomburium, sive ad abominanda sacrificia, quæ in valle Hinnom fiebant, ubi idolo Ammonitarum Molocho humanus sanguis, & liberorum quidem à parentibus offerebatur, dum vel inter duos rogos traducebantur infantes, ut lenta morte perirent, vel candentibus statuæ Molochi brachiis innexi horrendis cum cruciatibus ibi ustulabantur. Unde locus ille infamis habitus est, ubi continuus erat ignis, comburendis cadaveribus damnatorum destinatus, & ea de causa symbolicè pro inferno sumitur non rarò in Scriptura. Sensus ergo Christi est: Vos hac Lege, *non occides*, putaris homicidium tantùm externum damnari: Ego verò sensum Legis istius vobis declarans, dico, quoslibet

libet actus tam internos in legem istam impingere, & affectum etiam iræ, temerè exardescentem in fratrem, etsi internum, esse speciem quandam homicidii, & pœnam mortis gravem mereri, qualis erat ea, quæ judicio 23. virorum infligebatur. Si verò in injuriam & contumeliam erumpat, gravius esse peccatum, graviori etiam pœna plectendum, qualis est ea, quæ in Synedrio decernitur: Et, si in convitium atrox prosiliat, ut frater stultus vocetur, gravissimo cruciatu dignum sit, huic analogo, qui videbatur in valle filiorum Hinnom. Ita *Gehenna* h. l. non sumitur simpliciter pro inferno, quasi huic solum gradui iræ deberetur pœna inferni, seu mors æterna; sed allusivè notat supplicium gravissimum.

Jac. 1. 14.

3. *Peccatum tantùm consummatum gignit mortem. Iacob* 1. 14. R. Non exclusivè ad peccatum conceptum, vel partum; sed ut causa proxima; at concupiscentiæ tribuitur ut causæ remotæ. Ut ergo quod est causa causæ, est etiam causa causati, quia concupiscentia causa est peccati actualis mortem generantis, ipsius etiam mortis causa meritò habetur.

Macula & reatus.

LVI. Duo vulgo peccati effecta dicuntur, *macula*, & *reatus*. *Macula* est pollutio spiritualis & ethica, quâ hominis anima inficitur. *Reatus* est obligatio ad pœnam, ex prævio delicto. Posterior respondet *justificationis* beneficio, quo Christus aufert à nobis reatum ex impuratione justitiæ suæ. Prior verò *sanctificationis gratiæ*, quâ macula eluitur, per Sp. S. efficaciam.

Reatus potentialis & actualis.

LVII. *Reatus* est vel *potentialis*, qui notat meritum intrinsecum pœnæ, quod à peccato inseparabile est vel *actualis*, qui per Dei misericordiam ab eo separari potest, per remissionem scilicet, quæ propriè est reatûs actualis ablatio. *Ille* pertinet ad peccati *demeritum*, & τὸ καταχριτὸν, seu *condemnabilitatem*, quæ semper peccato adhæret. *Iste* verò ad demeriti judicium, seu κατάκριμα, *condemnationem*, quæ tollitur in iis, quibus venia peccati facta est.

Reatus non est formale peccati.

LVIII. Unde patet, non satis accuratè *Reatum* à Scholasticis dici *formale peccati*, cùm sit tantùm ejus consequens, quod ex ἀνομίᾳ oritur. Ut enim Lex potest spectari, vel respectu mandati, vel respectu sanctionis seu comminationis additæ; peccatum duplicem χίσιν ad eam habet, respectu prioris, quatenus refertur ad sententiam Legis aliquid

quid præcipientem, vel interdicentem, dicitur ἀνομία, quatenus verò refertur ad comminationem, *reatus*. Hinc fit, ut reatus saltem actualis, de quo præcipuè agitur, à peccato separari possit; nam in renatis est ἀνομία, & non reatus: In Christo contra est reatus, quia est Sponsor noster, sed nulla tamen ἀνομία. Aliud ergo est ἀνομία, aliud verò κεῖρον quod eam comitatur, illa peccati naturam constituit; istud verò eam consequitur & ab ea necessariò pendet.

Reatus culpæ & pœnæ.

LIX. Perperam verò à Pontificiis distinguitur *reatus* in reatum *culpæ* & *pœnæ*: *reatus pœnæ* illis dicitur, quo peccator ex se indignus est Dei gratiâ, dignus autem est ipsius irâ, & damnatione. *Pœnæ verò*, quo obnoxius est damnationi, & ad eam obligatur. Priorem reatum tolli ajunt per Christum, posteriorem verò remanere posse, saltem quoad reatum pœnæ temporalis. Sed vanitas distinctionis patet ex natura utriusque; Cùm enim culpa & pœna relata sint, & reatus nihil aliud sit, quam obligatio ad pœnam, quæ nascitur ex culpa, se mutuò ponunt & tollunt, ita ut sublatâ culpâ & ejus reatu, necessariò auferri debeat ipsa pœna, quæ nonnisi propter culpam potest infligi: aliàs culpa remissa dici non potest, vel ejus reatus ablatus, si peccatori pro ea adhuc aliquid luendum supereſt.

Peccatum in Sp. S.

LX. Inter omnia peccata gravissimum est *peccatum & blasphemia in Spiritum S.* Matth. 12. 31. Marc. 3. 29. 30. Quod 1. Joh. 5. v. 16. vocatur *peccatum ad mortem*, pro quo orandum non est.

LXI. Dicitur autem peccatum in Spiritum S. non ratione personæ, siquidem una persona divina seorsim ab aliis nec offendi, nec glorificari potest, sed ratione officii & operationis.

LXII. Non potest dici peccatum hoc consistere simpliciter in *impœnitentia finali*, ut Aug. voluit, quia reprobi omnes in ea moriuntur, qui tamen non possunt dici peccare in Spiritum Sanctum. Multò minus sex species ejus constitui possunt, ut plerique ex Pontificiis statuunt, Præsumptio, Desperatio, oppugnatio veritatis agnitæ, invidentia fraternæ gratiæ, obstinatio & impœnitentia, quia unius speciei Scriptura facit hoc peccatum.

LXIII. Nobis dicitur esse apostasia universalis à vero Christianismo, seu veritatis Evangelicæ, de qua quis in con-

scientia sua convictus est, totalis & perseverans abnegatio, detestatio, & oppugnatio, seu sophistica, seu tyrannica, non ex communi infirmitate humana, sed ex singulari, & deliberata malitia, & illius odio prorsus diabolico profecta, conjuncta cum contemtu omnium mediorum salutis, & finali impœnitentia.

LXIV. Hinc patet, varios esse characteres istius peccati. 1. Ut committatur adversus cognitionem veritatis Evangelicæ, practicam & convictivam, ita, ut quis non tantùm cognoscat veritatem Evangelii, sed & in mente sua convictus sit de ejus bonitate. 2. Defectio totalis à veritate, ejusque non ex metu & carnis infirmitate, vel lucri cupiditate, sed malitiosa rejectio & abnegatio. 3. Pertinax ejus oppugnatio. 4. Obfirmatio animi, & perseverantia in scelere ad finem usque, unde oritur ejus *irremissibilitas*.

CONROVERSIA.

Est absolutè irremissibile.

An peccatum in Sp. S. sit irremissibile? Aff. c. Pontif.

Bellarminus & alii volunt, peccatum illud non absolute esse irremissibile, sed secundum quid, quia magna difficultate remittitur. Nos peccatum istud absolute & simpliciter esse irremissibile, probamus.

ARGUMENTA.

Marc. 3. 29. Matth. 12. 32. 1. Ita peccans *non habet remissionem in æternum*, Marc. 3. v. 29. *neque in hoc, neque in futuro seculo.* Matth. 12. v. 32.

Heb. 10. 26. 2. *Nullum ei restat sacrificium.* Hebr. 10. 26.

Heb. 6. 6. 3. *Neque ad pœnitentiam adduci potest.* Heb. 6. v. 6.

1. Joh. 5. 16. 4. *Est peccatum ad mortem, quo pro non licet precari.* 1. *Ioh.* 5. 16. Vocatur autem peccatum ad mortem, non tantùm, quia mortem meretur naturâ suâ; sic enim omnia peccata sunt ad mortem; sed quia tale est, ut absolutè sit irremissibile ex se.

OBJECTIONES.

1. *Irremissibilitas ista oritur vel ex defectu misericordiæ Dei, vel meriti Christi.* R. non, sed ex natura ipsius peccati, quæ talis est, ut conditionem ipsam ad remissionem requisitam, puta pœnitentiam, excludat; *impossibile est enim tales renovari ad pœnitentiam.* Heb. 6. 6. Hoc enim peccatum pœnitentiæ ipsius principium, nim. Spiritum gratiæ

gratiæ rejicit; ut desperatus est illius morbus, qui omnia remedia rejicit, & in medicum ipsum insurgit.

2. *Ubi abundat peccatum, ibi superabundat gratia.* R. Si homo ad eam recurrat per fidem & pœnitentiam, sed si peccator gratiam istam pertinaciter rejicit, non potest vim suam in eo exerere.

LXV. Pœna peccati est mors corporea, spiritualis, temporalis & æterna. Pœna peccati.

LXVI. A pœna tamen temporali excipiuntur *afflictiones* temporales fidelium, quæ non sunt pœnæ peccati propriè dictæ; sed vel παιδεῖαι, paternæ castigationes delictorum; vel δοκιμασίαι, explorationes virtutum, vel μαρτύρια, testimonia doctrinæ, etiam sanguine sancita. Afflictiones fidelium non sunt pœnæ propriè dictæ.

CONTROVERSIA.

An afflictiones fidelium sint pœnæ propriè dictæ?

Neg. c. Pontif.

Πρῶτον ψεῦδος Pontificiorum est, statuere: Remissâ culpâ remanere pœnam; & fideles remissâ culpâ pœnis propriè dictis adhuc debere satisfacere. Nos opponimus sequentia.

ARGUMENTA.

1. Christus pœnas nostras abstulit. Nam, *ipse dolore affectus est à defectionibus nostris, attritus ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus sit curatio nobis. Esa. 53. v. 5.* Ille *nos liberavit ab omni maledictione Gal. 3. 13. Christus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio Gal. 3. 13.* Esa. 5. 5. Gal. 3. 13.

2. *Quoscunque Deus amat, arguit & castigat. Apoc. 3. 19.* Pœna autem ex odio judicis est. Apoc. 3. 19.

Quare illi gaudere & gloriari debent in afflictionibus; quod non possent, si pœna forent. *Rom. 5. 3. Gloriamur de afflictionibus, scientes, quod afflictio tolerantiam efficiat. Iac. 1. v. 2. Summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis. Heb. 12. 6. 7. Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem, quemcunque filium agnoscit: si castigationem sustinetis, Deus sese vobis exhibet ut filiis; quis enim est filius, quem non castiget pater?* Rom. 5. 3. Jac. 1. 2. Heb. 12. 6. 7.

OBJECTIONES.

1. *Pœna appellantur.* R. Non *propriè*, quia deest illis ratio formalis pœnæ, ut sc. ex ira judicis infligatur, ad

ultionem peccati, & peccatoris exitium, sed impropriè, tum, quia tendunt ad destructionem carnis & veteris hominis.

2. *Immittuntur ob peccata.* R. Ut medicinæ ob morbos, i. e. ad ea tollenda.

3. *Deus in ira eos affligit. Deut.* 1. 37. R. Ira paterna, ad emendandum, non judiciali, ad perdendum.

CONTROVERSIA. II.

Peccatum potest esse pœna peccati.

An Deus aliquando peccata peccatis puniat? i. e. an Deus justo judicio ob peccata antecedentia homines nonnunquam in alia incidere faciat, sibi ipsis, aliisque in pœnam? Aff. cont.

Rem.

Occasionem quæstioni dederunt Pelagiani Veteres, qui peccatum esse pœnam peccati negabant, tum, ut nudam & otiosam Dei permissionem circa peccata assererent, tum, ut evincerent, peccatum originale non esse proprii nominis peccatum, sed tantùm pœnam antecedentis, defectum & languorem naturæ: Illos sequuntur *Iesuitæ*, *Sociniani*, & *Remonstrantes*, ad quos accedunt, qui peccati primi imputationem negant.

Nos verò dicimus peccatum posse esse pœnam peccati, non *formaliter*, quà peccatum, & relatè ad Legem, cui repugnat, quia sic est malum turpe, Legi contrarium; sed *materialiter*, quòd sc. id quod peccatum est, ratione actûs substrati, & relatè ad subjectum quod inficit, possit esse pœna.

ARGUMENTA.

2. Sam. 12. 11. 12.

1. Quia Scriptura hoc expressè statuit. 2. Sam. 12. 11. 12. ubi incestus Absolomi proponitur, ut pœna Davidis à Deo immissa. *Sic ait Iehova: Ecce ego suscitaturus contra te malum è domo tua, & accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam proximo tuo, qui cubabit cum iis coram isto sole. Quia tu feciſti clam, etiam ego facturus sum coram toto Israële, & coram sole.*

Rom. 1. 24. 25. 26.

2. Ex Rom. 1. 24. 25. 26. ubi Deus in pœnam idololatriæ Gentilium dicitur eos tradidisse fœdis libidinibus, & in reprobum sensum. *Propterea*, nempe propter idololatriam, de qua v. 25. *tradidit eos Deus fœdis suis affectibus &c.*

&c. ἀντιμισθίαν, *compensationem erroris sui in se recipientes.* igitur transmutatio usûs naturalis corporum in fœdam libidinem præter naturam est ἀντιμισθία, justa compensatio transmutationis idololatriæ gloriæ Dei in gloriam creaturæ, & veritatis Dei in mendacium; adeoque talis ἀπαίδευσία & ἀσχημοσύνη est peccatum, & simul pœna peccati. Huic affinis est locus. 2. *Thess.* 2. 11. 12. ubi *Deus* dicitur *immisisse Spiritum erroris, ut credant mendacio, & ut damnentur omnes, qui veritati non crediderunt, quia amorem veritatis non receperunt.* 2. Thes. 2. 11. 12.

3. Ex. 1. Reg. 22. 20. Spiritus mendacii qui fuit in ore Pseudo-Prophetarum, & mendacium cui credidit Achabus ad suscipiendum bellum injustum, fuit gravissimum peccatum; & tamen fuit pœna à Deo immissa ad eum perdendum. *Quis pelliciet*, inquit Deus, *Achabum, ut ascendat & corruat apud Ramoth Gilead.* v. 23. *Quare nunc indidit Iehova spiritum mendacii ori omnium Prophetarum tuorum: Propterea contra te Iehova locutus est malum.* 1. Reg. 22. 20.

4. Ex aliis Scripturæ locis, quæ in eadem actione rationem peccati & pœnæ conjunctam habent. Defectio decem Tribuum fuit grave peccatum, & simul pœna idololatriæ Salomonis. 1. Reg. 11. 33. 34. Oppressio populi per Assyrios & Chaldæos fuit horrendum peccatum à parte hostium populi Dei. Jes. 10. 4. 5. & 14. 21. 22. Jerem. 50. 6 7. 8. eadem tamen à parte Dei fuit pœna defectionis & idololatriæ populi. Jes. 7. 17. 18. & 39. 6. 7. 8. Jer. 1. 12. 13. 14. Judæ ἀυτοχειρία fuit teterrimum scelus, & simul justa pœna proditionis Salvatoris. Idem de induratione Pharaonis Exod. 4. Recensione populi. 2. Sam. 24. 1. & excœcatione Judæorum, Jes. 6. & Joh. 12. 40. & 9. 39. dici potest.

5. Quia Deus in pœnam transgressionis Legis non denunciat tantùm varias calamitates, sed etiam peccata, puta, cœcitatem mentis, vertiginem, indurationem, &c. Deut. 28. 29. & Lev. 26.

OBJECTIONES.

1. *Deus author pœnæ, non peccati.* R. Omnis pœna simplex est à Deo effectivè; sed sufficit, ut pœna mixta sit ab eo directivè. Igitur in peccato tria distinguenda sunt. 1. *Actus physicus*, qui habet rationem materialis. 2. Ipsa ἀνομία, quæ habet rationem formalis. 3. *Judicium Dei*,

seu pœnalitas, quæ adjunctum est utriusque. Ille provenit à Deo motore; Ista proficiscitur tantùm à Diabolo & peccatore. Hoc verò pendet à Deo judice.

2. *Pœna passio involuntaria*: *Peccatum actio voluntaria*. R. Non est de Essentia pœnæ semper, ut sit involuntaria, ut nec de ratione peccati est semper, ut sit voluntarium, sufficit ut talis sit, cui voluntas repugnare debeat, si rectè æstimatur.

3. *Per pœnam peccatum in ordinem redigitur*. R. Si sensus sit, *emendatur*, falsum est. Si, *inobedientia plectitur*, id in omni peccato fit.

4. *De ratione pœnæ est, ut sit mala punitio*. R. Vel in se & actu primo, vel punito sic opinanti, & actu secundo. Licèt pœna non semper sentiatur ab homine, ut quid damnosum, sed apprehenditur ab eo ut quid gratum & jucundum, non ideo tamen minus pœna debet in se censeri, quin gravior debet haberi, quòd pœnam esse non sentiat, imo pro bono utili & jucundo eam æstimet.

5. *Nullus justus judex ulciscitur transgressionem aliâ transgressione*. R. Longè aliud forum humanum & divinum, tum respectu justitiæ Dei, quæ severior, tum respectu potentiæ, quæ longè major, se extendens ad ipsas animas, atque ita ad pœnas ipsas spirituales.

6. *Modus iste puniendi repugnat gloriæ Dei, quia hac ratione in immensum cumulantur peccata*. R. Si cumulantur, hoc non fit culpâ Dei punientis, sed subjecti patientis vitio.

LOCUS X.

DE

FOEDERE GRATIÆ.

I.

Fœdus quid?

FOEdus Dei in genere est pactum, quo Deus homini bona quædam singularia promittit, atque officium stipulatur.

II. *Fœdus*

Nomen fœderis.

II. *Fœdus* dicitur à *fide*, quia in fœdere imponitur fides, & fœdus alia de causa initur, quàm ut inter partes fides consistet.

ברית

III. Hebræis dicitur ברית & deducitur à radice ברא quod in Pihel significat *dissecuit*, vel à בתר dissecuit, per metathesin literarum ת & ר quia in fœdere pangendo dissectione pecorum utebantur, & transitu per medias partes victimarum cæsarum, significantes, dissecandos pariter qui fœdus violarent, ut liquet ex Gen. 15. 10. 17.

διαθήκη.

IV. Apud Græcos vox fœderis exprimitur per διατίθημι; quæ ad omne fœdus & pactum referri quidem potest, ut: Luc. 1. 17. Act. 3. 25. & 7. 8. Rom. 9. 4. Gal. 3. 15. Heb. 8. 7. 8. 9. &c. Sed peculiariter cum fœderali pactione *Testamentariam dispositionem* notat, ut: Matth. 26. 28. 1. Cor. 11. 25. & præcipuè. Heb. 9. 15. 16. ubi dicit Paulus, *Christum factum fuisse Mediatorem N. T. ut, morte intercedente ad expiationem peccatorum præcedentium sub primo Testamento, vocati accipiant promissionem hæreditatis.*

εὐαγγέλιον.

V. Præter has voces frequentissimè etiam occurrit vox εὐαγγελίς, quod Hebræis טובה בשרה *bonum & lætum nuncium* quodcunque dicitur, sed κατ' ἐξοχὴν felici de adventu Christi in mundum, & fœdere gratiæ in eo inito, & salute per eum partâ nuncio, quo gratius dari non potest, tribuitur in Scriptura.

Fœdus gratiæ est mixtum ex Testamento & Fœdere.

VI. Fœdus gratiæ habet aliquid mixtum ex *Testamento & Fœdere*; unde non malè vocatur *Testamento fœdus*, *Fœdus Testamentarium*, & *Testamentum fœderale*. *Fœdus est*, quia ad modum fœderis conventio fit inter partes, & conditiones utrinque ponuntur, & à parte Dei, & à parte hominum, & mediator datur, qui partes dissidentes conciliet. Sed *Testamentum* etiam est. 1. Quia agitur de fœdere, quo promittitur hæreditas, quæ necessariò mortem Testatoris antecedentem postulat. 2. Quia in commodum nostrum tantùm fœdus istud percussum est, ut in Testamento non Testatoris, sed hæredum commodum attenditur; nec Deus de mutuis beneficiis, sed de suis tantùm paciscitur. 3. Quia licèt utrinque conditiones proponantur, unius tantùm partis, nim. Dei virtute & fidelitate executioni mandantur; unde solâ Dei gratiâ nititur, nullâ verò hominis dispositione & merito.

An vox διαθήκης

VII. Quær. An vox διαθήκης ex usu N. T. significet tantùm Testamentum, non verò etiam συνθήκην, seu fœdus

tantum notet Testamentum in N. T. an non innuat etiam fœdus?

& pactionem? R. Si sedulo expendantur loca N. T. ubi vox διαθήκης occurrit, significationem συνθήκης non modò non excludunt; sed & non rarò postulant necessariò. Luc. 1. 72. Act. 3. 25. mentio fit διαθήκης, quæ facta est cum Patribus in Abrahamo, quam rationem habuisse fœderis, negari non potest ex Gen. 17. 10. 11. unde fœdus illo sacramento obsignatum vocatur διαθήκη περιτομῆς. Act. 7. 8. Rom. 9. 4. Judæorum dicuntur esse διαθῆκαι, non utique Testamenta, quæ plura non fuerunt, sed fœdera, quæ sæpius renovata sunt. Gal. 4. 24. illæ sunt διαθῆκαι, duo fœdera, legale sc. & Evangelicum. Et quoties Christus vocatur Mediator διαθήκης, apud Heb. cap. 8. 9. & sanguis ejus sanguis διαθήκης, licet ratio Testamenti connoteretur, non potest nec debet excludi χάρις fœderalis, quia Testamentorum proprie non dantur sponsores, sed inter partes adversas mediator constituitur ad eas reconciliandas, & per fœdus inter se uniendas.

Fœdus inter Deum & homines non est proprium.

VIII. Propriè & strictè loquendo non potest dari fœdus inter Deum & hominem: Cùm enim fœdus has præcipuè conditiones postuler. 1. Ut personæ sint æquales, vel simpliciter, vel in certo saltem ordine. 2. Ut in sua potestate habeant bona, vel officia quæ sibi mutuò præstare debent, & ut quoad illa sint αὐτεξούσιοι. 3. Ut non sint obligatæ absque illa pactione ad officia illa præstanda. Certum est, fœdus Dei cum homine strictè loquendo intercedere non posse; 1. Quia nulla datur inter Deum & homines æqualitas vel proportio, ut nec inter bona, quæ Deus suo fœdere promittit, & officia, quæ homo præstare tenetur, ex quibus nihil utilitatis Deo accedit. Ps. 19. 2. 2. Quia homo nullo respectu est αὐτεξούσιος, & tenetur etiam absque ullo pacto ad obsequium Deo præstandum. 3. Quia homo ad id nihil ex se conferre potest, sed totum à Deo pendet, tam quoad bonum promissum, quàm quoad officium præceptum, ad quod præstandum Deus homini vires largitur. Deus tamen singulari gratiâ voluit cum homine fœdus inire, quod locum habeat *quasi contractûs*, ut in jure loquuntur.

Fœdera duo sunt.

IX. De salute verò duo sunt fœdera; alterum *operum*, quo homini intergo promittitur salus sub conditione perfectæ

perfectæ obedientiæ, *fac hoc & vives*; alterum gratiæ, quo lapsi hominis restitutio sancitur in Christo.

X. Doctiss. *Amyraldus*, & qui eum sequuntur tria dari volunt fœdera propriè dicta, quæ Deus cum homine contraxit: Primum *Naturale*, contractum cum Adamo integro in Paradiso terrestri. Secundum *Gratiæ* cum hominibus lapsis in Evangelio patefactum. Tertium *fœdus Legale*, quod cum Israelitis in monte Sinai per Mosen sancitum est, quodque fœdus vetus, vel *subserviens* dicitur, quia hoc iniit Deus cum ipsis, ad eos præparandos ad fœdus, & eos inflammandos desiderio promissionis & fœderis Evangelici, eosque simul velut injecto fræno à sceleribus reprimendos, ad illud usque tempus, quo Spiritum adoptionis missurus erat, & eos lege libertatis gubernaturus. Sed hic observandum. 1. Scripturam duorum tantùm fœderum meminisse, ut Gal. 4. 24. Sub allegoria Saræ & Agaris duo fœdera notat Paulus, Legale & Evangelicum. Heb. 8. ex Jer. 31. duo fœdera pariter recensentur, vetus, quod violatum est & irritum factum, novum, quod æternum est & immutabile. 2. Tot, & non plura possunt esse fœdera, quod sunt viæ & modi consequendæ felicitatis & communionis cum Deo, qui finis est proprius institutionis fœderis. At duo sunt tantùm tales modi, vel per obedientiam propriam & inhærentem, vel per imputatam, vel per opera, vel per fidem. 3. Quamvis fateamur, fœdus Sinaïticum, quoad modum dispensationis diversum fuisse à fœdere operum, & à fœdere gratiæ, quoad substantiam tamen & speciem tertium fœdus constituisse negamus, nihilque aliud fuisse pertendimus, quàm novam fœderis gratiæ œconomiam, ut idem sit reapse cum fœdere cum Abrahamo inito, sed diversum quoad accidentia & circumstantias, vestitum sc. quoad externam dispensationem formâ fœderis operum, per duram Legis promulgationem, non quidem in eum finem, ut cum peccatore fœdus operum denuò exigeretur; hoc enim impossibile fuit: sed ut fœderis operum violati recordatio fieret, adeòque Israëlitæ peccatum suum & maledictionem imminentem sentirent, & tantò ardentiùs redemtionis justitiam sitirent. Unde in eo mixtura fuit Legis & Evangelii; illa, ut terrorem incuteret peccatoribus; istud, ut conscientias contritas erigeret & solaretur. Fœ-

Non tria.

dus autem Sinaiticum non aliud esse à fœdere gratiæ, antea cum patribus inito, patet. α. *A parte Dei*, qui paciscitur cum Israëlitis tanquam ipsorum Deus, itemque ut Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi. Exod. 3. 6. Act. 3. 13. β. *A parte Israëlitarum*, qui spectabantur ut populus Dei, & semen Abrahæ. γ. *A Lege Ceremoniali*, quæ tota typica fuit, &c.

Partes contrahentes fœderis gratiæ.

XI. *Partes contrahentes*, seu subjectum fœderis gratiæ tres sunt: 1. *Deus offensus*, qui hic agit non ut in fœdere naturæ, quatenus *Creator* & *Dominus*, quia peccatum abolevit naturalem illam communionem, quæ Creaturam cum Creatore conjungebat. Nec *quatenus infinitam super res creatas* ὑπεροχὴν *obtinet*; quia tantam majestatem homo peccati reus, & ejus sensu perculsus, ferre non potuisset: Nec tanquam *Legislator*, & rigidus perfectionis moralis exactor, quia tales à Creatura corrupta non potuit expectari. Sed quatenus *misericors Pater* & *Redemtor*. 2. *Homo offendens*, qui hic spectatur non ut *Creatura* simpliciter, vel ut Creatura integra & justa, ut in primo fœdere; Sed ut *Creatura peccatrix*, offendens, ut homo in peccatis mortuus, iræ filius; & quidem non simpliciter; aliâs hoc fœdus deberet ex æquo ad omnes & singulos peccatores extendi; sed ut peccator miseriæ suæ sibi conscius, illius sensu perculsus, adeoque legaliter contritus. 3. *Mediator* hic intercedit Christus, hominem offendentem Deo reconcilians. In fœdere primo, quia nullum adhuc dissidium fuit inter Deum & hominem, nullo etiam opus fuit mediatore: sed in posteriori necessarius fuit, Deo propter justitiam suam hominem reum non ferente, & homine propter injustitiam suam ad Deum accedere non valente.

Res pactæ à parte Dei.

XII. Res hoc fœdere pactæ vel sunt à parte Dei, vel à parte hominum. *A parte Dei*, quòd futurus sit Deus noster, quod includit omnia Dei beneficia salutaria, sed quatuor præcipuè. 1. *Reconciliationem* & *communionem* cum Deo, per quam non tantùm nobis placatur, sed & seipsum nobis dat, ut deinceps sit noster tàm οὐσιοδῶς, quoad naturam & attributa, quàm ὑποστατικῶς, quoad Personas, & operationes personales. 2. *Communionem bonorum*, ut nostra sint omnia Dei bona, & quæcunque ad ipsum pertinent. 3. *Conformationem cum Deo*, per naturæ divinæ partici-

participationem, & transformationem in ejus imaginem. 4. *Conſtantiam* & *æternitatem* amoris Dei & unionis noſtræ cum ipſo. *Officia ab homine requiſita* ſunt, ut ſimus *ejus populus*, i. e. ut non tantùm ejus dominio ſubjiciamur; ſic enim omnes homines ejus ſunt populus, ſed illi per cultum & obſequium adhæreamus, ita, ut nihil ſimus, nihil habeamus, nihil poſſimus, nihil faciamus, niſi ad Dei gloriam: Quæ officia *fide* & *reſipiſcentia* comprehenduntur.

Fœdus operum & gratiæ in quo conveniant & differant?

XIII. Habet hoc fœdus cum fœdere operum commune. (1.) Quod ex bonitate Dei, ejusque beneplacito ortum ſit. Eph. 1. 15. (2.) Eandem glorioſam beatitatem promittit. Rom. 8. 3. (3.) Eamque certò eventuram. Heb. 6. 17. (4.) Omniaque hæc ad Dei gloriam. Eph. 1. 6.

XIV. Differt autem à priori. (1.) *Perſona* quicum contractum eſt; illic primus Adam, hic ſecundus. Pſ. 89. 4. (2.) *Rebus promiſſis*, illic tantùm gloria; hîc etiam gratia. Heb. 8. v. 9. 10. (3.) *Perſonis quibus*; Illic omnibus Adami, hic Chriſti. 1. Cor. 15. 22. (4.) *Mediatore*; illud nullum habuit, hoc Chriſtum. Heb. 7. 22. (5.) *Conditione*; illic, *ſi obedieris*, hic, quia Mediator ſiſtet animam pro vobis. Jeſ. 53. 10. 11. (6.) *Firmitate*; prius peccato rumpebatur, hoc peccatorum condonationem promittit. Pſ. 89. 29. (7.) Primum admittebat meritum hominis, alterum Mediatoris. Rom. 10. 4. (8.) *Tempore*; hoc in principio, illud ab æterno initum. Eph. 1. 3.

XV. In æterno hoc pacto conſtitutum eſt. 1. Quis futurus eſſet mediator. *Prov.* 8. 23. *Unctus ab æterno.* 2. Pro quibus. *Joh.* 17. 9. *Mihi eos dediſti.* 3. Quo modo & pretio. *Jeſ.* 53. 11. *Ubi animam poſuerit.* 4. Quando. *Gal.* 4. 4. *In plenitudine temporis.* 5. Quo ſucceſſu. 2. *Tim.* 1. 9. *Gratia & ſalus nobis daretur.* 6. Idque acceptum à Chriſto, *Pſ.* 40. 7. *Ecce me*; *ſed liberè. Phil* 2. 6. 7. Denique 7. omnia concluſa & ſancita. *Pſ.* 2. 6. *Jeſ.* 42. 1. *Beneplacitum.*

Diverſa œconomia fœderis gratiæ.

XVI. Hoc fœdus gratiæ Deus diverſimodè diſpenſare voluit, aliter in Veteri, aliter in N. T. *Oeconomiæ V. T.* triplex fuit articulus. 1. *Initium*, ab Adamo currens ad Abrahamum, ubi Prot-Evangelium per ſacrificia & ceremonias alias Patribus fuit confirmatum. 2. *Progreſſus*, ab Abrahamo ad Moſen, quando Meſſiæ nativitas magis declarata, terreſtris Canaan promiſſa, circumciſio inſtituta, & ad gen-

ad gentium rejectionem via strata fuit. 3. *Complementum*, à Mose ad Christum, quando longè clariùs Messias descriptus, Israël in possessionem typicam introductus. Pascha circumcisioni additum, moralis lex solenniter repetita, ceremonialis multùm adaucta, atque Israël solus in populum peculiarem assumtus fuit. In *Novo Testam.* Messias præsens exhibetur, gratia ejus, legis rigore cessante, palàm prædicatur, ceremoniarum umbræ corpori cednnt, liberaliter tractanrur fideles adulti, uberiorem Spiritûs gratiam potissimùm nacti; latissimeque ad fines terræ regnum Dei extenditur. Habet verò Fœdus hoc Novum non minùs quàm Vetus suos gradus, quibus paulatim perfectum est ipsum, & Vetus aboletum. Sumit enim *initium* ab incarnatione Christi, *progressum* ab ejus manifestatione, per Johannis Baptistæ prædicationem. Tandem *consummationem* accepit, de jure, in Christi morte, & secuta mox resurrectione.

Vet. T. protenditur ab Adamo ad Christ.

XVII. Sunt nonnulli, quibus magis arridet τριχοτομία, ut consideretur Fœderis gratiæ administratio. 1. *Sub promissione* ante Legem, à Prot-Evangelio ad Mosem, quam promissionem meræ gratiæ & libertatis fuisse contendunt, sine ullo jugo, & Legis accusantis genere. 2 *Sub Lege*, à Mose ad Christum, ubi volunt demùm incipere Vet. Test. cujus hæreditas sit terra Canaan. 3. *Sub Evangelio*, ubi incipit Novum. Sed non putamus, recedendum esse à recepta sententia, quæ διχοτομίαν retinet, & primam œconomiam ante Christum Veteris Testamenti notione designare solet. 1. Quia ex usu Scripturæ Promissio non tantùm refertur ad tempus ante Legem, sed extenditur ad omnia secula sequentia sub Lege, usque ad Christum. Unde Petrus Judæis sui temporis dicit: *Vobis facta est promissio, & liberis vestris. Act.* 2. 39. & *Israëlitarum* dicuntur *promissiones. Rom.* 9. 4. 2. Veteris Testamenti nomenclatio non restringitur ad œconomiam Mosaicam, sed extenditur ad totam dispensationem, quæ Christum antecessit, ab ipso hominis lapsu, & promissione illi datâ. 2. *Cor.* 3. 14. *Usque ad diem hodiernum in lectione Veteris pacti manet non retectum velamen.* &c. Unde Christus. *Heb.* 9. 15. dicitur *Mediator constitutus ad expiationem transgressionum quæ factæ fuerunt sub priori Testamento*; non utique tantum sub Lege, sed jam ab initio mundi. & c. 8. 13. V. T. vocatur quic-

Act. 2. 39.
Rom. 9. 4.
2. Cor. 3. 14.
Heb. 9. 15.
Heb. 8. 13.

quicquid antiquandum est, non modò Ceremoniæ à Mose primò latæ, sed sacrificia & circumcisio, quæ ante legem scripram jam obtinebant. Si verò œconomiæ Mosaicæ peculiari ratione pactio Veteris Testamenti attribuitur aliquando, hoc tantùm fit ratione illustrioris confirmationis.

Quomodo differant V. & N. Fœdus?

XVIII. Quær. Quomodo differant inter se V. & N. Fœdus? An Essentialiter, & quoad substantiam Doctrinæ, an accidentaliter, quoad dispensationis modum? Res. *Vetus Fœdus* sumitur vel *latè*, vel *strictè*. *Late* notat in genere totam dispensationem, sub quâ vixerunt Patres ab initio mundi usque ad Christum, quæ doctrinam gratiæ Veteribus traditam continebat, quæ populo salutem & vitam promittebat, palàm quidem sub conditione perfectæ obedientiæ Legi morali præstandæ, & interminatione mortis transgressoribus, unà cum onere intolerabili cæremoniarum, & jugo arctissimæ politiæ Mosaicæ; tectè verò sub conditione pœnitentiæ & fidei. *Strictè* verò designat fœdus operum, seu Legem moralem, per Mosen datam, addito onere διαταγῶν cæremoniarum legalium, præcisè & seorsim à promissione gratiæ. Prior significatus est proprius & per se, si scopus & intentio Legislatoris spectetur; quia vetus fœdus, seu legalem dispensationem dedit, non ad abolendam promissionem, sed ad deducendum ad Christum. Posterior est accessorius & accidentalis, natus ex ignoratione finis veri, & fictione falsi. Verus finis fuit Christus, ad justitiam omni credenti. Rom. 10. 4. Sed hunc finem non assecuti sunt Judæi justitiarii, quia sub velamine proponebatur. 2. Cor. 3. 14. i. e. sub involucro typorum & figurarum: Unde finem falsum commenti sunt, statuendo, Legem latam, ut per ejus observationem justificarentur coram Deo; contra quem errorem passim disputat Apostolus, ex illa hypothesi Legem strictè sumendo, & promissioni opponendo.

Quomodo sumatur Vet. Fœdus latè. Strictè

Novum Fœdus latè sumitur vel strictè.

XIX. *Novum fœdus* etiam sumitur vel *latè*, pro fœdere gratiæ in genere cum peccatoribus inito, quod locum habuit tam sub Veteri quàm sub N. T. Vel *strictè*, pro fœdere gratiæ, post manifestationem Christi in carne promulgato, quod ad finem seculi durare debet.

Sententiæ reformatorum conciliantur.

XX. Qui ex nostris, ut *Rollocus*, *Piscator*, *Trelcatius*. &c. duo fœdera faciunt substantiâ diversa, strictè accipiunt vetus fœdus, promissionem gratiæ non modò separando

parando ab eo, sed etiam ei opponendo; ut fœdus vetus sit fœdus operum, novum verò fœdus Evangelicum & fidei. Qui verò unum solùm statuunt, ut *Calvinus*, *Martyr*, *Ursinus*, sumunt vocem fœderis latiùs, ut gratiæ quoque promissionem, licèt obscuriùs complectitur; Et quia promissio illa diversimodè dispensata fuit ante & post Christum, distinguunt in duo, vetus & novum, distributione non generis in species, ut priores, sed subjecti secundùm accidentia, quod alii non negant; ut dissensus sit tantum in diversa terminorum usurpatione, sed non in reipsa.

Sententia Lutheranorum de discrimine V. & Nov. Fœderis.

XXI. *Lutherani* in assignando V. & N. T. discrimine à Nostris etiam dissident, & mota ab ipsis circa hoc caput Quæstio occasione Controversiæ Sacramentariæ, dum pertendunt, duo illa fœdera non modò distingui substantiâ, sed etiam à V. Fœdere prosus excludunt promissionem gratiæ, & accusant nostros, quod indeclaranda Vet. Fœderis naturâ errârint. Ut vero facilè largimur ipsis, Vet. Test. & Fœdus Mosaicum *strictè* sumtum, & *præcisè* quoad χάριν legalem, totâ substantiâ à N. differre, unde Lex Gratiæ, & Moses Christo opponuntur à Johanne. Evang. c. 1. 17. & à Paulo Litera & Spiritus, ministerium condemnationis & justitiæ. 2. Cor. 3 6. 7. Ita pertendimus *latè* sumtum, & cum altera χάρις Evangelica, vestitum puta circumstantiis suis pædagogicis œconomiæ Mosaicæ, non diversum fuisse quoad substantiam, sed tantùm quoad dispensationis modum. Quod & ipsi negare non possunt, quia agnoscunt, ante exhibitum Christum in carne viguisse jam in Ecclesia Doctrinam de Christo, nec Patres V. T. aliâ viâ quàm gratiâ Christi servatos esse; Non negant etiam, utrumque fœdus egisse de Christo θεανθρώπῳ, sed dispari modo. Hoc verò posito, quis non videt, discrimen esse tantùm in modo dispensationis, non in ipsa doctrinæ substantia?

Vera sententia de discrimine V. & N. Fœderis.

XXII. Nos discrimen inter V. & N. T. latè spectatum statuimus tantùm *accidentale*, non *essentiale*, quoad circumstantias, modum & gradum rei, non quoad rem ipsam, quæ utrobique eadem fuit: Et quidem 1. *Ratione Temporis*, quia vetus præcessit Christum, novum eum sequitur; illud respexit Christum exhibendum & venturum; Istud jam exhibitum & manifestatum. 2. *Ratione claritatis & obscuritatis*, quia in Novo longè clariùs proponuntur mysteria, sublatis ceremoniarum & typorum velis &

um-

umbris. 3. *Ratione Facultatis*, quia administratio & λατρεία longè fuit operosior in Veteri, quàm in Novo Testamento, cujus Sacramenta numero sunt pauca, augusta significatu, observatu facillima. 4. Ratione *Suavitatis*: Quia in V. T. frequentius urgebatur lex, ejusque perfecta obedientia, non quidem exclusis promissionibus Evangelicis, sed tamen eo fine, ut rigorosâ illâ obedientiæ exactione populus adhuc infans, quasi sub tutela contineretur, & ad quærendum Christum compelleretur: At in Novo frequentiores sunt promissiones Evangelicæ, non tamen exclusâ Lege ad novam obedientiam regenerationis gratiâ præstandam impellente. 5. Ratione *Perfectionis*: Quamvis enim perfectionem Essentialem Vetus Testamentum habuerit, quoad substantiam fœderis gratiæ; non habuit tamen perfectionem accidentalem, quoad gradum, quia tota illa œconomia typica fuit, & umbratilis. 6. Ratione *Libertatis*; licèt enim Patres essent filii Dei, atque eo nomine Domini & hæredes, non differebant tamen à servis, quoad externam dispensationem, ut infantes & minorennes sub Legis dura & rigida pædagogia detinebantur, &c. 7. Ratione *Amplitudinis*; Quia V. T. ad unam gentem restringebatur; sed Novum indiscriminatim ad omnes extenditur. 8. Ratione *Durationis*; quia Vetus fuit antiquandum: At N. Test. est immutabile, & perpetuò duraturum, ad consummationem usque seculi.

An fœdus gratiæ sit conditionatum?

XXIII. Quær: An Fœdus gratiæ sit conditionatum? R. Quæstio mota fuit superiori seculo, occasione controversiæ justificationis adversus Pontificios inter ipsos Evangelicos, quorum alii negabant, promissiones Evangelii, seu fœderis gratiæ esse conditionales; alii verò affirmabant. Illi quidem, ne confunderetur Lex cum Evangelio, & promissiones utriusque: Isti verò, ne fidei & sanctitatis necessitas relaxaretur, & Libertinismus introduceretur. Sententiæ sequentibus distinctionibus componuntur. 1. *Conditio* sumitur vel *antecedenter*, & *à priori*, pro ea, quæ habet vim causæ meritoriæ & impulsivæ ad obtinenda beneficia fœderis, quæ præstita homini jus dat ad præmium; vel *concomitanter & consequenter*, *à posteriori*, pro ea, quæ habet rationem *medii & dispositionis in subjecto*, quæ requiritur in fœderatis. 2. *Conditio* est vel *naturalis*, fluens ex propriis naturæ viribus, vel *supernaturalis* & divina, à gratia pendens. Priori sensu fœdus gratiæ non est conditio-

ditionatum, sed bene ita potest dici posteriori sensu. 1. Quia cum conditione expressa proponitur. *Joh.* 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut quivis qui credit,* &c. *Rom.* 10. 9. *Si professus fueris ore tuo Dominum,* &c. *Marc.* 16. 16. *Qui crediderit & babtizatus fuerit, servabitur.* 2. Quia nisi esset conditionatum, comminationibus non foret locus in Evangelio, quæ non possunt denunciari, nisi adversus eos, qui conditionem præscriptam neglexerint. 3. Quia aliâs sequeretur, Deum in hoc fœdere obstrictum esse homini, non autem hominem Deo, quod absurdissimum & contrarium naturæ omnium fœderum, in quibus datur reciproca obligatio.

Obj. *Ita confunduntur promissiones Legis & Evangelii.* R. Manet multiplex discrimen. 1. *In materia*, quia conditio legalis est integra & perfecta legis obedientia; sed Evangelica est fides, non expers omnis nævi, sed viva & sincera. 2. *In origine*, quia conditio legalis debebat esse naturalis, fluens a propriis naturæ viribus; sed Evangelica est supernaturalis, pendens à gratia: Illa præcipiebatur tantùm, sed non dabatur, vel promittebatur; sed ista & præcipitur & promittitur ac datur. 3. *In fine*: Conditio Legalis habet rationem causæ meritoriæ: Evangelica non, sed est tantùm organum, quo apprehenditur res promissa.

Fides & resipiscentia quo modo sint conditiones fœderis gratiæ.

XXIV. Conditiones istius fœderis sunt: *Fides & resipiscentia.* Fides consideratur non absolutè & secundùm suam naturam & essentiam, quatenus Lege præcipitur, perinde ut aliæ virtutes; contradistinguitur enim operibus Legis: sed spectanda est *relative & instrumentaliter*, quatenus Christum amplectitur. *Resipiscentia* verò non sumitur *strictè & proprie*, pro tali conditione, quæ habet causalitatem aliquam ad vitam; hoc enim sensu fides est sola conditio fœderis, quia sub hujus solius conditione remissio peccatorum & salus promittitur: sed sumitur *late & improprie*, quatenus conditio sumitur pro iis omnibus, quæ homo in fœdere gratiæ tenetur præstare. Non est conditio *antecedens* acceptationem fœderis, quæ habeat rationem causæ, ut in illud recipiamur; sed *subsequens*, quæ habet rationem medii & viæ, per quam tendimus ad ejus consummationem.

CON-

CONTROVERSIA I.

An Deus post lapsum fœdus gratiæ iniverit cum omnibus & singulis hominibus? Neg. cont. Patronos Gratiæ universalis.

Fœdus gratiæ non est universale

Quia fœdus gratiæ considerari potest bifariam, vel ratione *promulgationis*, seu oblationis externæ in gratiâ *objectivâ*, vel ratione *collationis*, seu receptionis internæ in *gratia subjectiva*; Hinc fit, ut quidam fœdus istud universale statuant ratione utriusque, quatenus pertendunt, gratiam objectivam & subjectivam sufficientem dari omnibus & singulis, ut servari possint, si velint, ut *Sociniani* & *Remonstrantes*, & alii, qui Pelagianismo militant, contra quos aget sequens Controversia. Alii verò universalitatem fœderis extendunt tantùm ad gratiam objectivam, non verò subjectivam, quales sunt illi ex nostris, qui Gratiam Universalem amplectuntur. *Orthodoxi* fœdus gratiæ universale esse negant, non modò quoad acceptationem & collationem, sed nec quoad promulgationem aut oblationem, quæ, licèt latior aliquando fuerit, & generalior, nunquam tamen absolutè universalis fuerit, vel dici possit.

ARGUMENTA.

1. Ex ejus *destinatione*. Quia nullum in Deo datur propositum universale miserendi totius generis humani, ut supra, Loco de Prædest. probatum. Ut E. ab æterno nullum tale fœdus in consilio Dei destinatum est, ita nec in tempore contrahitur.

2. Ex ejus *procuratione*. Quia satisfactio Christi, quæ procurat nobis hoc fœdus, & quâ ut fundamento nititur, particularis fuit, ut suo loco probabitur.

3. A *promissionibus fœderis*; Quia ad eos tantùm fœdus gratiæ pertinet, ad quos pertinent promissiones in illo expressæ. At tantùm pertinent ad electos, quibus bona, promissionibus illis comprehensa conferuntur.

4. A *promulgatione* fœderis, quæ non fuit universalis in V. T. Quis enim nescit, Deum fœdus hoc ad solam familiam Abrahami & populum Israëliticum restrinxisse, exclusis aliis populis? qui propterea dicuntur *Lohammi*, *non populus*. *Hos.* 1. *Rom.* 9. *extranei à fœderibus*. *Eph.* 2. 12. *quibus non dedit statuta sua ut Iacobo*. *Ps.* 147. 19. 20. *Sed*

Eph. 2. 12. Ps. 147. 19. 20.

quos sivit propriis viis inducere. Act. 14. In N. T. major quidem est amplitudo istius fœderis, non tamen est universale, cùm innumeri adhuc hodiè superstint qui in tenebris Paganismi jacent, qui nihil unquam de Christo & fœdere gratiæ audiverunt.

OBJECTIONES.

Gen. 3. 15. 1. *Gen.* 3. 15. *Totum semen Evæ in fœdus receptum.* R. Tantum abest, ut prima illa promissio Evangelica fuerit universalis, ut ex variis particularem fuisse non obscurè colligitur. 1. Quia agitur de *semine mulieris*, non simpliciter & in tota sua latitudine, quo sensu homines notat quâ tales, sed comparatè & contradistinctè ad semen serpentis, tali scilicet, cui intercedere debeat inimicitia cum Serpente & ejus semine, quod contriturum sit caput serpentis, i. e. quod destructurum esset regnum & opera Diaboli. At illud tantùm ad Christum & eos qui sunt Christi pertinet. Heb. 2. 14. 15. ad semen scil. *individualiter* & *antonomasticè* sumtum, cui primariò hoc competit, & secundariò ad illud collectivè sumtum pro corpore illus mystico, seu fidelibus, *pro quibus*, *in quibus*, *& à quibus* caput Serpentis & post caput semen illusis virtute vel contritum est, vel conterendum. 2. Quia in Nov. Test. hoc explicatur de fidelibus exclusive ad alios. *Rom.* 16. 20. *Deus conteret Satanam sub pedibus vestris citò* 1. *Ioh.* 2. 13. *Scribo vobis adolescentes, quoniam improbum illum vicistis. Apoc.* 12. 11. *Ipsi* (fideles) *vicerunt eum* (Draconem) *per sanguinem agni.* 3. Impii per Semen Serpentis designantur. E. non possunt sub semine mulieris contineri; Unde passim Scriptura eos vocat υἱὸς πονηροῦ. *Ioh.* 8. 44. 1. *Ioh.* 3. 8. *Act.* 13. 10. *Progenies viperarum. Matth.* 3. Quis verò dixerit, Semen mulieris esse, quibus perpetua intercedit inimicitia cum eo, qui ejus calcaneum observant & lædunt, & qui non modò caput Serpentis non conterunt, sed in quibus serpens & caput & venenum exerit?

Gen. 9. 11. 2. *Gen.* 9. 11. *Post diluvium cum omnibus initum est.* R. Licèt promissio facta Noacho, seu fœdus cum ipso initum. Gen. 6. 18. quoad præservationem mundi à diluvio fuerit universale, quod ad bruta etiam extenditur. Gen. 9. 10. 11. Non sequitur fœdus gratiæ cum ipso renovatum quoad salutem æternam fuisse ejusdem latitudinis, cùm expressè restringatur ad Semum. Gen. 9. 26. cui tandem con-

Gen. 6. 18.

Gen. 9. 26.

sociare

sociandus sit Japhet sive posteritas ejus; Chamo & Canaane exclusis ab eo, & maledictioni addictis. v. 25. Imò Gentes ex filiis & nepotibus Noachi oriundæ, sic ab invicem separantur, ut pleræque etiam discedant ab Ecclesia cap. 10. 11. 12.

CONTROVERSIA II.

An posito hoc fœdere Deus omnibus & singulis det gratiam sufficientem, quâ salvari possint? Neg. cont. Soc. Pontif. Rem.

Omnibus & singulis gratia sufficiens ad salutem non datur.

Præcedens quæstio egit de gratia sufficiente *objectiva & externa*. Hæc agit de *subjectiva & interna*. Quæ sit adversariorum mens, præcedente quæstione exposuimus. Hîc apponimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Plurimi Evangelium non habent; non ergo gratiam sufficientem. *Rom.* 10. 14. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderint? Quomodo autem credent ei, de quo non audierint? Quomodo autem audient absque prædicante?* Rom. 10. 14. *Ps.* 147. 19. 20. *Indicat verba sua Iacobo, statuta sua & jura sua Israeli: Non fecit illa ulli genti, ideoque jura ista non noverunt. Matth.* 10. 5. *In viam Gentium ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini.* Ps. 147. 19. 20. Matth. 10. 5.

2. Multis non datur posse credere. *Matth.* 11. 25. *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cœli & terræ, quòd hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus.* Matth. 11. 25.

3. Multi indurantur, atque ideò non possunt credere, *Ioh.* 12. 39. *Propterea non poterant credere, quia dixit Esajas: Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum* &c. *Rom.* 9. 18. *Cujus vult, misereatur, quem vult, indurat. C.* 11. 8. *Dedit eis Deus spiritum soporis, oculos ut non cernant, aures ut non audiant.* Joh. 12. 39. Rom. 9. 18. C. 11. 8.

4. *Sedent in tenebris & umbra mortis. Matth.* 4. 15. Matth. 4. 15.

5. Irregeniti, qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Rom. 8. 8. Rom. 8. 8.

6. Alioqui omnes spem salutis habere possent, contra *Eph.* 2. 12. *Spem non habentes.* Eph. 2. 12.

OBJECTIONES.

1. *Omnes habent cognitionem Dei. Rom.* 1. 20. R. Agitur tantùm Rom. 1. 20.

tantùm de γνωστῷ, non de πιστῷ, quod solum est salutare. 2. Paulus dicit Τὸ γνωστὸν Dei patefactum esse Gentibus, sed non πᾶν γνωστὸν, illud sc. quod haberi potest ex libro naturæ, non autem illud omne quod de Deo cognosci potest ex verbo. 3. Restringitur ad Apostolo illud γνωστὸν ad *potentiam* Dei & *ejus Divinitatem*, i. e. ad cognitionem existentiæ Dei, & illorum attributorum quæ in operibus Creationis & Providentiæ in sensus magis incurrunt; sed non extenditur ad cognitionem voluntatis & misericordiæ ejus in Christo, quæ ex verbo tantùm haberi potest, & sine qua nulla est salus.

2. *Inexcusabiles esse debent.* R. Quod sufficit ad ἀναπολόγησιν, non statim sufficit ad salutem: plura enim requiruntur ad salutem conficiendam, quàm ad damnationem justè & ἀναπολογήτως incurrendam; malum enim ex quolibet defectu oritur: At bonum requirit integram causam.

Ap. 3. 20. 3. *Apoc.* 3. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso.* R. Non tamen sequitur, hominem habere gratiam & vires sufficientes aperiendi ex se; nam vel adstat regenitis, & pulsat ut utantur gratiâ jam collatâ, ad aperiendum per fidem & obedientiam; vel irregenitis, qui sunt vel electi, quibus pulsando dat per spiritum vires aperiendi, vel reprobi, quorum cor non frustra pulsatur, ut pateat, hominem justè damnari, cùm Deus nihil intermiserit eorum, quæ ad conversionem ipsorum faciebant.

CONTROVERSIA III.

Sine Christo nulla salus.

An ergo nemo sine mediatore Christo, ejusque cognitione salvari possit? Aff. cont. eosdem.

Quænam sit adversariorum mens, jam supra exposuimus, Loc. I. cùm egissemus de Theologia naturali. Nunc sequentia opponimus

ARGUMENTA.

1. Christus non justificat nec salvat, nisi *per cognitionem sui.* Iesa. 53. 11. *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos.* Joh. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te.* &c.

Iesa. 53. 11. Joh. 17. 3.

2. Nulla salus est sine fide in Christum. *Joh.* 8. 24. *ni credideritis me eum esse, moriemini in peccatis vestris.* Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizabitur, salvabitur.*

Joh. 8. 24. Marc. 16. 16.

3. Christus tantùm *per fidem habitat in cordibus nostris.* Eph.

Eph. 3. 17. In quibus nisi habitet, nulla est salus. 1. *Ioh.* 5. 12. *Qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* Eph. 3. 17. 1. Joh. 5. 12.

4. Ut ramus seorsim ab arbore, ita homo extra Christum nihil potest, sed mori cogitur. Joh. 15. 5. 6. Gentes autem, quæ Christum ignorant, extra eum sunt. Eph. 2. 12. Joh. 15. 5. 6.

5. *In nullo alio est salus. Act.* 4. 12. Act. 4. 12.

OBJECTIONES.

1. *Heb.* 11. 31. *Rahab meretrix.* R. Quasi Messiam venturum non crediderit, quæ assumsit Religionem Judaicam, & nupsit Judæo. Matth. 1. 5. Heb. 11. 31.

2. *Ninivitæ crediderunt Deo. Ionæ.* 3. 5. R. Etiam Diabolo credunt, & horrent. Jac. 2. 19. Ita homo horrore & metu pœnæ à sceleribus desistere potest, & politicè honestè vivere. Jon. 3. 5.

2. *Cornelius erat Gentilis, & tamen eleemosynæ ejus in conspectum Dei venerunt, & vocatur* Δίκαιος, εὐσεβὴς, καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν. *Act.* 10. 1. R. Fuit Cornelius gentilis origine, sed religione proselytus, qui in Messiam venturum cum Judæis crediderat, licet ullum esse Jesum nondum sciret. Habuit E. cognitionem Christi implicitam, si non explicitam. Act. 10. 1.

4. *Gentes quæ sunt Legis, faciunt. Rom.* 2. 14. 15. R. Aliud est facere quæ sunt Legis quoad *præceptionem*, i. e. fungi officio Legis, jubendo, prohibendo, promittendo & minando: Aliud verò facere ea quoad *obedientiam*, implendo ejus mandata. Prius dicitur de Gentilibus, quia cùm non habeant Legem scriptam, sunt sibi ipsis Lex, conscientia quippe in ipsis facit quæ sunt Legis, præcipiendo & prohibendo. Inst. *Cogitationes ipsorum dicuntur eos excusare.* R. Non intelligendum est in foro poli, sed soli, nec à *toto*, sed à *tanto*, in iis, qui à gravioribus sceleribus abstinendo, cæteris non sunt quidem absolutè meliores, sed tantùm minùs mali; aliâs Paulus procul esset à scopo suo, qui Gentiles sine Lege peccantes sine Lege perituros ibidem pronunciat. Rom. 2. 14. 15.

5. *Zuinglius Herculem, Theseum, Numam, Aristidem, Socratem*, &c. *cælo adscripsit.* R. Potius erravit in facto quàm in jure, non quasi senserit januam salutis patere extra Christum, sed quia speravit misericordiam divinam modo nobis occulto fidem aliis instillâsse, quos virtutibus aliâs heroicis tam egregiè illustrâsset, quod patet ex eo, quòd

expresè loquitur de iis, qui *in fide migrârunt*. Unde ad Urbanum Rhegium To. 2. p. 109. sic ita declarat. *Quid enim scimus, quid fidei quisque in corde suo Dei manu scriptum habeat.*

CONTROVERSIA. IV.

Revelatio Evangelii non pendet ex bono usu donorum naturalium.

An revelatio Evangelii pendeat ex bono usu donorum naturalium; seu; an si homo faciat quæ per naturam potest, Deus eum ulteriori gratiâ, & revelatione Evangelii donaturus sit? Neg. cont. Pel. Jesuitas. Rem.

Adversarii distinguunt inter *sufficientiam mediatam* & *immediatam*, quasi Gentiles, qui non potuerunt habere revelationem sufficientem immediatè, habuerint tamen sufficientem mediatè, quatenus supponunt, si aliquis bene usus fuisset lumine naturæ, Deum superadditurum fuisse lumen gratiæ; hoc enim decere misericordiam ejus. Nos opponimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Vocatio & regeneratio *non sunt secundùm opera quæ fecimus.* 2. *Tim.* 1. 9. *Non ex operibus, sed ex suo proposito & gratia. Tit.* 3. 4. 5. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus, sed ex sua misericordia nos servavit. Rom.* 11. 5. 6. *Quòd si ex operibus, non ex gratia, si ex gratia, non ex operibus* &c.

2. Tim 1. 9. Tit. 3. 4. 5. Rom. 11. 5. 6.

2. *Non est volentis nec currentis, sed miserentis Dei. Rom.* 9. *v.* 16. 24. *&* 10. *v.* 20.

Rom. 9. 16.

3. *Deus incipit in nobis bonum:* non nos. *Phil.* 1. *v.* 6.

Phil. 1. 6.

4. Tum dici non posset: *Quis prior dedit ei, & retribuetur? Rom.* 11. 35.

Rom. 11. 35.

5. Sapientissimi Philosophi Græci & Romani vocati non sunt, sed idololatra Abraham, Rahab, Latro, Paulus, &c.

OBJECTIO.

Habenti dabitur. Matth. 13. 12. R. Non agitur de donis naturæ, sed gratiæ: Nam ratio redditur à Christo, cur Apostolis datum esset nosse mysteria regni cœlorum, aliis autem non esset datum, quia *habenti dabitur, & abundabit, sed non habenti etiam quod habet,* ὃ δοκεῖ ἔχειν, *quod videtur habere*, ut Lucas exponit, *auferetur.* Isti autem *non habentes* à Marco designantur per eos qui *foris* sunt Marc. 4. 11. qui opponuntur habentibus qui sunt *intus*, i. e. veris electis,

Matth. 13. 12.

electis, qui sunt in Ecclesia. Ut innuat sc. Christus, concatenata esse inter se Dei beneficia salutaria, ut qui primum semel acceperit, illi cætera sit additurus, donec omnium donorum mensura in eo completa sit, ut in catena ex tractu primi annuli cæteros necesse est trahi.

CONTROVERSIA. V.

Deus conditiones fœderis in nobis præstat?

An Deus conditiones fœderis ipse in nobis præstet? An verò fœdus pendeat ab aliqua conditione à fœderatis præstanda? Prius. aff. Post. Neg.

contra eosdem.

Adversarii obtendunt, Fœdus Evangelicum considerari debere vel ut *absolutum*, præstitâ conditione, vel ut *conditionatum*, hoc est, ut spectat ad eos, à quibus conditio exigitur nondum præstita: Et supponunt, fœdus gratiæ cum illis etiam initum esse, à quibus Deus conditionem illi annexam exigere tantùm vult, non verò in illis efficere. Nos, quamvis concedamus, fœdus gratiæ conditionatum dici posse quodam sensu, (ut antea explicuimus) quatenus conditionem habet sibi subordinatam etsi à Deo absolutè efficiendam, cujus interventu res promissa detur; absolutum tamen est, tum à priori, quia nullam causam habet, præter liberrimam Dei voluntatem, tum à posteriori, quia Deo constitutum est, ipsam conditionem sine alia conditione certò & infallibiliter omnibus fœderatis dare. Hoc enim est inter alia discrimen inter fœdus gratiæ & Legale, quòd istud vitam promittat sub conditione quam exigit ab homine, non efficit; illud verò salutem sub conditione fidei, quam exigit ab homine, & efficit in ipso. Quæstionis verò propositæ sequentia sunt

ARGUMEMTA.

1. Promittitur novus Spiritus, & novum cor, quo non recedemus à Deo. Ezech. 36. 26. Jer. 32. 39. 40.

2. Deus in F. N. homini lapso dicit, *ego ero Deus tuus.* Heb. 8. 10. ad quod omninò requiritur, ut gratiam & gloriam det. Ezech. 36. 26. Jer. 32. 39. 40.

3. Si esset conditionatum, tunc locum haberet illud, *fac hoc, & vives*; adeoque hoc fœdus ejusdem formæ esset cum fœdere operum.

4. Nulla conditio ab homine mortuo exspectari potera-

rat: Et ridiculum esset cum eo pactum inire, *si tu revivisscas, dabo tibi vitam.*

OBJECTIO.

Frustra petitur ab homine, respisce, & crede Evangelio, si hæc promittuntur: Conditio enim non est conditio, quæ ab eo, qui eam præscribit, in eo cui præscribitur, efficitur. R. Non manet conditio ab homine suis viribus præstanda.

CONTROVERSIA VI.

Fœdus gratiæ unum est quoad substantiam in V. & N. Test.

An unum & idem fœdus gratiæ quoad substantiam fuerit in utroque Testamento? Adeoque Patres V. T. ejusdem fœderis participes fuerint, easdemque spirituales promissiones habuerint?

Aff. cont. Soc. Anab. Remonst.

Non quæritur: An fœdus gratiæ varium fuerit quoad accidentalia, & diversos dispensationis ac patefactionis modos. Sed an idem fuerit quoad *substantiam*, & partes Essentiales fœderis? Nec quæritur: An Patres V. T. salvati sint? An illis remissa fuerint peccata? An spem aliquam vitæ æternæ habuerint? An Christus ipsis prædictus fuerit? Hoc enim negare non sustinent plerique ex adversariis: Sed, an ad Christum respexerint, & in spe illius venturi servati sint? An promissiones non tantùm temporales, sed etiam spirituales & cœlestes de vita æterna, & Spiritu S. ipsis datæ fuerint? Et, an idem quod nobiscum in Christo initum est fœdus, cum ipsis jam contractum fuerit, licèt obscuriùs & tectiùs? Quod negant, nos asserimus, statuentes, Christum non tantùm Patribus prædictum, sed & promissum fuisse, & per gratiam ejus non minùs salvatos fuisse in V. T. quàm nos salvamur in Novo.

ARGUMENTA.

1. Quia Scriptura fœdus gratiæ quod Deus nobiscum contraxit in N. T. idem esse docet cum fœdere jam olim cum Abrahamo inito. Hinc Zacharias in Cantico suo, Luc. 1. 68. 70. 72. 73. ait: *Deum visitâsse & redemisse populum suum, juxta id quod promiserat per os Sanctorum Phrophetarum, qui fuerunt ab omni ævo, ad faciendam misericordiam erga Patres, & recordandum sancti fœderis juxta jusjurandum factum Abrahamo.* Et Petrus. *Act.* 3. 25. Judæos allo-

Luc. 1. 68. 70. 72. 73.

Act. 3. 25.

alloquens de diebus Christi, qui ab omnibus Prophetis prædicti fuerant, ait: *Vos estis filii Prophetarum & fœderis facti cum Patribus, dicendo Abrahamo: In semine tuo benedicentur omnes gentes*, &c. Et Paulus promissionem Evangelii nomine insignit. *Gal.* 3. 8. *Prævidens Scriptura, quòd ex fide justificat Gentes Deus, præevangelizavit Abrahamo, dicens: In te benedicentur omnes gentes:* Unde justificationem Abrahæ per fidem in exemplum nostræ affert. Rom. 4. 3. & ipsum ut *Patrem credentium* Judæis & Gentibus proponit, imò v. 17. promissionem datam Ahrahæ vocat *fœdus primò ratificatum à Deo in Christo.* Gal. 3. 8. Rom. 4. 3. v. 17.

2. Idem est mediator in V. & N. T. *qui idem est heri, hodie, & in secula. Heb.* 13. 8. *per cuius gratiam Patres non minùs servati sunt ac nos. Act.* 15. 10. 11. *Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus servari καθ' ὃν τρόπον κακεῖνοι. Quemadmodum & illi.* Huc pertinet, *quòd nullum nomen datum est præter nomen Iesu ad salutem. Act.* 4. 12. Inde Christus dicitur *agnus mactatus ἀπὸ καταβολῆς κοσμοῦ. Ap.* 13. 8. non in se, sed *intentionaliter* in Decreto Dei, *objective*, in promissionibus verbi & fide Patrum; *typice* in sacramentis & sacrificiis. Heb. 13. 8. Act. 15. 10. 11. Act. 5. 12. Ap. 13. 8.

Exc. ad loc. Heb. 13. 8. *Heri notat tantùm dies carnis ante ascensionem.* R. Hoc repugnat scopo Pauli, qui est hortari ad fidei constantiam, argumento petito ab identitate & perpetuitate doctrinæ Evangelicæ, cujus Christus mediator objectum est. Exc. 2. Heri & hodie notat rem nuperam & recentem. R. Aliud est esse *ab heri*, & *nudiustertius*; sed hîc Christus dicitur jam heri fuisse, & hodie esse, ac in æternum, per omnes temporis differentias, ad ejus æternitatem designandam; nec tantùm dicitur heri, hodie, & in secula, sed idem, i. e. non alius & alius, vel nunc, vel tum, vel postea, sed semper & ubique idem Christus.

Exc. ad loc. Act. 15. 11. *agitur de Apostolis collatis cum gentibus conversis, non cum Patribus, v.* 7. R. Neg. Quia proximè de Patribus locutus fuerat Petrus, unde commodè ad Patres, referuntur sequentia. 2. Scopus Petri hoc exigit, qui vult probare, jugum legis ceremonialis non esse imponendum cervicibus Gentium, eo quòd ipsi Patres non potuerint illud portare, sed servati sint per eandem Christi gratiam nobiscum. 3. Si Apostoli voluissent se cum

Gentibus jungere in modo salutis, non dixissent: Nos credimus salvari sicut & illi, sed potius vice versa.

Exc. ad loc. Act. 4. 12. *intelligitur locus tantùm de tempore, quo Christus patefactus est, non verò ad præteritum potest extendi.* R. Verba ipsa vanitatem glossæ confutant, quæ non asserunt, nunc nullum nomen dari hominibus, in quo salventur, sed nullum nomen datum esse inter homines, omni tempore.

3. Eadem utrobique conditio fœderis, sc. fides, per quam salutem obtinuerunt: Patet in Abrahamo, cujus *fides ad justitiam dicitur imputata. Gen.* 15. 6. & quæ nobis in exemplum proponitur. Rom. 4. 11. Gal. 3. 6. 7. 8. in Vereribus, quorum fides celebratur. Heb. 11. per totum caput. Eò pertinet quòd Habac. 2. 4. dicitur *justus ex fide vivere.* Unde Petrus testatur, *Prophetas Christo testimonium perhibere, quòd remissionem peccatorum accepturus sit, quisquis in ipsum crediderit. Act.* 10. 43.

Gen. 15. 6.
Hab. 2. 4.
Act. 10. 43.

4. Iis eædem datæ sunt nobiscum promissiones: Patet in genere ex *Act.* 13. 32. *vobis evangelizamus*, inquit Paulus, *promissionem factam Patribus.* In specie, ex promissione fœderali, in qua includi vitam æternam & resurrectionem invictè docuit Christus. Matth. 22. tum ex hæreditate quæ Abrahamo & semini ejus data est, quæ est *civitas, quæ habet fundamenta*, & patria cœlestis, quam exspectârunt Patres, *Heb.* 11. 16. Hinc *Iob. c.* 19. 25. *scit redemtorem suum vivere:* David de resurrectione sua & vita persuasus est Ps. 16. Daniel. 12. 1. 2. resurrectionem ad vitam æternam exspectat.

Act. 13. 32.
Heb. 11. 16.
Job. 19. 25.
Dan. 12. 1. 2.

5. Sacramenta, quæ sunt sigilla fœderis, eadem fuerunt in utroque Testamento, quoad substantiam. Patet, tum respectu ordinariorum, puta Circumcisionis, quæ vocatur *Sigillum justitiæ fidei, Rom.* 4. 11. & Paschatis, quod in Christo impletur. 1. Cor. 5. 7. tum extraordinariorum, transitus maris, & aquarum diluvii, quæ baptismo nostro. 1. Cor. 10. 1. 2. & 1. Pet. 3. 20. Mannæ & aquæ ex Petra, quæ Eucharistiæ respondet. 1. Cor. 10. 3. 4.

6. Lex ipsa Mosis, sub qua Patres fuernnt, de fœdere gratiæ eos erudivit, quod non potuisset fieri, nisi fœdus gratiæ jam locum habuisset. Ideò Lex dicitur *pædagogus ad Christum. Gal.* 3. 24. & Christus *finis legis Rom.* 10. 4.

Gal. 3. 24.
Rom. 10. 4.

OBJE-

OBJECTIONES.

1. *Ier.* 31. 31. 32. *Fœdus novum pangam, non secundum illud fœdus quod pepigeram cum majoribus eorum.* R. Aliud est, fœdus gratiæ renovari, & illustriori modo proponi; aliud, de novo fieri, cùm antea non esset; Prius dicitur h. l. non posterius: Nec insolitum Scripturæ, dicere rem aliquam fieri, quando clariùs efficacius manifestatur, quomodo *mandatum dilectionis* dicitur *novum. Ioh.* 13. 34. non absolutè, sed quia de novo inculcatum, novis promissis subnixum, & novo exemplo sancitum. Jer. 31. 31. 32. Joh. 13. 34.

2. *Antequam veniret fides. Gal.* 3. 23. R. Intelligitur fides objectiva quæ creditur, ratione clarioris manifestationis, non subjectiva quâ creditur. Gal. 3. 23.

3. *Christus vitam & immortalitatem per Evangelium in lucem produxit. 2. Tim.* 1. *v.* 10. R. 1. Paulus non loquitur de absoluta & simplici manifestatione inter omnes, sed *inter gentes*; unde statim addit: ideò se præconem institutum fuisse inter gentes. 2. Gratiam illam non fuisse novam, docuit v. 9. quando dixit datam fuisse πρὸ χρόνων αἰωνίων. 3. Non agitur propriè de vitæ æternæ promissione, sed de illius procuratione, per meritum actuale Christi, quod fuit proprium N. T. Hoc sensu dicitur salus primò enarrari cepisse per Christum. Heb. 2. v. 3. 2. Tim. 1. 10. Heb. 2. 3.

4. *Via ad Sacrarium non fuit patefacta primo Tabernaculo stante. Heb.* 9. 8. R. Apostolus non negare vult Patres sub Vet. Test. in cœlum receptos fuisse, quod exemplum Enochi, & ratiocinatio Christi Matth. 22. invictè probat. Sed duo innuere vult. 1. Cæremonias quatenus tales, quæ per Tabernaculum prius designantur, per se non potuisse aditum in cœlum facere. 2. Quamdiu cæremoniæ illæ subsistebant, rationem seu modum ingrediendi in cœlum se obscuriùs habuisse; at à negatione modi ad negationem rei non valet consequentia.

5. *Heb.* 10. 1. *Lex tantùm umbram habet.* R. Lex cæremonialis; sed præter eam Judæi etiam legem moralem, & fœdus gratiæ habebant. Heb. 10. 1.

6. *Fœdus novum melius est, & melioribus promissis sancitum.* Heb. 8. v. 6. R. Secundùm quid, non simpliciter, non ratione substantiæ promissorum, sed ratione modi, & Heb. 8. 6.

di, & ea clariùs proponendi, & uberiùs dilatandi, & efficaciùs imprimendi, & latiùs ad gentes extendendi.

Rom. 16. 25. 7. *Evangelium occultatum fuit à temporibus seculi.* Rom. 16. 25. R. 1. Non absolutè & simpliciter, siquidem ibidem dicitur promissum & patefactum per scripturas Propheticas. Rom. 1. 2. Sed secundùm quid. 1. *Respectu cognitionis*, quia caro & sanguis hoc non revelat. 2. *Respectu promulgationis* inter gentes, quibus Deus nihil de Christo patefecit. 3. Respectu *complementi* inter Judæos, quia non ipsorum temporibus, sed nostris ejus complementum reservavit. Non vult E. Apostolus, Evangelium planè fuisse ignotum in V. T. sed comparatè cum luce N. T. quâ multò clariùs & pluribus innotuit.

LOCUS XI.

DE

CHRISTO.

I.

HUjus fœderis mediator principio promissus est; postea etiam typis adumbratus, tandem anno Mundi 3955. venit.

Cur Christus non statim post promissionem missus. II. Licet ille Mediator ab initio promissus fuerit, non tamen statim mittendus fuit. 1. *Respectu Christi*; hoc enim faciebat ad ejus dignitatem, ut antequam veniret in mundum, varii præcones ejus tanquam summi principis adventum prænunciarent; tum, longa tanti operis expectatio commendatius apud homines debuit reddere hoc beneficium. 2. *Respectu hominum*, ut eò ardentiùs in miseria sua clamarent ad medicum, & gratiæ quærerent auxilium.

CONTROVERSIA. I.

An promissus Messias jam venerit?

Messias jam venit.

Aff. c. Jud.

ARGUMENTA.

Gen. 49. 10. 1. Ex oraculo Jacobi. Gen. 49. 10. ubi adventus Messiæ conjun-

conjungitur cum ablatione Sceptri Judaici: *Non auferetur Sceptrum è Iuda, nec Legislator de medio pedum ejus, usque dum veniat Schilo.* &c. At, jam à longo tempore Sceptrum Judaicum est ablatum, nec habent Judæi ullos Principes. Unde vox Schilo derivetur multi multa sentiunt: Commodissimum est, ut exponatur per אשר לו *Cujus est*, supple regnum, ut sensus sit, non auferendum regnum à Juda, donec veniat ille ad quem pertinet: Et lux potest inferri huic loco ex *Ezech.* 21. לך. ubi agitur de corona Jeconiæ: *Non erit hæc*, supple corona, *donec venerit* אשר לו *cui est judicium.* Quæcunque verò sit hujus vocis derivatio, certum est illâ Messiam designari, maximè, cum statim nota Messiæ subjiciatur, nim. quòd ei erit *obedientia & aggregatio populorum*, quod passim Messiæ tribuitur. *Ies.* 11. 10. *Gentes consulturæ ad eum venient. Mich.* 4. 1. *Confluent ad eum populi.* Series sermonis hoc etiam postulat: Nam ut Judæ prærogativam & dominium in fratres tribuit, ita de Messia ex eo orituro dicit, quòd non modò fratres ejus eum sint adoraturi, sed etiam populi omnes ei sint obedituri. Per שבט autem, *virgam* seu *sceptrum*, non intelligitur *virga castigationis*, i.e. *afflictio & oppressio*, ut sensus sit: *Non desinent exactores affligere Israëlem, donec veniat Messias, qui illos liberavit, ut* Judæi, παρερμηνεύονται. Nam. 1. talis virga intelligenda, quæ competit מחוקק Legislatori: At quid Legislatori cum virga oppressionis? 2. Patriarcha sic vaticinatus esset de pœnis Judæ, non benedictionibus; cujus contrarium patet ex Textu. 3. Cum castigationis virga esse deberet communis omnibus tribubus, nulla erit ratio, cur hic de sola tribu Judæ ageretur. 2. Falsum est, nunquam cessâsse oppressionem in illa tribu, cùm à Davide ad Sedeciam floruerit per multas generationes.

Schilo quid?

Exc.

Exc. *Non potest ex hoc loco colligi, Messiam jam venisse, aliâs venire debuisset ante captivitatem Babylonicam, quia in ea Sceptrum a Iudæis fuit ablatum.* R. Continuatio Sceptri & Potestatis in Juda demonstrari potest. 1. A Davide usque ad Captivitatem Babylonicam, per 470. annos. 2. In Captivitate, primò in Jechonia, *cujus caput extulit Evilmerodach, & thronum ejus anteposuit aliorum Regum soliis.* 2. *Reg.* 25. 27. Secundò in Daniele, qui erat ex tribu Judæ,

Exc.

Judæ, & ex sanguine Regio. Dan. 2. 25. & 5. 13. Tertiò in in *Æcmalotarchis*, qui in captivitate fuerunt, unde Rambam lib. ult. Iad. c. 4. *Æcmalotarchæ Regis locum obtinent, quia dicitur non auferetur Sceptrum.* &c. R. Sal. in Sanhe. fol. 5. *non auferetur Sceptrum? Ista sunt Capita exulum quæ gubernant populum indultu Regum Persiæ.* 3. A captivitate Babylonica in Zorobabele, qui nepos Jeconiæ, & Nehemia, quem ex tribu Juda fuisse, notat Eusebius. 4. A Nehemia ad Herodem per annos 335. difficilior est probatio, sed potest colligi. 1. Quoad *Maccabæos*, nam licet essent ex tribu Levi, non desinebat Regnum Judaicum vocari, quia ut Judæ tribus solùm rediit ex captivitate cum tribu Benjaminis, ideò Regnum & Respubl. fuit in tribu Judæ, & qui præerant, utut ex alia tribu forent, quia tamen Sceptrum acceperant à tribu Juda; & in ea, ejusque nomine illud gerebant, verè dici poterat, Sceptrum teneri à Juda; aliud quippe est, regiam stirpem, quæ jus habet regnandi, durare, aliud, Reges esse actu regnantes: fieri enim potest, ut hoc abrogetur, altero manente, ut si regnum ab aliquo occupetur tyrannicè, expulsis legitimis hæredibus, manet κλῆσις, sublatâ χρῆσει. 2. In *Æcmalotarchis*, de quibus supra. 3. In *Synedrio magno*, cujus magna fuit potestas, unde huic Senatorum collegio tribuitur thronus Regius. Ps. 122. 5. 2. Paral. 9. 8. & ejus Præses semper fuit ex tribu Judæ, ut testatur chronologia Judaica. Et cùm sola tribus Judæ cum accessione Benjaminis rediisset, dubium non est, quin ex hac tribu majori saltem ex parte conflatum esset Concilium, penes quod regimen, donec à Romanis subactâ Judæâ, potestas illa paulatim attrita est, & tandem pœnitus sublata. Sic *casus Reipubl. Iudaicæ* sub tribus hisce gradibus spectari potest, primò sub *Pompejo*, qui cœpit an. 60. ante Christum; Secundò, quo promotus est, a. C. 10. quum Archelao Viennam relegato Judæa in formam Provinciæ redacta est; Tertiò, quo consummatus fuit sub Tito, destructo Templo, & urbe dirutâ.

Dan. 9. 24. 2. Ex Septimanis Danielis. Locus ita se habet. *Dan. 9. 24. 25. 26. &c. Septuaginta septimanæ decisæ sunt supra populum tuum, & super Civitatem Sanctam, ad cohibendam defectionem, obsignanda peccata, ad expiandam iniquitatem, & adducendam justitiam seculorum, & ad obsignandam visionem & Prophetiam, & ad ungendum Sanctum Sanctorum: Igitur*

Igitur cognoscito, & intelligito ab enunciatione verbi de reducendo populo, & de ædificandis Hierosolymis usque ad Messiam antecessorem fore septimanas septem, deinde septimanas sexaginta duas, &c. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, &c. Observandum hîc. 1. Agi de Messia; Legimus enim Messiæ nomen, attributa, beneficia facta, quæ omnia docent, ad Cyrum, vel Nehemiam, vel Josuam, vel Zerubabelem, vel Agrippam gratis hîc quandoque confugere recutitos. 2. *Septimanæ*, de quibus agitur, non sunt *dierum*, sed *annorum*, de quibus agitur Levit. 25. 8. ut septem anni in singulas hebdomadas computentur more prophetico. Ezech. 4. 6. nam, 70. Septimanæ dierum nimis angustæ forent, nec sesquiannum efficerent, quod parum congruit tam illustri vaticinio, nedum ejus complemento. Adhæc, nihil contigit intra hoc spatium eorum quæ prædixit Angelus, nec Jerosolyma posset dici septem hebdomadibus ædificata, quod plurium tantùm annorum decursu contingit. 3. Undecunque sumatur initium harum septimanarum; sive ab anno primo Cyri, quo Judæi libertatem habuerunt redeundi, & urbem ædificandi, ut *Beroaldus & Calvinus* volunt ex Esr. 1. 1. sive ab annno secundo Darii, Nothi ex Esr. 6. ut *Scaliger*, *Iunius*, *Calvisius*, &c. sive à septimo Artaxerxis Longimanni, de quo Esr. 7. 13. 14. &c. *ut pertendunt Capellus*, *Bullingerus*, *Helvicus*, &c. vel à vigesimo, ex Neh. 2. 1. ut *Iulius Africanus*, *Usserius*. &c. sive aliunde istarum initium sumatur, pertendimus, eas jam ante multa secula præteriisse. Scopus ergo Dei in hoc loco fuit solari populum in durissima captivitate, non tantùm finem ejus designando, sed & longe excellentiorem redemtionem pollicendo; & sic respondet Angelus orationi Danielis, qui de fine 70. annorum locutus fuerat, q. d. Tu de termino captivitatis, & fine septuaginta annorum locutus es: Ego verò non modò liberationem istam temporalem instantem tibi nuncio, sed longè excellentiorem polliceor post 70. septimanas annorum. &c.

3. *A Templi secundi gloria*, quo adhuc stante debuit Messias venire. Prærogativa enim Templi secundi in eo ponitur, quòd Messias Princeps pacis illud præsentiâ suâ esset cohonestaturus. Cùm verò Templum secundum dudum destructum sit, argumentum est certissimum, Messiam

siam à longo tempore venisse. Character ille colligitur
Agg. 2. 4. ex oraculo duplici Aggæi, & Malachiæ. *Agg.* 2. 4. *Adhuc pusillum, & ego tremere faciam cœlos & terram, mare & aridam, & tremere faciam omnes gentes, & veniet desiderium omnium gentium; & implebo domum hanc gloriâ, dixit Dominus.* & *v.* 10. *magna erit gloria domûs hujus novissimæ, plus quàm primæ.* Mal. *c.* 3. 1. *Ecce ego mittens angelum meum & præparabit viam coram facie mea, & statim veniet ad Templum suum Dominator quem quæritis, Angelus Fœderis, quem vos desideratis.* Utrobique autem agi de Messia, clarum est. 1. Nam apud Malachiam agitur de eo qui mittendus fuit, & venturus in Templum suum, tanquam Dominus, & angelus fœderis, qui præcursorem habiturus sit Eliam, & qui quærebatur, & expectabatur; quæ omnia Messiæ competere, nec Judæi ipsi doctiores diffitentur. 2. Ita apud Aggæum quod dicitur de commotione cœli & omnium Gentium, ut veniant ad desiderium *suum*, non aliò potest referri, sive per *desiderium gentium* designentur *desiderati ex gentibus*, i. e. quotquot ex gentibus vocandi erant ad Christum, sive Messias ipse intelligatur, qui est *vir desideriorum* ἐπιπόθητος, *totus desiderabilis*, quem fideles ardenti desiderio optabant. Deinde quod addit de gloria majore Templi secundi, huc pertinet, quia non aliunde hoc proficisci potuit, quàm à præsentia Domini domûs.

4. Ex *Signis*, quæ adventum Messiæ comitari debuerunt, tum respectu *Iudæorum*, Reipubl. & politiæ Judaicæ casus, & populi rejectio. Respectu *mundi*, falsorum oraculorum finis. Respectu *Ecclesiæ* vocatio gentium, quæ omnia, cum jamdudum impleta sint, Messiam etiam venisse necesse est.

5. Quintum argumentum suppeditant *Confessiones* ipsæ Judæorum. Inter quas celebris est *Traditio Domûs Eliæ*, de qua Codi-Sanhed. Dist. Chelek, quæ mundi tempora in tres periodos distribuit; *bis mille inanitas*, *bis mille lex*, *bis mille Messias*.

Exc. Exc. *Adventus Messiæ differtur ob peccata hominum.* R. 1. Messiæ adventus ex mera misericordia Dei fluxit, & primarius ejus scopus fuit peccatorum populi abolitio, unde nihil eum à parte hominum potuit remorari, & minimè omnium peccatum, cùm adventus ille removendo & destru-

destruendo peccato unicè à Deo destinatus fuerit. 2. Si Deus quid olim promisit populo suo, non legitur ob peccata illius unquam intermisisse, ut ex liberatione ex Ægypto, & Babylone constat, quam Deus præcisè tempore præstitutuo implevit, licèt populus non minùs peccatis esset onustus ac nunc. 3. Si propter peccata Messiæ adventus differtur; E. nunquam venturus est, cùm nunquam ab omni scelere liber sit futurus populus Dei.

OBJECTIONES.

1. *Elias, qui præcedere debuit Messiam. Mal.* 4. 5. *nondum venit.* R. Per Eliam non intelligitur Elias Thesbites, sed figuratè Johannes Baptista, propter similitudinem quæ illi cum Elia intercessit in Zelo & fervore: quia venturus fuit *in spiritu & virtute Eliæ. Luc.* 1. 17. & Christus ipse testatur: *Matth.* 11. 14. *Si vultis credere, ipse est Elias qui venturus. Et Marc.* 9. 13. *Dico vobis, Elias ille jam venit, & fecerunt ei quæcunque voluerunt.* Mal. 4. 5. Luc. 1. 17. Matth. 11. 14. Marc. 9. 13.

2. *Lupus cum ove habitabit. Ies.* 11. 6. *enses & lanceæ in ligones & falces mutabuntur. v.* 4. R. Hoc figuratè intelligendum de pace spirituali, & de conversione gentium, per quam gentes alienissimæ olim à Christo instar ferarum, in ovium Christi numerum referri debuerunt. Jes. 11. 6. 4.

3. *Tempore Messiæ Lux Solis septuplo major debet esse, ut & lux lunæ instar lucis solis. Ies.* 30. 26. R. Hoc ad literam non potest intelligi, quia præterquam quod solis fulgorem nullus oculus potest ferre; ita nulla nox supereesset, ob claritatem lunæ. Dominus bonos & malos sole suo illustrat, at hic agitur de felicitate, quæ impiis communis esse non potest. Sed *figuratè* exponenda sunt, vel *historice*, de magnitudine gaudii, quod perceptura erat Ecclesia Judaica liberata à captivitate Babylonica, vel *mystice*, de magnitudine gloriæ, cognitionis, & lætitiæ, quam Messias Ecclesiæ allaturus erat. Jes. 30. 26.

CONTROVERSIA II.

An Iesus Christus sit verus ille promissus Messias? Aff. contra Iudæos. Jesus Christus est verus Messias.

ARGUMENTA.

Petuntur ex criteriis Messiæ. 1. Ratione *temporis:* Messias nasci debuit eo tempore, quo Regia & Legislatoria

Potestas auferri debuit à Judæis, post 70. septimanas annorum, i. e. elapsis 490. annis, à captivitate Babylonica, & quo Davidica domus veluti truncus ad radices usque excisus erat. Jes. 11. 1. Eo autem tempore Jesum exhibitum fuisse, jam supra evictum est.

Mal. 1. 3. 2. Ratione *Prodromi*, Adventum Messiæ prodromus præcedere debuit. *Mal.* 1. 3. & 4. 5. *Ecce, ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Iehovæ magnus & terribilis.* Quod in Johanne Baptista impletum, antea vidimus.

Mich. 5. 2. 3. Ratione *loci:* Messias *Bethlehemi* nasci debuit, ex oraculo: *Mich. 5. 2. Et tu Bethlehem Ephrata non es minima in millibus Iudæ, ex te mihi prodibit Dominator in Israel, & ejus egressus à seculo.* Agi de Messia agnoscunt Chald. Paraph. R. S. Jarchi & Kimchi, & fatentur Pharisæi & Scribæ Herodi de hoc quærenti respondentes. Matth. 2. At nemo nescit, Jesum Bethlehemi natum.

4. Ratione *Tribus & familiæ*; Messias ex tribu Judæ & ex familia Davidis oriundus fuit, ex oraculis. Gen. 49. 10. Jes. 11. 1. Quod in Jesu nostro impletum constat, tum ex loco nativitatis jam relato, qui erat domus Davidis, quo se conferre parentes Jesu debuerunt, ut ex illa familia, se oriundos esse probarent, tum ex Genealogia Christi utraque, quæ apud Matth. & Lucam habetur.

Jes. 7. 14. 5. Ratione *Modi nativitatis*, quia ex virgine nasci debuit, ex Jesaiæ vaticinio. *cap. 7. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen ejus Immanuel.* de quo loco, quia ponderosissimus, fusius paulò dicendum. Observandus est scopus Prophetæ, qui est confirmare populum adversus metum, propter Rezin & Pekak Reges Syriæ & Israëlis, obsidentes Hierosolymam; ideo Deus jubet Prophetam, ut unà cum filio suo accedat ad Regem, & jubeat illum timore sepositio certum esse de liberatione; Et ut ipse eò magis persuaderetur de veritate hujus promissionis, Propheta dat illi optionem signi alicujus, vel è cœlo, vel è terra petendi. Cùm verò Achaz signum impiè recusâsset, & multæ adhuc supererent fidelium reliquiæ, ad horum consolationem & confirmationem, ut & Achazi convictionem, addit, Deum non obstante Regis impietate, signum ipsis daturum duplex, futurum & præsens. *futurum, v.* 14. in Immanuele nascituro suo tempore ex virgine;

virgine; præsens in Seharia sub filio suo, ante cujus adolescentiam debuit destructio Regum illorum contingere. *vers.* 16.

Exc. עלמה h. l. non virginem notat, sed fœminam quamcunque. R. Contrarium patet 1. ex etymo vocis, à עלם *abscondere*, quo denotatur status virginis absconditus à conspectu & commercio virorum, q. עלומה *abscondita*, & non cognita viro. Unde Virgines apud Veteres dicebantur κρυπτάκλειστοι & ἀπόκρυφοι. 2. Macc. cap. 3. v. 19. 2. Authoritas interpretum, Thargumim, Onkel. & Jonath. & LXX. qui vertunt παρθένος. 3. Ratio evidens hoc postulat, quia agit de signo divino & mirabili: sed quodnam signum? fœminam ex congressu viri parere & concipere. Exc.

6. *Status duplex* Messiæ attribuitur; primus humilitatis & passionis, quo mori debuit; secundus exaltationis & gloriæ, quo resurgere, & in cœlum ascendere illum oportuit, ut constat ex Ps. 22. & 110. Jes. 53. id ipsum in Jesu Nazareno observari, & Historia Evangelica patet.

7. Ex *Doctrina & operibus Christi.* Cùm enim ex oraculis Propheticis Messias annum beneplaciti promulgaturus esset, & salutarem Evangelii doctrinam allaturus *ad medendum contritis corde, & publicandam libertatem captivis & redemtionem. Esa.* 61. 1. 2. 3. Quis verò doctrinam à Jesu nostro prædicatam recolit, qui non videat eum plenissimè hoc in seipso impleviſſe? Messiam etiam θαυματοεργὸν esse debuisse, docet *Jesaias c.* 35. 4. 5. *Deus venit & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, aures surdorum patefient.* Christum autem talibus operibus clarum se reddidisse, ipsi Judæi diffiteri non potuerunt, quia ejus miracula non fiebant clam, in angulo & recessu, sed palam & publicè, coram sole, in triviis, compitis, ubique locorum, & in oculis hostium infensissimorum. Esai. 61. 1. Jes. 35. 4. 5.

8. Ex *vocatione Gentium, & Christianismi fundatione.* Nonne stupendum est, quòd Evangelium, quod authorem habet Christum, in mundo contemtum & abjectum, quod carni ingratum & molestum, quod ab hominibus plebejis & obscuris prædicatum, quod non vi & armis, non verbis ad fallendum compositis sed simplicissimis, brevi temporis spatio longè latèque per totum orbem, disseminatum

fuerit, & hodieque contra tot hostium machinas invictum stet.

OBJECTIONES.

Ezech. 38. 2. 3. 1. *Messias debebat bellum gerere cum Gog. & Magog Ezech.* 38. 2. 3. &c. R. De Messia sermo non est, sed hoc referendum est ad crudeles Ecclesiæ Judaicæ oppressores post captivitatem Babylonicam, quales fuerunt Reges Syriæ, & populi Asiæ minoris, sic dicti, vel à *Gyge* Lydorum Rege, vel à *Scythis & Tartaris* ita vocatis Gen. 10. 2. qui jam olim occupaverant Asiam minorem & Syriam; unde in Asia Hierapolis dicta est *Magog*, teste Plinio, lib. 5. c. 28.

2. *Messias tertium Templum restituere debet. Ezech.* 40. R. Intelligitur Templum mysticum, Ecclesia, sub Veteris Templi Salomonici Symbolo adumbratum, cujus impletio non in carnali & terrena, sed spirituali & cœlesti Hierosolima quærenda est, quam Johannes describit. Apoc. 21. v. 22.

Annus, dies & mensis nativitatis Christi incertus.

II. *Annus Nativitatis* Christi incertus est; Sunt enim latiores characteres ab Evangelistis notati, in universum tres vel quatuor, regnum sc. Herodis Magni, imperium Augusti, descriptio populi, & baptismus Christi circiter tricennarium à Johanne, anno Tiberii XV. Adhæc æra C. N. à Christianis primis neglecta, & serius introducta est à *Dionysio Exiguo*, Sec. 7. ac passim in scriptione sancita demum circa tempora Caroli Magni.

III. Multò minùs constat *Hora* Nativitatis Christi, quam vel *tertiam* vel *septimam*, vel aliam aliquam post mediam noctem fuisse temerè definiunt quidam *Veteres & Papistæ*. Nec *dies*, tum *septimanæ*, fueritne *sextus*, ob Adamum tum creatum, an *primus*, ob Dominum tum suscitatum, an alius: tum etiam *mensis*, an *sextus Ianuarii*, an *vigesimus quintus Decembris*, an aliquis ex prostremis Septembris vel primis Octobris. Nec *mensis* ipse, quem *Orientales* Veteres volunt *Ianuarium*, *Latini* cum Græcis recentioribus *Decembrem*; *Chronologi* recentiores Eruditi *Septembrem* vel *Octobrem*, ob incidentia tum festa varia, præcipuè tabernaculorum, mundi tum factam creationem, traditionem antiquam de natali Baptistæ in mense Aprili, & ordinem Ephemeriarum sacerdotalium, quæ omnia vel non satis cohærent, vel demonstrari neutiquam possunt.

IV. Varia

IV. Variæ sunt voces, quibus mysterium incarnationis designari solet; In Scriptura dicitur φανέρωσις σὺν σαρκὶ, *manifestatio in carne.* 1. *Tim.* 3. 16. σώματι & καταρτισμὸς, *corporis adaptatio seu formatio. Heb.* 10. 5. κένωσις, *exinanitio, & formæ servilis assumtio. Phil.* 2. 7. ἐπίλειψις, *assumtio seminis Abrahæ. Heb.* 2. 16. ἐπιφάνεια, *apparitio.* 2. *Tim.* 1. 10. *Tit.* 2. 14. *&c.* Apud Patres modò vocatur οἰκονομία, distinctè à θεολογία, modò ἀνθρώπησις, ἐνσωμάτωσις, ἔνσαρκος & περιτροπὴ, communius σάρκωσις vel ἐνσάρκωσις. Vox incarnationis.

CONTROVERSIA.

An Jesus Christus homo factus fuisset, atque in mundum venisset, si homines non peccâssent? N. c. Soc. & Scholast. Incarnatio non fuit necessaria, nisi posito peccato.

Opponitur hæc quæstio Scholasticis veteribus, qui temerè & citra authoritatem Scripturæ hoc asseruerunt, ut *Alensis, Occamus, Bonaventura*, & alii, quorum errorem interpolavit *Osiander* superiori seculo, & novissimè *Sociniani*, non alium in finem, quàm ut hinc præsidium aliquod quærant fulciendæ pestilentissimæ hæresi de metaphorica Christi Redemtione, & impropria satisfactione. Quibus opponimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Nonnisi post lapsum promissus est; Gen 3. 15. neque poterat ex virgine nasci, nisi vi promissionis.

2. *Sani medico non egent. Matth.* 9. 13. *non venit, nisi ut peccatores salvos faceret.* 1. *Tim.* 1. 15. Matth. 9. 13.

3. Missus est ex amore Dei erga hominem lapsum. Joh. 3. 16. quod illic locum habere non poterat.

4. Necesse non fuisset, Deum hominem fieri, adeòque frustra venisset.

5. Neque hominis erga ipsum, ut incarnatum, ulla obligatio fuisset.

OBJECTIONES.

1. *Christus est primogenitus omnium creaturarum Col.* 1. 15. Col. 1. 15.
R. Non quasi ad exemplar ejus Creaturæ rationales sint productæ, sed tum ratione generationis æternæ, tum ratione dominii, quod illi in eas competit.

2. *Ergo non nos propter Christum, sed ipse propter nos factus est.* R. Omninò, ut homo.

CONTROVERSIA. II.

Posito peccato & decreto Dei de salute hominum necesse fuit filium Dei incarnari.

An posito peccato & Decreto Dei de salute hominum necesse fuerit filium Dei incarnari?

Aff. c. Schol.

Negativam tuentur varii ex Scholasticis, & præ cæteris *Tvissius:* sed non defuerunt etiam ex *Patribus* & Scholasticis, qui hanc necessitatem agnoverunt: Quibus adstipulantur plerique ex nostris, maximè post exortum Socinum, quorum sententiam ut veriorem & tutiorem etiam amplectimur.

Non autem quæritur de *necessitate simplici & absoluta*, à parte Dei; Nam potuisset Deus si voluisset hominem non minùs ac Diabolum in exitio suo relinquere; sed de *hypothetica:* An positâ voluntate redimendi homines, necessaria fuerit incarnatio; an verò alio medio hoc potuerit fieri? Rursus non quæritur de *Necessitate Decreti*; nemo enim negat, posito, quòd Deus hoc ita decrevisset, necessario debuisse ita fieri. Sed de *necessitate naturæ:* An sepposito Decreto, & antecedenter ad illud necesse fuerit filium Dei incarnari ad Redemtionem nostram? Tandem non quæritur de *necessitate congruentiæ*, quia fatentur omnes, hoc maximè congruum fuisse Majestati divinæ, ne impunè violari dicerentur ejus præcepta. Sed de *necessitate justitiæ*, ut non aliter justitiæ Dei satisfieri, & liberatio nostra fieri potuerit, quod asserimus.

ARGUMENTA.

1. Quia ut Deus justitiam suam abnegare nequit, non potuit homines liberare, quin priùs illi satisfactum esset: Non potuit autem satisfieri justitiæ infinitæ, nisi per λύτρον aliquod infinitum, nec λύτρον illud infinitum potuit uspiam reperiri, quàm in Dei filio.

2. Quia, si res aliter fieri potuit, non credibile est, Deum sapientissimum & optimum, consilium hoc inituram fuisse.

OBJECTIO.

Ita limites ponuntur omnipotentiæ Dei. R. Tantùm ostenditur ex Scriptura, quid possit vel non possit Deus juxta potentiam ordinatam, & jus virtutibus temperatum.

V. Non

V. Non autem potuit opus Redemtionis peragi, nisi per θεάνθρωπον, qui per incarnationem humanam naturam divinæ indissolubili vinculo sociaret. Hominem esse decuit, tum ratione justitiæ Dei, qui requirebat, ut peccatum in eadem natura puniretur, in qua commissum fuerat, tum ratione officii; debuit enim Mediatoris munere fungi, ut homines Deo reconciliaret. E. Debuit medius esse inter utrosque, tum ratione nostri, ut esset frater & גאל noster: Deum esse oportuit, tum, ut passionibus suis valorem adderet infinitum, mortem vinceret, malum quo premebamur, auferret, bonum summum, justitiam & vitam conferret &c. Opus salutis requirebat θεάνθρωπον

VI. In Messia tria considerari debent: Persona, Officia, & Status.

VII. *Persona* est secunda Trinitatis, *filius*; Licèt enim incarnatio *originaliter* & principiativè, quoad efficientiam sit totius Trinitatis opus, tamen *subjectivè & appropriativè* quoad *terminum* solius est Filii: Nam 1. Scriptura hoc filio soli tribuit. 2. Pater non potuit incarnari, nam ut primus fuit ordine, non potuit à quoquam mitti, vel mediatorem ad Filium & Sp. S. agere; nec conveniebat, ut qui Pater erat in Divinis, Filius fieret in humanis, ex virgine nascendo. Non Spiritus. S. quia debuit mitti à mediatore in Ecclesiam. Joh. 16. 7. at non potuit mitti à seipso. 3. Solus filius potuit ritè hoc munus suscipere. α. Ut qui medius est inter Patrem & Filium, mediator esset inter Deum & homines. β. Conveniens erat eum, qui filius erat per naturam, facere nos filios adoptivos per gratiam. γ. Ejus fuit recreare, cujus fuit creare, ut verbum per quod omnia facta sunt in prima creatione, reformaret nos ad sui imaginem in secunda: Imago Dei per peccatum obscurata non potuit in nobis melius reparari, quàm per eum, qui erat imago Dei invisibilis. δ. Non alius aptior fuit, quàm filius Patris ἀπαύγασμα. Sola secunda persona SS. Trinitatis est incarnata.

VIII. Licèt natura divina bene dicatur incarnata in filio, non sequitur propterea, totam Trinitatem incarnatam esse; Quia natura divina dicitur incarnata non *immediatè* & quatenus consideratur absolutè & in se, sed *mediatè*, in persona filii, seu sub illa reduplicatione, quatenus determinatur & characterizatur in persona filii, ut incarnatio sit opus non naturale, sed personale, quod terminetur Cur filio incarnato non etiam Tota Trinitas sit incarnata.

An natura divina sit incarnata.

ad personam, non ad naturam. Ita tota quidem natura divina bene dicitur, incarnata, non quòd sit incarnata in omnibus personis, sed quia Personæ Filii Dei nihil deest quoad perfectionem divinæ naturæ.

IX. Si igitur Doctores nostri non admiserunt Phrasin Lutheranorum, qui Naturam divinam incarnatam asserunt, non hoc ideò faciunt, quasi absolutè & simpliciter negent naturam divinam incarnatam esse, & solum πρότον ὑπάρξεως incarnatum dicant, ut injustè traducuntur. Sed tantùm minùs accuratum loquendi genus perstringunt.

Christus quomodo Dei Filius?

X. Christus Filius Dei appellatur non ob *conceptionem* ex Sp. S. neque ob *Sanctificationem ad officium*, *neque* ob *excitationem ex mortuis*, neque ob *sessionem ad dextram Patris*, sed quia ab æterno ejusdem substantiæ cum Patre est particeps, idque à Patre; quod filii apud homines proprium est.

CONTROVERSIA.

An ergo J. C. sit Dei Patris naturalis Filius, ab æterno ab ipso, communicatione naturæ genitus; Non verò Filius appelletur ob conceptionem vi Sp. S.? &c. Aff. cont. Soc.

Sociniani volunt, Christum posse dici genitum à Patre per miraculosam Sp. S. conceptionem, vel per gratiosam communicationem existentiæ, potestatis, & gloriæ divinæ, &c. Nos dicimus, illum vocari Filium Dei propter arcanam & ineffabilem ex Patre generationem.

ARGUMENTA.

Ps. 2. 7.

1. Ex *Ps.* 2. 7. *Tu es Filius meus ego hodie genui te:* Ubi Judæi ipsi fateri coguntur, Messiam intelligi: Quis enim nisi Deus regni sui pomœria potuit usque ad fines terræ protendere? v. 8. Reges & populos ut vasa figulina conterere? v. 9. quem Reges terræ debeant osculari, i. e. religiosè colere. v. 11. 12. nisi verus & æternus Deus? Generatio verò indigitatur non physica; sed hyperphysica, per quam etiam supra angelos extollitur. Heb. 1. 5. at, si propter gratiosam communicationem existentiæ & gloriæ ita vocaretur, non hoc illi soli, sed & aliis, licèt dispari gradu, posset tribui. Exc. *Paulus. Act.* 13. 33. *Oraculum hoc refert ad resurrectionem Christi.* R. Hoc fit tantùm declaratio-

Exc. Act. 13. 33.

nis

nis gratiâ, *à posteriori*, ut Paulus interpretatur. Rom. 1. 3. quum ait: *Christum fuisse* ὁρισθέντα, *declaratum Filium Dei per resurrectionem à mortuis*, juxta morem Scripturæ, quo res fieri vel nasci dicuntur, quum manifestantur, ut: *Prov.* 17. 17. *Frater in angustia nascitur*, *i. e. cognoscitur*.

2. *Prov.* 8. 22. &c. Sapientia sic loquens introducitur: *Iehova possidebat me principio viæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus, ante seculum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ genita eram*, &c. Quomodo Jehova possedit sapientiam, idque ab æterno, nisi per veram generationem, per quam habita est instar nutritii charissimi à Patre? Sapientia autem illa non potest esse qualitas aut virtus aliqua, sed est persona subsistens, quia, quæcunque ei tribuuntur, personalia sunt, ut, quòd doceat, clamet, Reges vocet, domum ædificet, mactet animalia, convivium paret. &c. Nec hîc locum habet prosopopœia, quæ quidem in usu est in amplificationibus & exaggerationibus, non verò in tam brevibus præceptis. Jam verò per Sapientiam neminem alium intelligi quàm Christum, patet; quia ille vocatur Sapientia, & ex attributis, quæ isti sapientiæ tribuuntur: Quis enim alius sapientiæ nomen mereri potest? quis homines ad se vocat, veram salutis viam docet, homines peccatores stultitiæ arguit, auscultantibus vitam, incredulis exitium denunciat? quis ante mundum conditum fuit apud Deum? quis Patri in deliciis, ab eoque inunctus? Per quem Reges regnant, nisi per Christum? Prov. 8. 22. &c. Exc.

3. Ex *Mich.* 5. 2. Ubi *egressus Messiæ* dicuntur *à principio*, *à diebus æternitatis*; Observa 1. Egressum æternum dici oppositè ad egressum temporalem ex civitate Bethlehem per nativitatem ex virgine. 2. Hoc oraculum ad Messiam pertinere, quia vocatur dominator in Israël, cui tribuitur vocatio gentium, regnum spirituale, fortitudo Jehovæ, gloria, pax extendenda ad omnes fines terræ. v. 4. 5. 3. Per egressum notari generationem; unde non semel filio tribuitur, quòd à Patre prodierit. Joh. 13. 3. & 16. 27. 28. non enim potuit prodiisse à Patre, nisi per generationem substantialem, cujus egressus præcessit omnem Creationem. Exc. Agitur de antiquitate familiæ Christi. R. Minimè. quia non agitur de familia Dominatoris; sed de Dominatore ipso. Mich. 5. 2. Exc.

Rom. 8. 32. Joh. 1. 14. 18. 4. Christus dicitur *Filius Dei proprius Rom.* 8. 32. *Filius unigenitus. Ioh.* 1. 14. 18. Si verò Filius diceretur tantùm propter gratiosam Communicationem existentiæ & gloriæ, respectu naturæ humanæ, sive in miraculosa conceptione, sive in resurrectione & exaltatione, sive in vocatione, non posset vel proprius vel unigenitus vocari Dei Filius, quia filiatio illa & aliis posset competere. Nam & angeli filii vocantur, propter excellentiam naturæ; & magistratus propter dignitatem muneris, & Adamus propter miraculosam creationem, & fideles propter adoptionem, regenerationem & resurrectionem.

Col. 1. 15. Heb. 1. 3. 5. Christus est imago Dei invisibilis Col. 1. 15. ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Heb. 1. 3. Illa est vera generatio, cujus terminus is est, qui est imago gignentis, & character ipsius personæ; non splendor, qui citò transit, sed character, qui semel impressus semper manet, non imago accidentalis, & analogica, quæ in virtutum similitudine consistit, qualis est in homine, respectu Dei; sed Essentialis & naturalis, qualis est Patrum in filiis, qui ejusdem sunt cum illis naturæ.

OBJECTIONES.

Joh. 1. 14. 1. *Est tantùm ὡς μονογενὴς. Ioh.* 1. 14. R. Τὸ ὡς non est assimilativum, quasi similis tantùm esset unigenito, sed expressivum veritatis, ut: 2. *Cor.* 3. 18. *Nos omnes retecta facie gloriam Domini quasi in speculo intuentes*, &c. *Luc.* 22. 44. *Erat sudor ejus quasi grumæ sanguinis*: quod patet ex Textu, quia dicitur in principio apud Deum fuisse, imò esse Deum.

Col. 1. 15. 2. *Primogenitus Creaturarum est. Col.* 1. 15. R. Christus dicitur πρωτότοκος, non πρωτόκτιστος, ratione dominii, quia ut omnia per ipsum facta sunt, ita imperium habet in omnia; sed non ratione creationis, quasi primus inter Creaturas productus esset, aliâs non diceretur jam fuisse in principio, & omnia condidisse. Simile ergo h. l. deducitur à primogenitis in V. T. quia omnes prærogativæ primogenitorum, regnum, sacerdotium, & duplex portio illi propriissimè competunt.

3. *Gignens debet esse prior genito.* R. Filius non fuit propriè ante generationem, nec cœpit esse per generationem, sed semper emanavit à Patre actu æterno & interno, ad

ad modum radii à sole jugiter emanantis, licèt modo eminentiori, inexplicabili.

4. *Ergo Deus genuit alium Deum à se distinctum.* R. Neg. quia non genuit aliam Essentiam, sed eandem numero filio communicavit.

5. *Ergo Filius seipsum genuit, & simul sui ipsius est Filius & Pater; quia idem Deus.* R. Est alia persona, adeòque generans & genitus distincti sunt.

X. Hic Filius homo factus est, *Persona* divina assumsit *naturam* humanam, propria personalitate carentem, non *natura* divina *naturam* humanam, aut *personam*, nec *persona* personam: Mansit ergo Christus nonnisi una persona divina.

XII. In qua persona duæ fuêre naturæ, personaliter unitæ, divina & humana; duo intellectus, duæ voluntates.

XIII. In explicando hoc mysterio duo scopuli sunt vitandi, *Nestorianismus*, qui personam dividebat, & *Eutychianismus*, qui naturas confundebat.

XIV. Primus error est *Nestorii*, Patriarchæ Constantinopolitani, qui ex duabus naturis Christi duas fingebat personas, ideo B. Virginem Θεοτόκον, Deiparam dici posse negabat, sed tantùm Χριστοτόκον, & Christum non Θεὸν, sed tantùm ἄνθρωπον Θεοφόρον, *hominem Deiferum*; atque ita duos Christos faciebat, quorum unus crucifixus fuerit à Judæis, alter non. Unde illud sæpius ingeminabat. *Quid gloriaris Judæe? hominem crucifixisti non Deum.* Nec aliam unionem Naturalem agnoscebat, quàm accidentalem, tum κατὰ ἐνοίκησιν, & simplicem habitationem, quatenus Verbum habitabat in Christo homine, ut in suo Templo tum κατὰ χάριν & εὐδοκίαν, quatenus Deus maximè acquiescebat in hoc homine, tum κατ' ἐνέργειαν, per operationem, quatenus instrumentum erat Dei in admirandis illis operibus, quæ Filius Dei patrabat, tum κατὰ συμβασιλείαν & affectum, respectu consensionis inter voluntatem hominis & Dei in Christo, tum κατ' ἀξίαν & ἰσοτιμίαν, respectu dignitatis in assumtam carnem collatæ. Quæ sententia in Concilio Ephesino damnata est. Nestorii error.

XV. Contra *Nestorii* autem doctrinam pugnant sequentia Argumenta. 1. Loca, quæ ostendunt, Dei filium de Virgine natum esse, quod cùm respectu naturæ divinæ Impugnatur.

vinæ intelligi non possit, sed de humana, rectè concluditur, divinam humanamque naturam in Christo nonnisi unam personam constituere, de qua rectè prædicentur quæcunque in divinam & humanam naturam competunt. *Luc.* 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Gal.* 4. 4. *Deus misit Filium suum, factum ex muliere*, &c. 2. Loca, in quibus una persona duabus constans naturis describitur. *Rom.* 1. 3. dicitur *Christus ex semine Davidis secundùm carnem, & Filius Dei secundùm Spiritum sanctificationis. Rom.* 9. 5. *Deus benedictus in secula, & homo oriundus à Patribus.* 1. *Tim.* 3. 16. *Deus manifestatus in carne. Phil.* 2. 5. 6. *Ille qui in forma Dei erat, sese exinanivit, assumtâ formâ servi.* 3. Loca, quæ diversas proprietates & operationes uni Christo tribuunt, ut, quòd *Filius hominis, qui descendit de cœlo, sit tamen in cœlo. Ioh.* 3. 13. *Dominus gloriæ fuerit crucifixus.* 1. *Cor.* 2. 8. *Deus acquisiverit Ecclesiam proprio sanguine. Act.* 20. 28. Quæ de eo prædicari non possent, nisi duæ naturæ in unam personam coaluissent.

Luc. 1. 35. Gal. 4. 4.

Rom. 1. 3. Rom. 9. 5.

1. Tim. 3. 16. Phil. 2. 5. 6.

Joh. 3. 13. 1. Cor. 2. 8. Act. 20. 28.

XVI. Obj. *Duæ naturæ singulares duas personas constituunt.* R. Ubi sunt duæ naturæ completæ tam in esse substantiæ, quàm subsistentiæ, & incommunicabiles, ibi sunt duæ personæ: At in Christo non sunt duæ naturæ completæ quoad subsistentiam & incommunicabiles.

XVII. Maria igitur rectè, vocatur Θεοτόκος, seu *Deipara*, in *concreto* & *specificativè*, quia eum peperit, qui etiam Deus est, sed non in *abstracto*, & *reduplicativè*, quà Deum.

Maria quomodo Θεοτόκος.

XVIII. Et licèt titulus Deiparæ delatus B. Virgini, raptus fuerit ab hominibus superstitiosis in occasionem idololatriæ, tamen abusus & error Pontificiorum usum legitimum istius nominis non debet tollere.

Titulus Deiparæ superstitionem peperit.

XIX. Secundus scopulus hic vitandus est *Eutychianismus*, priori oppositus, dictus ab Eutyche, Archimandrita Constantinopolitano, qui, dum fervidius se opponit Nestorio Personam Christi in duas dividenti, naturas duas in unam confudit, qui à Concilio Chalcedonensi damnatus fuit: At contrarium testatur S. Scriptura, in qua frequens est duarum naturarum in Christo oppositio. *Rom.* 1. 3. *Factus ex semine Davidis secundùm carnem, declaratus Filius Dei potenter secundùm Spiritum sanctificationis.* 1. *Pet.* 3. 18. *Morte affectus carne, vivificatus Spiritu. Phil.* 2. 6. 7. *Qui*,

Eutychianismus.

Rom. 1. 3. 1. Pet. 3. 18. Phil. 2. 6. 7.

Qui, cùm esset in forma Dei, seipsum exinanivit, formâ servi acceptâ. 2. Contraria tribuuntur Christo, quæ sine duabus in ipso naturis locum non haberent, ut, quòd sit discessurus à mundo, & mansurus nobiscum in æternùm, quòd infans natus sit, qui est Pater æternitatis, quòd fuerit in forma Dei & in forma servi, &c.

XX. Ut duplici huic errori se opponerent Patres Synodi Chalcedoniensis ann. 451. congregatæ, dixerunt factam fuisse unionem ἀδιαιρέτως & ἀχωρίστως, *indivisibiliter* & *inseparabiliter*, adversus Nestorium, & ἀτρέπτως, & ἀσυγχύτως, *sine mutatione & confusione*, adversus Eutychem; quia ita unitæ sunt duæ naturæ in unam Personam, ut nec conversæ sint una in alteram, nec confusæ, ut ex duabus tertia quædam emergeret, sed inconfusæ permanserint, cum suis utrinque proprietatibus.

CONTROVERSIA.

An Deus verè sit homo factus; seu secunda persona Trinitatis, Deus Filius, assumserit humanam naturam? Aff. cont. Socin.

Filius Dei naturam humanam in unitatem Personæ assumsit.

Non quæritur de *unione physica* & essentiali duarum rerum ad constituendam unam tertiam naturam, ut anima unitur corpori ad constituendum hominem. Non de unione σχετικῇ & *relativâ*, quæ in unione animorum consistit, qualis est unio amicorum. Non de unione παραστατικῇ, per *meram assistentiam*, qualis erat angelorum cum corporibus assumtis. Non de *unione* δραστικῇ quoad *efficaciam* & *sustentationem generalem*, quâ omnia sunt in Deo, & nos in eo sumus, vivimus & movemur. Act. 17. Non de *unione mystica* & gratiæ fidelium cum Christo: Non de *unione* οὐσιώδῃ, *seu Essentiali* Personarum Trinitatis in una essentia. Sed de *unione Hypostaticâ*, per quam nihil aliud designatur, quàm duarum naturarum, divinæ & humanæ intima & perpetua conjunctio in unitatem Personæ, per quam natura humana, quæ destituta fuit propriâ personalitate, fuit assumta ad personam λόγου, & illi conjuncta in unitatem personæ, ut jam sit ἐνυπόστατος λόγῳ, quatenus sustentatur ab ipso non *sustentatione generali*, quâ Creaturæ omnes à Deo sustentantur, sed *speciali* & *personali*, quatenus in unam personam cum verbo coaluit. Talem unionem negant *Sociniani*, qui in Christo do-

Unio hypostatica quid?

sto docent unam tantùm esse naturam, hominem esse, non tantùm verum, sed etiam merum & simplicem, cujus proinde tota prærogativa fuerit in excellentia attributorum ejus, & officii, non naturæ. Nos affirmamus.

ARGUMENTA.

Joh. 1. 14. 1. Quia *verbum caro factum est. Ioh.* 1. 14. Ubi distincta fit mentio duorum extremorum, *verbi* & *carnis*, & unionis, per quam inter se conjuncta sunt, non utique per conversionem & mutationem, cujus Deus est incapax, sed per assumtionem, quâ idem in se manens, factus est quod non erat, per participationem carnis & sanguinis.

Phil. 2. 6. 7. 2. Ex *Phil.* 2. 6. 7. *Christus in forma Dei existens, non reputavit rapinam, esse æqualem Deo; sed seipsum exinanivit, acceptâ formâ servi in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo*, &c. Ubi mentio fit expressa duarum naturarum Christi, *divinæ* per μορφὴ Θεοῦ, formam Dei, & per *æqualitatem cum Deo*, humanæ verò per μορφὴ δούλου, *formam servi quam assumsit, & similitudinem hominum.* Unio verò duarum istarum naturarum in unam personam non obscurè indigitatur, quia idem, qui erat in forma Dei, dicitur assumsisse formam servi, non tantùm apparuisse in forma servi, ut olim apparebat in forma hominis sub V. T. sed *accepisse* formam illam, ut innueret veram assumtionem naturæ nostræ in unitatem personæ.

Exc. 1. Μορφὴ Θεοῦ *non designat naturam divinam, quæ non potest exinaniri, sed excellentiam naturæ humanæ, spectatam in patratione miraculorum.* R. Neg. Nam forma Dei hic est parem esse cum Deo, quod de quacunque excellentia naturæ angelicæ, nedum humanæ dici nequit. Apostoli etiam stupenda miracula patrârunt, nec tamen possunt dici pares Deo. 2. Deus non potest inaniri per gloriæ immutationem, sed per ejus occultationem, non apud Deum *intrinsecè*, sed *extrinsecè* quoad homines.

Exc. 2. *Forma servi non notat humanam naturam, sed abjectissimam Christi conditionem, juxta quam dicitur tantùm factus ad similitudinem hominis, i. e. sicut homo, non autem homo simpliciter.* R. Separantur conjungenda, servilis enim conditio Christi non excludit veritatem naturæ humanæ, sed supponit. 2. Si ad similitudinem hominum factus dicitur, non negatur identitas specifica naturæ humanæ,

manæ, sed tantùm numerica; aliâs Sethus non esset ejusdem naturæ cum Adamo, quia dicitur factus ad ejus similitudinem. Gen. 5. 3.

3. Quia *Deus manifestatus est in carne.* 1. *Tim.* 3. 16. Ubi duæ naturæ, divina & humana connotantur, quæ in personam Christi coaluerunt per incarnationem; aliâs non posset dici idem Christus Deus & caro; *manifestari* igitur in carne idem est, quod alibi *participem fieri carnis & sanguinis. Heb.* 2. 14. *fieri carnem. Ioh.* 1. 14. & ἐν σαρκὶ ἐληλυθὸς *venire in carnem.* 2. *Joh.* 7. 1. Tim. 3. 16. Heb. 2. 14. 2. Joh. 7.

4. Ex locis, ubi duæ naturæ in Christi Persona clarè proponuntur, quæ vide supra §. XIX.

OBJECTIONES.

1. *Christus esset dependens & independens, finitus & infinitus. Sed hæc sunt contradictoria, quæ non possunt convenire eidem subjecto.* R. Contradictoria non possunt convenire eidem subjecto, eodem modo & respectu; sed, esse dependentem & independentem Christo competit κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, illud respectu naturæ humanæ, hoc respectu divinæ.

2. *Distantia est infinita inter Deum & hominem. E. talis unio non potuit fieri.* R. Distantia *infinita localis* potest impedire unionem duarum naturarum; sed non *distantia infinita perfectionis*, quæ est inter naturam humanam & divinam.

3. *E. Filio Dei aliquid additum est; Cui verò additur, illud est imperfectum.* R. Nihil illi additum est *intrinsecè*, ad perficiendam ejus naturam, quæ habuit jam eminenter omnem perfectionem humanitatis; Sed tantùm *extrinsecè* aliquid illi est adjunctum, ad operandum redemptionem.

4. *Qui fit quod antea non erat, mutatur.* R. Qui fit quod non erat *transmutativè*, mutatur; qui fit quod non erat, *assumtivè*, non statim mutatur. Mutatio ergo, si quæ hic detur, est in natura humana, non in persona λόγου, qui idem semper existens sibi univit eam.

5. *Ergo desiit esse persona, quia pars factus est.* R. Partem assumsit, sed nulla confusio aut commixtio facta est.

CON-

CONTROVERSIA II.

Humana Christi natura non fuit Persona.

An humana natura Christi etiam fuerit humana persona? Neg. cont. Soc.

ARGUMENTA.

1. Tum duæ diversæ forent Personæ, & nihil horum de eadem persona dici posset; Deus manifestatus in carne; ex patribus secundùm carnem, Deus super omnia, Deus gloriæ crucifixus, &c.

2. Nusquam id legitur in Scriptura.

OBJECTIONES.

1. *Natura Christi humana est substantia prima intelligens.* R. Non ideo statim est persona, quia non habet incommunicationem, & propriam subsistentiam. Ut anima separata est substantia singularis intelligens, non tamen persona, quia est Ens partiale, incompletum, quod non subsistit, sed alteri debet adjungi.

Inst. *Carentia propriæ personalitatis veritati & perfectioni humanæ naturæ Christi derogat.* R. Neg. Quia veritatem naturæ humanæ ex materia, forma, & proprietatibus essentialibus, non ex personalitate metimur. 2. Personalitas nec est pars integralis nec essentialis naturæ, sed quasi terminus, quem quia in subsistentia increata sortitur, eo ipso longè perfectior est, quàm si à verbo separata per se subsisteret.

2. *Christus assumsit hominem.* R. Non suppositaliter ita dictum, sed naturam humanam, i. e. hominem specificè sic dictum: Et, quoties homo, vel filius hominis dicitur Christus, nomen est non naturæ, sed personæ ab altera natura denominatæ.

3. *Natura humana egit: Actiones autem sunt suppositorum.* R. Actiones & passiones sunt suppositorum *Denominative*: sed non obstat, quin tribuantur *formaliter* naturæ uni vel alteri. Sic passio & mors propriè & formaliter est naturæ humanæ, sed denominativè personæ secundùm alteram naturam.

4. *Ergo nobis per omnia similis non est.* R. Est quod ad naturam humanam, non quod ad peccatum, & subsistendi modum.

Unio hypo-

XXI Unio illa hypostatica non bene explicatur per simile

simile conjunctionis animæ & corporis: Conveniunt quidem in eo, quòd sicut corpus & anima conveniunt in unam personam; ita divinitas & humanitas; & ut anima operatur per corpus, ut organum sibi substantialiter unitum; ita & divinitas per humanitatem. Sed in eo differunt, quòd corpus & anima conveniunt in personam, ut partes & naturæ incompletæ; sed divinitas nec est pars propriè nec natura incompleta: Deinde ex anima & corpore tertia quædam natura exurgit; sed non ex divinitate & humanitate.

Statica non bene explicatur similitudine animæ & corporis.

XVII. Non multum laborandum censemus in explicanda natura & specie Propositionum, quæ in isto mysterio adhibentur, quales sunt istæ: *Deus est homo*, *& homo est Deus*, cùm nihil simile in tota rerum universitate occurrat, & hoc sensu benè *inusitatæ* vocantur.

De propositione: Deus est homo, & homo est Deus.

XXIII. Natura humana in θεανθρώπῳ potest dici ejus tum *adjunctum*, tum *pars*, sano sensu. *Adjunctum*, non quòd ei adjuncta sit aut adhæreat, ut accidens subjecto, aut vestis corpori, sed quia λόγῳ ab æterno existenti absque carne, conjuncta est in tempore in unitate personæ. *Pars* etiam analogicè, & latiore sensu, non quasi persona Christi componatur ex duabus naturis incompletis, tanquam partibus propriè dictis; sed quòd subsistat non in una, sed in duabus naturis; unde dicitur σωθεὶς potiùs *numeri*, quam *partium*, quia in ea res plures numero, sc. natura humana & divina existunt.

Natura humana in θεανθρώπῳ quomodo possit dici ejus adjunctum, vel pars.

XXIV. Licèt in Christo duplicem Unionem agnoscamus, unam *personalem* duarum naturarum, divinæ & humanæ in unam personam, alteram *naturalem* animæ & corporis in unam naturam humanam; perperam tamen nobis impingitur à Lutheranis nonnullis, quòd duplicem in Christo statuamus Unionem hypostaticam, & ita Nestorianismo faveamus. Quia duæ illæ uniones diversimodè inter se differunt. 1. *Genere*, quia una est physica, altera hyperphysica. 2. *Termino*, qui illic est sola natura, hîc persona. 3. *Subjecto*, quod illic est sola natura humana, hîc natura utraque. 4. *Adjunctis*, quia illa est separabilis, quæ soluta fuit morte Christi, ista vero inseparabilis, quia quod semel λόγῳ assumsit, nunquam deposuit.

In Christo duplex unio, personalis & naturalis.

CONTROVERSIA.

An Christus secundùm humanam naturam non sit, nec dicatur Filius Dei? Neg. c. Socin.

ARGUMENTA.

1. Vide quæ supra sub Th. X. attulimus.

2. Ut filius hominis dicitur quia genitus est ex homine, ex genere Adami; Ita Filius Dei debet dici, non quòd conceptus sit ex Sp. S. ratione humanitatis, sed quòd genitus sit ex Deo ratione Divinitatis.

OBJECTIO.

Luc. 1. 35. *Luc.* 1. 35. *Spiritus S. superveniet in te*, &c. διὸ καὶ, *ideò quòd ex te genitum est sanctum, Filius Dei vocabitur.* R. Particulæ διὸ & καὶ non sunt notæ *consequentis*, quasi sit Filius Dei, quia genitus ex Sp. S. Sed *consequentiæ*, ratione manifestationis, quia inde à *posteriori* declarata fuit æterna Filiatio, ut sensus sit: Ideò quia ita nasci non contingit, nisi æterno Dei Filio; ideò dicetur, hic est ille Filius ab æterno genitus. Quò pertinet. 1. quòd non dicitur ἔσται, erit, sed κληθήσεται, vocabitur, i. e. manifestabitur, & esse agnoscetur Filius Dei unigenitus. 2. Quòd non exprimitur genere masculino, γεννώμενον, sed neutro, τὸ γεννώμενον, ut innuatur, non hominem illum, qui nasciturus erat, dici Filium Dei, sed sic discretè vocari aliquid in Christo essentiale, naturam nim. aut personam ejus divinam, quæ bene neutro genere, ut aliquid ὑφιστάμενον, denotatur.

XXV. Filius humanam naturam ex sanguine Mariæ virginis, ope Sp. S. assumsit. Adeoque in Conceptione Christi duplex principium attendendum est, *Activum*, Spiritus S. *Passivum* B. Virgo.

Conceptionis Christi principium activum est Sp. S. Qui tamen non potest dici Pater Ch.

XXVI. *Principium activum* est Sp. S. non exclusivè ad cœteras Trinitatis Personas, sed *appropriativè*, quatenus consummatio & fœcundatio rerum solet tribui Spiritui S. Spiritus autem se hic habet non *materialiter*, sed *efficienter* tantùm, δημιουργικῶς, non σπερματικῶς; ut conceptus sit ex Spiritûs potentiâ, non ex substantiâ, non generatione, sed benedictione & consecratione; ut præpositio ἐκ sit nota causæ efficientis, ut sæpe alibi. Rom. 11. 36. quum omnia dicuntur esse ex Deo. & 1. Joh. 3. 9. pii nati ἐκ τοῦ Θεοῦ. Atque hinc facilè responderi potest ad Quæstionem,

sionem, quæ hîc moveri solet à Socinianis. Annon Spiritus S. rectè dicatur Pater Christi, cùm ex illo conceptus dicatur? Cùm enim titulus Patris requirat generationem ex substantia generantis, & generationem naturæ sibi similis, & neutrum hîc occurrat; patet Sp. S. non posse dici patrem Christi.

XXVII. Duæ autem hîc præcipuæ fuerunt Sp. S. operationes. 1. *Materiæ præparatio.* Primò enim debuit materiam ex B. virginis substantia decisam idoneâ sanctificatione præparare, non modò vim eam illi indendo, quæ ad generationem sufficeret sine semine viri, sed etiam repurgando illam ab omni peccati labe. 2. *Corporis Christi formatio*, ad quam pertinet ejus organizatio, animatio, & utriusque tam corporis quàm animæ cum verbo unitio.

An Christi corpus fuerit formatum momento an successivè?

XXVIII. Quær. An Christi corpus fuerit formatum momento, an successivè? Resp. Tria hic occurrunt. 1. *Præparatio materiæ*, ex qua formatum est corpus Christi. 2. *Formatio Corporis* ex materia ista ritè præparata. 3. *Perfectio* ejusdem *Corporis* per sua incrementa paulatim ad justam quantitatem perducti. Quoad primum & tertium consentiunt omnes successivè fuisse peracta. Sed quoad secundum disputatur inter Theologos, aliis momentaneam, aliis successivam formationem urgentibus, ad quos accedimus. 1. Quia momentanea illa & miraculosa formatio Corporis Christi integri, & cum anima conjunctio fingitur sine Scriptura. 2. Quia Christus in assumtione naturæ humanæ dicitur factus nobis similis, excepto peccato. 3. Si momento perfectum fuit Christi corpus, potuisset nasci pariter eodem momento, nec debuisset B. Virgo gestationis ordinariæ molestias sustinere.

Nativitas Christi fuit ordinaria.

XXIX. *Nativitas* Christi contigit statò, & à natura definito partus tempore, qui partus, licèt miraculosus fuerit, quia virgineus, naturalis tamen bene dicitur, quia consuetò matribus more enixa est. Unde nec sine dolore dici potest peperisse, cùm enim peccato non caruerit, peccati etiam pœnam hâc in parte, & primævam matrum sortem perferre debuit. *Gen.* 3. 16. *In dolore paries liberos.* Multò minùs cum Pontificiis ad corporum penetrationem inde asserendam, affirmari debet? Mariam clauso utero enixam esse, Scripturâ contrarium expressè definiente. Luc. 2. 22. 23. quum applicatur Christo locus. Exod. 13. 2.

Ubi agitur de primogenito vulvam aperiente. Nec propterea virginitas Mariæ in dubium vocatur; quia non in eo sita est, quòd Christus natus sit clauso utero, sed quòd Virgo fuerit, intacta viro.

An Maria semper virgo fuerit, tam post partum, quàm ante?

XXX. B. Virginem Mariam etiam post partum semper virginem mansisse, non quidem expressè definitur in Scriptura, sed pie tamen creditur, ex Veteris Ecclesiæ consensu. Probabile quippe est, uterum illum, in quo Servator noster vitæ auspicia accepit, tanto hospite ita consecratum fuisse, ut intacta Viro semper manserit. Unde meritò *Helvidius* & *Antidicomarianitæ*, ita dicti, quòd essent ἀντιδικοι Mariæ, à Patribus reprehenduntur, quòd Mariam ἀειπαρθενον negaverint, statuentes eam post partum Josepho copulatam fuisse, imò, & ex eo liberos suscepisse.

Exod. 4. 22.

Obj. 1. *Christus primogenitus Mariæ dicitur.* R. Hebræi primogenitos etiam unigenitos solent vocare. Exod. 4. 22. *Israël* vocatur *primogenitus Dei*, licèt solus esset populus à Deo electus.

2. *Fratres Christi quidam vocantur.* R. Per fratres subinde notantur consanguinei, & consobrini; Sic Abraham & Loth vocantur fratres, Gen. 13. 8.

Matth. 1. 25.

3. *Josephus Mariam non cognovit*, donec *peperit filium suum primogenitum. Matth.* 1. 25. R. Particulæ *Donec* & *usque* ad præteritum sæpe tantùm referuntur, non ad futurum, i. e. ita præcedens tempus connotant, ut futurum non respiciant. e. g. *Gen* 28. 15. *Non deseram te, usque dum perfecero quæ tibi elocutus fui. Ps.* 123. 2. *Oculi nostri respiciunt ad Iehovam*, donec *gratiam fecerit nobis. Ps.* 110 1. *Sede ad dextram meam*, donec *posuero inimicos tuos scabellum*, &c.

Gen. 28. 15. Ps. 123. 2. Ps. 110. 1.

B. Virgo non habuit votum virginitatis.

XXXI. Licèt autem piè credatur perpetua ejus Virginitas, perperam tamen à Pontificiis votum virginitatis illi affingitur; nec enim virginitatem Deo, & nuptias Josepho simul spondere potuit.

Christus verus homo.

XXXII. Est ergo Christus verus homo: Habuit enim veram animam, ut ipse dicit. *Matth.* 26. 38. *Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem.* Et verum corpus, juxta locum. *Heb.* 10. 5. *Corpus meum adaptâsti.* Unde in morte Spiritus Deo, corpus sepulcro datum est. Luc. 23. 46. 53. Quod tenendum contra *Arianos*, carnem Christi ἄψυχον statuentes, *Apollinaristas*, ac *Enthusiastas* varios, Dei-

Deitatem animæ loco obtrudentes, *Monothelitas*, unam tantùm voluntatem in Christo agnoscentes, *Eutychianos* denique omnes, qui humanam naturam ita cum divina confusam fuisse, ut illa absorpta foret.

CONTROVERSIA. I.

An natura humana assumta à λόγῳ fuerit nostræ per omnia similis, excepto peccato, & caro ejus ex substantia B. Virginis desumta? An verò cœlitùs delapsa? Prius aff. post. Neg. cont. Anabapt.

Hostes humanitatis Christi olim fuerunt *Manichæi* & *Marcionitæ*, qui Christum non verè, sed apparenter tantùm & phantasticè hominem fuisse contendebant; & ita humanitatem ejus in spectrum convertebant. *Valentiniani* corpus quidem habuisse, sed de cœlo missum, non de virgine acceptum; & corpus Virginis fuisse instar carnalis, per quem Corpus Christi transierit. *Apollinaristæ* carnem quidem habuisse credebant, non tamen quòd eam ex virgine sumsisset, sed quòd in incarnatione aliquid Verbi in carnem conversum esset, & loco animæ divinitas carnem informaret. Horum prementes vestigia hodierni *Anabaptistæ*, negant Christum ex B. Virginis substantiâ carnem & sanguinem sumsisse: Præsertim Anabaptistæ Belgæ clariùs profitentur carnem Christi esse ex Sermone vitæ, ex Semine Patris, quòd semen sit verbum Dei. Contra hos militant sequentia

ARGUMENTA.

1. Vocatur *Semen mulieris. Gen.* 3. 15. *Semen Abrahæ. Gen.* 12. 3. *Filius Abrahæ. Act.* 3. 25. *Filius Davidis, & fructus lumborum ejus. Luc.* 1. 32. *Rom.* 1. 3. *Semen virginis, & fructus ventris. Luc.* 1. 31. 42. *Factus ex muliere. Gal.* 4. *v.* 4. — Gen. 3. 15. Gen. 12. 3. Act. 3. 25. Luc. 1. 32. Rom. 1. 3. Luc. 1. 31. 42. Gal. 4. 4.

2. Quia *particeps factus est carnis & sanguinis, & ex eo frater noster vocatur. Heb.* 2. 14. 16. — Heb. 2. 14. 16.

3. Quia *semen Abrahæ assumsit, non angelos. Heb.* 2. 16. Ubi ὁ ἐπιλαμβάνεται propriè apprehendere & assumere, seu suscipere significat, & rectè ad assumtionem naturæ ad unitatem personæ refertur, ut sensus sit: Filium Dei non Angelicam, sed humanam, & quidem secundùm promis-

sionem ex Abrahæ posteritate naturam assumsisse; quem genuinum sensum esse, quicquid cavillentur adversarii, scopus Apostoli, & series sermonis ostendit; hîc enim intendit veritatem naturæ humanæ Christi, & ὁμοιότητα nobiscum probare per participationem carnis & sanguinis, quæ necessaria erat omnimodò ad Redemtionem; & quia v. 14. dixerat participâsse eum carni & sanguini ut nos liberaret, jam docet quomodo, & unde carnem illam participaverit, nim. assumendo semen Abrahæ, i. e. non naturam humanam in genere, sed in singulari naturam ex Abrahamo derivatam, juxta promissionem illi factam,

4. Datur Genealogia Christi, ex qua oriundus dicitur à Patribus secundùm carnem Matth. 1. Luc. 1.

5. Si Christus nobis per omnia similis non est factus quoad identitatem naturæ, non potuit nos verè redimere, cùm peccatum in eadem natura, in qua commissum fuit, expiari debuerit.

OBJECTIONES.

Phil. 2. 7. 1. *Venit in similitudine hominis, habitu compertus ut homo. Phil.* 2. 7. R. 1. Similitudo alia est *externæ apparentiæ* tantùm, alia verò *internæ veritatis*, & naturalium proprietatum. Christus dicitur factus *in similitudinem hominis* non priori, sed posteriori sensu, ut Adam dicitur genuisse Sethum ad similitudinem suam. Gen. 5. 3. Et Elias dicitur ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν. Jac. 5. 17. 2. Τὸ ὡς non est tantùm similitudinis, sed veritatis ut: Joh. 1. 14. *Vidimus gloriam ejus* ὡς ut *unigenti* &c.

1. Cor. 15. 47. Joh. 3. 31. & 8. 23. 2. *Est Dominus è cœlo. 1. Cor.* 15. 47. *Joh.* 3. 31. *&* 8. 23. R. Non ratione materiæ corporis, sed ratione personæ λόγου, & naturæ divinæ, quæ se in carne manifestavit. 2. Causæ afficientis, nim. Spiritûs S. ex quo humanitas concepta est. 3. Conditionis vitæ Christi in terris, quæ non terrena & mundana, sed divina & cœlestis fuit.

Joh. 3. 6. 3. *Esset peccator, nam, quicquid natum est ex carne, caro est. Joh.* 3. 6. R. Nimirum secundùm naturæ ordinem, & modo naturali, seu generatione ordinariâ & univocâ, non verò extra ordinem, & modo supernaturali, quod hic factum. Hinc, licèt Christus ex Adamo peccatore ortum duxerit, non tamen peccatum ab eo traxit vel imputatum, vel inhærens; quia non descendit ab ipso ex vi promissionis generalis; crescite & multiplicamini; sed virtute promissio-

missionis specialis, de semine mulieris: Et licèt fuerit in Adamo quoad naturam; non tamen quoad Personam, & statum moralem, seu fœderalem rationem, per quam fit ut posteri Adami omnes, excepto Christo, peccato ejus participent.

4. *Mulieres semen non habent.* R. Hoc contradicit non modò medicorum Scholæ, sed & Scripturæ, quæ fœtificandi vim collatam tam fœminæ quàm mari asserit. Gen. 1. 28. & semen illis tribuit. *Gen.* 16. 10. *Angelus dicit Agaræ, multiplicabo semen tuum.* Unde datur consanguinitas inter fratrem & sororem uterinos, licèt distinctis parentibus natos. Lev. 28. 9. 10.

CONTROVERSIA II.

An ergo Maria fuerit ex tribu Iudæ? Aff. cont. Judæos.

Maria fuit ex Tribu Judæ.

Quando nos probamus, Christum esse verum Messiam, inter alia, quia ex tribu Judæ & ex familia Davidis oriundus fuit, ex oraculis; excipiunt Judæi; Mariam non fuisse ex tribu Iuda. Nos opponimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Quia Christus non semel David dicitur à Prophetis.

2. Ex loco Nativitatis, Bethlehem, quod erat domus Davidis, quò se conferre parentes Iesu debuerunt, ut ex illa familia se oriundos esse probarent.

3. Ex Genealogia Christi utraque, quæ apud Matth. & Lucam habetur.

OBJECTIONES.

1. *Elisabeth, Levitici Sacerdotis uxor, cognata ejus erat.* *Luc.* 1. 36. R. Hoc inde fieri potuit, quòd vel aliquis ex Mariæ Majoribus conjugem duxisset ex tribu Levi, vel Sacerdos aliquis filiam ex cognatione Mariæ. Luc. 1. 36.

2. *At non licebat extra tribum. Num.* 36. R. Licebat, cùm hæreditas non alienabatur, & locum habere debuit ista lex, ubi virgines erant ἐπίκληροι, i. e. hæredes domûs paternæ, qualis erat Maria.

XXXIII. Charismata humanæ naturæ sunt dona in eam vi unionis personalis collata, ut sanctitas, sapientia, potentia, dignitas, &c. Tales gratias Christo collatas esse vere & plenissimè, Scriptura non uno loco testatur, ut: Ies. 11. 2. ubi dicitur *Spiritus Sapientiæ, Scientiæ,* &c. *requietu-* Gratiæ humanæ Christi naturæ collatæ.

rus super Christum. Unctus oleo lætitiæ. Ps. 45. 8. Quod non aliò potest pertinere, quàm ad dona Sp. S. animum mirificè lætificantia. Plenitudo etiam earum designatur, quum dicitur Christus *plenus gratiâ & veritate. Ioh.* 1. 14. & *accepisse Spiritum ἐκ μέτρου, sine mensura. Ioh.* 3. 34.

XXXIV. Plenitudo tamen illa non est infinita, quia humanitas, quæ finita est, infiniti non est capax: Sed hoc intelligendum *secundùm quid*, quia hæ gratiæ longè sunt majores iis, quæ angelis vel hominibus communicantur; in aliis enim est *plenitudo sufficientiæ*, quatenus tantum gratiarum obtinent à Deo, quantum ipsis ad salutem sufficit. Sed in Christo est *plenitudo abundantiæ*, quæ non ipsis tantùm sed & aliis sufficit, & quæ omnes habet gradus, qui ex Dei lege haberi possunt, quibus inter homines nihil æquale potest occurrere.

An Christus habuerit fidem & spem.

XXXV. Quær. A Scholasticis; An Christus fidem & spem habuerit? Et non pauci dicam scribunt Calvino, quòd fidem Christo tribuit. Sed non esse simpliciter fidem Christo denegandam, Scriptura non uno loco ostendit, dum Christum vocat *fidelem. Heb.* 2. 17. *&* 3. 2. & Petrus Act. 2. Refert ad Christum verba *Ps.* 16. *Caro mea requiescet in spe.* Et Matth. 27. 43. Christus Patrem Deum suum vocans, fidem suam in ipsum testatur. *Fides* ergo tribuitur Christo, non quatenus est apprehensio fiducialis misericordiæ Dei, quia sic tantum peccatoribus competit: Nec ratione *modi cognitionis*, quantum ad ænigmatis obscuritatem, 2. Cor. 5. 7. quod imperfectionem arguit. Sed quoad *cognitionis substantiam*, & quoad assensum in rem cognitam, i. e. doctrinam à Deo revelatam, & quoad fiduciam, quæ recumbit in Dei bonitatem nobis omnia necessaria providentem. Idem de *Spe* dicendum: Quicquid in ea perfectionis est, quoad *certitudinem*, per quam firmiter innitimur promissioni divinæ de re futura rectè Christo tribuitur; sed quod involvit defectum & imperfectionem, quatenus est exspectatio adhuc obscura rei quæ nondum habetur, non debet illi adscribi.

XXXVI. Gratiæ hæ in naturam Christi humanam collatæ non impedierunt, ut non etiam communes nostras imperfectiones susciperet, ut esurire, sitire, defatigari, dolere &c. Sed 1. nullas peccaminosas. 2. Nullas officio ipsius repugnantes, ut cœcitas, surditas, &c. 3. Neq; omnes particulares.

XXXVII. *Com-*

XXXVII. *Communicatio Idiomatum*, quæ orta est ex unione personali duarum naturarum, in eo sita est, 1. Quòd proprietates utriusque naturæ veræ toti personæ tribuantur: *Christus est creatus, increatus, finitus, infinitus.* 2. Quòd proprietates unius naturæ toti personæ tribui possunt, denominatæ ab altera natura, cui illæ non conveniunt; ut: *Dominus gloriæ est crucifixus.* 1. *Cor.* 2. *v.* 28. *Filius hominis ascendit, ubi erat antea. Ioh.* 6. *v.* 62. Communicatio idiomatum.

XXXVIII. Communicatio ista non est tantùm *verbalis*, sed *realis* rectè dicitur, non respectu *Naturarum*, quasi proprietates unius naturæ sint reipsa communicatæ alteri; sed respectu *Personæ*, quæ duabus naturis, realiter unitis, constat, & utriusque sibi idiomata vindicat. Potest dici realis.

XXXIX. Communicatio illa potest spectari vel in *abstracto*, respectu naturæ, vel in *concreto*, respectu personæ; vocibus concreti & abstracti non sumtis sensu abusivo Lutheranorum, quibus abstractum est natura humana, abstracta sive separata à Deitate; concretum verò natura humana prout unita λόγῳ; sed usu in Scholis recepto, prout abstractum est nomen naturæ, ut Deitas, humanitas; Concretum verò personæ, seu subjecti, habentis illam naturam, ut Deus, homo. Inde concludimus. Proprietates unius naturæ alterius naturæ factæ non sunt, neque de ea in abstracto prædicari possunt. Divinitas non est passa, humanitas non est æterna. Spectatur in concreto, vel in abstracto

CONTROVERSIA.

An anima Christi ab ineunte ætate beata fuerit, ita, ut noverit omnia, neque unquam dolorem senserit? Neg. cont. Pont.

Anima Christi ab ipsa creatione non ita repleta fuit scientiâ, ut nihil ignoraverit.

Scholastici scientiam Christi distinguunt in tres species: *Beatam* quâ Christus Deum videt secundùm essentiam, ut beati ejus faciem in cœlo intuentur. *Infusam*, quâ supernaturali habitu cognoscit res cœlestes, & quicquid per lumen gratiæ videri potest; & *acquisitam*, quâ intelligit quæcunque lumine naturæ sive rationis cognosci queunt. Sed minùs rectè, quia scientia beatifica, quæ est comprehensorum, non potest commodè tribui Christo adhuc viatori, in terris versanti. Duplicem ergo naturæ humanæ Christi in mundo degenti scientiam agnoscimus,

infusam & acquisitam, seu experimentalem. *Infusam* accepit per gratiam Spiritûs S. humanam naturam donis suis replentis. *Acquisita* est cognitio actualis, quam Christus acquisivit tum per ratiocinationem, tum per propriam experientiam.

Quæstio verò hoc loco non est: An Christus crassâ multarum rerum ignorantiâ laboraverit, quod per calumniam nobis imputatur, quia sic non posset eximi à peccato. Sed quæstio est: An anima Christi tantâ scientiâ imbuta fuerit ab initio, ex vi unionis hypostaticæ, ut nihil ignoraverit, vel de novo discere potuerit? Quod Pontificii affirmant: Nos negamus, & Christum quidem quâ Deum omniscium agnoscimus, sed quâ hominem scientiâ, magnâ quidem supra cæteras omnes creaturas, sed finitâ tamen & creatâ; & cui aliquid addi potuerit, & reverà additum sit, præditum confitemur.

ARGUMENTA.

1. Quia Christus dicitur *profeciſſe ſapientiâ & ſtaturâ. Luc.* 2. 52.

Luc. 2. 52.

Marc. 13. 32.

2. Quia filius dicitur *ignorare diem judicii. Marc.* 13. 32. non quatenus λόγος, nec, *quia aliis dicere nolebat*, ut Bell. Decan. Tirin. & alii vellent; quod æquivocationem Iesuiticam saperet, & Christus plurima mysteria ignoraret, quæ non vult revelare Ethnicis & Turcis, imò & Patri ipsi dicendus esset ignorare diem judicii, cùm eum nulli revelet; sed quatenus homo, & respectu naturæ humanæ tantum.

Exc.

Heb. 2. 17. c. 4. 15.

3. *Nobis per omnia ſimilis eſt factus, excepto peccato. Heb.* 2. 17. *cap.* 4. 15. crevit ergo sapientiâ ut nos.

OBJECTIONES.

Jes. 11. 2.

1. *Ieſ.* 11. 2. *Spiritus ſapientiæ in ipſo.* R. 1. De modo & gradu quæstio est, non de spiritu. 2. Neque ibi de Christo infante agitur, sed de functione muneris, ubi spiritum accepit. Matth. 3. 16.

Joh. 3. 34.

2. *Joh.* 3. 34. *Dat ei ſpiritum ſine menſura.* R. Quid hîc de infantia? Sensus est, non ex parte, aut parcè, sed totus Spiritus in ipso est cum donis pro ratione ætatis & muneris requisitis.

Col. 2. 3.

3. *Theſauri ſcientiæ & ſapientiæ in Chriſto ſunt abſconditi.* Col. 2. 3. R. Hoc non evincit, omnimodam scientiam omni tempore semper & absolutè fuisse in Christo; Sed fuisse eam omnem

omnem scientiam, quæ ad rationem officii Mediatorii pertinere potuit, quæ omninò eminentior fuit scientiâ hominum & Angelorum.

4. *Divina natura humanæ unita fuit.* R. Non ideò tamen quicquid erat in ea, in humanam transiit. Unde debuit repleri omnibus donis ad muneris mediatorii administrationem necessariis, verùm suo ordine & gradu, secundum œconomiam voluntatis divinæ. Ut natura divina in Christo primò comprimebat aliquo modo majestatem suam, & illam quasi occultabat sub velo carnis, quam postea clariùs exeruit in exaltatione. Sic Spiritus sapientiæ, quo unctus est, cohibebat, ne statim actus suos plenissimè in intellectum Christi effuderit; unde licèt plenissimam, imò infinitam cognitionem haberet, non tamen eam totam Christo homini communicavit.

5. *Sententia hæc est veterum Agnoëtarum.* R. Neg. quia illi ignorantiam verbo, sive Christo, quà Deus est, tribuebant.

CONTROVERSIA. II.

An Christus fuerit Viator simul, & comprehensor? N. cont. Pontif.

An Christus simul fuerit viator & comprehensor.

Pontificii hoc perrendunt, ut faciliùs negent passiones spirituales in anima Christi locum habuisse. Nos verò negamus.

ARGUMENTA.

1. Quia status isti sunt oppositi. Viator est in via, comprehensor in meta; viator laborat & patitur, comprehensor finitis laboribus perfectâ beatitudine fruitur.

2. Beatitudo comprehensorum est status gloriosus & felix, doloris & ignominiæ expers. At tota historia vitæ, passionis & mortis Christi clamat non fuisse talem statum Christi in terris gloriosum.

OBJECTIONES.

1. *Quod Deo arctissimè est unitum, debet esse omni modo perfectum.* R. Ratione Sanctitatis, ut nulla peccati macula in eo deprehendatur; Sed non statim quoad beatitatem, quod vel exemplo corporis Christi cum λόγῳ uniti constare potest, quod non potuit dici perfectè beatum, siquidem passioni & morti fuit obnoxium.

2. *Anima*

2. *Anima Christi arctiùs unita est cum Deitate, quàm animæ beatorum. E. fuit comprehensor.* R. At per dispensationem hoc jure se abdicavit, ut sponsoris munus impleret, quod vadimonium inter animas cœlitum, & earum unionem cum Deo non intercedit.

CONTROVERSIA. III.

Sanctitas Christi pertinuit ad officium mediatorium.

An Sanctitas Christi non tantum fuerit personæ requisita qualitas, sed & pertinuerit ad officium Christi mediatorium? Aff. contra Gallos quosdam.

ARGUMENTA.

1. Christus quà mediator & sacerdos debuit esse sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus. Heb. 7. 26. E. ad officium pertinet.

Heb. 7. 26. 1. Pet. 1. 19.

2. Quâ agnus immaculatus cæsus est. 1. Pet. 1. 19. N. B. ὡς.

3. Natus est pro nobis. E. & sanctus natus pro nobis. Ies. 9. 5.

OBJECTIONES.

1. *Est qualitas personæ.* R. Est etiam persona mediatoria.

2. *Quæ muneris & officii sunt, libera sunt; at Christus debuit nasci sanctus.* R. Omnia pariter libera & necessaria fuerunt Christo Deo; potuit non nasci, & officio mediatorio sanctè fungi.

CONTROVERSIA IV.

Christus peccare non potuit.

An Christus ob unionem hypostaticam adeò sanctus fuerit, ut peccare non potuerit? Aff. cont. Schol. & Rem.

ARGUMENTUM.

1. Diabolus nihil poterat contra ipsum. Joh. 14. 30.

2. Unio solvi potuisset; quia nulla Dei communio cum peccatore.

3. Christus, utpote peccator, damnari potuisset.

4. Christus officio mediatorio excidere, atque ita fundamenta salutis everti potuissent.

OBJE-

OBJECTIO.

Erat liber: Potuit ergo peccare. R. Libertatem in tali ἀδιαφορίᾳ non consistere, supra in doctrina de libero arbitrio probavimus.

CONTROVERSIA. V.

Proprietates naturæ div. non sunt communicatæ humanæ?

An proprietates divinæ naturæ communicatæ sint naturæ humanæ, ut omnipræsentia, omniscientia, omnipotentia, adoratio?

Neg. c. Luth.

Origo controversiæ repetenda est ex alia, de cœna; *Lutherani* enim, ad melius tuendam corporalem Christi præsentiam, ad ubiquitatem confugerunt, quàm quidem *Lutherus* rejecit, *Brentius* tamen & alii renovârunt: Et quia ipsis objectum fuit, ubiquitatem Dei proprietatem esse, eò devenerunt, ut aliquas proprietates divinas, unionis hypostaticæ vi, in humanam Christi naturam transfusas dicerent. Hinc in colloquio *Maulbrumensi* voluerunt unionem personalem formaliter consistere in communicatione proprietatum, vel in communicatione subsistentiæ, cujus effectum consequens sit communicatio proprietatum, quæ sententia nunc apud omnes ferè obtinet.

Non autem quæritur de *communicatione in concreto:* sive ut vocant, *naturæ ad personam.* Sed de *communicatione in abstracto*, seu *Naturæ ad Naturam.* An proprietates naturæ divinæ per Unionem hypostaticam naturæ humanæ verè & realiter communicatæ sint? Quod Lutherani vellent, nos negamus. Nec quær. An omnes proprietates naturæ divinæ sint communicatæ naturæ humanæ? Sed tantùm quædam, ut *omnipræsentia, omniscientia, omnipotentia, & vis vivificandi*, quod illi asserunt. Nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Essentia divina non potest communicari creaturæ, quia res creata non potest fieri increata, aliâs esset Deus, Ergo nec proprietates Dei essentiales, quæ identificantur cum essentia divina.

2. Quod proprium est uni, non potest alteri communicari, aliâs proprium esse desineret.

Exc. 1. *Non potest quidem communicari καθ' οὐσίαν, sed καθ' ὑπόστασιν, per utriusque unionem, ut locum habeat in sub-*

subjectis συνδεδυασμένοις. R. Et, συνδυασις illa non est in naturis unitis in abstracto, sed in Persona seu toto ex naturis unitis constante in concreto.

Exc. 2. *Proprietates communicari possunt, & tamen manent proprietates, cùm soli Deo conveniant per naturam, humanæ naturæ per gratiam.* R. Quod commune sit alteri, quomodocunque communicetur, non potest esse amplius proprium.

3. Aut omnes proprietates naturæ divinæ sunt communicatæ, aut nullæ, quia sunt inseparabiles, & realiter unum. Eorum verò, quæ sunt realiter unum, communicato uno, necessariò communicatur alterum.

Exc. 1. *Distinguendum inter Proprietates Dei* ἐνεργητικὰς, *quæ peculiaribus operationibus ad extra se proferunt, & quarum communicatio necessaria fuit ad officium mediatorium; &* ἀνεργητικὰς, *quas communicari non fuit opus.* R. Talis differentia tantùm obtinet respectu effectorum, & nostri, non verò in se, & intrinsecè, ubi nulla talis differentia dari potest, propter summam essentiæ simplicitatem, nec proinde diversitas in communicatione.

Exc. 2. *Distinguendum inter communicationem mediatam & immediatam; omnes proprietates divinæ dicuntur quidem communicatæ mediatè in hypostasi* λόγου, *quæ communicata est carni, sed immediatè tantùm quædam.* R. Præterquam quòd gratis fingitur communicatio formalis hypostasis facta carni, non agitur de communicatione mediatâ, per quam proprietates omnes divinæ de natura humana prædicari debent ex illa hypothesi, quia par esse debet omnium proprietatum inter se ratio.

4. Si propter unionem proprietates divinæ communicatæ sunt carni. E. vicissim proprietates carnis debuerunt communicari λόγῳ, quia unio est reciproca: Quod tamen nolunt admittere.

5. Si datur realis communicatio proprietatum in abstracto, dabitur etiam naturarum confusio, qui error pridem in Eutyche damnatus est: Confusio enim fit, quum res duæ vel plures, earumque proprietates communicantur, h. e. communes fiunt.

6. Si unio facta est inconfusè, & salvis ac distinctis manentibus naturis ipsis, earumque proprietatibus, ut agnoscunt Lutherani, non potest in ea facta esse communicatio

tio proprietatum; nam quod communicatur, non manet proprium.

7. In specie. *Contra omnipræsentiam* humanæ naturæ sic disputamus: Quia illa Christo communicata non est; nec in *exinanitione*, quia Evangelium testatur, illum modo in hoc, modo in illo loco fuisse; nec in *exaltatione*, Christo adhuc in terris versante. *Matth. 26. 5. 6. Scio vos Iesum crucifixum quærere, non est hic.* &c. nec in cœlum evecto, quia prædixit, se ex mundo migraturum. *Pauperes semper vobiscum habetis, me non semper habebitis. Matth. 26. 11. & Ioh. 16. 28. Prodii à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.* Imò, *Si esset in terra ne Sacerdos quidem esset. Heb. 8. 4.* Matth. 26. 5. 6. Matth. 26. 11. Joh. 16. 28. Heb. 8. 4.

Exc. *Reliquit mundum quoad visibilem & familiarem conversationem in mundo.* R. 1. Scriptura nullam invisibilem Corporis Christi præsentiam docet. 2. Verba Christi quamlibet præsentiam corporis excludunt, quia relicturus dicitur mundum. Tacemus jam, omnipræsentiam corporis Christi non tantùm naturæ corporis, sed & variis articulis fidei repugnare. Nam si omnipræsens fuit Christi corpus, quomodo concipi, nasci, sepeliri, resurgere, ascendere potuit? *Contra omniscientiam* pugnat, quòd Christus *ignoravit diem judicii. Marc. 13. 32. & profecit sapientiâ. Luc. 2. 40. 52. Contra omnipotentiam*, quia Christus secundùm naturam humanam passibilis fuit & mortalis, & opus habuit sustentatione Patris Matth. 26. & Joh. 17. Contra *vim vivificandi*: Quisquis enim vim vivificandi habet in se, Deus est, quia Dei solius est vivificare. *Ps. 36. 10. apud te fons vitæ.* Et vita Dei nihil aliud est, quàm actuosa ejus essentia, quæ naturæ creatæ communicari nequit. Deinde, si natura humana habuit vim illam vivificam, non potest exstingui. Exc. Marc. 13. 32. Luc. 2. 40. 52.

Exc. *Distinguendum inter actum personæ & naturæ: Natura humana quoad posterius est finita, sed omnipræsens priori; item: inter modum physicum & hyperphysicum, seu majestaticum; item, inter κτῆσιν, & χρῆσιν, per se, & κατ' ἄλλο; Christi divinitas est omnipræsens per se, κατὰ κτῆσιν, & quoad actum primum & secundum simul; sed humanitas tantùm κατ' ἄλλο, & κατὰ χρῆσιν.* R. 1. Actus personæ nequit convenire naturæ, quæ non est persona. Et si actus personalis carni Christi conveniat, erit actus Personalis Exc.

lis. 2. Modus hyperphysicus non destruit naturam, sed eam ornat; sed modus essendi *ubique* destruit eam, & ideo est antiphysicus. 3. In rebus terrenis κτῆσις seu proprietas rei potest sæpe à χρήσει, seu usu ejus distingui, quia qui usum rei habet, non semper ejus proprietatem habet; sed in divinis non item, non alius est omnipotens usu, quam qui talis est proprietate, Deus quippe alteri gloriam suam non dat. 4. Tales distinctiones omnes tollunt ipsum subjectum de quo agitur, eo enim tendunt omnes, ut omnipræsentia, quacunque tandem ratione competat Corpori Christi, quod non potest corpus manere, si sit omnipræsens.

OBJECTIONES.

1. *Seipsum totum communicavit carni.* R. Ab assumtione naturæ humanæ in unitatem Personæ non bene ducitur argumentum ad communicationem formalem hypostasis λόγε, nec ad communicationem proprietatum in abstracto. Quia assumtio naturæ potest consistere absque communicatione hypostasis, sufficit sustentatio hypostatica, ut natura humana, quæ in se est ἀνυπόστατος, fiat ἀνυπόστατος λόγῳ, & ab ea sustentetur.

Col. 2. 9. 2. *Plenitudo Deitatis habitat in Christo* σωματικῶς. *Col.* 2. 9. R. 1. Agitur de Christo in concreto, non de natura in abstracto. 2. *Si* ageretur de natura humana, tanquam Templo Deitatis. Ioh. 2. 19. nihil inde eliceretur pro communicatione proprietatum. *Habitare* enim *corporaliter* Apostolo significat totam plenitudinem Deitatis, i. e. essentiam divinam, cum tota plenitudine perfectionum suarum unitam esse naturæ humanæ non *umbratice*, vel per efficaciam tantùm aut assistentiam, ut in typis V. T. & in fidelibus, ac in aliis obscuris ac imperfectis revelationibus, sed *vere & personaliter*, quemadmodum corpus umbræ opponitur, v. 17. & σῶμα Græcis sæpe *personam* significat.

Joh. 3. 34. 3. *Christo Spiritus est datus* ἀμέτρως, *non ad mensuram. Ioh.* 3. 34. R. Hoc non absolute intelligendum, quasi dona Sp. S. Christo collata immensa sint; sed comparatè quoad nos, & omnia Christi membra, quæ ex ejus tanquam Capitis sui plenitudine accipiunt gratiam. Ioh. 1. 16. unde dicitur *unctus oleo lætitiæ supra consortes suos. Ps.* 45. 9.

4. *Sedet*

4. *Sedet ad dextram Dei, quæ est ubique.* R. Inde nihil sequitur, quia phrasis est impropria, & metaphorica, quæ nomen officii innuit, imperium sc. dominationem Christo collatam in mundum & Ecclesiam, ut Apostolus interpretatur; *oportet ipsum regnare.* 1. *Cor.* 15. 25. regnare verò non est hujus vel illius naturæ, sed personæ. θεανθρώπου.

5. *Mihi data est omnis potestas. Matth.* 28. 18. R. Non loquitur de Potentiâ, quæ est essentialis Dei proprietas, sed de potestate, quæ est apotelesma personale Mediatoris; non dicit πᾶσα δύναμις, sed πᾶσα ἐξουσία, ut notet jus & authoritatem mandandi & judicandi, unde statim addit: *Euntes ergo docete*, &c. 2. Non dicit *naturæ humanæ*, sed *mihi*, ut persona in concreto, non natura in abstracto designetur.

6. *Unio est ἀδιαίρετος & ἀδιάστατος.* R. Talis unio non exigit statim, ut ubicunque est unum unitorum, ibi sit etiam alterum, nisi ubi agitur de iis, quæ inter se sunt æqualia, & quorum unum non excedit alterum, quod de divinitate & humanitate Christi dici non potest. Ita quod in eo toto est, quod ubique est, debet quidem esse ubique, si est in toto omnipræsente per exæquationem, sive de unione tali, quæ est rerum pariter infinitarum, non autem ubi natura finita unitur infinitæ, retentâ suâ finitudine.

7. *Negatâ naturæ humanæ ubiquitate, sequitur separatio seu divulsio duarum naturarum in Christo.* R. Aliud est, λόγον esse extra carnem per *non inclusionem*, & hoc sensu conceditur, quia non est inclusus in ea, utpote infinitus. Aliud, esse extra eam *per separationem*, quod negatur, quia, etsi non sit inclusus, nuspiam tamen est à carne separatus. Igitur Propositio ista, *Verbum alicubi non est homo*, duplicem sensum habere potest, aut significat *verbum deseruisse alicubi naturam humanam*, & hoc sensu falsa est, quia quod verbum semel assumsit, nunquam dimisit; aut significat, *verbum esse alicubi, ubi non sit caro verbi*; & ita vera est, quia filius Dei est homo non per localem coëxistentiam humanitatis cum divinitate, sed per unionem hypostaticam humanæ naturæ factam non cum loco, sed cum λόγῳ. Ideò λόγος in terris existens verissimè est homo, & personaliter ac presentissime sibi unitam habet naturam humanam, etsi ea in terris præsens non est: Ubi ergo non est humanitas Christi, ibi tamen bene Christus homo dicitur esse, quatenus λόγος ibi existens, sustentat humanitatem, etsi non ibi, sed alibi existentem.

8. *Hypostasis λόγου formaliter communicata est carni. E.*

omnes ejus quoque proprietates. R. N. antecedens. Quia assumtio naturæ potest consistere absque communicatione hypostasis, sufficit sustentatio hypostatica, ut natura humana, quæ in se est ἀνυπόστατον, fiat ἐνυπόστατον λόγῳ, & ab eo sustentetur.

9. *Sicut ignis communicat suas proprietates ferro, ut ferrum urat ac luceat, nec tamen ignis in ferrum convertitur; Et quemadmodum anima suas proprietates communicat corpori, ut corpus vivificatum per animam videat, audiat, loquatur, &c. nec tamen convertitur corpus in animam; ita divinitas communicat suas proprietates humanæ naturæ; nec tamen eam convertit in divinitatem.* R. Hæc similia huc non pertinent; quia vita quæ producitur in corpore ab anima, non est proprietas ipsa animæ, sed effectum, & vis lucendi & urendi in ferro ignita, non est in ferro, sed in igne latente & inclusa in poris ferri.

Quid circa actiones Christi observandum?

XL. Circa actiones Christi quatuor sunt distinguenda. 1. ὁ ἐνεργῶν, *agens*, seu *principium* quod agit, quod est Suppositum seu Persona Christi. 2. Τὸ ἐνεργητικὸν, seu *Principium formale* quo agit, illud, per quod agens, seu Persona Christi operatur, duæ scilicet naturæ, quarum unaquæque citra ullam confusionem operatur. 3. ἐνέργεια, seu *operatio*, quæ pendet à principio quo, & naturam sui principii refert, ut sit divina, si principium quo sit divina natura, humana verò, si sit humanitas. 4. ἐνέργημα, seu ἀποτέλεσμα, est unum opus ab utraque natura proficiscens; in qua divina divinam, humana humanam habet energejan: ut justificatio, glorificatio.

XLI. Actiones Christi aliæ sunt merè *divinæ*, quas non nisi quà Deus efficit, qualis est creatio, conservatio. Aliæ merè *humanæ*, qualis est esus, ambulatio, somnus. Aliæ *mixtæ* quæ θεανδρικαὶ dicuntur, qualis est Redemtio, ad quam perficiendam suæ fuerunt tum divinæ tum humanæ naturæ partes.

XLII. Hæ virtutes sese exerunt in officio Christi Mediatorio: Est autem mediator. (1.) Unicus. 1. Tim. 2. 5. (2.) Perfectus. Heb. 7. 25. (3.) Spondens & solvens. Matth. 26. v. 28. (4.) Pro omnibus fidelibus V. & N. T. & omnibus ipsorum peccatis. Rom. 3. v. 25. (5.) Secundum utramque naturam.

Cur mediator vocetur unctus.

XLII. Ad quod munus cùm *unctus* dicitur, significatur. (1.) Quod ad hoc officium sit electus 1. Pet. 1. v. 20. (2.) Apta-

(2.) Aptatus. Heb. 1. v. 9. (3.) Atque in hoc officio confirmatus. Joh. 6. v. 27. quod præfiguratum fuit in V. T. in symbolica unctione. Prophetarum, ut visum in Elisæo. 1. Reg. 19. 16. Sacerdotum, ut in Aarone. Exod. 29. & Regum passim.

CONTROVERSIA I.

An officium Christi mediatorium in eo consistat, quod homines viam salutis docuerit, eamque doctrinam suo sanguine confirmaverit?

Christus est verè εἰρηνοποιὸς

Neg. cont. Socin.

Sociniani, ut totam Doctrinam Satisfactionis evertant, Christum quidem *Mediatorem* fatentur, sed tantùm *divinæ instructionis*, seu revelationis, per quam Christus viam salutis, quæ secundùm ipsos consistit in obedientia mandatorum Dei, declaravit. 2. *exempli*, quia eandem viam est ingressus, & perfectionum exemplar suis præbuit. 3. *Confirmationis*, quia illam obedientiam suam morte & passione sancivit. Nos verò, licèt non negemus Christum has partes obiisse, negamus tamen in eo tantùm officium ejus mediatorium positum fuisse; sed præcipuè in Ratione Reconciliationis & satisfactionis, quatenus fuit εἰρηνοποιὸς, qui pace per sanguinem facta, nos Deo reconciliavit.

ARGUMENTA.

1. Quia Scriptura describit eum, non ut merum internuncium, sed ut verum εἰρηνοποιὸν & Pacificatorem, ejusque Mediationem ut Redemtionem & Reconciliationem; quum dicitur mediator, quatenus se ἀντίλυτρον *dedit pro nobis*. 1. *Tim.* 2. 6. qui εἰρηνοποιήσας, *pace per sanguinem crucis factâ Deum nobis reconciliavit*. *Col.* 1. 20 ἔγγυος & *Sponsor novi fœderis*. *Heb.* 7. 22. qui proinde solvere pro nobis debuit; unde mediatori jungitur *sanguis* ῥαντισμοῦ, allusivè ad sanguinem victimarum legalium. *Heb.* 12. 24. quæ omnia non simplicem declarationem, sed veram satisfactionem inferunt.

1. Tim. 2. 6. Col. 1. 20. Heb. 7. 22.

2. Quia homines per peccatum facti sunt θεοστυγεῖς, Rom. 1. 13. non tantùm *osores Dei*, sed etiam *exosi Deo*, quod dissidium non simpliciter doctrinâ vel exemplo tolli potuit, sed verum λύτρον postulabat, quo non homo tantùm Deo conciliaretur per pœnitentiam & Sanctitatis studium,

sed etiam Deus homini, cujus justitia vindicatrix adæquatam satisfactionem postulabat, per substitutionem meditoris.

3. Si Christus non aliter esset Mediator, quam doctrinâ & exemplo, in eodem ordine collocaretur cum Prophetis & Apostolis, illisque præcipuè, qui martyrium passi sunt, qui doctrinâ & exemplo suo viam salutis manifestârunt, quod tamen Apostolus negat, quum Christum vocat unum mediatorem. 1. Tim. 2. 5.

OBJECTIO.

Gal. 3. 19. *Christus est mediator ut Moses mediator dicitur.* Gal. 3. 19. R. 1. Potest per mediatorem intelligi Christus, tum, quia nusquam alibi mediatoris nomen nisi Christo tribuitur, Act. 7. 35. dicitur constitutus Princeps populi ἐν χειρὶ ἀγγέλου *in manu*, i. e. authoritate & directione Angeli illius, qui illi apparuit in rubo, & illi dedit λόγια ζῶντα. v. 38. ut sensus sit, Legem Israëlitis traditam per manum, i. e. potestatem & directionem Mediatoris Christi, populum illum in suum adventum hoc modo præparantis. 2. Si ad Mosem cum aliis referatur, nihil decedit sententiæ nostræ, quia Moses typicus tantùm dicetur Mediator, quomodo Lex typus erat Evangelii, non ut adæquet Christum in omnibus, sed ut tenuiter ipsum in quibusdam tantùm adumbret.

CONTROVERSIA. II.

Christus est mediator secundùm utramque naturam.

An Christus tantùm mediator sit secundùm humanam naturam, ita, ut omia opera mediatoria sint humanæ naturæ. Neg.

c. Pont.

Quæstio hæc nobis intercedit cum Pontificiis, qui ut facilius obtineant plures dari posse Mediatores, pertendunt Christum Mediatorem fuisse secundum naturam humanam tantùm; Quos hic *Stancarus* sequitur, qui dum se opponit vehementius Osiandro Collegæ suo in Regiomontanâ statuenti Christum non esse Mediatorem nisi secundùm naturam divinam, adeòque nos justificari æternâ & essentiali ejus justitiâ, non satis distinguendo efficaciam Christi ab ejus merito; in contrarium errorem Pontificiorum incidit, affirmans, Christum tantùm secundùm naturam

turam humanam Mediatorem esse. Nos mediationem ad actiones θεανδρικὰς referimus.

ARGUMENTA.

1. Ex Scriptura, quæ mediationem Christi ad utramque naturam refert. *Act.* 20. 28. *Deus* dicitur *acquisivisse Ecclesiam sanguine suo.* & 1. *Cor.* 2. 8. *Dominus gloriæ crucifixus.* Act. 20. 28. 1. Cor. 2. 8.

2. Omnes partes Muneris Mediatorii utramque naturam postulant. Quomodo enim tanquam divinus *Propheta* voluntatem Dei ex sinu Patris nobis revelare, & legem cordibus nostris inscribere posset? Quomodo tanquam *Sacerdos* justitiæ divinæ pro nobis perfectè satisfacere, pondus iræ ἀβαστακτον ferre, morte sua mortem vincere, diabolum debellare, æternam redemtionem sanguine suo obtinere potuisset? Quomodo tanquam *Rex* Ecclesiam regere, Diabolum conterere, & hostes salutis in scabellum pedum ponere posset, nisi esset verus Deus?

3. Secundùm eam naturam debuit esse mediator, secundùm quam se exinanivit, & formam servi assumsit, quia non aliâ de causâ se exinanivit, quàm ut hoc officio defungeretur. At se exinanivit secundùm naturam divinam, non reali gloriæ essentialis imminutione, sed externâ gloriæ accidentalis occultatione.

4. In V. T. jam fuit mediator; at secundùm divinam naturam.

5. Præcipua effecta mediationis, ut; redemtio, salus, remissio peccatorum, vitæ æternæ largitio, pertinent ad naturam divinam.

OBJECTIONES.

1. *Christus homo est mediator.* 1. *Tim.* 2. 5. R. 1. Exclusiva non additur, quà homo tantùm. 2. Vocabulum *Hominis* est nomen concretum, quod personam, non naturam notat. 1. Tim. 2. 5.

2. E. *Omnes personæ sunt mediator.* R. Neg. Quia mediatio competit naturæ, non quâ communis est personis, sed quâ characterizata est, & subsistit distinctè in Persona filii. Externæ operationes sunt quidem totius Trinitatis, & omnium Personarum communes, quâ rationem habent unius principii communis, sed Persona illa, ad quam operatio aliqua terminatur, non definit habere rationem principii singularis, ut patet ex incarnatione.

3. *Natura divina erat pars offensa.* R. Nihil est absurdi,

di, partem læsam fieri voluntarie mediatricem sub diverso respectu: Talem se nobis proponit Christus in parabola. Matth. 21. 37. ubi dominus vineæ filium suum mittit ad vinitores infideles, & hoc fieri vult à suis. Matth. 5. 24. & 18. 15. Nec insolitum ut reconciliationem offensus instituat apud offendentes, ut Deus apud primos parentes. Gen. 3. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* 2. Cor. 5. 19. Sic Israëlitæ apud Benjamitas Jud. 20. 12. 13. & David apud rebelles subditos 2. Sam. 19. 12. ut Senator agens causam rei, qui senatui est reconciliandus.

2. Cor. 5. 19.

Inst. *Ergo est mediator apud seipsum.* R. Nihil obstat quà θεάνθρωπον œconomicè consideratum, esse mediatorem ad seipsum, quà Deus est ἀσιοδῶς. Licèt enim Deus filius, vel λόγος, non distet à Christo mediatore, vel Personâ, vel naturâ in se & absolutè spectatis, distat tamen œconomiâ & relatione muneris mediatorii; aliud quippe est Deum Filium esse, aliud esse mediatorem; aliud offensum esse ut Deum, aliud mediatorem agere θεάνθρωπον. Sic mediatio semper erit ad alterum, tum, quia, filius & λόγος differt à θεανθρώπω, si non φύσει, saltem οἰκονομίᾳ, tum, quia filius differt à Patre, apud quem appropriativè dicitur mediator, primò personaliter, quia est alia persona à Patre; secundò dispensativè, quia solus Filius, non Pater, factus est homo, & se exinanivit.

4. E. *Christus secundùm naturam divinam minor est Patre.* R. Neg. Sequitur tantùm, Christum factum esse minorem Patre, non φύσει, sed οἰκονομίᾳ, non absolutè & in se, sed ratione voluntariæ dispensationis; per quàm se sponte exinanivit.

5. *Præcipua pars officii mediatorii est Christi Sacrificium. At hoc non competit naturæ divinæ.* R. In Sacrificio Christi substantia operis distinguenda est ab ejus valore & dignitate: Natura humana sola contulit prius; sed natura divina debuit conferre posterius; ita, ut humanitas quidem victimæ, divinitas verò Sacerdotis partes egerit.

CONTROVERSIA. III.

An præter Christum plures veri mediatores sint?

Neg. c. Pontif.

Pontificii, ut commentum suum de invocatione Sanctorum fortiùs stabiliant, pertendunt, Sanctos defunctos apud Deum fungi officio mediatorum & Intercessorum pro viven-

viventibus; nec tantùm precibus, sed & meritis suis conciliare nobis favorem Dei.

Non autem quæritur de simplici oratione, vel *intercessione improprie dictâ*, quæ consistit in mutua aliorum pro aliis inter viventes precum communione; fatemur enim, posse fideles alios pro aliis orare; sed agitur de *mediatione proprie dictâ*, per quam censeatur aliquis propriâ virtute intercedere, & non tantùm preces ad Deum deferat, sed etiam qui eas oblatas Deo commendet, & gratas efficiat meritis suis. Nos mediationem Sanctorum impugnamus seq.

ARGUM.

1. Disertis Scripturæ verbis. 1. *Tim.* 2. 5. *Unus Deus, unus mediator Dei & hominum, Christus homo.* Exc. 1. *Unus dicitur, non unicus.* R. Imò *unicus* intelligitur, quia eo modo dicitur εἷς μεσίτης, quomodo Deus vocatur εἷς, non tantùm unus, sed & unicus, exclusivè ad alium quemvis. 1. Tim. 2. 5. Exc. 1.

Exc. 2. *Distinguendum inter mediatorem redemtionis, qui est unicus, & mediatorem intercessionis, qui socios admittere posset; item, inter mediatorem primarium, principalem, & immediatum, & secundarios, ministeriales, & mediatos.* R. Scriptura nunquam plures mediatores nobis proponit, vel ad eos nos remittit; imò, cùm hoc officium uni Christo tribuat, eo ipso aliis esse ἀκοινώνητον, docet. 2. Nemo potest esse mediator intercessionis, qui non sit & Redemtionis; duo enim ista munia, ἱλασμὸς, & ἐμφανισμὸς sunt duæ partes mediationis, quæ conjunguntur in Scriptura. 1. *Ioh.* 2. 1. 2. *Habemus advocatum apud Patrem, qui est reconciliatio pro nostris peccatis. Rom.* 8. 34. *Christus est, qui mortuus est, &c. qui & pro nobis intercedit*; ut sub Lege ad solum Pontificem pertinebat in Sacrarium ingredi, & deprecari pro populo, ad quem pertinebat sacrificare. Exc.

2. *Ex* 1. *Ioh.* 2. 1. *Si peccavimus, habemus advocatum apud Patrem, Iesum Christum, justum, qui est* ἱλασμὸς. 1. Joh. 2. 1.

3. Mediatio Sanctorum cedit in contumeliam Christi, quasi non sufficeret solus. Exc. 1. *Sancti vim intercedendi habent à Christo.* R. Scriptura ne minimam mentionem facit, Christum illis talem vim promeruisse. Exc. 1.

Exc. 2. *Sancti non tam sunt mediatores Dei & hominum, quàm mediatores hominum ad Christum.* R. Sic mediatore opus esset ad mediatorem, cùm tamen ipse ἀμέσως ad se vocet; *Venite ad me. Matth.* 11. 28.

4. Sancti non possunt necessitates nostras cognoscere, E. non intercedere.

5. Hoc dogma sapit superstitionem Ethnicorum, qui Deos suos distinguebant inter primarios & secundarios, puta Dæmones, qui mediatores essent inter Deos summos & homines. Unde Provincias, urbes, artes, morbos, inter dæmones distribuebant, quomodo Papicolæ Sanctos imperiis, urbibus, artibus, morbis &c. præficiunt.

OBJECTIONES.

Deut. 5. 5. 1. *Moses erat mediator. Deut. 5. v. 5.* Fuit tantùm mediator typicus; Christus autem verus & propriè dictus; ille homo merus, Christus verò homo Deus: ille quidem ad eloquia Dei ad populum deferenda, non verò ad iram Dei placandam sanguine suo: sed iste sanguine suo pacem fecit.

2. *Communio Sanctorum postulat, ut pro nobis intercedant.* R. A communione Sanctorum ad communicationem officiorum inter eos non valet consequentia. Sancti in cœlum admissi communionem quidem habent cum viventibus, quatenus sunt ejusdem corporis mystici membra. Sed non datur propterea officiorum communicatio, cùm nec illi necessitatibus nostris intersint, nec preces nostras audire possint, nec ullum habeant amplius cum illis commercium.

3. *Orant pro nobis.* R. Non quicunque orat Deum pro nobis, is statim est mediator apud Deum, aliàs tot haberemus mediatores, quot fratres: Et cum Scriptura sæpissimè mutuas hominum preces commemoret, tamen nunquam docet, homines mediatores esse apud Deum; is enim solus mediator dicendus, qui orat ex vi meritorum suorum, quod de solo Christo dici potest. 2. Aliud est orare in genere pro Ecclesia, aliud pro singulis: Quamvis Sancti in genere orarent pro Ecclesia militante, quam sciunt exponi variis certaminibus, non sequeretur statim, vel orare pro singulis, quorum necessitates non norunt, vel esse ipsorum mediatores, qui & precibus & meritis suis gratiam Dei illis obtineant.

Jer. 15. 1. 4. *Moses & Samuel possunt orare pro populo. Ierem. 15. 1.* R. Non provocatur ad intercessionem defunctorum, sed hypothetice ostenditur inutilitas orationum ipsorum, si

adhuc

adhuc essent in viyis, & precarentur pro populo, ut ab ipsis non semel factum fuerat, adeoque exitium populi certum innuitur.

5. *Apud Reges mediatoribus opus est, ut ad ipsorum conspectum admittamur.* R. Non eadem est ratio Regis cœlestis, qui nos immediatè ad se vocat, non ad sanctos dimittit.

6. 2. *Macchab.* 15. 14. *Iudas dicitur vidisse in visione Oniam Pontificem, & Ieremiam, qui jam obierant, orantes pro populo Iudæorum.* R. 1. Liber est Apocryphus, & fabulis refertus, teste ipso Gelasio Papa. 2. Locus probat orare sanctos tantùm in genere, non sigillatim ad modum mediatorum. 3. Pontificii ipsi volunt, Patres ante mortem Christi fuisse in limbo, exclusos à facie Dei, ergo non idoneos ad orandum pro aliis. 2. Macc. 15. 14.

7. *Animæ clamant sub altari. Apoc.* 6. 10. R. Non agitur de clamore pro aliis, sed pro seipsis. 2. Locus non propriè intelligendus, cùm animarum non sit clamare, sed allegoricè, ut notetur desiderium extremi judicii, vel manifestatio nequitiæ tyrannorum, à Deo puniendæ, ut vox sanguinis Abelis clamare dicitur Gen. 4. Apoc. 6. 10.

8. *Sancti orant pro se invicem vivi, & mortui.* R. Vivi pro se invicem orant, quia inter illos datur mutua officiorum & necessitatum communio, inter mortuos verò & viventes nulla.

LOCUS XII.

DE

OFFICIIS CHRISTI.

I.

OFficii hujus mediatorii sunt tres patres. Christus est *Propheta*, qui *externè* 1. Docet Evangelium in se completum. Heb. 2. v. 3. 2. Explicat legem. Matth. 5. 20. 3. Prædicit futura. Matth. 24. v. 25. *Internè* autem Christus est Propheta.

tem. 1. illuminat oculos, Luc. 24. 45. 2. Mutat corda. Act. 16. 14.

Est *Sacerdos*, atque ita 1. Legem adimplevit. 2. Seipsum offert pro peccatis nostris. 3. intercedit pro nobis. Rom. 8. 3. 34.

Est *Rex Spiritualis*, atque ita 1. Colligit Ecclesiam. 2. Regit eam. 3. Conservat eam. 4. Beat eam. Joh. 10. v. 16. 27. 28. 5. Inimicos autem cum angelos tum homines cohibet, & supplantat. Rom. 16. v. 20.

II. Quibus officiis Christus suo modo *jam* fungitur, & cum *in terris* esset, & ab initio *antequam in mundum veniret*. Spiritu enim & verbo collegit Ecclesiam, futura satisfactione eam expiavit, & pro ea intercessit, denique hostes subegit: Nam *heri & hodie est idem. Heb.* 13. 8. *Apoc.* 13. v. 8.

CONTROVERSIA.

Christus ante inchoatum publicum ministerium non raptus fuit in cœlum.

An Christus, antequam munus Propheticum inchoaret, in cœlum raptus fuerit, ut ab ipso Deo audiret & doceretur ea, quæ mox mundo annunciaturus esset? Neg. cont. Soc.

Sententia *Socinianorum* est; Christum utpote nudum hominem, initio rudem & ignarum fuisse illius doctrinæ, quam promulgare debeat: Ideò annos jam triginta natum, & à Johanne baptizatum, priusquam munus suum publicè auspicaretur, corpore in cœlum subvectum fuisse, ibi perfectissimè de Dei voluntate ab ipso Deo esse edoctum, & sic remissum in terram eandem doctrinam hominibus plenè & sufficienter enarrare cœpisse. Tempus istius raptûs etsi non audent præcisè definire, putant tamen optimè referri posse ad moram illam, quam Christus jejunus egit in deserto per quadraginta dies & noctes. Scopus eorum est eludere loca Scripturæ, quibus probamus Christum fuisse antequam nasceretur ex Virgine, propterea, quòd dicatur à Patre exivisse, & descendisse de cœlo. *Orthodoxi* Raptum hunc Christi in cœlum tanquam merè fictitium, & nuspiam in Scriptura traditum rejiciunt, & non alium descensum de cælo agnoscunt in diebus carnis suæ, quàm metaphoricum factum per incarnationem ejus.

AR-

ARGUMENTA.

1. Scriptura nullam istius raptûs mentionem facit: At, si tale quid contigisset, Scriptura non fileret, cùm hoc non parum faceret ad commendandam Christi doctrinam.

2. Christus non eguit hoc raptu ad cognitionem mysteriorum, nec secundùm naturam divinam, quia erat λόγος Patris. Joh. 1. 1. qui erat in sinu ejus, & omnia ejus arcana perspecta habebat; nec secundùm naturam humanam, quia juxta eam accepit *Spiritum sine mensura. Ioh.* 3. 34. *& thesauri sapientiæ in ipso fuerunt absconditi. Col.* 2. 3. Confirmatur ex eo, quod puer adhuc duodecennis mirabilia dedit sapientiæ suæ specimina, *docens & disputans in templo. Luc.* 2. 47. Joh. 3. 34. Col. 2. 3.

OBJECTIONES.

1. *Nemo ascendit in cœlum, nisi ille qui descendit de cœlo Filius hominis qui est in cœlo.* R. Aliud est Christum ascendisse in cœlum *proprie & localiter*, ratione humanitatis; aliud *ascendisse metaphorice & mystice*, per sublimen mysteriorum cœlestium cognitionem; Christus non dicitur ascendisse in cœlum priori sensu, sed posteriori, ut ascendere in cœlum dicitur, qui arcana cœli penetrat. Prov. 30. 4. Sic sensus erit; neminem nosse res cœlestes & consilii divini præter se; & series sermonis eò referenda esse ista verba docet, quia vers. præcedenti de revelatione mysteriorum egerat; & ut rationem reddat, cur & ipse cœlestia possit suo jure docere, & nemo ea nôsse possit, nisi ipso docente, addit; *nemo ascendit in cœlum*, &c. Joh. 3. 13.

2. *Si filium hominis videres ascendentem, ubi erat prius. Ioh.* 6. 62. Hoc non intelligendum secundùm humanitatem, sed secundùm divinitatem, ubi ante fuit ὁ λόγος, cùm esset πρὸς τὸν Θεὸν Joh. 1. 1. Joh. 6. 62.

3. *Si Christus non fuit raptus in cœlum, tum Mose & Paulo inferior est, qui in cœlum rapti sunt, ut à Deo instituerentur.* R. Neg. conseq. Quia, etsi eò rapti fuissent, Christus longè præstantiori ratione à Deo edoctus est, ex vi unionis hypostaticæ. 2. Alia est ratio servorum & Domini; illi opus habebant extraordinariâ institutione; sed Christus à momento conceptionis unctus Spiritu S. plenissimè hæc habuit perspecta. 3. Moses non dicitur in cœlum raptus, sed in montem. Paulus dicitur quidem raptus

in ter-

in tertium cœlum, sed, an spiritu an corpore raptus fuerit, dici non potest, ipso Paulo fatente.

Joh. 8. 38. 4. *Didicit à Patre. Ioh.* 8. 38. R. Non tamen sequitur, raptum fuisse in cœlum, ut talia audiret, vel videret, quia hoc habuit ex intima communione cum Patre, propter quam dicitur esse in sinu Patris, Joh. 1. 18. & quia est in sinu ejus, eum nobis revelare.

An Christus dici possit Legislator? III. Quær. An Christus sit, vel dici possit Legislator? R. Christus potest considerari vel *absolutè* & *Theologicè*, quatenus est λόγος, & Deus cum Patre & Spiritu S. vel *relatè* & *œconomicè*, quatenus est θεάνθρωπος, & mediator inter Deum & homines. Priori respectu est unus ille Legislator, qui potest servare & perdere. Jac. 4. 12. Posteriori nec est *propriè* Legislator, ut Moses fuit, quia Mosi opponitur. Joh. 1. 17. nec *principaliter*, quia præcipuum ejus officium fuit, revelare nobis mysterium Evangelii. Nihil tamen obstat, eum dici Legislatorem *secundariò*, & *minus principaliter*, tum, quia Rex est Ecclesiæ suæ; Regum autem est Leges condere, tum, quia fuit restaurator & vindex legis, tum quia doctrina Christi suam etiam habet Legem, quæ fidem & obedientiam nobis præscribit. Rectè tamen Nostri negant contra Pontificios, & Socinianos, Christum esse Legislatorem, quatenus Legislator notat illum, qui fert novas leges & nova præcepta moralia, quæ in ipsa Lege non continentur, neque in ea suum fundamentum habent.

CONTROVERSIA.

Christus Legem moralem non correxit. *An Christus ut Propheta legem moralem correxerit & auxerit, addendo abnegationem sui, tolerantiam crucis, imitationem Christi, atque alia?* Neg. contra Socin. Pontif. &c.

Sociniani, quos sequuntur *Anabaptistæ* & *Remonstrantes*, prementes vestigia *Manichæorum* & *Muhammedanorum*, pertendunt, alia fuisse Christi, alia Mosis præcepta, & Christum legem moralem supplevisse & auxisse variis additamentis, & ut minus rectam in quibusdam correxisse: Hinc correctiones varias Legis à Christo factas volunt, & additamenta varia, non modò singulis Præceptis Decalogi, qualia sunt, respectu *primi* certa precandi ratio definita oratio-

oratione dominica, & cultus religiosus Christi ut mediatoris; respectu *secundi* fuga idolorum seu imaginum; *tertij* interdictio juramenti etiam in rebus veris. *Quarti* abrogatio Sabbathi, citra substitutionem alterius alicujus diei. *Quinti*, & in genere tabulæ secundæ dilectio inimici. *Sexti* interdictio iræ & vindictæ, sive privatæ, sive publicæ. *Septimi* interdictio aspectûs impudici, divortii extra adulterium, impuritatis, & obscœnitatis. *Octavi* prohibitio avaritiæ, & erogatio superfluorum in pauperes. *Noni* prohibitio sermonis vani & levis, iniquæ censuræ, &c. *Decimi* interdictum concupiscentiæ, non modò ut eâ non delectemur, sed ut nequidem eam concipiamus quoad animum nostrum. Sed etiam quoad nova præcepta, quæ præter Decalogum a Christo data pertendunt, qualia sunt hæc tria. *Abnegatio nostri*, *tolerantia crucis propter Christum*, *& imitatio Christi*. Scopus illorum est. 1. stabilire impium dogma de Christo Salvatore non per λύτρον, sed per doctrinam. 2. Statuere justificationem hominum per opera, non quidem per meritum operum, in quo differunt à Pontificiis, sed per acceptilationem illorum operum. 3. Statuere, præmium immortalitatis animæ non fuisse sub V. T. sed per Christum exhibitum fuisse.

Pontificij, nominatim *Bellarm.* docet, Christum reddidisse legem ex imperfecta perfectam, vel certè ex perfecta perfectiorem, & inter Legem ac Evangelium illud ipsum interesse, quod inter doctrinam inchoatam & perfectam.

Orthodoxi adversus istos omnes, qui' Evangelium in novam legem transformare, & ita pro justitia fidei justitiam operum stabilire volunt, Legem moralem ita perfectam censent, ut neque supplemento, neque correctione opus habuerit, sed tantùm genuinâ interpretatione: Et quicquid additum perhibetur, vel falsum esse, & gratis confictum, vel in Lege sive explicitè, sive implicitè contentum fuisse.

ARGUMENTA.

1. *Lex est perfecta.* Ps. 19 8. ita quidem, ut *nihil sit ei addendum*, *aut detrahendum Deut.* 4. Perfecta tum *extensive*, quia in dilectione Dei & proximi omnia officia complectitur, tum *intensivè*, quoad *gradus*, quia dilectionem perfectissimam postulat, tum *finaliter*, quoad usum, quia potest observantibus dare vitam. Ps. 19. 8.

a. Chri-

Matth. 5. 17. 2. Christus *non venit ad legem destruendam, sed complendam Matth.* 5. 17. complevit autem non additione vel correctione, sed observatione, executione, confirmatione, vindicatione, & typorum impletione.

3. Christi præcepta non alia fuerunt, quàm Legis, nempe: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua. Matth.* 22. 37. *Non juraberis, non falsum testimonium dices; non concupisces; summatim, diliges proximum tuum sicut teipsum. Rom.* 13. 9.

Matth. 22. 37. Rom. 13. 9.

4. Lex non potest suppleri vel corrigi, quin illa & consequenter ipse Deus imperfectionis & vitii arguatur.

5. Abnegatio nostri, tolerantia crucis, & imitatio Christi jam præceptæ fuerunt sub V. T. nam jubemur Deum diligere supra omnia, jubemur etiam nos abnegare propter Deum, & crucem patienter tolerare. Et quum imitatio Dei præscribitur, nonne etiam Christi, qui est verus Deus; Adde, quod imitatio Christi non alia est, quam respectu virtutum moralium, quarum regula lex est.

6. Quæ finguntur à Christo addita vel correcta, sunt fictitia. Non enim additum est præcepto *primo* vel *novus modus orandi*, in oratione Dominica; quamvis enim oratio Dominica quoad formam à Christo sit instituta, nihil habet quoad materiam quod precibus Sanctorum in V. T. non sit expressum. Vel *novus Christi cultus*, & Patris in ipso; nam adoratio Christi mandata fuit in V. T. *Ps.* 2. 12. *Osculamini filium. &* 45. 12. *Adora eum, quia Dominus tuus est.* Non *Secundo*, per *imaginum* & *idolorum* cultûs, vel *fabricationis*, vel locorum idolis Sacrorum *frequentationis prohibitionem*. Quia hoc ipsum jam sub V. T. præceptum fuerat, quum idola gentium comburi, altaria destrui, & luci succidi jubentur. Exod. 23. 24. Deut. 12. 2. 3. imò interdictum, ne nomina idolorum in sermonibus usurpentur. Exod. 23. 13. Ps. 16. 4. Vel consortium cum idololatris religioni damnosum colatur. Deut. 7. 2. 3. Non *tertio*, vel per *advocationem Christi* in testimonium, quia Christus in V. T. tanquam Deus coessentialis Patri, & cordium scrutator adoratus est, & per nomen ejus juratum Jes. 45. 23. & Rom. 14. 11. Vel per *juramenti prohibitionem*, quia, ut postea dicetur, sermo Christi. Math. 5. limitatè intelligendus. Non *quarto*, per *abrogationem Sabbathi*, quia, ut postea probabitur, abrogatum tantùm est

Ps. 2. 12. Ps. 45. 12.

quoad

quoad ceremoniale. Non *quinto*, per Magistratuum, Dominorum, & maritorum cultum, qui instar Patrum observari debeant. Quia sub nomine *Patrum* etiam in V. T. Magistratus, heri seu Domini, & mariti intelliguntur. Sic Joseph vocatur Pater apud Pharaonem. Gen. 45. 8. Job dicitur Pater egenorum. Job. 29. 16. Sic servi Nahaman ipsum vocant Patrem. 2. Reg. 5. 13. Non *sexto*, per *prohibitionem iræ & injuriarum erga fratrem, & vindictæ* cujuscunque: Quia quoad prius Lex prohibendo homicidium, prohibet quæcunque eò deducunt, injurias, odium, iram, &c. Quoad posterius vindicta privata tantùm vetatur à Christo. Non *septimo*, per interdictum aspectûs impudici, divortii, extra causam adulterii, & omnis scortationis & turpiloquii. Quia ista omnia sub Lege continentur, quæ sub una specie totum genus complectitur, vetando omnem impuritatem, quæ vel in opere, vel verbis se exerit. Divortium verò non permissum, sed toleratum. Non *octavo*, per avaritiæ & luxuriæ in victu & amictu prohibitionem; quia utraque in Lege interdicta, illa *Exod.* 22. 25. *Si pecuniam mutuam dederis pauperi, ne esto ei tanquam fœnerator, ne imponito ei usuram.* Ista, *Prov.* 23. 20. *Ne sis ex ebriosis vino, & comessatoribus.* Et *Isa.* 3. 16. 17. *gravissime perstringitur fastus filiarum Zionis.* Non *Nono*, per mendacii cujusvis, & obtrectationum ac delationum interdictum, quia hoc Lege continetur, sub præcepto Nono. Non *Decimo*, per mandatum de non adjiciendo animo rei concupitæ. Quia Paulus. Rom. 7. 7. 8. docet, omnem concupiscentiam in genere damnari, adeoque omnes ejus species.

Ex. 22. 25.

Prov. 23. 20.
Jes. 3. 16. 17.

OBJECTIONES.

1. *Christus Legem correxit. Matth.* 5. R. Non, sed à corruptelis Pharisæorum vindicavit, patet. 1. Ex Christi propositione, v. 20. ubi loquitur de justitia Pharisæorum, *nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum*; E. contra justitiam Pharisaicam, non contra justitiam Lege Mosis imperatam agere intendit. 2. Ex *modo loquendi*; Non ait: Scriptum in lege Mosis, sed *audistis*, ex Scribis sc. aut Pharisæis, *dictum esse antiquis*. 3. Ex exemplo allato. v. 43. de diligendo proximo, & odio habendo inimico, quod non dictum est à Mose, qui contrarium præcipit, si vetat ultionem & iram. Lev. 19. 18. & præcipit,

Matth. 5. 20. ad fin.

præcipit, ut bovem inimici errantem reducamus, & ejus asinum oneri succumbentem sublevemus. Exod. 23. 4. 5.

Inst. Ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις, *indepatet, ista dicta esse à Mose veteribus Israelitis.* R. Vox ista promiscuè refertur ad majores quosvis, & sensus Domini non alius est, quàm Judæorum magistros, Legis corruptores, præceptis à se depravatis solitos fuisse prætexere proœmium istud speciosum; *Dictum esse antiquis*, i. e. præcepta à se inculcari solita nova non esse, sed vetera, & majoribus Judæorum jam olim tradita. Antitheſin erg. Christus instituit non inter se & Mosen, sed inter se & glossas falsas Pharisæorum & Scribarum.

Inst. 2. *Christus citat Mosis verba. v.* 21. 27. 31. 33. 38. R. Non sensu Mosaico, sed Pharisaico.

Deut. 24. 1. Inst. 3. *Moses permisit dare libellum repudij. Deut.* 24. 1. *Christus vetuit.* R. Præceptum Christi de non dimittenda uxore extra causam adulterij convenit cum Lege Mosis. Deut. 24. 1. ubi ἄχημον πρᾶγμα optimè potest eò referri. Nec verba de libello repudii referuntur à Christo eo sensu, quo habebantur in Lege, sed quo exponebantur à Pharisæis. Nam Pharisæi loquebantur categoricè & imperativè, δὸς αὐτῇ ἀποστάσιον, sed verba Mosis. Deut. 24. 1. sunt hypothetica. 2. Moses habet restrictionem in permissione repudii, *ob turpitudinem*, sed Pharisæi permittebant dimissionem uxoris, quamcunque ob causam, modò observaretur dimissio cum formula. 3. Mosis verba non innuunt approbationem divortii, sed tantum ejus tolerantiam & permissionem, quæ tantùm modum illi ponebat per accidens, propter duritiem cordis Judæorum. Matth. 19. 7. 8. Unde Christus loco τῷ ἐνετείλατο addit verbum ἐπέτρεψεν, *permisit.*

Matth. 19. 7. 8.

Joh. 13. 34. 2. *Christus tulit novum præceptum de dilectione. Ioh.* 13. 34. R. Novum est non absolutè, & quoad substantiam mandati; sed secundùm quid, ratione modi, quia renovatum est à Christo novis rationibus & motivis, ipsiusque Christi exemplo illustratum.

Ex. 34. 12. Deut. 7. 2. Inst. *Christus jubet amare inimicos. Lex Mosis vetuit populo cum Cananæis affinitatem jungere, fœdus facere, imo, eorum misereri. Exod.* 34. 12. *& Deut.* 7. 2. R. Non sequitur imperari eorum odium, quia datur medium inter amicitiam, quæ animorum & officiorum contesserationem infert,

infert, & inter odium; nec absolutè prohibetur misericordia respectu ipsorum, sed secundùm quid, ratione ultionis demandatæ a Deo erga eos. 2. Mandatum non datur de odio, sed de excidio. 3. Non simpliciter id fieri debuit, sed tum demùm, cùm pacem recusâssent. Deut. 20. 10. 4. In N. T. illud etiam valet, non modò cùm vetamur precari pro iis qui peccant ad mortem; 1. Joh. 5. 19. & dicere salve illi, qui aliam doctrinam affert 2. Joh. v. 10. Sed etiam eo ipso, quo bella sunt licita.

Inst. *Lex præcipiebat, ut proximum amemus sicut nos ipsos.* 1. Ioh. 3. 16. *Sed Christus plura addit, ut vitam ponamus pro fratribus.* 1. *Joh.* 3. 16. R. 1. Mandatum de ponenda vita pro fratre non ignotum fuit in V. T. ut patet exemplo Mosis, mori optantis pro populo, & Davidis pro Absolomo. 2. Sam. 19. & trium heroum pro Davide mori paratorum. ib. c. 23. 2. Nota comparationis *sicut nos ipsos* non notat *mensuram* & *regulam*, secundum quam debemus diligere proximum, sed tantùm *exemplum*, & tale quidem, quo intensiùs communiter non datur, quia naturâ ad nos ipsos diligendos sumus proni; ita qui vitam ponit pro fratre, non plus diliget fratrem quam se, sed sicut se, quia id facit, quod sibi vellet fieri in simili casu.

3. *Abnegatio nostri, tolerantia crucis, & imitatio Christi non continentur sub dilectione Dei & proximi.* R. Licèt non contineantur expresè, continentur tamen implicitè, & quoad sensum, quia non possumus diligere Deum toto corde, quin parati simus ad abnegandos nos ipsos, & tolerandam crucem propter ipsum, & Christum, qui verus Deus est, imitandum.

CONTROVERSIA. I.

De Sacerdotio.

An Christus verus fuerit Sacerdos, qui verum Sacrificium obtulit, neque ob similitudinem aliquam, & curam nostri ita appelletur? Aff. cont. Socin.

Christus verus fuit Sacerdos, non figuratus.

Sociniani, licèt Christum Sacerdotem oretenus confiteantur, reipsa tamen negant, dum sacerdotium ejus ex proprio in figuratum mutant, ut ita faciliùs veritatem satis-

factionis ejus convellere possint. *Orthodoxi* verò constanter affirmant, Christum esse veri nominis Sacerdotem, & ejus sacerdotium propriè dictum, quod partim in terris peregit, per oblationem corporis sui, partim in cœlis peragit, intercedendo pro nobis.

ARGUMENTA.

Ps. 110. 4. 1. Vocatur non semel Sacerdos. *Ps.* 110. 4. *Tu es Sacerdos in seculum, secundùm ordinem Melchizedeck.* Et passim in Epist. ad Hebræos, cap. 7. 8. 9. 10. & accensetur Sacerdotibus propriè sic dictis. Heb. 5. 1. *Qui constituuntur ad offerenda donaria, & ad peragenda ea, quæ fieri debent apud Deum.*

Heb. 5. 1.

Heb. 7. 27. 2. Actus Sacerdotales omnes illi tribuuntur, ut: Oblatio, *semel enim seipsum obtulit. Heb.* 7. 27. & intercessio: *Ingressus enim est in cœleste Sacrarium, ut coram facie Dei intercedat pro nobis.*

3. Typis variis fuit adumbratus, sc. Sacerdotibus Leviticis, & singulariter in Melchisedeco. Ut E. tales fuerunt veri Sacerdotes, verum etiam & propriè dictum Sacerdotem Christum esse, necesse est.

OBJECTIONES.

Heb. 2. 17. 1. *Sacerdos dicitur ob misericordiam. Heb.* 2. 17. R. Virtus hæc personæ Sacerdotis est, non Sacerdotium.

2. *Est Sacerdos, quia interpellat pro nobis.* R. Ea tantùm altera officii pars est, quæ quanta quanta est, oblatione nititur.

CONTROVERSIA. II.

De Sacerdotio.

Christus non demum in cœlo Sacerdos factus est.

An Christus non in terra, sed demùm in cœlo Sacerdos factus sit? Neg. c. Socin.

Socinian. statuunt, Christum fuisse Sacerdotem non in terra, sed factum demùm esse in cœlis, & mortem ejus non fuisse oblationem seu sacrificium veri nominis, sed præparationem quandam istius Sacerdotii in cœlis demùm administrandi: Item: Nullam Christum expiationem peccatorum fecisse per Sacrificium aliquod in terra oblatum, sed expiationem, quæ in cœlis peragitur, esse nostri liberationem, tum à pœnis, ne propter peccata damne-

damnemur, tum à peccatis, ne iis serviamus. Nos opponimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Jam in terra vocatus est ad Sacerdotium à Patre, qui è cœlo acclamavit: *Filius meus dilectus iste, in quo acquiesco. Math.* 3. 17. *Heb.* 5. 5. Matth. 3. 17. Heb. 5. 5.

2. Actus Sacerdotales jam in terra exercuit per oblationem precum, ut patet ex oratione sacerdotali, quæ describitur Joh. 17. per totum caput. Et Paulus dicit, ipsum *in diebus carnis suæ deprecationes & supplicationes obtulisse. Heb.* 5. 7. 8. Et Sacrificium sui ipsius. *Tradidit se pro nobis oblationem & victimam. Eph.* 5. 2. *Postquam purificationem peccatorum nostrorum per seipsum fecit, sedit ad dextram Dei. Heb.* 1. 3. Heb. 5. 7. 8. Eph. 5. 2. Heb. 1. 3.

3. Sacerdos, qui fuit typus Christi, non fiebat tum tantùm Sacerdos, quum ingrediebatur in Sanctuarium, sed jam erat Sacerdos ante oblationem victimæ, quod in Christo veritatem suam obtinere docet Apostolus Heb. 9. 11. 12.

4. Ex natura Sacerdotii, quod constituitur ad *dona & hostias pro peccatis offerendas. Heb.* 5. 1. At hoc non in cœlis, sed in terra fieri debuit, quia alibi hostiæ non offeruntur.

5. Ubi est verum Sacrificium, ibi debet esse verus Sacerdos. At in cruce verum oblatum est Sacrificium: Nam, *semel se obtulit. Heb.* 7. 27. *&* 9. 25. 28. Heb. 7. 27. Heb. 9. 25. 28.

Excip. *Agitur de oblatione intercessionali, quæ fit continuò in cœlis.* R. Neg. 1. Quia agitur de oblatione, quæ respondet oblationi victimarum, quæ fiebat sub V. T. per earum mactationem. 2. Agitur de oblatione quæ facta est semel, non de ea quæ continuò fit in cœlis. 3. De ea sermo est, in qua visibiliter apparuit. 4. Illa oblatio intelligitur, quæ antecedere debuit illius sessionem ad dextram Dei: Nam *unâ pro peccatis oblatâ victimâ sedit ad dextram Dei. Heb.* 10. 12. Exc.

OBJECTIONES.

1. *Heb.* 4. 14. *Habemus Pontificem magnum, qui cœlos penetravit.* R. Peracto in terra Sacrificio. Heb. 4. 14.

2. *Heb.* 8. 3. *Si in terra esset, non esset Sacerdos.* R. Paulus non negare vult absolutè, Christum fuisse Sacerdotem in terra, quod prolixè asserit cap. 7. 9. & 10. Sed hoc intelligit Heb. 8. 3.

telligit secundùm quid, de actu altero Sacerdotii ipsius, nimirum de intercessione apud Patrem, quæ alibi quàm in cœlis fieri non potuit; ut sensus sit: Si nunc in terris esset Christus, non posset esse Sacerdos, siquidem in V. T. Pontifex non in atrio semper hærebat, sed aliquando oportuit ipsum ingredi in Sanctuarium; nam, si hoc non fecisset, non omnes partes officii sui impleviſſet.

Heb. 5. 9. 10. 3. *Heb.* 5. 9. 10. *Postquam omnia fecerat, à Deo demùm dictus est Sacerdos.* R. Declaratus, & laudatus.

CONTROVERSIA III.

De Sacerdotio.

Sacerdotium Christi à regno differt formaliter.

An Sacerdotium Christi ab ejus Regno differat formaliter? Aff. cont. Socin.

Sociniani volunt, non aliter differre Sacerdotium Christi à Regno ejus, quàm quòd istud sit facultas, illud verò voluntas nobis subveniendi, quòd ut Rex possit, ut Sacerdos velit nobis opitulari; *Orthodoxi* verò statuunt, Sacerdotium Christi consistere non tantùm in voluntate generali nobis subveniendi, sed in voluntate speciali, Corpus divinitùs sibi aptatum offerendi in Sacrificium pro peccatis nostris.

ARGUMENTA.

1. Licèt munus Regium ac Sacerdotale in Christo amicè conspirent, ad eundem finem communem, functionibus tamen peculiaribus distinguuntur, ut inter homines differunt thuribulum & sceptrum, infula & diadema. Rex agit in populum, & adversus hostes; Sacerdos nomine populi ad Deum: Regni propria est potentia ad protegendos suos, & hostes vincendos: Sacerdotii verò justitia, ad placandum Deum, & legi satisfaciendum. Unde typi Sacerdotii & Regni diversi fuerunt, in sacerdotio Levitico, & Regno Davidico.

2. Perperam Sacerdotium constituitur tantùm in voluntate nos juvandi, quod non minùs est Regni quàm Sacerdotii. Et Scriptura expresè Sacrificium ponit in oblatione corporis Christi. Heb. 10. 5. 6. 7.

Collatio & discrimen sacerdotii Levitici & Christi.

IV. Sacerdotium Christi adumbratum fuit per Sacerdotium Leviticum in V. T. inter quod tamen & Christi Sacerdotium multiplex est discrimen. 1. Quoad *Perso-*

nas,

sonas, Sacerdotes enim Levitici ex sola tribu Levi desumebantur; Christus ex tribu Judæ oriundus. Illi meri homines; iste verus Deus: Illi peccatores; iste immaculatus: Illi differebant ab hostiis quas offerebant; iste fuit Sacerdos & victima simul: Isti plures; ille unicus. 2. Respectu modi *Institutionis*: Leviticum quidem sine juramento; Christi verò μετ' ὁρκωμοσίας. Heb. 7. 20. 21. Ps. 110. 4. quatenus adhibitâ Sacramenti Religione æternum cœlestis Pater Christo Sacerdotium pollicitus est. Illud secundùm legem mandati carnalis Heb. 7. 16. i. e. variis adhibitis cæremoniis externis, abolendis: sed istud ex vi indissolubilis vitæ, i. e. non ea lege, ut mox moriturus Sacerdotium ad posteros trasmitteret, sed ut esset Sacerdos in æternum. 3. Ratione *Efficaciæ*. Leviticum per se nullam vim habuit ad expiandum peccatum. Heb. 9. 13. 14. & 10. 3. 4. Christi Sacerdotium efficacissimum est. 4. Ratione *Perfectionis*. Leviticum fuit imperfectum, ideo sacrificia quotannis fuerunt iteranda. Heb. 10. 11. Christi perfectissimum, ideòque oblatio semel facta. Heb. 10. 5. Quoad *Durationem*. Illud erat temporale, quia illius administratores fuerunt mortales: Hoc æternum, quia Christus immortalis, & vivens in secula. Heb. 7. 16.

V. Præcipuè Sacerdotium Christi adumbratum fuit per typum *Melchisedeci*. Gen. 14. Ps. 110. 4. Heb. 5. 11. Sacerdotium Christi adumbratum typo Melchisedeci.

VI. Quis fuerit *Melchisedek* dictu difficile. 1. Non fuit *Spiritus S.* ut Veteres quidam Hæretici, *Melchisedeciani* dicti, statuebant. 2. Nec ipse *Dei Filius*, aliâs à nomine, sede, loco in Palæstina notissimo, ab officio & actionibus tam expressè non describeretur; nec posset dici Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, nisi ut typus & antitypus differrent. 3. Nec fuit *Semus*, Noachi filius, ut Judæi plerique censent; quia non posset dici ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, cùm ejus genealogia, ortus & obitus tam accuratè recensentur; nec ulla ratio, cur Moses nomen mutâsset. Sed fuit Melchisedek verus homo, ex hominibus satus, Rex Salem, qui tempore Abrahami vixit, & Regium munus cum Sacerdotali obtinuit. Ulterius quærere opus non est; imò, si hoc notum & perspectum esset, mysterio non fuisset locus. Quis fuerit Melchisedek?

VII. Τάξις Melchisedeci, de qua Psalm. 110. & Heb. 7. nihil aliud notat, quàm conditionem Sacerdotii Melchisedeciani, Quid τάξις Melchisedeci,

deciani, & convenientiam ac similitudinem, quæ Christi Sacerdotio intercedit cum eo; ut Apost. exprimit. v. 15.

Convenientia Christi cum Melchisedeco.

VIII. Conveniunt autem Christus & Melchisedek. 1. *Nomine.* Vocabatur Melchisedecus Rex Salem, i. e. Rex justitiæ, pacis. Heb. 7. 2. quod apprimè Christo convenit. 2. *In origine*; Melchisedecus erat ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, & ἀγενεαλόγητος; non quidem *positive*, quasi fuerit simpliciter talis, sed *negativè*, quia de eo Scriptura silet. Sic Christus fuit ἀπάτωρ, quà homo, & ἀμήτωρ, quà Deus. Quoad officium nullum habuit vel decessorem, vel successorem, quomodo verè est ἀγενεαλόγητος. 3. In *duratione.* Melchisedek proponitur ut immortalis, cujus mortis nulla mentio fiat apud Moïen. Heb. 7. 8. Sed hoc de Christo verissimè dicitur. Heb. 7. 16. 4. Quod ad *officium:* Melchisedek fuit Rex & Sacerdos. Ita & Christus. Ps. 110. 5. In dignitate; Melchisedek fuit Abrahamo superior, benedixit enim ei, benedictione sc. solenni & sacerdotali, secundùm quam minor à majori benedicitur. Heb. 7. 7. Unde Abraham decimas illi solvit. Ita Christus munus præstantius obtinuit Levitico. 6. Quoad *unitatem*; Ut Melchisedecus unicus proponitur; ita Christus unicus est Sacerdos N. T.

CONTROVERSIA.

Non dantur plures Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedeci.

An in N. T. præter Christum plures dentur Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedeci? Neg. cont. Pontif.

Pontificij negant in supradictis similitudinibus consistere rationem Sacerdotii Christi comparatè ad Melchisedecum; sed quærendam in *Sacrificio incruento panis & vini*, quod offeratur quotidie in Missa ad instar oblationis Melchisedeci, per ministerium Sacerdotum N. T. qui in eum finem sint instituti. Nos verò nullum tale Sacerdotium N. T. secundùm ordinem Melchisedeci, quod exerceatur à ministris Christi in Sacrificio Missatico, agnoscimus.

ARGUMENTA.

1. Quia in eo discrimen constituitur ab Apostolo inter Sacerdotium Leviticum & Melchisedecianum, quòd illi plures essent; iste verò unicus. Heb. 7. 23. 24.

Exc.

Exc. *Paulus tantum excludit Sacerdotes ejusdem ordinis & dignitatis, non inferiores:* Ut *Christus, unicus pastor, non excludit*

excludit pastores inferiores. R. 1. Hæc distinctio contradicit Paulo, dicenti. Heb. 7. 24. Sacerdotium Christi esse ἀπαράβατον, i. e. tale, quod ad alium non possit transmitti: At, si plures essent Sacerdotes secundarii, Sacerdotium ad alios transmitteretur. 2. Sacerdotium Melchisedeci nullos habuit Sacerdotes secundarios, vel inferiores, sed in uno Melchisedeco fuit inclusum: Cùm ergo Christus sit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, debet esse unicus, sine adjuncto socio ullo, &c. 3. Sacerdotes illi secundarii aut sunt ejusdem speciei cum primario, vel diversæ: Si prius, deberent & Reges esse, & Sacerdotes, ἀπάτορες, ἀμήτορες, ἀγενεαλόγητοι, habere Sacrificium perpetuum, &c. Si posterius, diversum oporteret esse Sacrificium quod offerrent, à Christi Sacrificio, quod adversarii nolunt. 4. Licèt Christus semper maneat supremus Pastor Ecclesiæ, tamen potest admittere Pastores secundarios; alia enim ratio Prophetiæ, quæ agit nomine Dei apud homines, alia Sacerdotii, quæ nomine hominum apud Deum. Quoad illam Christus requirit ministros, qui præsentiam suam corpoream supplentes homines visibiliter doceant; sed quoad illud, cùm Christus semper adsit Patri, & Sacrificium semel oblatum infinitæ sit virtutis, non requirit ministros, qui ejus loco sacrificent. Heb. 7.24,

2. Sacerdotii istius nulla mentio in N. T. cùm tamen Paulus varios ordines munerum sacrorum recenseat, hoc omisso. Rom. 12. 1. Cor. 12. Eph. 4. accuratissimè exponat quæcunque faciunt ad S. ministerium. in Epist. ad Timoth. & Titum, & solicitè agat de convenientia Sacerdotii Melchisedeciani & Christi, in Epist. ad Hebræos: Hoc Sacerdotio nullâ factâ mentione.

3. Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedeci iis characteribus insignitur, qui nemini nisi Christo competunt. Ut, quod Sacerdos sit *vocatus, & constitutus à Deo cum juramento. Heb.* 7. 21. qui *non opus habeat offerre pro seipso, sed pro populo. Heb.* 7. 27. *qui non sæpius, sed semel tantum, non alienum sanguinem, sed proprium offerre debuerit. Heb.* 9. 26. *Qui per proprium sanguinem æternâ redemtione peractâ in cœleste Sacrarium debuit ingredi. Heb.* 9. 12. *Qui in æternum vivens perfectè posset servare accedentes ad Deum per ipsum. Heb.* 7. 25. *Qui purus esset, impollutus, segregatus à peccatoribus. Heb.* 7. 26.

4. Sic Sacerdotium Aaronicum & Melchisedeci non differrent hac in parte, ut proponuntur tamen ab Apostolo, tanquam diversissima, siquidem in illo etiam occurrebat oblatio panis & vini. ex Exod. 29. 24. Levit. 2. toto. Num. 28. 5. 12. ubi oblationes similæ præcipiuntur, non tantùm ut pars quædam Sacrificii alterius, vel illius condimentum, verùm etiam ut oblatio per se, ex Lev. 2. 1. 2.

OBJECTIONES.

Gen. 14. 18. 1. *Melchisedek obtulit panem & vinum. Gen.* 14. 18. R. Non *obtulit*, sed *protulit*, הוציא non enim agitur de functione Sacerdotali, nullius enim altaris mentio fit, sed de munificentia Regia, quâ milites Abrahami defatigatos reficere voluit, & amicum Victorem regio epulo excipere, ut Veteribus hoc moris fuit, redeuntibus ex prœlio & victoriâ potitis panem & vinum offerre ad eos refocillandos, sicut fecerunt incolæ Succoth, obviam euntes Gedeoni post debellatos Madianitas cum pane. Jud. 8. 5.

Inst. 1. *Causa oblationis statim redditur, petita à Sacerdotio, dum additur: Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* R. Vau in Hebr. non est particula causalis, sed copulativa, ut redditur à Pagnino, Montano, Vatablo, & τὸ, ἦν δὲ ἱερεὺς: Nec pertinet ad antecedentia, ut ratio reddatur, cur protulerit panem & vinum, cùm id fecerit quà Rex, amicus & fœderatus, sed ad sequentia, ut intelligatur, quo jure benedixerit Abrahamo, & ab eo decimas acceperit.

Inst. 2. *Nihil opus fuit panem & vinum militibus Abrahami cibandis destinari, quia ex præda jam erant saturi. v.* 24. Respondemus cum Pererio, ad Gen 14. parum in hac confutatione esse roboris, quia vel hoc nescivit Melchisedek, vel si scivit, voluit nihilominùs eo munere suam erga Abrahamum benevolentiam, & ex victoria ejus singularem lætitiam declarare. Adde, quòd spolia omnia non sunt esculenta.

Inst. 3. *Nusquam alibi fit mentio Sacrificij Melchisedeci. Et, si ad convivium referentur verba, intelligitur convivium sacrum, ut fieri solebat post Sacrificia.* R. 1. Non necesse fuit Mosen agere de Sacrificio Melchisedeci, magis quàm de ejus genealogia & parentibus: 2. Scopus Sp. S. non fuit recensere omnes actus Sacerdotij Melchisedeci; Sed eos tantùm, in quibus præstabat Sacerdotibus Leviticis, quod non

non potuisset fieri per sacrificii rationem, quod commune fuit ipsis. 3. Quod verò additur de convivio Sacro, quod secutum fuerit ejus Sacrificium, ut prius sacrificati fuerint panes, quam Abrahamo appositi, ἀσύζυτα ponit, cùm enim Sacrificium teste Bell. destructionem afferat rei sacrificatæ, si panis & vinum semel destructa sunt in Sacrificio, quomodo idonea possunt esse, quæ ab hominibus participentur.

2. *Sacerdotium æternum infert perpetuitatem oblationis Sacrificii.* R. Non, sed sufficit, ut sacrificium sit perpetuum ratione efficaciæ, & continuæ applicationis.

3. *Deus assumturus dicitur ex Gentibus Sacerdotes & Levitas.* *Ies.* 56. 21. R. i. e. ministros sacros; ut verò Levitæ propriè h. l. non sunt intelligendi, qui sunt ex tribu Levi; ita nec vox sacerdotis propriè, sed mysticè intelligenda est. Jes. 56. 21.

CONTROVERSIA. I.

De Satisfactione Christi.

An necesse fuerit Christum pro nobis satisfacere justitiæ divinæ? Aff. c. Socin.

Necessitas satisfactionis Christi.

De necessitate satisfactionis 3. sunt præcipuæ sententiæ: Prima *negantium* simpliciter, quales sunt Sociniani. Secunda statuentium necessitatem satisfactionis, non absolutam, sed *hypotheticam*, quia, putant, si Deo libuisset, alii modi liberationis possibiles non illi defuissent, qua in sententia videtur fuisse Aug. & nonnulli ex nostris, maximè qui ante Socinum scripserunt. Tertia *affirmantium*, qui necessitatem absolutam ita statuunt, ut Deus non modò noluerit peccata nobis remittere sine satisfactione, sed ne potuerit quidem per justitiam. Non tamen urgent necessitatem simpliciter naturalem, qualis est in igne ad urendum, quæ nec est voluntaria, nec ullam modificationem in sui exercitio admittit: sed *moralem* & *rationalem*, quæ ut à Sanctitate & justitia Dei fluit, nec nisi liberâ intercedente voluntate exerceri potest, ita variam pro sapienti ἐπιεικείᾳ Dei potest modificationem admittere, modò salvum illi maneat jus suum naturale. NB

ARGUMENTA.

1. A *justitiæ Dei vindicatrice*; Nam in hoc negotio

Deus se non habet tantùm ut *creditor*, qui potest pro libitu de jure suo remittere, nec tantùm ut *pars offensa*, & *Dominus*, qui potest de suo facere quod vult, sine cujusquam injuria, sed ut *judex*, & *rector universi*, qui jus Majestatis sustinet, & se custodem ac vindicem Legum profiretur; atque adeò jus habet non crediti tantùm, aut Dominii, quo possit uti vel non uti pro libitu, sed *jus regiminis*, & pœnæ, quod est naturale & indispensabile.

2. A *peccati naturâ*; Non enim potest dari malum morale quod non post se trahat malum physicum & pœnale: Igitur non modò sapientiæ Dei consentaneum est ea simul componi, quæ conveniunt in genere boni vel mali, sed, ut bonitati ejus convenit, ut bonis bene sit, ita justitia postulat, ut malis malè sit.

3. A *Legis sanctione*. Quia Lex pœnam mortis comminatur peccatori. Gen. 2. 17. Deut. 27. 26. Ezech. 18. 20. Rom. 1. 18. 32. & 6. 23. Cùm verò Deus sit verax & mentiri nesscius, necesse est ut impleatur tandem, vel in ipso peccatore, vel in vade.

4. *Ab Evangelii præconio*, quod Mediatoris & Sponsoris mortem cruentam & diram pro nobis passi nunciat; cur enim Deus innocentissimum & dilectissimum filium crudelissimæ & ignominiosissimæ morti exponere voluisset, absque gravissima quadam & indispensabili necessitate?

OBJECTIO.

Sententia de satisfactionis necessitate derogat perfectionibus divinis; ut absolutæ potestati; liberrimæ voluntati; misericordiæ immensæ; sanctitati, justitiæ, sapientiæ, charitati. R. Neutiquam derogat his Dei perfectionibus: Non *potestati*, quia Deus non potest se & virtutes suas abnegare, nec ita se gerere, quasi peccato delectetur. Non *voluntati*, quia nihil vult aut velle potest contra suam justitiam & sanctitatem, quæ non parum læderetur, si peccatum maneret inultum. Non *misericordiæ*, quia illi locus semper datur erga peccatorem, licet Satisfactio à Vade exigatur. Imò contrà facit ad illustrationem gloriæ Dei *sanctitatis*, per quam nullam cum peccatore communionem colere potest sine prævia Satisfactione; *Justitiæ*, quæ ita inexorabiliter peccati pœnam postulat, ut etiam in proprio filio suo Deus illud punire voluerit, ne inultum maneret. *Sapientiæ*, quæ admirabile justitiæ & misericordiæ temperamen-

ramen-

ramentum invenit; *Charitatis*, qui proprio filio non pepercit ut nobis parceret.

CONTROVERSIA II.

De Satisfactione.

An Christus loco nostro peccatis nostris debitas pœnas sustinuerit, atque ita justitiæ Dei punienti satisfecerit? Aff. c. Socin.

Veritas satisfactionis Christi.

Licèt *Sociniani* nomen satisfactionis retinere velle videantur, & non semel, ut fucum faciant, illud usurpare soleant, longè tamen alio sensu, quam orthodoxi, ut ex statu Quæstionis liquebit.

Non quæritur de *Satisfactione qualicunque, & impropriè ita dictâ*, quâ Christus satisfecerit conditionibus omnibus, quæ illi à Dei voluntate ad salutem nostram procurandam impositæ fuerant: Hactenus enim non negant, sed admittunt Christi satisfactionem. Sed de *Satisfactione pœnali, & proprie ita dictâ*, per quam non tantùm voluntati divinæ, sed & justitiæ satisfecit, assumtis in se peccatis nostris, quam illi negant, nos asserimus.

Secundò non quæritur de *Satisfactione Methaphorica*, quæ fit per partis læsæ *acceptilationem*, quæ precariò impetrat aliquid per meram Dei indulgentiam: Hanc enim non diffitentur adversarii, & sæpe obrendunt, ut simplicioribus imponant. Sed de *vera & propria*, quæ fit per pretii æquivalentis solutionem, & quæ obtinet meritoriè ex justitia judicis liberationem *Rei*; quam ex verbo Dei prædicamus, alii pertinaciter rejiciunt.

Tertiò non quæritur: An Christus *pro nobis utiliter* mortuus sit, i. e. bono nostro, ut mors illius nobis prosit diversimodè? quod illi libenter largiuntur. Sed an mortuus sit pro nobis *Substitutive*, i. e. *loco nostro*, ut in vicem nostram substitutus pœnas nobis debitas in se receperit? quod pertendimus.

Denique non quæritur: An Christus sit Servator noster, vel *doctrinæ præconio*, quia viam salutis nobis annunciavit; vel *potentiæ*, & *efficaci communicatione*, quia eam reipsa daturus est suo tempore: Socinus enim hæc omnia Christo concedit; sed: An maximè propriè Servator fuerit satisfactione

factione & merito? Quod oppugnant adversarii: Orthodoxi tenent.

ARGUMENTA.

Iesa. 53. 5. 10. 11.

1. Christus tulit pœnas peccatis nostris debitas. *Jesa. 53. v. 5. 10. 11. Ipse dolore afficitur à defectionibus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumice ejus sit curatio nobis, &c.* 1. Pet. 2. 24. *Peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum, cujus vibicibus sanati estis.* Gal. 3. 13. *Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio.* Ubi adversus varias παρερμηνείας adversariorum observandum; emphaticas esse phrases in his locis, quæ nostram sententiam invictè demonstrant, ut sunt: *Peccata portare*; i. e. ut Socin. Prælect. c. 21. ipse agnoscit, peccatorum pœnas ferre; *conjicere peccata in eum; portare peccata in corpore suo super lignum, per attritionem, vulnerationem*, &c. quæ omnia pœnæ perpessionem important. Quomodo in se sanctissimus potest dici factus execratio, & quidem *pro nobis*, nisi quia loco nostro substitutus, omnem execrationem Legis peccatis nostris debitam in se recepit?

1. Pet. 2. 24.

Gal. 3. 13.

Joh. 10. 11. Joh. 11. 50. 1. Pet. 3. 18. Exc.

2. Mortuus est pro nobis, & loco nostro. *Animam suam deposuit pro ovibus. Joh. 10. 11. Vnus homo mortuus pro populo. Joh. 11. 50. Christus semel pro peccatis mortuus est, justus pro injustis.* 1. *Pet.* 3. 18. Particula *Pro* verò non tantùm notare bono & commodo nostro, sed etiam loco nostro, per propriè dictam substitutionem, patet. 1. quia hæc est ordinaria significatio præpositionis ὑπὲρ, quæ hic usurpatur, quæ, cum agitur de persona, subrogationem notat apud Græcos. Rom. 9. 3. ἀνάθεμα ὑπὲρ ἀδελφῶν, i. e. loco fratrum. Rom. 5. 7. vix est, ut pro justo quis moriatur, i. e. ejus loco. 2. Quia mortuus dicitur pro nobis modo quodam singulari, quo nec Paulus, nec Petrus possunt dici pro nobis mortui. 1. Cor. 1. 13. at uterque bono nostro potest dici mortuus, puta ad nostram ædificationem. E. intelligenda est *mors vicaria*, quæ nec in Apostolos, nec in martyres potuit cadere.

1. Cor. 1. 13.

Matth. 20. v. 28. 1. Tim. 2. 6. Apoc. 5. 9.

3. Emit nos suo sanguine tanquam λύτρῳ & ἀντίλυτρῳ. *Matth. 20. v. 28. Filius animam suam dedit in redemtionis pretium pro multis. Act. 20. 28. Ecclesiam acquisivit proprio sanguine.* 1. *Tim.* 2. 6. *Seipsum dedit redemtionis pretium. Apoc.* 5. 9. *Mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem*

nem tuum. Ubi particula ἀντὶ, Matth. 20. 28. & ἀντίλυτρον 1. Tim. 2. 6. necessariò substitutionem importat; quemadmodum patet ex lege Talionis, ubi dabatur ὀφθαλμὸς ἀντὶ ὀφθαλμοῦ. Matth. 5. 38. Et quorsum λύτρα & τιμὴς fieret mentio, si nullum pretium datum est?

4. Etiam sanguine suo delevit nostra delicta. *Heb.* 1. 3. *Purificatione peccatorum nostrorum per seipsum factâ sedit ad dextram Majestatis Dei,* &c. 1. *Ioh.* 1. 7. *Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. Apoc.* 1. 5. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris proprio suo sanguine.* Unde patet redemtionem nostram nec factam esse simpliciter, *gratuitâ manumissione*, qualis est servorum, qui à Dominis in libertatem mittuntur, nec per *meram virtutem* & potentiam, quomodo captivi eruuntur ex manibus hostium, non *nudâ permutatione*, quæ in bello fieri solet, sed *justâ satisfactione*, qualis est sponsoris, qui pro debitore solvit. Heb. 1. 3. 1. Joh. 1. 17. Apoc. 1. 5.

5. Argumentamur ex *nostra cum Deo reconciliatione*, quam Christus per mortem suam nobis procuravit. Nam cùm reconciliatio ista supponat dissidii, quod inter Deum & creaturas intercedebat propter peccatum, compositionem; non potuisset fieri sine satisfactione, quæ duplex obstaculum removeret, à parte Dei, justitiam, cui satisfieri debuit, à parte hominum, peccatum, cujus reatus expiari debuit per pœnæ debitæ perpessionem: Christum istam reconcilationem nobis procurâsse, docet passim Apostolus. *Rom.* 5. 10. *Cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per sanguinem filii ejus.* 2. *Cor.* 5. 18. 19. *Deus reconciliavit nos sibi per Iesum Christum, deditque nobis ministerium reconciliationis; nempe, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi,* &c. Rom. 5. 10. 2. Cor. 5. 18. 19.

Exc. *Reconciliatio dicitur fieri per nostram ad Deum conversionem, non verò per iræ divinæ placationem, quia non dicitur Deus nobis reconciliari sed nos Deo.* R. 1. Scriptura duplicem inimicitiam & alienationem proponit, non modò à parte hominum, qui per peccatum facti sunt θεοστυγεῖς, i. e. osores Dei. Rom. 1. 30. sed etiam à parte Dei per iram quæ revelatur cœlitùs adversùs omnem impietatem, Rom. 1. 18. ut ergo utrinque fuit abalienatio, ita utrinque reconciliatio præstari debuit, à parte Dei, per iræ adversionem, à parte hominum, per conversionem. 2. Si reconciliatio nihil aliud esset quàm conversio, meliùs vitæ Chri- Exc.

sti glo-

sti glorioſæ, quàm cruentæ morti ferretur accepta. 3. Ab Apoſtolo ſanctificatio proponitur ut finis reconciliationis. *Col.* 1. 21. 22. *Reconciliavit vos in corpore illo carnis ſuæ, per mortem, ut ſiſtat vos ſanctos & inculpatos*, &c. At nihil poteſt eſſe ſui ipſius medium & finis. 4. Reconciliatio talis intelligitur, quæ fit per non imputationem peccati. 2. Cor. 5. 18. per ſubſtitutionem Chriſti loco noſtro. Rom. 5. 7. per pacificationem in ſanguine. Col. 1. 20. & ἱλασμόν. 1. Joh. 2. 2. At hoc converſionem non innuit, ſed primario iræ Dei placationem.

OBIECTIONES ARGUMENTUM.

1. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplar.*

1. Pet. 2. 21. 1. Joh. 3. 16. 1. *Pet.* 2. 21. *Et mors Chriſti pro nobis confertur cum morte, quam pati debemus, Deo ita jubente, pro fratribus.* 1. *Joh.* 3. 16. Chriſtus geminum finem in morte & paſſionibus ſibi propoſuit, primum, ut redemtionis pretium pro nobis juſtitiæ divinæ ſolveret; alterum, ut imitationis exemplum præberet: At, poſitio unius finis non excludit, imò ſupponit alium.

2. *Deus gratis remittit peccata. E. non opus ſatisfactione.* R. 1. Satisfactio & remiſſio ſunt incompatibiles, quum agitur de *ſolutione debiti pecuniarii*, ſive fiat per ipſum debitorem, ſive per alium; quia non in ea reſpicitur quis ſolvat, ſed quid ſolvatur; ſed hoc locum pariter non habet in *ſolutione debiti pœnalis*, quia hic non reſpicitur tantum res quæ ſolvitur, ſed etiam ipſa perſona quæ ſolvit, quia obligatio non tantùm eſt de re, ſed de perſona, cui ex Judicis ἐπιεικείᾳ poteſt remitti pœna propria, & admitti in ejus locum vicaria. 2. Aliud eſt loqui de ſatisfactione & ſolutione propria; aliud de aliena & vicaria; Illa tollit omnem remiſſionem & gratiam; iſta non item, quæ in hoc negotio locum habet, quia, licet juſtitiæ fiat ſatis per ſatisfactionem, quia tamen eſt ſatisfactio aliena, non propria, quam ex rigore juris Lex exigat, requiritur hic actus judicis, qui acceptando pœnam vicariam Vadis, remittat reo pœnam propriam quam debebat.

3. *Pœna peccatorum eſt mors æterna, deſperatio, fremitus,* &c. *quæ Chriſtus paſſus non eſt.* R. 1. Si pœna, quam Chriſtus loco noſtro tulit, non fuit infinita quoad durationem, fuit tamen talis æquivalenter, quoad valorem, propter perſonæ patientis infinitam dignitatem, quia non fuit paſſio

passio meri hominis, sed veri Dei. 2. Desperatio & fremitus non sunt de essentia pœnæ, prout à judice infligitur, vel à sponsore sanctissimo fertur, sed habent rationem adjuncti, quod eam comitatur, propter vitium subjecti patientis, quod cùm videt impossibilitatem eluctandi ex pœna, in desperationem & fremitum cadit, quod alienissimum est à Christo.

4. *Anima quæ peccat morietur, Ezech.* 18. *v.* 20. *E. Nemo pro alio mori potest*, R. Locus non potest absolutè intelligi, sed secundùm quid, in via ordinaria providentiæ, non in via extraordinaria gratiæ; vel in negotio peculiari Judæorum, cum quibus agebat Deus, ut illis obstrueret os, ne quererentur se immerentes pœnas ferre, propter peccata parentum; sed non in communi hominum regimine. Ezech. 18. 20.

5. *Pœna corporalis in alium transferri non potest.* R. Id prima fronte quidem injustum videtur, imò aliquando prohibetur, ut apud Romanos fidejussiones in pœnâ capitali vetabantur, quia nemo est Dominus membrorum suorum. Non ignotum tamen absolutè Ethnicis fuisse, exempla Damonis & Pythiæ amicorum, quorum alter se pro altero vadem stitit apud Dionysium in causa capitali, & Curtii, Codri, Decii, se pro patria devoventium, satis testantur, ut & jus occidendorum obsidum humanissimis populis usitatum, ubi Principales à promissis deficiebant; qui ideò ἀνθ'ψυχοι dicebantur: Scriptura id etiam astruit, non modò ex imputatione peccati, sed & ex publico Sacrificiorum usu, in quo peccatoris locum subire debuit victima; unde manus capiti ejus imponebantur, & peccati confessio fiebat. Unde patet 2. Injustum non fuisse, Christum justum pro nobis injustis substitui: Sic enim nulla facta est cuiquam injuria; Non ipsi *Christo*, quia volens hanc pœnam in se recepit, & potestatem habuit de se statuendi, & sese à mortuis excitandi. Non *Deo judici*, quia hoc voluit & jussit, vel juri ipsius naturali, cui cautum est pœnâ Sponsoris. Non *Rei publicæ mundi* per mortem innocentis, quâ optimo cive privata sit: Christus enim à morte liberatus in æternum vivit: Nec per vitam reorum, qui in perniciem Reipublicæ sint superstites, quia per Christum convertuntur, & novæ fiunt Creaturæ. Non *Legi divinæ*, cui prospectum est perfectissimâ impletione ejus à Christo factâ.

CON-

CONTROVERSIA. III.

De Satisfactione.

Perfectio satisfactionis Christi.

An ita perfecta fuerit Christi Satisfactio, ut nullis post eam Satisfactionibus humanis locus esse possit? Affirm. contra Pontif.

Pontificii, licèt unitatem & perfectionem Satisfactionis Christi oretenus asserant, reipsa tamen eam non uno modo labefactant & evertunt, dum statuunt, eam restringendam esse ad peccata antebaptismalia, & ad reatum culpæ & non pœnæ, vel ad pœnam æternam, & non temporalem.

Non autem quæritur: An satisfactio Christi excludat omnes satisfactiones humanas, vel privatas, vel publicas, quæ imponuntur peccatoribus ad propriam correctionem, & scandali Ecclesiæ datæ reparationem: Hoc enim ritè & laudabiliter in Ecclesia Veteri observatum censemus. Sed: An positâ Satisfactione Christi, aliæ Satisfactiones, Deo præstandæ pro peccatis, imponi possint aut debeant fidelibus? Quod negamus; adversarii volunt.

Non quær. An satisfactio Christi excludat castigationes fidelium, quæ *pœnæ medicinales* & impropriæ dicuntur; Sed, an excludat Satisfactiones seu *perpessiones pœnales*, ad ultricis justitiæ Satisfactionem, quod volunt adversarii, pertendentes; Satisfactionem Christi, quamvis infinita fuerit, non ita plenam & sufficientem fuisse, quin requirantur adhuc variæ Satisfactiones à fidelibus, si non pro culpa, vel pœna æterna, quam agnoscunt Christum sustulisse, saltem pro pœna temporali.

Nos verò Satisfactionem Christi ita perfectam censemus, ut non tantùm pro culpa, sed etiam pro pœna tam temporali quàm æterna peccatorum nostrorum plenissimè satisfecerit, ut nullum supersit sacrificium hylasticum denuò offerendum, nec satisfactiones vel in hac vita, vel post eam luendæ, quamvis non rarò castigationibus Dei fideles exponantur ad pœnitentiam & sanctitatem eorum promovendam.

ARGUMENTA.

1. *A personæ Satisfacientis dignitate*; quæ cum fuerit verè

verè divina, etiam satisfactio ab ea præstita debet esse infiniti valoris & pretii, adeòque sufficientissima, & plenissima.

2. *Ab unitate oblationis à Christo factæ.* Ut enim iteratio imperfectionem supponit; ita unitas ex oppositio plenitudinem & perfectionem rei necessariò importat. At, Paulus multoties asserit Christum se semel pro nobis obtulisse, in Epist. ad Heb. cap. 7. 9. & 10.

4. *Ex Dei judicis approbatione*; Approbatam autem & acceptam fuisse Deo Christi satisfactionem, patet præcipuè ex resurrectione; nam, ut creditor non liberat Sponsorem, nisi plenâ solutione præstitâ; ita nec liberari potuisset Christus, nisi omnimodè satisfeciisset.

4. Ex *effectibus satisfactionis*; uti reconcilatio Dei, peccatorum expiatio, redemtio, &c. quæ omnia plenam fuisse satisfactionem clamant.

Exc. *Non derogatur gloriæ satisfactionis Christi per nostras satisfactiones, siquidem vim suam mutuantur à satisfactione Christi, adeòque Christus in nobis & per nos satisfacit.* Exc.

R. Hæc sunt ἀσύστατα; nulla enim hic vel consociatio vel subordinatio causarum admittenda, ubi causa primaria est solitaria, quæ nullas alias admittit. Et non sine insigni contumelia Christo socii, vel causæ subalternæ adduntur in officio quod illi unice competit, ut sit perfectus redemtor noster.

OBJECTIONES.

1. *Paulus dicit se pati pro Ecclesia, vel pro corpore Christi.* Col. 1. 24. Aliud est pati pro Ecclesia redimenda per satisfactionis pretium; aliud pro ea ædificanda, consolanda, & confirmanda, per constantiæ & obedientiæ exemplum: Non de primo loquitur Paulus, negat enim alibi quenquam præter solum Christum pro nobis fuisse crucifixum. 1. Cor. 1. 13. Sed de posteriori, ut ipse interpretatur. 2. Cor. 1. 6. ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως; 2. Tim. 2. 10. dicit se pati omnia propter electos, sc. exemplo suo confirmandos. Col. 1. 24. 2. Cor. 1. 6.

2. *Paulus debuit ἀνταναπληρῶν, vicissim implere passiones Christi.* Col. 1. 24. R Passiones Christi h. l. non sunt passiones personales Christi naturalis, sed passiones Christi mystici, i. e. corporis ejus, seu Ecclesiæ, quæ ad instar Christi imponuntur ferendæ singulis membris pro parte sua, & quæ Paulo in particulari assignatæ erant à Deo, quas ideò Col. 1. 24.

se vicissim seu pro parte sua implere dicit, alacriter gestando partem crucis, quæ ipsi à Christo ad ferendum erat imposita. Passiones enim Christi afflictiones fidelium subinde notant, ut, Heb. 11. 26. dicitur Moses probrum Christi majores divitias duxisse, quàm omnes Ægyptiorum thesauros. Ita autem vocantur, tum ratione *principii*, quia Christus eas imponit, tum ratione *objecti*, quia propter Christum imponuntur, tum ratione *communionis* quam habemus cum Christo; quia, ut unum simus cum Christo, ita bona & mala nobis sunt communia.

Dan. 4. 27. 3. *Redime peccatatua.* Dan. 4. 27. R. Aliud est peccata sua redimere verâ satisfactione; aliud eorum cursum abrumpere per opera pœnitentiæ & charitatis. Daniel posterius suadet Nebucadnezari, non prius: פרק enim propriè non est redimere, sed *abrumpere*, *abstrahere*, atque inde *liberare*; Suadet ergo Regi pœnitentiam, ut injurias & oppressiones illatas beneficentiâ resarciat, & peccatorum cursum abrumpat, ut obtineat exemtionem à pœnis.

Prov. 16. 6. 4. Prov. 16. 6. *dicitur*; *misericordiâ & veritate peccatum redimi & expiari.* R. 1. Notatur tantùm conditio, cui datur peccati remissio; non verò causa propter quam datur. 2. כפר hic non notat expiationem propriè dictam, sed vel rectionem tantùm & remissionem, quàm Deus veris fidelibus & misericordibus largitur; vel ablationem & remotionem notat; ut alibi. Jes. 28. 18. quia exercitium charitatis & sinceræ pietatis aufert vitia contraria, quod sequentia confirmant: *in timore Dei est declinatio à malo.*

Fructus Satisfactionis Christi. IX. Fructus satisfactionis Christi sunt. 1. *Reconciliati enim sumus Deo per mortem filii ejus.* Rom. 5. 10. 2. Remissio peccatorum. *In eo enim habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem lapsuum ex divite ipsius gratia.* Eph. 1. 7. 3. Liberatio ab inferno, & hostibus. *Nulla enim condemnatio iis, qui in Christo Iesu sunt.* Rom. 8. 1. 4. Acquisitio juris vitæ. *Redemit enim nos Deo per sanguinem suum.* Apoc. 5. 9.

CON-

CONTROVERSIA.

An Christus nobis obedientiâ suâ jus vitæ æternæ meruerit, atque acquisiverit? Aff. c. Rem.

Christus jus vitæ æternæ acquisivit.

Remonstrantes volunt Christum non tam redemtionem & salutem nobis acquisivisse, quàm possibilitatem salutis tantùm & potestatem Patri novum Fœdus Gratiæ cum hominibus paciscendi. Contra valet sequens

ARGUMENTUM.

Hoc injurium est virtuti crucis Christi, & efficaciæ ejus Sponsionis: Quomodo enim diceretur se dedisse ἀντίλυτρον pro nobis, æternam salutem nobis adipisci, nos redimere ab omni iniquitate, & vitam æternam nobis dare, & alia id genus, quæ non possibilitatem tantùm salutem à Christo nobis impetraram statuunt?

OBJECTIO.

Salus datur ex gratia; ergo non ex merito. R. Gratia Dei & meritum Christi non opponuntur, sed subordinantur, quia κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο hic spectantur; gratia respectu nostri; sed meritum respectu justitiæ Dei.

X. Neque salutem tantùm nobis meritus est, sed & omnem gratiam.

CONTROVERSIA.

An Christus nobis quoque meruerit Spiritum regenerationis & fidei? Aff. cont. Rem.

Christus Sp. S. & fidem nobis meruit.

Quænam sit mens & intentio Remonstrantium, patet ex Synod. Dord. in rejectione errorum. Th. 3. ubi rejiciunt eos, qui docent Christum per suam Satisfactionem nullis certò meruisse salutem & fidem, quâ hæc Christi Satisfactio efficaciter ad salutem applicetur, sed tantùm Patri acquisivisse potestatem, vel plenariam voluntatem de novo cum hominibus agendi, & novas quascunque vellet conditiones præscribendi, quarum præstatio à libero hominis arbitrio pendeat, atque adeò fieri potuisse, ut vel nemo vel omnes eas implerent: Hi verò de morte Christi nimis abjectè sentiunt, & primarium ejus fructum seu beneficium per eam partum nullatenus agnoscunt, & Pela-

gianum errorem ab inferis revocant. Nos Christum meruisse fidem hominibus morte sua; per sequentia probamus

ARGUMENTA.

Heb. 12. 2. 1. Quia dicitur ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς πίστεως, *Dux & consummator fidei.* Heb. 12. 2. Act. 2. 3. At si est author fidei, debet esse ejus acquisitor, nihil enim dat nobis, nisi quod merito suo nobis acquisivit.

2. Quia est causa meritoria salutis: E. & omnium partium, quibus salus constat; at fides & vita spiritualis, quam in nobis operatur, est prima pars salutis.

Eph. 1. 3. 3. Quia Christus est causa & fundamentum omnium benedictionum spiritualium Eph. 1. v. 3. inter quas potissima est fides. Unde aliter dicitur *dari propter Christum in ipsum credere: & pro ipso pati.* Phil. 1. 29.

Phil. 1. 29.

4. Quia ut Christus mittere nobis debuit Spiritum, ita & debuit eum mereri; unde proponitur nobis ut fructus mortis Christi. Joh. 16. 8. E. & omnia dona ejus, imprimis fidem.

5. Christus non potuit esse verus & plenus Servator, nisi acquirendo nobis fidem, sine qua impossibile est salutem consequi.

OBJECTIONES.

1. *Fides & resipiscentia sunt actus noster, quem nemo potest mereri.* R. Etiam donum Dei. Eph. 2. v. 8. atque eatenus Christus ea meritus est.

2. *Fides est conditio quam Deus à nobis postulat.* R. Est conditio, sed non præstanda nostris viribus.

3. *Deus nobis libere dat fidem, at tum deberet.* R. Ita etiam salutem: Voluntaria ejus obligatio cum libertate non pugnat.

Quomodo Satisfactio Christi possit dici sufficiens pro omnibus?

XI. Quanquam satisfactio Christi posset dici *sufficiens* pro peccatis omnium & singulorum, si Deo ita visum fuisset: Cùm enim sit infiniti valoris, sufficientissima fuit ad redemtionem omnium & singulorum, si Deo visum fuisset illam ad totum mundum extendere. Et huc pertinet distinctio à Patribus usurpata, & à variis Theologis retenta; Christum mortuum esse *sufficienter pro omnibus*, sed *efficaciter tantùm pro electis*; Quæ phrasis de mortis Christi dignitate intellecta verissima est, quanquam minùs sit accurata, si ad voluntatem & consilium Christi referen-

feratur. Filius enim non eo consilio & ea intentione seipsum morti tradidit, ut se omnium & singulorum loco substitueret ad satisfaciendum pro illis, & salutem ipsis acquirendam; sed pro Electis solis, qui à Patre illi dati sunt redimendi, & quorum caput debuit esse, seipsum tradere voluit.

CONTROVERSIA.

An Christus obedientiâ suâ satisfecerit pro omnibus omnium, & singulorum hominum peccatis? Neg. cont. Pontif. & Rem.

Christus pro omnibus & singulis mortuus est.

Universalem extensionem oblationis Christi ad omnes homines urgent *Pelagiani* & *Semi-Pelagiani* omnes, *Iesuitæ* sc. *Ianſenistis* obloquentibus, & Remonstrantes, ac in phrasi & methodo convenientes, tum *Lutherani* recentiores, tum plures ex nostris *Universalistæ*, qui tamen à speciali magis gratia efficaciam oblationis hujus non ab arbitio humano, derivant.

Non autem quæritur de *fructu* & *efficacia mortis Christi*; an omnes & singuli ejus fiant actu participes? quod *Puccius* & *Huberus* olim volebant. Sed agitur de *destinatione Dei* mittentis filium in mundum; & de *intentione Christi morientis*; an ea respexerit omnes & singulos homines, ut Christus se loco illorum substituendo, pro illis satisfaceret, & remissionem peccatorum ac salutem impetraret? An verò solos Electos? Prius affirmant; Nos posterius.

ARGUMENTA.

1. Quia missio Christi & ejus mors restringitur subinde ad quosdam, ad populum Christi, ad oves, ad amicos, ad Ecclesiam & corpus ejus. Sic Christus, dicitur *servare populum suum à peccatis suis.* Matth. 1. 21. alibi vocatur *Servator corporis sui.* Eph. 5. 25. *Pastor bonus, qui ponere debuit animam pro ovibus suis.* Joh. 10. 11. & *pro amicis.* Joh. 15. 13. & *mori ad colligendos filios Dei per totum orbem dispersos.* Joh. 11. 52. & *ad Ecclesiam acquirendam proprio suo sanguine.* Act. 20. 28. pro iis, *qui ipsi dati sunt à Patre.* Joh. 6. 2. 6. &c.

Matth. 1. 21. Eph. 5. 25. Joh. 10. 11. Joh. 15. 13. Joh. 11. 52. Act. 20. 28.

Exc. 1. *Etsi loca de Electis loquerentur, non tamen de solis exclusive ad alios intelligenda sunt.* R. Loca omnia allegata, si non explicitè, at implicitè exclusivam includunt in de-

Exc. 1.

in descriptione eorum, de quibus agitur, quæ ad alios pertinere nequit. Loca enim ista eò rendunt, ut amplificent insignem Christi amorem erga oves suas, pro quibus animam ponit, erga Ecclesiam & populum, pro quo se tradidit, at, si nihil peculiaris in hoc negotio habent præ cæteris, quæ ratio dici potest, cur immensus iste amor animam ponentis, sanguinem fundentis, & se tradentis Christi, illis speciatim applicetur?

Exc. 2. Exc. 2. *Agitur non de impetratione sola, quæ potest esse universalis, sed de impetratione & applicatione simul, quæ est particularis.* R. 1. Termini, quibus Spiritus S. locis allegatis utitur, ut: Servatorem esse, animam suam ponere pro aliquo, & aliquos ἐξαγοράζειν, satisfactionem, impetrationem, & acquisitionem salutis propriè designant. 2. Et licèt post se applicationem traherent, non minùs efficaces essent, cùm impetratio & applicatio sint inseparabiles.

Exc. 3. Exc. 3. *Potest simul dici Christum esse mortuum pro quibusdam absolutè, & pro omnibus conditionatè.* R. Supponitur gratis, quod probandum est: Quis enim credat in unico & simplicissimo actu, quo omnia a Deo decreta sunt, licèt à nobis distinctè concipiantur, duas intentiones fuisse adeò diversas, si non contrarias, ut pro omnibus quidem uno modo voluerit mori, pro quibusdam verò tantùm alio? Imò, cùm non possit velle mori pro electis absolutè, quin ex opposito nolit mori pro reprobis, qui illis contradistinguuntur, capi non potest, quomodo in unico actu voluerit & noluerit pro iis mori.

2. *Ex connexione Satisfactionis & Intercessionis Christi.* Idem enim debet esse objectum tam ἱλασμοῦ, quàm ἐμφανισμοῦ, ut à Paulo & Johanne indissolubili vinculo connectuntur. 1. Joh. 2. 1. 2. Rom. 8. 34. At pro omnibus & singulis non intercedere, sed pro datis tantùm à Patre Christus ipse testatur.

Joh. 17. 9. Joh. 17. 9. *Non pro mundo*, inquit, *rogo*, sed pro iis, quos mihi dedisti.

Luc. 23. 34. Exc. *Intercessio alia est universalis, respectu totius mundi; secundùm quam pro persecutoribus suis orâsse legitur. Luc.* 23. 34. *alia particularis, respectu fidelium.* R. 1. Supponitur sine ratione, dare intercessionem universalem; ut enim semper exauditur à Patre, Joh. 11. 42. si pro omnibus intercederet, omnes actu salvarentur. 2. Nec hoc evincitur ex Luc. 23. 34. nec enim orat pro omnibus crucifigentibus

gentibus, sed pro iis, qui peccabant ex ignorantia, ut ibidem Christus addit, qui fructum etiam orationis obtinuerunt. Act. 2. &. 3.

3. *Ex summa dilectione Christi.* Pro quibus Christus mortuus est, eos tantopere dilexit, ut major dilectio dari non possit; *majorem enim charitatem nemo habet; quàm si quis animam ponat pro amicis suis.* Joh. 15. 13. & Paulus Rom. 5. 7. dilectionem istam commendat ut inauditam inter homines: *Vix est, ut quis moriatur pro justo; sed forte pro viro probo aliquis sustinebit mortem oppetere; commendat verò charitatem suam Deus in eo, quòd cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Joh. 15. 13. Rom. 5. 7.

4. Pro iis tantùm mortuus est Christus, quibus salutem impetratam applicat: Nam Christi mors pro nobis destinatur à Deo ad impetrationem salutis; & finis impetrationis non alius est quàm applicatio, & frustra impetraretur, quod nunquam applicandum esset: Unde sequitur, si impetrata est salus omnibus, omnibus pariter applicari debere; At non omnibus applicatur, siquidem multi de Christo nihil nôrunt; Et Christus inanem finem sibi proposuisset, de re non tantùm non futura, sed etiam quæ dari non poterat sine suo dono; voluisset impetrare redemtionem omnibus, eo fine ut omnibus applicetur, modò credant; & tamen innumeris nec revelare voluisset redemtionem, nec dare innumeris quibus revelatur, conditionem, sine qua fieri non potest ut illis applicetur in æternum.

5. *Ab absurdis aliis.* Si Christus pro omnibus & singulis mortuus est, sequitur. 1. Quòd Christus sit mortuus pro innumeris ea lege ut credant, quibus nec Christus, nec mors ejus unquam innotuit, quique ideò credere non potuerunt. 2. Quòd mortuus sit pro iis, quos noverat Christus filios esse perditionis, præteritos à Deo, summo odio à Deo habitos, &c. 3. Quòd mortuus sit pro iis, qui jam torquebantur in inferno, & jam actu damnati erant. 4. Christus Servator eorum & redemtor dicetur, non modò qui nunquam servantur, sed qui ne quidem servari unquam possunt. Vel Servator imperfectus & partialis, qui Satisfactione quidem sua author sit impetrationis, sed non applicationis, cum tamen Servator verè dici possit, nisi eorum, quos facit salutis participes, & qui actu servantur.

OBJECTIONES,

2. Cor. 5. 15. 1. *Christus pro omnibus mortuus est.* 2. Cor. 5. 15. R. Illi intelliguntur, qui sunt quoque mortui, non morte *in peccatis*, sed *spirituali peccato*, quia mens Apostoli non est probare singulorum corruptionem, sed demonstrare, quo vinculo fideles obstringantur ad suum officium; & agit de iis, qui Christo vivunt, quos charitas Christi constringit; quæ talia sunt, ut nullis aliis quàm electis & fidelibus competere possint.

2. Cor. 5. 19. 2. *Deus dicitur in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis eorum peccata.* 2. Cor. 5. 19. R. Non alius mundus potest intelligi, quàm eorum, qui Deo reapse sunt reconciliati, & quibus actu non imputat peccata; quod de solis fidelibus dici posse res ipsa clamat.

Heb. 2. 9. 3. *Christus pro omnibus gustavit mortem.* Heb. 2. 9. R. Illi omnes sunt filii in gloriam adducti vel adducendi, quorum princeps salutis Christus est, qui sanctificantur, quos fratres suos vocat, & quos illi Deus dedit. v. 10. 11.

1. Tim. 2. 6. 4. *Christus dicitur se dedisse pretium redemtionis pro omnibus.* 1. Tim. 2. 6. R. 1. illi omnes intelliguntur, quorum loco se substituit Christus, ad pœnas ipsis debitas perferendas, & pretium redemtionis persolvendum; hoc enim importat vox ἀντίλυτρον. At hoc dici non potest fecisse pro omnibus & singulis; sic enim nemo ampliùs condemnari, & pœnas peccatorum suorum ferre posset. 2. Illi omnes notantur, quos Deus vult servari, & ad agnitionem veritatis venire: sed hoc de omnibus & singulis dici non posse experientia docet, & supra à nobis probatum, loco de Prædest.

Joh. 4. 42. 6. *Est Servator mundi. Ioh.* 4. 42. R. Ita dicitur allusivè ad promissionem Abrahamo factam, quòd in semine ipsius, i. e. Christo, benedicentur omnes familiæ terræ. Gen. 12. 4. Hoc verò non de universitate seminis promissionis, ablatâ omni gentium distinctione, patet, tum, quia non omnes per fidem justificantur & servantur, quomodo explicatur ista benedictio. Gal. 3. 8. 16. tum quia Paulus omne illud semen explicat per illud quod est ex fide. Rom. 4. 16. & quod in Isaac vocatur. Rom. 9. 7.

Joh. 6. 51. 6. *Dat vitam mundo.* Joh. 6. 51. Hoc ad omnes & singulos extendi non potest, cùm datio vitæ importet ejus actualem applicationem & communicationem, quæ electorum

ctorum tantùm est propria, quo sensu profitetur, se daturum vitam æternam ovibus suis. Joh. 10. 28.

7. *Est agnus Dei, tollens peccatum mundi.* Joh. 1. 29. R. Cùm verbum αἴρειν non simplicem lationem, sed etiam ablationem innuat, nec abstulisse possit dici peccata reproborum, quæ adhuc super ipsos manent, non alius mundus intelligi potest, quàm Electorum indiscriminatim tam ex Judæis, quàm ex Gentilibus. Joh. 1. 29.

8. *Iohannes dicit.* 1. *Ioh.* 2. 2. *Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, & non solùm nostris, sed & totius mundi.* R. 1. Tantùm intelliguntur ii, quorum Christus est advocatus; at non omnium est advocatus, ex Joh. 17. 9. 2. Illis, quorum propitiationem fecit Christus, debet actu propitiari & placari Deus, nisi velimus, Christum suo fine excidisse, & sanguinem suum in cassum profudisse, contra Apostolum, qui negat condemnari posse eum, pro quo mortuus est. Rom. 8. 34. quod de illis dici nequit, qui excluſi sunt à fœderibus, & super quos manet ira Dei. 3. Scopus Apostoli, qui est solari fideles contra peccati reliquias, probat hoc ad omnes non posse extendi; quid enim solatii capere potest homo ex gratia communi tam electis quàm reprobis, si sciat Christum moriendo nihil amplius præstitisse pro se, quàm pro infidelibus & reprobis? Phrasis E. Johannis non aliò respicit, quàm ad fideles, totius mundi incolas, ne quis putaret hoc beneficium vel ad solos Apostolos, vel ad solos Judæos, vel ad solos illos credentes, quibus Epistolam suam inscripsit Johannes, esse restringendum; sed multò latiùs patere, quà latè patet orbis, ad fideles ex omni tribu, lingua, populo & natione redemtos, i. e. ex toto mundo. 2. Joh. 2. 2.

9. *Christus venit ad servandum τὸ ἀπολωλὸς. Matth.* 18. 11. R. Dicit Christus quidem, se venisse ad salvandum τὸ ἀπολωλὸς, ad *qualitatem* & statum salvandorum notandum, sed non πᾶν τὸ ἀπολωλὸς, id omne quod perierat, ad eorum *quantitatem* designandam. Matth. 18. 11.

10. *Christus mortuus est pro iis, qui pereunt. Rom.* 14. 15. *Ne escâ tuâ illum perdito, pro quo Christus mortuus est.* 1. *Cor.* 8. 10. 11. *Tuâ istâ cognitione frater infirmus, propter quem Christus est mortuus, peribit.* R. Non intelligitur perditio *actualis*, quasi aliquis pro quo Christus mortuus est perire possit de facto; Sed *occasionalis*, quando intempe- Rom. 14. 15. 1. Cor. 8. 11.

ſtivo libertatis Chriſtianæ in rebus adiaphoris uſu ſcandalizatur conſcientia fratris infirmi, & exponitur periculo pereundi quantum in nobis eſt: Sic non rarò Scriptura utitur verbis, quæ effectum & actionem notant, ad deſignandam occaſionem vel motivum, quo res poſſet fieri; ita adulterii reus dicitur quantum in ſe eſt ille qui aſpexit alterius conjugem ad eam concupiſcendam. Matth. 5. 28. Et dicitur facere Deum mendacem i. e. quantum in ſe eſt, qui non vult credere Verbo Evangelii. 1. Joh. 5. 10.

Matth. 5. 28.

2. Pet. 2. 1.

11. *Pſeudoprophetæ dicuntur abnegare τὸν αὐτοὺς ἀγοράσαντα δεσπότην, Dominum, qui eos redemit ſeu mercatus eſt.* 2. Pet. 2. 1. R. Non poteſt intelligi redemtio propriè dicta à maledictione Dei, & morte æterna; ſed liberatio ab errore & idololatria per vocationem externam Chriſtianiſmi, imò & ſegregationem ad opus miniſterii, ad quod empti fuerant quodammodo à Chriſto, ut Domino, qui eos acquiſiverat, & ſuos fecerat vocando in domum ſuam, quomodo olim Domini ſervos emebant & mercabantur ad miniſterium ſuum domeſticum: Quam eſſe mentem Apoſtoli, ex variis colligitur. 1. Quia fit mentio δεσπότου, quæ vox herum potiùs & Dominum ſignificat, quàm Servatorem. 2. Verbum ἀγοράζειν ſimpliciter poſitum de qualibet liberatione & emptione dicitur. 3. Ea intelligitur redemtio, per quam *effugiſſe* dicuntur *inquinamenta mundi.* v. 20. *per cognitionem Domini & Servatoris noſtri*, per quam *cognoverunt viam juſtitiæ*, quod non aliò pertinet, quàm ad liberationem ab erroribus Paganiſmi, & vocationem ad veritatem, à qua deficientes per apoſtaſiam ſuam, dicuntur abnegare Dominum qui eos mercatus fuerat, & ad miniſterium ſuum vocaverat.

12. *Quisque tenetur credere, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum.* R. Id nequaquam omnibus incumbit abſolutè & immediatè, ſed tantùm, ſi cum reſipiſcentia Chriſtum amplectantur, qui actus fidei præcedere debet.

13. *Chriſtus in Evangelio omnibus offertur cum ſuis beneficiis. E. etiam pro ipſis eſt mortuus; aliâs oblatio eſſet illuſoria.* R. Præconium Evangelii nullatenus univerſale eſt, nec aliud docet, quàm Chriſti ſufficientiam, ſalutisque & fidei certum nexum, homini exhibitum, ut de Dei bonitate convincatur, & in incredulitate perſeverans ſibi ſuum imputet exitium.

14. Ex

14. *Ex vestra hypothesi subruitur fundamentum consolationis, eò quòd secundùm eam procedere debemus à particulari ad universale; Christus pro aliquibus mortuus est; E. pro me mortuus erit: Cùm juxta bonæ argumentationis leges procedendum sit ab universali ad particulare: Christus pro omnibus mortuus. E. & pro me.* R. 1. Gratis supponitur, nos hic procedere à particulari ad universale, cùm omninò argumentemur ab universali, sed in certo ordine & respectu ad particulare. Christus pro omnibus credentibus & pœnitentibus mortuus est: Atqui ego credo, & pœnitentiâ ducor. E. & pro me mortuus est. 2. Falsum est, fundamentum consolationis ab universalitate absoluta mortis Christi peti posse, quia nullum solidum solatium peti potest ab eo, quod est piis & impiis commune, damnatis & damnandis. 3. Non debemus arcana electionis & reprobationis scrutari à priori, sed agere à posteriori, & nos explorare, num pœnitentiâ ducamur, vel non, &c.

CONTROVERSIA. II.

An illud, quod Christus morte sua meritus est, omnibus etiam applicetur? Aff. c. Rem.

Quod Christus meritus est, id fidelibus applicat.

Remonstrantes statuunt, impetrationem latiùs patere applicatione, ut impetrata sit salus omnibus, quæ tamen paucis applicetur. Quamvis supra jam aliquid de hac quæstione dixerimus, tamen illustrationis gratiâ sequentia apponimus

ARGUMENTA.

1. *Quicquid Pater dat filio, ad ipsum venit.* Joh. 6. 39. Joh. 6. 39.

2. In omni sponsione solutio applicatur personæ debitoris, ejusque debitis; ergo etiam debet sequi liberatio. Rom. 8. 1.

3. Quod per mortem Christi impetratum est alicui, id de jure ei negari non potest.

4. Finis mortis Christi, & Dei Patris ipsum mittentis, est applicatio; quo fine excidere non possunt.

OBJECTIO.

Applicatio pendet ex nobis. R. Applicatio pretii ad personas jam facta est in ipsa Christi solutione; applicatio fructuum pendet ex merito Christi, non ex arbitrio nostro.

XII. Al-

Intercessio Christi qualis.

XII. Altera pars Satisfactionis Christi est *intercessio*, inchoata in terris, perfecta in cœlis. Joh. 17. 1. Non autem concipienda est ad modum supplicantium, in genua procumbentium, manus vel oculos in cœlum tollentium, &c. & quærenda est magis in rebus, quàm in verbis, per repræsentationem mortis suæ in cœlis. Nec fit illa intercessio per modum novi meriti; sed ut quod merito mortis suæ nobis acquisivit, reapse & efficaciter nobis ad salutem applicetur.

XIII. Sed absolvitur ista intercessio sequentibus actibus. 1. *Comparitione* Christi pro nobis, quâ se sistit Deo Patri tanquam unicum satisfactorem pro peccatis nostris, meritum mortis repræsentando. 2. *Defensione* & *patrocinio* nostro adversus Legis fulmina, & Diaboli criminationes, causam nostram agendo in Dei judicio. 3. *Sponsione* pro nobis, quâ ut à Patre postulat gratiam, & dona Spiritûs necessaria ad perserverandum; ita vicissim nomine nostro spondet Deo obedientiam & fidelitatem. 4. *Oblatione personarum*, & *sanctificatione precum nostrarum*, & *totius cultûs nostri*, quatenus orationes omnes nostras tanquam Sacrificia spiritualia ipse Deo offert, Sacrificii sui fragrantissimo odore delibuta, ut in ipso & per ipsum Deo gratæ sint & acceptæ. 1. Pet. 2. 5.

An intercessio Christo possit tribui secundum naturam divinam?

XIV. Intercessio ista non ita ad naturam Christi humanam restringenda est, ut à divina in personali unione consideratâ penitùs removeatur; Quamvis enim non possit illi competere secundùm id quod est respectu essentiæ absolutè; quia cùm sit unum cum Patre, sub hac ratione non potest illi tribui oratio, quâ aliquid postulet à Patre: Nihil obstat tamen, illi tribui secundùm œconomiam gratiæ, quia non minùs illi convenit orare, quàm formam servi accipere, & mediatoris munus suscipere.

CONTROVERSIA.

Intercessio Christi propriè est distincta à munere regio.

An intercessio Christi propriè sit intelligenda, tanquam pars officij Sacerdotalis, distincta à munere Regio? Aff. c. Socin.

Circa naturam intercessionis Christi errant *Sociniani*, qui pertendunt figuratè esse intelligendam, & ad Regnum propriè pertinere, ut nihil aliud per eam innuatur, quàm Christum divinitùs sibi concessâ potentiâ, omnia quæ ad salutis

salutis nostræ rationem pertinent, summo studio perficere, Et hoc interceſſionis nomine volunt designari, ut appareat Christum nostri gubernandi, & salutis nostræ procurandæ potestatem nequaquam à seipso, sed à Patre habere. Sic illi totum Sacerdotium Christi evertunt, eum purum Regem facientes. Sed *Orthodoxi* quæstionis propositæ affirmativam tuentur.

ARGUMENTA.

1. Quia Christus passim introducitur fungens interceſſionis officio, non ut Rex, sed ut Sacerdos, ex Heb. 9. 24. 25. *Christus non ingressus est in Sanctuarium manufactum, figuram veri; sed in ipsum cœlum, ut compareat coram facie Dei pro nobis*, &c. ubi est allusio ad Sacerdotem V. T. & mentio fit ἐμφανισμοῦ coram facie Dei, qui non potest referri ad exercitium potestatis Regiæ, sed bene ad deprecationem sacerdotalem. Heb. 9. 24. 25.

2. Eodem sensu vocatur παράκλητος noster apud Deum. 1. Joh. 2. 1. ut deprecetur veniam pro peccatis nostris, & causam nostram agat tanquam advocatus & patronus apud Deum, contra calumnias & criminationes Diaboli κατηγόρου, accusatoris fratrum. Apoc. 12. 10. 1. Joh. 2. 1.

3. Apoc. 8. 3. interceſſio Christi describitur nobis per angelum cum thuribulo aureo, cui dati sunt incensus multi, ut det orationibus Sanctorum, ad altare aureum coram throno, qui sunt actus merè Sacerdotales, non regii. Apoc. 8. 3.

4. Si interceſſio nihil aliud est quam regiæ potestatis usurpatio, confunderentur duo ista munia, quæ Scriptura sollicitè distinguit: Nec Christus cum Sacerdotibus, sed cum solis Regibus adumbrari & conferri debuisset.

OBJECTIO.

Interceſſio derogat gloriæ Christi. R. Neg. quia non est supplicatoria, qualis est Viatorum & hominum pro se mutuò orantium; sed efficax interpellatio per modum jurisdictionis, ut vulgò dicitur, per quam Christus sanguinem semel fusum identidem repræsentat, ut vi ejus peccata nobis remittantur.

XV. *Regium* Christi *officium* est potestas applicandi omnia, quæ meritus est, ad salutem eorum, pro quibus meritus est, & arcendi contraria. Regnum Christi.

XVI. Hac potestate Christus electis dat verbum, spiri-

spiritum, fidem, constantiam, & salutem Joh. 10. 28. & 15. v. 16. 26.

Naturale & œconomicum.

XVII. Est autem Regnum Christi vel *Naturale*, seu *essentiale*, vel *mediatorium* & *œconomicum*; illud Christus æquali cum Patre & Spiritu S. gloriâ ac majestate in omnes Creaturas obtinet: Hoc secundùm œconomiam gratiæ, singulari ratione, quâ θεάνθρωπος administrat. Illud in omnes creaturas extenditur; hoc specialiter ad Ecclesiam.

CONTROVERSIA. I.

Regnum Christi non est mundanum.

An Regnum Christi œconomicum sit temporale & mundanum; An spirituale & cœleste? Prius Neg. Post. aff. cont. Judæos.

Judæi ex malè intellectis Prophetarum Oraculis de gloria Messiæ; Messiam Regem præstolantur temporalem & mundanum, qui exules in patrias sedes reducturus sit, non sine multa hostium cæde, & omnigena eos felicitate donaturus, &c. Orthodoxi autem statuunt, Regnum Messiæ non esse mundanum & terrenum, sed spirituale & cœleste.

ARGUMENTA.

Genes. 49. 10.

1. Quia eo tempore venturus fuit Messias, quo sceptrum removendum fuit à Juda. Gen. 49. 10. quo civitas & templum erant evertenda. Dan. 9.

2. Quia Regnum Christi per varia regna temporalia est adumbratum: At res corporeæ & terrenæ non sunt typi rerum corporearum & mundanarum, sibi homogenearum sed meliorum & præstantiorum, nim. spiritualium.

Zach. 9. 9.
Jes. 11. 1.
Ps. 110. 1.
Jes. 2. 3.

3. Quæcunque ad Regnum hoc pertinent, spiritualia sunt, non mundana. 1. *Rex* humilis & pauper. Zach. 9. 9. qui sine forma & specie debuit venire, velut ramus excisus ex trunco Isaj. Jesaj. 11. 1. 2. *Solum* est divinum ac cœleste, dextra Dei. Psalm 110. 1. 3. *Sceptrum* mysticum, verbum Evangelii. Jes. 2. 3. 4. *Subditi* non sunt homines carnales: sed spirituales, ex Deo nati. Joh. 1. 12. 5. *Modus administrationis* totus spiritualis, non armis, sed spiritu.

Zach. 4. 6.
2. Cor. 10. 4.
Joh. 4. 24.
Rom. 12. 1.
1. Pet. 2. 5.

Zach. 4. 6. 2. *Cor.* 10. 4. 6. *Leges* spirituales, quæ etiam actus internos hominis componunt, quæ non deducunt ad cultum externum in ceremoniis, sed internum, in spiritu & veritate. Joh. 4. 24. Rom. 12. 1. 1. Pet. 2. 5. 7. *Bona* promissa

missa sunt spiritualia & cœlestia, remissio peccatorum, justitia, salus, vita æterna.

4. Messias venturus fuit ad abolendum Regnum Satanæ, ad expiandum peccatum, & justitiam seculorum adducendam. Dan. 9. 24. at ista spiritualiter tantùm præstari possunt. Dan. 9. 24.

5. Regnum Messiæ est regnum cœlorum, ut passim hoc nomine insignitur in Scriptura S. & ab ipsis Judæis agnoscitur, quod proinde non ad seculum, sed ad cœlum pertinet.

6. Regnum Christi non est ex hoc mundo. Joh. 18. 36. Ubi Christus non negat, regnum suum esse in hoc mundo, constitutus enim est à Deo, ut dominetur in medio inimicorum suorum Ps. 110. 2. sed negat regnum suum esse *ex hoc mundo*, ἐντεῦθεν. Joh. 18. 36.

OBJECTIONES.

1. *Angelus ait: Luc. 1. 32. Solium Davidis dandum esse Christo, & Regni ejus non futurum finem.* R. Non vult innuere, Regnum Christi fore temporale, quale fuit Regnum Davidis; sed ut Regnum Christi in Regno Davidis adumbratum fuit, ita perfici & consummari debere Regnum Davidis in Regno Christi, non temporaliter, sed modo spirituali, quomodo Christus vocatur David: Quod dicitur de æternitate, non quoad typum, sed antitypum est intelligendum, qui impletur nobiliori modo in Christo. Luc. 1. 32.

2. *Regna temporalia subjicienda fuerunt Christo.* R. Non temporaliter, & modo terreno, sed spiritualiter & divinè; ut licèt terra cœlo subsit, & ab ipso regatur, non propterea hoc sit modo terreno, sed cœlesti.

3. *Messias opponitur Regibus terrenis. Ps. 2. 6. & eos dicitur contriturus virgâ ferreâ. v. 9.* R. Spirituali modo Reges terrenos domiturus fuit, ut Deus omnium Monarcharum debellator est modo spirituali. Virga ferrea metaphoricè est intelligenda, ut sensus sit: Quemadmodum vas figulinum totum confringitur, quum virgâ ferreâ concutitur; ita quoque Gentes conterentur verbo Evangelii, quod est *sceptrum fortitudinis ejus*. Ps. 110. 2. Ps. 2. 6. 9.

CON-

CONTROVERSIA. II.

Christus in terris Rex fuit.

An Christus in terris Rex fuerit, an verò in cœlis demùm Rex factus sit? Aff. prius; Neg. post. cont. Soc.

ARGUMENTA.

Matth. 2. 2. Matth. 21. 5. Joh. 18. 36. 1. Cor. 2. 8.

1. Est natus Rex. Matth. 2. 2. Venit ut Rex. Matth. 21. 5. Fassus est se regem. Joh. 18. 36. 37. Rex gloriæ crucifixus est. 1. Cor. 2. 8.

Matth. 4. 11. Heb. 1. 6.

2. Angeli serviebant ei. Matth. 4. 11. Adorabant ipsum ut Deum & creatorem suum. Heb. 1. 6.

3. Potestatem habuit in Diabolos. Matth. 8. 16. Morbos. 10. 15. Ventos. 10. 27. Mortem. c. 9. v. 25. & omnia Joh. 3. 35.

4. Remisit peccata. Matth. 9. 6. Donavit Spiritum. Joh. 20. 22.

OBJECTIONES.

Matth. 28. 18.

1. *Matth.* 28. 18. *Data mihi est omnis potestas.* R. i. e. Omnes potestates mihi jam ut victori & triumphatori subjectæ sunt, quod tam amplè non fiebat, dum in forma servi esset.

Act. 33. 36.

2. *Act.* 33. 36. *Deus ipsum Dominum fecit.* R. i. e. ad majorem gloriam evexit.

1. Pet. 3. 22.

3. 1. *Pet.* 3. 22. *Evectus in cœlum omnia ipsi subjecta sunt* R. Ut victori, & triumphatori; Rex autem ante victoriam etiam Rex est.

CONTROVERSIA III.

Christus cum Patre regnat in Ecclesia.

An Christus solus jam dominetur in Ecclesia, non verò Pater? Neg. cont. Socin.

ARGUMENTA.

1. Cor. 1. 3.

1. Omnis gratia est à Patre & filio. 1. Cor. 1. 3. *Gratia vobis & pax à Patre, & à Domino nostro I. C.*

2. Quamobrem etiam omnia dona petuntur à Patre, Pater noster, &c. Matth. 6. 9. *Flecto genua ad Patrem Domini nostri I. C.* Eph. 3. 15.

3. Atque etiam laus & gloria datur Patri. Phil. 4. 20. *Deo & Patri nostro sit gloria.*

4. Pater etiam nos trahit ex regno tenebrarum. Col. 1. 12. 13.

12. 13. *Gratias agentes Patri, qui eripuit nos ex potestate tenebrarum*, &c.

5. Pater, Filius, & Spiritus S. idem sunt. 1. Joh. 5. 7.

OBJECTIONES.

1. Matth. 28. 18. *Mihi data est omnis Potestas.* R. i. e. Non Patri solùm, sed mihi etiam potestates subjectæ sunt. Matth. 28. 18.

2. *Christus est omnia in omnibus.* Col. 3. 11. R. Sufficit omnibus ad salutem, à Patre, & cum Patre. 1. Cor. 8. 6. Col. 3. 11.

XVIII. Regnum Christi vel *gratiæ* est, in quo regit per verbum, Spiritum, Sacramenta divinâ potentiâ administrata; Vel *gloriæ*, quod jam in cœlis inchoatum in die judicii complebitur. Regnum gratiæ & gloriæ.

XIX. Manebit ergo regnum Christi in æternum. 1. Ratione dignitatis personæ: 2. Ratione potestatis in angelos & fideles. 3. Honoris ab ipsis accipiendi. Apoc. 22. 3. Regnum Christi est æternum.

CONTROVERSIA.

An regnum Christi in æternum duraturum sit?

Aff. cont. Socin.

Sociniani, ut mediatoris nostri dignitatem & divinitatem labefactent, statuunt, regnum hoc cessaturum die novissimo, & ultimum ejus actum futurum totius orbis judicium, tum Regnum & potestatem regiam Patri traditurum. Inter Orthodoxos sunt, qui, licet dispari mente, etiam statuunt; Regnum Christi mediatorium finem habiturum cum seculo, ut locus detur soli regno essentiali per quod Deus futurus est omnia in omnibus. Nos, licet concedamus, Regnum hoc posse mutari quoad *formam* & *modum administrationis*, *substantiam* tamen *Regni* mansuram in æternum statuimus.

ARGUMENTA.

1. Scriptura illam æternitatem prædicat. 2. Sam. 7. 12. 13. Ubi *stabiliendus* dicitur *thronus* Christi *in perpetuum*. Luc. 1. 33. *Regni ejus nullus* dicitur *futurus finis*. Dan. 7. 14. *Filio hominis* dicitur *traditum Regnum*, *quod non transibit*, *nec dissipabitur*. 1. Sam. 7. 12. 13. Luc. 1. 33. Dan. 7. 14.

2. Quia regnum hoc evertendum est in secula, nec tradendum alteri populo. Dan. 2. 44. Agi enim de Regno Christi, quod obtinere debuit, eversis quatuor Monarchiis Dan. 2. 44.

& Regnis in ſtatua Danieli oſtenſis, Chriſtiani omnes conſentiunt.

3. Variæ functiones Muneris Mediatorii perpetuæ ſunt futuræ. 1. Quoad *Prophetiam*, quia in æternùm dicitur beatos illuminaturus; *civitas non egebit ſole & luna, quia ſplendor Domini illuminabit eam, & agnus erit ejus candela.* Apoc. 21. 22. 23. & *agnus paſturus dicitur eos & deducturus ad vivos fontes aquarum.* Apoc. 7. 14. 2. Quoad *Sacerdotium*, per jugem repræſentationem Sacrificii ſui, ceu fundamenti gloriæ non tantùm comparandæ; ſed etiam in æternùm conſervandæ; unde vocatur Sacerdotium ἀπαράβατον. Heb. 7. 24. 3. Quoad *Regnum*, quia regnaturus eſt ſemper in Eccleſiam tanquam caput & Sponſus ejus, per unionem ἀλλόιωτον.

Apoc. 21. 22. 23.
Apoc. 7. 14.

4. Quia Chriſtus eſt vinculum perpetuæ noſtræ communionis cum Deo; quemadmodum enim per Chriſtum ſemel ad Deum acceſſimus, ita ejus vi & efficacia illi in æternùm adhærebimus; nec aliunde membra corporis Chriſti myſtici vitam & gloriam haurire poſſunt, quàm ab influxu capitis, cui in æternùm unita manere debent.

OBJECTIONES.

1. *Deus erit omnia in omnibus.* 1. Cor. 15. 28. R. Hoc non dicitur excluſivè ad Chriſtum, caput Eccleſiæ, à quo omnia in ipſam bona derivantur; ſed reſpectu mediorum externorum, quæ in hac vita obtinent, puta verbi, Sacramentorum, &c. quibus fit, ut Deum tanquam in ſpeculo videamus; & innuitur Deum immediatè nos beatitudinis ſuæ participes plenè facturum.

1. Cor. 15. 28.

2. *Chriſtus ſedebit ad dextram Patris, donec Pater poſuerit inimicos in ſcabellum pedum ſuorum.* Pſ. 110. 1. R. Particulæ עד־כי, ἄχρις ὅ, ἕως ὅ, *donec, uſque dum*, non ſemper negant & excludunt tempus futurum, ut jam ſæpius monuimus, exemplis. Matth. 28. 20. Gen. 28. 15. Pſ. 123. 2.

Pſ. 110. 1.

3. *Chriſtus regnum traditurus dicitur Deo Patri.* 1. Cor. 15. 24. R. Regnum hoc loco ſumitur vel *materialiter*, pro ipſa Eccleſia, ſeu ſubditis Chriſti, ut ſenſus ſit; Chriſtum conſummato opere ſalutis Eccleſiam perfectè conſummatam & redemtam ab omnibus hoſtibus ſuis adducturum ad patrem, plenè beandam. Vel *formaliter*, non quoad ſubſtantiam ipſam regni, ſed adminiſtrationis modum, qui ver-

1. Cor. 15. 24.

versatur in Ecclesia colligenda, regenda & defendenda ab hostibus, qui devictis omnibus hostibus nullum amplius locum sit habiturus. Ita regnum traditus est non per ejus depositionem & abdicationem, sed per ejus consummati exhibitionem.

Inst. *Subjectio Christo tribuitur.* v. 28. R. Subjectio non referenda est ad Personam Filii, sed ad corpus ejus mysticum, seu Ecclesiam, quæ non rarò Christi nomine designatur. 1 Cor. 12. 12. quæ tunc perfectè subjicietur Deo, non subjectione depressionis, sed gloriæ perfectionis, ut quemadmodum omnia subjecta fuerunt Sanctis à Deo in capitis persona. Ps. 8. Heb. 2. ita caput in persona membrorum subjiciatur Deo. 1. Cor. 15. 28.

XX. Status Christi duo sunt: *Humiliationis* & *exaltationis*. Debuit enim primò de torrente in via bibere, postea exaltare caput. Ps. 110. 7. Status Christi humiliationis.

XXI. Ad statum humiliationis personæ filii pertinent. 1. Incarnatio. 2. Passio. 3. Crucifixio. 4. Mors. 5. Sepultura. 6. Descensus ad inferos.

XXII. Quær. Secundùm quam naturam Christo Exinanitio & exaltatio tribuenda sit? R. Hoc propriè dicitur de Persona, & ad utramque Naturam refertur, sed magno discrimine: Ad naturam humanam quoad realem depressionem, & exaltationem in se. Ad divinam verò tantùm ratione occultationis & manifestationis, relatè ad carnem tanquam velum quo tegebatur, & unde sese prodebat. Naturæ humanæ exinanitio propriè competit, in infirmitatibus, passione, ac morte sustinendis; exaltatio verò in resurrectione, infirmitatum depositione, & gloriæ assumtione. Sed quoad divinam, nulla ei facta est imminutio in exinanitione, nulla accessio in exaltatione: Sed exinanitio illi tribuitur quoad occultationem & inhibitionem gloriæ; exaltatio quoad manifestationem & exsertionem. Secundùm quam naturam Christo exinanitio & exaltatio tribuenda sit?

XXIII. Quær. An passiones Satisfactoriæ Christi restringendæ tantùm sint ad eas, quas Christus per trihorium obscurationis solaris sustinuit, dum esset in cruce, & tanquam expiraret, cæteræ verò tantùm fecerint ad satisfaciendum veritati divinæ, & ad typorum consummationem? R. Neg. 1. Quia Scriptura nusquam passiones restringit ad trihorium crucis, sed in genere de illis loquitur, Passiones satisfactoriæ non sunt restringendæ ad eas, quas ad trihorium passus est.

absque ulla limitatione, imo eas extendit ad totam κένωσιν & humiliationem Christi. Phil. 2. 6. 7. 2. Quia agonia quam Christus in horto pertulit, quæ describitur per πάροξυν, ἀδημονίαν, ὑπόμβησιν, & περίλυπον μέχρι θανάτου, propter pondus iræ & maledictionis divinæ quam sustinebat, præcipua pars fuit pœnarum spiritualium, quas Christus pati debuit pro nobis. 3. Quia hoc est invidere piis animabus in passionibus omnibus Salvatoris ut satisfactoriis placidè quiescentibus solatium quod inde elicitur, & subtrahere innumera immensi erga nos amoris indicia.

Zach. 3. 9. Obj. Zach. 3. 9. *Asseritur; totius terræ peccatum uno die expungendum esse, & Paulus ad unicam Christi oblationem in cruce peractam Sacrificium ejus propitiatorium refert.* Heb. 10. 10. R. Indigitatur tantum his locis, consummatio satisfactionis, cujus hic fuit fructus, ut eo ipso die omnia omnium electorum peccata expuncta sint; Et oblatio ipsa, quia fuit cæterarum omnium passionum gravissima & novissima, sine qua omnes cæteræ antecedentes non sufficissent, ideò Paulus ad illam unicam oblationem expiationem peccatorum nostrorum refert Synechdochicè, ut ultimi quadrantis solutio satisfactionem absolvit, quàm chirographi scissio, & datio apochæ immediatè sequitur.

Descensus ad inferos. XXIV. Ultimus gradus exinanitionis Christi est *Descensus ad inferos*, cujus in quarto articulo symboli Apostolici mentio fit; de quo, an ab initio fuerit relatus in Symbolum Apostolicum, dubitatur, siquidem ejus nulla mentio fit in Symbolo Nicæno, & Romano, & Veteres, quales sunt Irenæus, Origenes, Tertullianus, Augustinus, &c. de eo silent, & refertur tantùm à Ruffino Aquileensi circa finem seculi quarti: Habetur quidem hic articulus in Symbolo Athanasii, sed omisso articulo sepulturæ, indicio non obscuro, pro uno eodemque sumtos esse: Ita verisimile est, ex Symbolo Athanasii hunc articulum in Symbolum Apostolorum tanslatum esse, & primò forte in margine appositum esse explicationis gratiâ, deinde ex margine in ipsum Textum, qui deinceps retentus sit.

שְׁאוֹל quid significet. XXV. Vocis שְׁאוֹל & ἅδης multiplex est significatio. 1. *Pro Sepulcro* Ps. 16. 10. *Non es derelicturus animam meam in sepulcro.* 2. *Pro loco damnatorum*; ita nominatur locus, in quo erat epulo. Luc. 16. 23. 3. *Pro maximè*

ximis cruciatibus. Pſ. 18. 6. *Dolores ſepulcri circumeunt me.* Pſ. 116. 3. *Angores ſepulcri circumveniunt me.* 4. *Pro extrema humiliatione.* Eſaj. 14. 15. *In ſepulcrum dejicieris, ad latera foveæ.* Hinc deſcendere ad infernum quatuor modis uſurpatur. 1. Notat ſepeliri. Gen. 42. 38. Dicit Jacob ad filios: *Demittetis canitiem meam mœrore in ſepulcrum.* 2. Deſcendere in locum damnatorum. Ita Kore, Dathan & Abiram dicuntur vivi deſcendiſſe in ſepulcrum, gehennam. Num. 16. 33. 3. Dolores infernales ſentire. 1. Sam. 2. 6. Jehova in ſepulcrum deducit & educit. 4. Extremè humiliari. Matth. 11. 23. Tu Capernaum ad ſepulcrum, vel infernos deprimeris. Juxta quadruplicem iſtum ſignificatum quadruplex poteſt eſſe ſenſus iſtius articuli. Ut vel referatur ad deſcenſum localem in locum damnatorum, quod volunt Pontificii & Lutherani, vel ad ſepulturam Chriſti, vel ad dolores ejus infernales, vel ad extremum Exinanitionis gradum.

XXVI. Ex diverſa hujus vocis & Phraſeos ſignificatione diverſæ quoque ſunt Orthodoxorum de hoc articulo ſententiæ, dum illum alij ad ſpirituales Chriſti angores & cruciatus gehennales, quos ſuſtinuit, referunt; alii ad ſepulturam, & triduanam ejus in ſepulchro detentionem pertinere contendunt. Veriſimile tamen non eſt, hunc articulum idem eſſe cum ſepulturâ, quia eſſet πανυλογία, quæ vix eſſet ferenda in tam brevi ſymbolo; Et, non poteſt dici, articulum iſtum appoſitum eſſe priori de ſepultura, ad ejus exegeſim, cùm obſcurior ſit priore. Ideò non ad ſepulturam præcisè referendus eſt, ſed ad *ſtatum mortis*, ſeu detentionem ejus in ſepulcro ſub dominio mortis, quomodo ſæpe iſta phraſis ſumitur, ad deſcribendum mortuorum ſtatum. Gen. 37. 35. Jacob lugens filium Joſephum, quem credebat dilaniatum à feris, *deſcendam*, inquit, *legens* לשאולה *cum filio meo*, non quidem in ſepulcrum, quia putabat à feris eſſe diſcerptum, ſed ad mortem, ſeu ſtatum mortuorum. Sic. Pſ. 6. 6. *In morte non eſt tui memoria, quis in* שאול *laudabit te?* Altera tamen ſententia, quæ deſcenſum hunc intelligit de ſummis angoribus Chriſti, quos tum in horto, tum in cruce pertulit, cum priori optimè componitur, ut per deſcenſum ad inferos intelligatur extremus exinanitionis Chriſti gradus,

dus, tam quoad animam, quàm quoad corpus, & ut extremus gradus humiliationis quoad corpus fuit detentio in sepulcro; ita quoad animam fuerunt diri illi cruciatus, quos pertulit: Atque ita oppositus erit ille articulus ad exprimendum ultimum gradum exinanitionis Christi, sive quoad ignominiam corporis, sive quoad angores animæ.

XXVII. Verè ergo Christus passus est in anima, & tulit pœnas, quas damnati tulissemus. 1. Non quidem omnes. 2. Non tamdiu. 3. Non in eo loco 4. Non cum illis effectis. Sed tamen sensit justam Dei iram, quam nos peccatis meriti eramus, sibi sponsori incumbentem.

CONTROVERSIA I.

Christus etiam passus est in anima rationali.

An Christus non tantùm in facultate sensitiva animæ, seu per compassionem passus sit, sed etiam in anima qua rationali? Aff. cont.

Pontif.

Non quæritur: An Christus aliquid passus sit? Licèt enim jam olim fuerint nonnulli, qui cùm divinâ Christi gloriâ indignum censerent doloribus & mœstitiâ corripi, corpus Christi impassibile finxerunt, adeoque non verè, sed tantùm κατὰ δόξαν passum fuisse dixerunt, quæ fuit hæresis *Aphthartodocetarum*; ita tamen jampridem explosa est ista sententia, ut non necesse sit eam in scenam producere. Sed quæritur de natura & subjecto passionum; quales sc. fuerint ejus passiones, & in quo subjecto? An in corpore tantùm, an etiam in anima? Et si in anima, an in inferiori tantùm ejus parte, quæ sensitiva dicitur, an in superiore etiam & rationali?

Pontificij, ut dogma suum de perfecta beatitudine Christi in toto Exinanitionis statu cum historia passionis possint conciliare, pertendunt Christum esse passum corpore, non animâ; Et si urgentur, distinguunt partem animæ inferiorem & sensitivam à superiori & rationali. Quoad illam, ad quam affectus & perturbationes referunt, concedunt Christum passum esse; sed quoad hanc minimè; vel si quid in ea passus est, non passum esse propriè & in se, ex sensu iræ Dei, sed tantum, vel λόγῳ θεωρίας, per assistentiam, vel λόγῳ συμπαθείας, sympathecitè, propter communionem animæ cum corpore. *Orthodoxi* contrà passiones Christi referunt tam ad animam, quàm ad corpus, tam

tam ad partem superiorem quàm inferiorem; Et corpore quidem asserunt dolores & cruciatus corporeos, mortemque tulisse; animâ verò spirituales & internos, gravissimum sc. illud iræ divinæ pondus, & κρατῆρα nobis debitam.

ARGUMENTA.

1. Anima Christi dicitur turbata fuisse. Joh. 12. 27. & περίλυπος, tristitiâ undique obsessa. Matth. 26. 38. Quorsum verò extrema illa perturbatio, & lucta illa acerrima cum iræ divinæ, & maledictionis sensu referretur, nisi ut passiones istas non in corpore tantùm, sed anima, nec in parte animæ inferiori duntaxat, sed & superiori fuisse dicamus. Joh. 12. 27. Matth. 26. 38.

2. Ut homo animâ & corpore peccaverat, ita in utraque parte patiendum fuit Christo sponsori, ut λύτρον sufficiens justitiæ divinæ solveret, & animæ & corpori redimendis.

3. Pœna derelictionis, quam passus est Christus. Matth. 27. 47. non fuit passio corporea, sed spiritualis & interna; Licèt enim non fuerit desertio absoluta, totalis & æterna; fuit tamen desertio orta ex sensu gravissimo iræ Dei illi incumbentis propter peccata nostra, Deo præsentiam favorabilem gratiæ, & influxum solatij tantisper suspendente, ut posset pati pœnas omnes nobis debitas. Matth. 27. 47.

4. Christus pro nobis factus est maledictio. Gal. 3. 13. quia omnem maledictionem, quam lex denunciabat peccatoribus pertulit, quod utique non respicit tantùm corpus, sed præcipuè animam, quæ tali sensu potest affici. Gal. 3. 13.

OBJECTIONES.

1. *Peccata nostra tulit in corpore.* 1. Pet. 2. 24. R. Non in corpore solo, sed & in anima, & ita synecdochicè, à parte sensibili & externa, quæ oculis exposita erat, denominatur totum. 1. Pet. 2. 24.

2. *Judæi non crucifixerunt animam Christi.* R. Etiam passus est à Deo. Jes. 53. 4.

3. *Cruciatus interni non potuerunt figurari in victimis.* R. Combustio sacrificiorum per ignem, ad iræ divinæ sensum, quem in anima pertulit Christus referri potest. Ita sanguis sacrificiorum, ut animæ sedes, etiam animæ symbolum dici potest. 2. Typum particularem habemus in

passionibus Davidis. Ps. 22. & 69. quæ non modò fuerunt externæ, sed & internæ.

CONTROVERSIA. II.

An Christus possit dici pœnas inferni tulisse.

An ergò Christus verè dici possit in morte pœnas inferni tulisse? Aff. cont. Pontif.

De hac quæstione jam supra, Thes. XXVII. aliquid diximus, & includitur in quæstione præcedente: Cùm infernus in Scriptura non tantùm sepulcrum, aut damnatorum sedem, sed & extremam calamitatis conditionem noret, ut bene observat Arias Montanus, & inferni dolores ponantur pro gravissimis; nihil obstat, Christi passiones hoc sensu infernales dici, propter earum diritatem & intensionem.

ARGUMENTA.

Ps. 18. 5. & 116. 10. 1. *Terrores inferni circumdederunt ipsum.* Psalm. 18. 5. & 116. 3.

Ps. 16. 10. & 86. 13. Et Act. 2. 24. Gal. 3. 13. 2. Christus *liberatus est ex terroribus inferni.* Ps. 16. 10. & 86. 13. Et Act. 2. 24. Secundùm vulgatam versionem.

3. Christus tulit maledictionem. Gal. 3. 13. Hæc autem est pœna inferni Matth. 25. 41.

Jes. 53. 4. 5. 6. 4. Christus tulit omnes nostras pœnas. Jes. 53. 4. 5. 6. E. eas, quas in inferno tulissemus.

OBJECTIONES.

1. *Est contra dignitatem personæ.* R. Non magis, quàm in corpore pati.

2. *Pœnæ inferni non sunt meritoriæ.* R. Non in damnatis, sed bene in Christo; ut nec pœna corporis in damnatis, sed in Christo.

3. *Debemus Christum in passionibus imitari, in his autem non possemus.* R. 1. Imitari non debemus, quatenus sunt meritoriæ. 2. Imitamur tamen suo modo, ferendo iram Dei paternam. Ps. 88. 16. 17.

4. *E. Christus damnatorum locum subiit, & damnatus est.* R. Neg. Quia potuit quidem ferre pœnas damnandorum, sed non damnatorum, nec etiam pœnæ æternæ fuit addictus, quia æternitas pœnarum nobis debitarum per earum gravitatem & extremitatem in Christo abundè compensata est.

5. *E. desperatio Christo tribuitur, ut damnatis.* R. Neg. Quia

Quia desperatio non est de Essentia pœnæ in se consideratæ; prout à judice infligitur, sed de vitio subjecti patientis, ut supra in Controv. de Satisfactione Christi annotavimus. Unde patet falsitas calumniæ impactæ Calvino, qui ait in Matth. 27. 46. *Sed absurdum est, Christo elapsam desperationis vocem.* Ubi sibi proponit objectionem ex Christi verbis: *Deus mi*, &c. quam ita diluit. *Solutio*, inquit, *facilis est; quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in ejus corde, quâ Deum præsentem intuitus est.* At, si fides fixa fuit in ejus corde, quomodo in eum potuit cadere desperatio? Conf. Instit. l. 2. c. 16. 5. 12. Adhæc Maldonatus in Matth. 27. & Ferus in h. l. desperationem Christo expresse tribuunt. Non absimili calumniâ accusatur magnus vir Dei, quòd Christum damnatum fuisse dixerit, quia Sect. 10. catech. *In tali damnatione constitutum* dixerit, *ut à Deo derelictum se conquestus fuerit.* Verùm, quis hic non videt, damnationem pro condemnatione poni? Adhæc Biblia vulgata habent vocem damnationis. Luc. 22. 4.

Calvinus Christo non tribuit desperationem.

Nec damnationem.

CONTROVERSIA. III

An Christus sibi meritus sit beatitatem, seu gloriam cœlestem? Neg. c. Pont. Socin.

Christus sibi nihil meritus est.

ARGUMENTA.

1. Omnis obedientia Christi est mediatoria, à Christo, ut mediatore præstita. Heb. 10. 9. *En adsum, voluntatem tuam faciam.* Pro nobis autem, non pro se mediator est, 1. Tim. 2. 5. Heb. 10. 9.

2. Non est mortuus pro se, sed quod mortuus est, peccatis mortuus est. Rom. 6. 10. nihil ergo sibi meritus est; quia nullum ejus meritum sine morte est. Heb. 2. 10. Sanctificatus per passionem. Rom. 6. 10.

3. Ante omne ejus meritum erat hæres omnium. Heb. 1. v. 2. Hæreditas autem merito non acquiritur. Heb. 1. 2.

4. Omnis gloria personæ illi, ut filio Dei, sine ullo merito debebatur: Quamobrem gloriam petens, non merito acquisitam petit; sed quam habuit ab æterno. Joh. 17. 4. Joh. 17. 4.

5. Factus est sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Gal. 4. 4. Rom. 8. 3. Nam pro se erat Dominus legis. Marc. 2. 28. Gal. 4. 4. Rom. 8. 3.

6. Finis missionis & adventûs Christi est, ut misericors

Heb. 2. 14. 17. Matth. 20. 28. sit sacerdos; Heb. 2. 17. ut animam λύτρον ponat. v. 14. Matth. 20. 28. non ergo pro se.

7. Si Christus id pro se debuisset, certè magna ei gratia facta esset, quòd id ut λύτρον pro nobis solvere posset.

OBJECTIONES.

Phil. 2. 9. 1. Phil. 2. v. 9. *Propterea Deus ipsum exaltavit.* R. Declarando & manifestando, quis sit, & quid pro suis præstiterit.

Heb. 12. 2. 2. Heb. 12. 2. *Pro gaudio sibi proposito crucem tulit.* R. Crux h. l. non proponitur ut meritum gaudii; sed, intelligitur gaudium, in quo Christus poterat esse, rejecta cruce, ut in sinu Patris Deus, Deo æqualis; aut, quòd potuisset esse magnus in mundo; nam populus illi offert regnum; Vel potest referri ad finem afflictionum omnium, ut sensus sit: ut ingrederetur illud regnum Dei Patris & gaudium cœlorum, debuit priùs ferre crucem & afflictiones.

Luc. 24. 26. 3. *Luc.* 24. *v.* 26. *Debebat pati, & tum demum in gloriam intrare.* R. Palàm est, quòd non debebat pati pro se, sed pro nobis, adeòque dicitur quid ordine, non quid merito Mediatori eventurum esset.

CONTROVERSIA IV.

Anima Christi non descendit in limbum Patrum.

An anima Christi post mortem descenderit ad limbum aliquem Patrum, vel purgatorium?

N. c. Pontif.

Pontificii pertendunt, Christi animam, ex quo separata fuit à corpore, ilicò descendisse localiter ad inferos, usque ad resurrectionem, & hoc ideò volunt, ut animas Patrum V. T. in limbo detentas liberaret, & in cœlum secum eveheret. *Lutherani* quoque descensum substantialem Christi ad inferos asserunt, ut ibi victoriam suam ostentaret, & triumphum exhiberet; atque ideò volunt ad statum exaltationis, non exinanitionis referendum esse. Nos animam Christi statim post solutionem à corpore in paradisum migrasse statuimus.

ARGUMENTA.

Luc. 23. 43. Exc. 1. Ex promissione latroni facta. Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Exc. *Verba intelligenda de Deitate tantùm, cum qua latronis anima debuit esse in paradiso.* R. Neg.

1. Quia

1. Quia verba consolatoria sunt non modò in ordine ad latronem, sed & ad Dominum ipsum, fore ut brevi emersuri sint ambo ex his angustiis, ut eo modo sint in cœlo quoad animam, quomodo in cruce unà fuerant quod corpus. 2. Verba ipsa hoc evincunt, non dicit Christus: *Ego ero tecum*, quod præsentiam Deitatis in Paradiso designâsset, sed *tu eris mecum*, ut humanitatis suæ consortium illi polliceatur. 3. Promittitur consortium cum Christo in regno ejus; at hoc de Deitate non potest intelligi, quæ consortium regni nemini concedit, sed de Christo θεανθρώπῳ qui fideles in communionem regni sui vocat.

2. Christus Spiritum suum deposuit in manus patris sui. Luc. 23. 46. quomodo David & Stephanus animos suos commendârunt. Ps. 31. 4. Act. 7. 59. imò & quomodo Petrus cap. 4. Ep. 1. jubet fideles omnes commendare suas animas fideli Creatori; non utique ut descendant in infernum, sed ut recipiantur in cœlum. Luc. 23. 46.

3. Si secundum animam Christus verè & localiter descendit ad infernos, vel id factum, ut aliquid ibi pateretur, vel ut Patres liberaret, vel ut mortuis evangelizaret, vel ut victoriam suam ostentaret Diabolis. Sed non prius, quia in cruce omnia consummavit. Joh. 19. 30. Non secundum, quia jam in cœlum recepti erant; non tertium, quia Evangelizatio pertinet tantùm ad statum hujus vitæ; non quartum, quia descensus iste debuit esse pœnalis, non triumphalis, & pertinet ad statum exinanitionis, quia, ut antea indigitavimus, ex stylo Scripturæ descensus ad infernos nunquam exaltationem innuit, sed potius gravissimas acerbitates, dolores exquisitissimos, & extremam miseriam; adhæc descensus in infimas partes terræ opponitur ascensioni supra omnes cœlos, quæ pars est exaltationis. Eph. 4. 9. E. debet esse pars exinanitionis. Descensus ad inferos non pertinet ad exaltationem Christi.

OBJECTIONES.

1. Act. 2. 27. Ps. 16. v. 10. *Non relinques animam meam in inferno.* R. Sermo est de detentione in sepulcro, quia hoc refertur à Petro ad resurrectionem, quod colligitur. 1. ex connexione, Caro, inquit, mea commorabitur, sc. in sepulcro, sub spe, quoniam non derelinques. 2. ex phrasi addita ad Exegesim; *Non sine Sanctum tuum*, i. e. me videre corruptionem, sc. in corpore. 3. Ex collat. cum Act. 13. 34. 35. ubi Deus dicitur suscitâsse Christum ex mortuis, ne vi- Act. 2. 27. Ps. 16. 10.

ne videret corruptionem. Nec obstat vox ψυχῆς, quæ sæpe pro persona tota sumitur, sæpe pro ipso corpore, ut hîc, & Luc. 6. 9. *Licetne Sabbathis hominem*, ψυχὴν, *servare, aut perdere*? & alibi.

Matth. 12. 40. 2. *Christus fuit in corde terræ.* Matth. 12. 40. R. *Cor terræ* Stylo Hebræorum nihil aliud innuit, quam *quod intra terram est*, לב enim ponitur pro תוך, quod medium est, medium autem sæpe dicitur quod internum est, sive sit in meditullio, sive non. Ezech. 27. 4. Tyri termini dicuntur fuisse *in corde maris*, quia mari undique alluebatur, & Deut. 4. 11. *mons* dicitur *ardere usque ad cor cœli*, i. e. usque ad mediam aëris regionem. Ita esse *in corde terræ* nihil aliud notat, quàm intra terram esse, sive illud superficiei ejus sit propius, sive remotius, & hac ratione innuitur status corporis Christi in sepulcro.

Eph. 4. 9. 3. *Christus dicitur descendisse* εἰς τὰ κατώτερα τῆς γῆς, *partes infimas terræ.* Eph. 4. 9. R. Non notatur descensus localis, sed ejus exinanitio & manifestatio in carne, quam in terra assumsit, ut nihil aliud sit, quàm descendere in terram, quæ est infima mundi pars: Ita David dicitur factus in *imis partibus terræ.* Ps. 139. 15. i. e. in terra, quæ est pars inferior respectu cœli: Ita non partes terræ inter se, sed partes mundi cœlum & terra inter se conferuntur. Nam in textu oppositio fit inter ascensum è terra in cœlum, & descensum de cœlo.

1. Pet. 1. 16. 4. *Christus dicitur profectus Spiritu prædicâsse Spiritibus* τοῖς ἐν φυλακῇ. 1. Pet. 3. 19. R. Locus non favet descensui locali in infernum. 1. Quia Petrus non loquitur de *animâ*, sed de *spiritu*; Spiritus autem sumitur de Deitate, ut colligitur ex v. præced. ubi dicitur vivificatus spiritu, quod non potest de anima dici, nec *subjectivè*, quia id tantùm vivificari dicitur, quod mori potest; at anima non moritur, nec *efficienter*, quia vivificatio est opus infinitæ virtutis. Sic Christus dicitur *justificatus spiritu*, 1. Tim. 3. 16. quod de divinitate intelligunt Cajet. Thomas, Lyranus, alii. 2. Agitur de spiritibus ἀπειθήσασι, i. e. rebellibus, qui bene monentibus non paruerunt, quales non possunt dici Patres, quos volunt in limbo detentos Christum in cœlum deduxisse. 3. Nulla hîc liberationis, sed prædicationis mentio. 4. Nunquam in Scriptura carcer dicitur

locus

locus aliquis, ubi spiritus beati concluſi sunt. 5. Prædicatio non dicitur facta spiritibus in carcere existentibus, quasi prædicationis tempore in carcere essent, quorsum enim fieret, cùm ex eo non detur reditus? Sed dicitur facta olim tempore Noachi, quo patientia Dei expectabat homines, illis, qui hoc tempore quo Petrus scribit, sunt in carcere; unde Petrus non dicit ἐκήρυξε τοῖς πνεύμασι ἐν φυλακῇ, sed τοῖς (ἔσι) ἐν φυλακῇ ἐκήρυξε, ut sensus sit: Christus prosectus, non mutatione loci, sed singulari quadam præsentiæ suæ testificatione, per revelationem & operationem suam, Spiritu, seu divinâ virtute, quâ afflati locuti sunt Propheræ. 1. Pet. 1. 11. prædicavit spiritibus illis, qui nunc sunt in carcere infernali, ubi meritas dant pœnas rebellionis, quam tempore Noachi ejus prædicationi exhibuerunt.

Act. 2. 24.

5. *Christus Act. 2. 24. dicitur per resurrectionem exsolutus à doloribus mortis. E. Sustinuit dolores usque ad momentum resurrectionis & anima ejus abiit in inferos, ubi talibus doloribus posset affici.* R. Neg. Nam dolores mortis per figuram grammaticam ἓν διὰ δυοῖν ponuntur pro morte dolorificâ; Et locus, ad quem Petrus alludit Ps. 18. 5. 6. adhibet vocem חבלי מות quæ propriè notat *funes & vincula*, quibus homo detinetur veluti captivus in morte, à quibus solvitur per resurrectionem, ut nihil opus sit fingere propterea passionem aliquam animæ post mortem.

Status exaltationis.

XXVII. Ad statum exaltationis pertinent. 1. Resurrectio ex mortuis. 2. Ascensio ad cœlum. 3. Sessio ad dextram. 4. Adventus ad judicium.

Resurrectio.

XXVIII. Resurrectio est actus officii Regii, estque 1. Victoria mortis. 2. Signum amplissimæ satisfactionis. 3. Adeòque absolutio ipsius Christi, & nostrûm omnium in ipso. 4. Proximus gradus ad gloriam. Rom. 4. v. 25. & 6. 4.

CONTROVERSIA.

Christus resurrexit propriâ potentiâ.

An Christus propriâ suâ potentiâ resurrexerit à mortuis? Aff. cont. Soc.

Sociniani, ut volunt Christum fuisse ψιλὸν ἄνθρωπον, ita pertendunt, Christum non seipsum excitâsse à mortuis, virtute propriâ; sed excitatum fuisse à Deo, virtute aliena. Sed

Ortho-

orthodoxi Causam resurrectionis Christi non minùs ipsi quàm Patri tribuunt.

ARGUMENTA.

Joh. 2. 19. cap. 10. 17. 1. Christus hoc expresè sibi tribuit. Joh. 2. 19. *Destruite Templum hoc, & triduo illud ædificabo.* Et cap. 10. 17. testatur *se potestatem habere ponendi animam, & rursus eam resumendi.*

Rom. 1. 14. 2. Scriptura refert Resurrectionem Christi inter præcipua argumenta, quibus Divinitas ejus probatur. Paulus Rom. 1. 14. dicit eum fuisse ὁρισθέντα, i. e. *publicè veluti declaratum & comprobatum filium Dei potentem, vel potenter juxta Spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis.* Ubi agitur de propria divinitatis virtute, quâ seipsum excitavit, quam hic per *Spiritum sanctificationis* designari, vel sola antithesis, quæ fit ad carnem, clarè evincit.

Joh. 5. 21. 3. Christus eadem opera cum Patre facit pariter, & *quoscunque vult, suscitat* Joh. 5. 21. At, si potest excitare quosliber, quis dubitabit, quin seipsum etiam excitârit? Confirmatur ex eo, quòd seipsum vocat *Resurrectionem & vitam.* Joh. 11. 25. & quod dicitur habere *claves mortis & inferni.* Apoc. 1. 18.

Joh. 11. 25. Apoc. 1. 18.

OBJECTIO.

Act. 2. 24. *Dicitur* a *Patre suscitatus.* Act. 2. 24. R. 1. At eadem est potentia Patris & Filii. 2. Peculiaris est ratio, cur Patri tribuatur, propter vadimonium, quod Christus susceperat, à quo debuit liberari a Patre, ut judice, qui ut Christum morti tradiderat propter peccata nostra, ita debuit eum suscitare ad nostri justificationem, ut testaretur sibi plenè satisfactum esse per eum.

Christus saxum non penetravit. XXIX. In resurrectione autem Christus corpore suo non penetravit saxum sepulcro impositum, quod *Pontificii* vellent, errori suo patrocinaturi; nam corpus quod resurgit spirituale, non vertitur in spiritum; Et virtus divina rerum naturas non evertit. Potuit ergo creatura cedere Creatori in resurrectione, citra penetrationem dimensionum, vel usus est Christus angeli ministerio ab amovendum saxum. Matth. 28. 2. non ex indigentia, sed indulgentia, ut testaretur potestatem suam stipatam esse satellitibus ex omnibus creaturis, vel quia in statu Vadimonii adhuc constitutus, voluit expectare sententiam Patris, ab angelo ipsi significandam.

Matth. 28. 2.

XXX. Ascen-

XXX. Ascendit Christus. 1. Visibiliter. 2. Vera loci mutatione. 3. Ut pro nobis compareret coram Deo. Ascensio.

XXXI. *Sessio ad dextram Dei*, non propriè & literaliter intelligi potest, sed figuratè, & Metaphoricè, ad summam dignitatem & imperium Christi designandum, metaphorâ ductâ à Regum & magnatum consuetudine, qui ad dextram suam collocare solent, quibus proximum à se rum honoris, tum potentiæ gradum in gubernatione concedunt. De *proximo honoris gradu* intelligitur hæc phrasis. 1. Reg. 2. 19. ubi Salomon matrem suam singulari honore affecturus, ad dextram suam collocat. Et Ps. 45. 10. Conjux Regis. i. e. Ecclesia dicitur stare à dextra Messiæ, i. e. proximo ab ipso dignitatis gradu. De *imperio* verò, seu regni administratione usurpatur Matth. 20. 21. ubi mater filiorum Zebedæi petit, ut filii sedeant ad dextram & sinistram Christi in regno ipsius, i. e. primaria munia obeant. Unde per sessionem ad dextram duo præcipuè designantur. 1. *Summa majestas & gloria*, per quam summè exaltatus est à Deo, & nomen supra omne nomen accepit. Phil. 2. 9. 2. *Summum imperium*, quod potenter exercet in omnes creaturas, & quod ostendit imprimis in gubernatione & defensione Ecclesiæ. Sessio Patris. 1. Reg. 2. 19. Ps. 45. 10. Matth. 20. 21. Phil. 2. 9. 10.

XXXII. Sessio propriè non est naturarum, nec naturæ humanæ simpliciter, ut *Lutherani* vellent, hypothesi suæ de παντοχωπία carnis Christi patrocinaturi; sed competit personæ Christi secundum utramque naturam, sed cum aliquo discrimine. Sessio enim ad dextram non est proprietas naturæ vel divinæ, vel humanæ, sed dignitas Personæ; status puta glorioſus personæ Christi, & officii mediatorii administratio, cujus ἀποτελέσματα sunt communia toti Personæ, respectu utriusque naturæ. Sessio ergo ista ratione *Personæ* consistit in summa illa gloria & potestate ipsi concessâ per exaltationem, per quam inauguratus est Rex & caput Ecclesiæ. Ratione *Naturæ humanæ* in gloria & honore, quo ornata est super omnes creaturas, & quo antea destituebatur. Ratione verò *divinæ* in manifestatione potentiæ majestatis, quæ antea sub velo carnis infirmæ, & servilis conditionis latuerat. Sessio propriè non est naturarum, sed Personæ.

XXXIII. Quær. Quando Christus cœperit sedere ad dextram Dei? Resp. *Thomas*, *Maldonatus*, & alii volunt Christum sedisse ad dextram Dei ab æterno, & sessionem inter- Quando Christus cœperit sedere ad dextram Dei?

interpretantur de æqualitate filii cum Patre. *Brentius* ipsum sedisse ad dextram Dei ab ipso incarnationis momento, sessionem istam exponendo de unione personali carnis cum λόγῳ, & communicatione Proprietatum in carnem. Nos verò sessionem istam tantùm post resurrectionem & ascensionem factam esse statuimus. 1. Quia Scriptura expressè Sessionem Christi post ejus resurrectionem & ascensionem collocat. *Ipsum suscitavit e mortuis, & collocavit ad dextram Dei.* Eph. 1. 20. *Hic verò unâ pro peccatis oblatâ in perpetuum victimâ consedit ad dextram Dei.* Heb. 10. 12. 2. Quia est fructus Exinanitionis & mortis ejus. Heb. 1. 3. *Purificatione peccatorum nostrorum per seipsum factâ, sedit ad dextram majestatis illius.* & 12. 2. *Sustinuit crucem ignominiâ contemtâ, & ad dextram throni Dei consedit.* 3. Quia non potuit Regnum Mediatorium gloriosè administrare, nisi victis hostibus in cruce & ascensione. Fuit quidem Christus quà λόγῳ ab æterno cum Patre, sed ideò non potest dici sedisse ad dextram Dei, eo sensu, quo sessio illi tribuitur post resurrectionem, pro glorioso statu Mediatoris.

Sessio Christi ad dextram non est localis.

XXXIV. Porrò Sessio ista Christi ad dextram Patris non notat situm, vel ubicationem Corporis Christi, cùm sit status Personæ Christi: Nec hoc nobis nisi per calumniam potest affingi; quasi dextra Dei nobis sit locus, in quo tanquam in palatio regio sedeat ad dextram Dei, quod nemo nostrum unquam dixit; Imò hunc errorem Ubiquitistis meritò tribuimus ex ipsorum hypothesi, quia ex sessione Christi ad dextram Dei colligunt ubiquitatem Corporis Christi; sic enim non possunt argumentari, quin concipiant dextram Dei ad modum loci.

CONTROVERSIA I.

Ascensio Christi facta est propriè.

An ascensio Christi facta sit propriè, per motum localem, ex locis inferioribus ad cœlum supremum Beatorum; an metaphoricè per disparitionem?

Aff. Prius; Post. Neg.

c. Luth.

Qui inter *Lutheranos* ubiquitatem Corpori Christi tribuunt, ut faciliùs elevent argumentum petitum ab ascensione Christi ad probandam circumscriptionem Corporis Christi

Christi, negant Christum verè & propriè ascendisse, sed tantùm figuratè, quatenus subduxit præsentiam suam visibilem mundo, licèt in mundo adhuc maneat invisibiliter; Et cœlum in quod ascendit, pertendunt, non esse cœlum supremum, seu tertium, sed beatitudinem & Regnum Dei, quod sit ubique; Itaque volunt, cœlum in quod Christus ascendit, non esse locum quendam corporeum, supra cœlos aspectabiles constitutum, & locali distantiâ ab hisce terris separatum, & non tam locali quodam situ, quàm gaudio & gloriâ à Sp. S. definiri. Nos Christum localiter, visibiliter, & corporaliter è terra in cœlum tertium supra cœlos aspectabiles evectum fuisse statuimus, non per præsentiæ visibilis, vel familiaris conversationis tantùm subductionem, sed per veram & localem naturæ suæ humanæ translationem, ubi mansura sit usque ad diem judicii, ut licèt præsens semper sit nobiscum gratiâ suâ, & spiritu, ac divinitate, non ampliùs sit tamen nobiscum præsentiâ corporali carnis suæ.

ARGUMENTA.

1. Ex historia ascensionis in qua ἀνελήφθη εἰς οὐρανὸν. Marc. 16. 19. διέστη ἀπ' αὐτῶν & ἀνεφέρετο εἰς οὐρανόν. Luc. 24. 51. *Aspicientibus ipsis elevatus est & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum.* Act. 1. 9. 10. Ubi describitur ascensionis istius terminus à quo, per quem, & ad quem. Marc. 16. 19. Luc. 24. 51. Act. 1. 9. 10.

2. *Reliquit mundum & rediit ad Patrem.* Joh. 16. 28. Joh. 16. 28.

3. Cœlum in quod Christus evectus est, describitur nobis ut locus aliquis; vocatur *domus Patris, in qua sunt multæ mansiones, quò Christus ascendit, paraturus nobis locum* Joh. 14. 2. 3. *cœlum tertium & paradisus* 2. Cor. 12. in quem oculos attollere debemus, ea *quæ sursum sunt quærendo.* Col. 3. 1.

OBJECTIONES.

1. *Christus non descendit propriè & localiter de cœlo. E. cœlum illud non est locale.* R. Neg. conseq. Nam in istis locutionibus tropus non est in voce cœli, sed in verbo veniendi & descendendi.

2. *Christus abivit per ascensionem ad Patrem, qui ubique est.* R. Non tamen sequitur, istam ascensionem nihil aliud esse, quàm abitum ad summam beatitudinem, quæ sit ubique in Patre, non in certo aliquo loco: Quia dicitur abivisse ad Patrem, non ut esset ubique cum Patre, sed eò, ubi gloriâ

& honore coronandus fuit, nim. in cœlum, ubi Deus thronum suum habet.

Eph. 4. 10. 3. *Christus ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia.* Eph. 4. 10. R. Ascendit supra omnes cœlos aspectabiles, ut impleret omnia, non repletione omnium locorum per corporis omnipræsentiam, sed repletione omnium membrorum Ecclesiæ per effusionem donorum spiritus, ut ibidem explicatur.

Act. 7. 56. Act. 9. 27. 4. *Stephanus. Act.* 7. 56. & *Paulus Act.* 9. 27. *viderunt Christum.* R. Extraordinariâ oculorum acie à Spiritu S. donati erant, & erat quidem ibi glorioſæ majestatis ejus symbolum, sed non corporis in terra, vel in aëre præsentis argumentum.

CONTROVERSIA II.

An Christus corpore suo non tantùm in cœlis sit, sed etiam in terris ubique? N. c. Luth.

Quoniam quæstio hæc superiori subordinatur, & in illa includitur, de illa ex superioribus satis edocti sumus.

CONTROVERSIA III.

Christus in cœlo verum corpus habet. *An Christus in cœlo verum corpus & sanguinem habeat?* Aff. cont. Socin.

ARGUMENTA.

Luc. 24. 39. 1. Christus in cœlis est verus homo; habet ergo carnem & sanguinem. Luc. 24. v. 39.

2. Filius hominis sedet ad dextram Dei, & ille ipse ut talis veniet in nubibus; habet ergo verum corpus. Matth. 26. 64. Luc. 21. 27.

3. Si idem illud verum corpus non haberet, non posset ei in cœlo dici, *tu es agnus mactatus, qui nos emisti tuo sanguine*, contra Apoc. 5. v. 9.

4. Nostra corpora fient similia corpori Christi. Phil. 3. 21. Nos autem carnem & sanguinem habebimus. 1. Cor. 15. 53.

5. Non esset idem ille Christus, nisi haberet idem corpus.

OBJECTIONES.

1. *Caro & sanguis non potest possidere regnum cœlorum.* 1. Cor.

1. Cor. 15. 50. R. Ita ut hic sunt, infirmitati & corruptioni subjecta. 1. Cor. 15. 50.

2. *Secundus Adam est Dominus de cœlo, cœlestis.* 1. Cor. 15. 47. R. i. e. gloriosus, incorruptibilis. 1. Cor. 15. 47.

3. *Venter escæ, & esca ventri, Deus utramque in nihilum rediget.* 1. Cor. 6. 13. R. Quod ad usum quem hodie habent. 1. Cor. 6. 13.

LOCUS XIII.

DE

CONVERSIONE ET FIDE.

I.

NOmina hæc: *Vocatio*, *regeneratio*, *resipiscentia*, *conversio*, aliquando latè sumuntur, atque ita unum & idem notant; aliquando *strictè*, atque ita

Vocatio est invitatio hominis ad salutem. *Regeneratio* est hominis mortui vivificatio. *Resipiscentia* est ad saniorem mentem reditio. *Conversio* est vitæ mutatio & emendatio. *Pœnitentia* est dolor de peccatis commissis.

II. Græci duo habent vocabula, quibus conversionem exprimunt; μετάνοια, & μεταμέλεια. Illâ quidam volunt denotari resipiscentiam Evangelicam & salutarem; hâc verò dolorem secundùm mundum. Sed in Scriptura μετάνοια etiam pro qualicunque dolore accipitur, e. g. Μετάνοια dicitur de Ninivitis. Matth. 12. 41. de quavis offensæ purgatione. Luc. 17. 3. Μετάνοια & μεταμέλεια

III. Vocatio, vocè *latè* sumtâ, est actio Dei, quâ hominem, è statu peccati, per prædicationem verbi, & virtutem Sp. S. deducit ad statum gratiæ. Col. 1. 12. 13. Vocatio.

IV. Vocatio est vel *externa*, vel *interna*. Illa, quæ sit tantùm ministerio Verbi & Sacramentorum, quæ sunt externa media applicationis. *Ista* verò insuper virtute internâ & omnipotente Sp. S. *Illa*, quæ aures corporis duntaxat pulsat: *Ista*, quæ cor etiam aperit. *Illa* objectivè tantùm Externa & Interna.

tùm se exerit; *Ista* etiam effectivè operatur. *Illa* suadet moraliter; *Ista* etiam efficaciter persuadet & trahit.

V. Hac in re igitur tria sunt distinguenda. 1. Externa propositio officii hominis. Act. 17. v. 30. *Deus mandat hominibus ut respiscant.* 2. Animus Dei internum hominem convertendi. Jes. 55. v. 11. *Verbum meum, quod egressum est ex ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet id, quo delector, & prosperabitur id, quo emisero.* 3. Interna cordis mutatio, per spiritum. Joh. 6. 44. *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum.*

VI. Externa illa vocatio, seu *propositio officii*, *promissio præmii*, & *invitatio* ad illud utrumque fit quidem mandato Dei, propriè tamen non est *actio Dei*, sed *ministrorum* ejus. Interna tractio autem propriè, & sola Dei actio est 2. Cor. 4. 6. 7.

VII. Illa Dei actio vocatur. 1. Regeneratio. Jac. 1. 18. 2. Creatio & vivificatio. Eph. 2. 5. 3. Circumcisio cordis. Deut. 30. v. 6. 4. Novi cordis datio. Ezech. 36. v. 26. 5. Tractio. Joh. 6. v. 44.

Regeneratio. VIII. Hujus actionis effectum primum & proprium, est mutatio cordis humani, seu vita spiritualis, quæ ordinariè *regeneratio* dicitur.

IX. Illa regeneratio autem. 1. Fit in instanti. 2. Est imperfecta. 3. Extingui non potest. 1. Pet. 1. 23. *Regeniti ex semine incorruptibili*, &c.

X. Continet verò mutationem totius hominis; puta; intellectûs, voluntatis, conscientiæ, affectuum, potentiarum, atque inde etiam actionum externarum, unde vocatur novus homo. Eph. 4. 24.

XI. Quæ mutatio aliter se habet in *infantibus*, ubi solo spiritu perficitur; aliter in *adultis*, ubi Deus legem & Evangelium adhibet.

XII. Lex in conversione hominis hæc quinque facit. (1.) Officium injungit. Act. 3. 19. (2.) Necessitatem ostendit. Matth. 3. v. 10. (3.) Peccati convincit. Rom. 3. 20. (4.) Pœnam interminatur. 2. Cor. 3. v. 6. (5.) Atque eo conscientiam pungit & vexat. Act. 2. 27. Atque ita Pædagogus ad Christum dici posset.

XIII. Evangelium etiam hæc 5. facit. (1.) Mediatorem offert. 1. Tim. 1. 15. (2.) Medium docet, quo ejus compotes fiamus. Marc. 1. 15. (3.) Salutem promittit ei, qui media-

mediatorem rectè recipit. Marc. 16. 16. (4.) Dicit Deum & unum, & alterum daturum. Heb. 8. 10. (5.) Atque eo modo fidem gignit. Gal. 3. v. 2.

XIV. Quær. An vocatio externa & interna distinguantur tantùm eventu? Resp. Neg *Lutherani* vocationem internam & externam a parte rei unam eandemque censent, ita ut omnes externè vocati, internè quoque vocentur; rogati verò, qui fiat, quòd vocatio externa in uno sit efficax, in altero non? respondent, id ab hominis oriri voluntate. *Arminiani* rem clariùs ediſſerunt, nim. Vocationem in quibusdam esse inefficacem, in aliis non; non quòd Deus plura in illis operetur, sed quòd bona hominis voluntas efficaciam superaddat, quòdque illi pro sua liberrate admittant verbum, quod alii respuunt. Sed *Orthodoxi* discrimen istud non ab hominum libero arbitrio, vel a solo eventu suspendunt; sed ab ipso Dei Decreto, & natura vocationis, & discrimine gratiæ subjectivæ, quæ longè efficaciùs in his, quàm in illis operetur, petunt. Rationes sunt. 1. Quia vocatio interna est κατὰ πρόθεσιν, quæ proinde pendet à Decreto Dei, & est æterna ac ἀμεταμέλητος. Rom. 8. 28. & 11. 29. non ergo efficax tantùm eventualiter. 2. Eventus ipse non aliunde pendet, quàm ab ipso Decreto Dei, qui ita dirigit vocationem potenter, ut eventum suum necessariò sortiatur in iis, qui sunt electi. Act. 13. 48. *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* 5. Quia aliàs homo seipsum discrimineret, contra Paulum. 1. Cor. 4. 7. *Quis te discernit, quid habes quod non acceperis?* Nec esset solius Dei miserentis, sed hominis volentis & currentis, Rom. 9. 16. Cùm tamen Deus operetur in nobis velle & perficere. Phil. 2. 13.

"An vocatio externa & interna distinguantur tantùm eventu?

CONTROVERSIA.

An omnes homines externè sufficienter vocentur ad salutem, seu externa media habeant sufficientia ad salutem? Neg. cont. Socin. & Remonst.

Non omnes homines habent sufficientem vocationem.

Hanc Controversiam jam supra Loc. de Fœd. Gratiæ; Controv. 1. tractavimus. Sed quia sequimur Methodum authoris nostri, sequentia apponimus

ARGUMENTA.

1. Non omnes vel legem, vel Evangelium habent.

Pſ. 147. 20. Pſ. 147. 20. *Indicat verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua & jure ſua Iſraël; non fecit ita ulli genti.* E. non habent gratiam ſufficientem: *Quomodo enim invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo credent ei, de quo non audierint? quomodo autem audient abſque prædicante?* Rom. 10. 14. 15.

Rom. 10. 14. 15.

Act. 14. 16. 2. Deus eos ſivit ambulare in viis ſuis, Act. 14. v. 16. quæ erant ignorantiæ. Act. 17. v. 30. & tenebrarum. Col. 1. v. 13.

Act. 17. 30.

Eph. 2. 12. 3. Atque ideò plurimæ gentes alienæ fuerunt à fœderibus Dei, ſine ſpe ſalutis. Eph. 2. v. 12.

Matth. 10. 5. Act. 16. 7. 4. Deus noluit Apoſtolos prædicatum ire in urbes Samaritanorum Matth. 10. v. 5. In Aſiam. Act. 16. 7.

5. Repugnat experientiæ.

OBJECTIO

Act. 14. 17. *Act. 14. v. 17. Deus non ſivit ſe ἀμάρτυρον* R. In operibus naturæ, ut textus apertè docet, non in operibus gratiæ, &c.

CONTROVERSIA. II.

Non omnes homines habent gratiam ſufficientem internam.

An omnes homines habeant gratiam ſufficientem internam? Neg. cont. eosdem. S. R.

Quæſtioni locum dedit diſtinctio gratiæ in *Sufficientem & Efficacem. Gratia Sufficiens* Bellarmino ea eſt, quâ Deus hominem ita vocat, excitat, & juvat, dirigendo, protegendo, cooperando paratus eſt, ut homo ſic excitatus reverâ poſſit velle credere, converti, bonum operari, licèt reipſa non velit credere, converti, bonum operari; Ideò gratia hæc manet ineſficax: *Efficax* verò eſt, quâ Deus hominem ita vocat, excitat, & juvare dirigendo, protegendo, cooperando, paratus eſt, ut homo ſic excitatus & vocatus infallibiliter reipſa velit, credat, convertatur, bonum faciat. Sed meritò nobis ſuſpecta eſt hæc diviſio, quia Pelagianum venenum nobis obtrudit; quidcunque enim de auxilio divino ait, pertendit tale eſſe, ut ab hominis Voluntate pendeat, ut proficiat vel non proficiat, ſi homo velit aut nolit, qui purus putus eſt Pelagianiſmus. Adhæc, omnis gratia ad converſionem ſufficiens, debet eſſe efficax, alias gratia ſufficiens eſſet ex reipſa inſufficiens, cui ad effectum ſuum producendum alia quædam gratia ſuperaddi debeat.

Diſtinctio Gratiæ in ſufficientem & efficacem rejicitur.

Ex his patet mens adverſariorum: *Pontificii* pertendunt, auxilium ſufficiens ad ſalutem, pro loco & tempore, omnibus

bus dari, ut nullus sit, qui non aliquando saltem hoc auxilium habeat, vel immediatè, resp. adultorum, vel mediatè, respectu infantium in parentibus, qui baptismum filiis suis procurare possunt.

Arminiani eadem prementes vestigia post *Socinianos*, asserunt, Deum, qui voluntatem habuit universalem omnes & singulos salvandi, omnes & singulos redimendi, velle etiam per vocationem universalem media ad fidem & resipiscentiam sufficientia omnibus & singulis largiri; ita tamen, ut usus illorum mediorum subjiciatur semper libero hominis arbitrio, penes quod sit gratiâ illâ uti, vel non uti, credere, vel non credere. Scopus utrorumque est, idolo liberi arbitrii litare, & commentum suum de ἀδιαφορίᾳ Voluntatis stabilire.

Quæstio igitur eò redit: An gratuitus Dei favor tam benignè singulos respiciat, ut omnibus, sive Ethnicis, sive Christianis, infantibus aut adultis, Reprobis aut electis, in statu eorum post lapsum, pro loco aut tempore, mediatè aut immediatè, ordinariè vel extraordinariè, gratiam non qualemcunque, sed salutarem & sufficientem ad conversionem, non externam tantùm, sed subjectivam & internam communicet? quod Adversarii volunt, Orthodoxi negant, gratiam illam vindicantes tantùm vocatis κατὰ πρόθεσιν, i. e. electis.

ARGUMENTA.

1. Gratia salutaris non extenditur ultra Decretum, cùm sit ejus effectus. Sed non decrevit Deus, ut omnes salutem consequantur, ut sup. Loc. de Prædest. visum.

2. Gratia objectiva externa non est communis omnibus, ut supra visum. E. multò minùs subjectiva & interna. Hinc Deus dicitur *præteritis ætatibus sivisse Gentes suis ipsarum viis incedere.* Act. 14. 16. quod adhuc facit in Turcis, Persis, & Indis. Quis verò dixerit, gratiam sufficientem dari iis, quos Deus sivit ire viis suis? Act. 14. 16.

3. *Fides non est omnium.* 2. Thess. 3. 2. *sed tantùm electorum.* Tit. 1. 1. *eorum* sc. *qui ordinati fuerunt ad vitam æternam.* Act. 13. 48. At, si gratia sufficiens datur omnibus; E. & gratia credendi. 2 Thes. 3. 2. Tit. 1. 1. Act. 13. 48.

4. Innumeris nec datur cor ad intelligendum, nec oculi ad videndum. Deut. 29. 2. nec notitia mysteriorum Dei, Deut. 29. 2.

Matth. 13. nec tractus Patris. Joh. 6. 45. quæ sunt media sola ad conversionem sufficientia.

5. Ad gratiam illam sufficientem vel aliquid accedit, ut sit efficax, vel nihil. Si aliquid accedit. E. non est sufficiens; si nihil, tum efficacia illa pendebit ab homine, non à Deo, ejusque gratia, quod absurdum.

OBJECTIONES.

Jes. 5. 4.

1. *Quid ultra facere potui vineæ meæ, quod non fecerim?* Jesai. cap. 5. 4. R. Aliud est sufficere ad convictionem in ordine mediorum externorum, aliud ad conversionem in ordine internorum. De prima sufficientia h. l. agitur, non de secunda, sc. de mediis externis, & quidem quæ conferuntur non omnibus, sed tantùm vocatis in Ecclesia; non verò de internis quia se confert Vinitori, qui plantat vineam in solo uberi, fossam circumducit, sepem prætendit, prælum & turrim struit, i. e. verbo plantat, beneficiis excolit, & protectione cingit, & facit ea omnia, quæ à sedulo Vinitore requiruntur, ut vinea bonos fructus ferret: sed de vegetatione & vitali influxu non loquitur, qui conversionem certissimam post se traxisset.

2. *Deus tenetur in Novo fœdere vires homini sufficientes suppeditare ad illud implendum, ut sit æqualitas crediti & debiti.* R. Neg. Quia non præscribitur alia obedientia & fides quoad essentiam, ab ea, quæ præscripta fuerat in primo Fœdere, & ad cujus executionem homo vires sufficientes initio acceperat, quas cùm amiserit suâ culpâ, non tenetur Deus officium ab eo exigendo illi restituere. Et æqualitas crediti & debiti, non ex statu peccati, sed ex statu Creationis æstimanda est; nam quod tunc creditum fuit homini, id totum debet Deo, quamvis suâ culpâ non sit solvendo.

CONTROVERSIA. III.

Deus in vocatione non intendit omnium salutem.

An omnes, qui externè vocantur per verbum, etiam internè à Deo vocentur? seu: *An reprobi, qui vocationis externæ fiunt participes, eo Dei consilio & intentione vocentur, ut salutis fiant participes?* Neg.

Quæstio hæc nobis intercedit cum *Lutheranis*, *Arminianis*, & Gratiæ Universalis Patronis, qui, ut Vocationis Universa-

verſaliratem adſtruant, ſaltem quoad præconium Evangelii in Eccleſia viſibili, pertendunt, quotquot vocantur per verbum, à Deo vocari cum intentione ſalutis; quia aliâs Deus illuderet hominibus, & non ſeriò, ſed hypocriticè ageret, offerendo ipſis gratiam, quam tamen dare nollet. Nos verò, licèt non negemus, Reprobos, qui verſantur in externa Eccleſiæ communione, vocari à Deo per Evangelium; negamus tamen eo conſilio & intentione vocari, ut ſalutis reipsâ fiant participes, quod novit Deus nunquam futurum, quia aliter in Decreto ſuo de iis conſtituit.

Quæſtio verò non eſt in genere, de Vocationis fine à *parte rei*, quem non negamus eſſe ſalutem; ſed à *parte Dei*. Non, an Deus gratiam Reprobis aliquam impertiri velit, præ iis, qui hoc beneficio deſtituuntur, quales ſunt Ethnici, & alii infideles? ſed, an gratiam ſalutarem, & ſalutem illis dare intendat eòque conſilio eos vocet, ut fiant reapſe ejus participes, quod ſi aliter accidit, id evenire præter Dei conſilium, & per accidens? Quod pertendunt adverſarii, nos negamus. Rurſus non quæritur; an idem ſit eventus vocationis externæ reſpectu omnium, &, an omnes vocati eodem modo afficiantur? ſed, an diſparitas eventûs non arguat diſparitatem intentionis in vocante? An eo animo & conſilio vocentur omnes, ut ſalutis fiant participes? Quod aſſerunt, Nos negamus.

Statq. Quæst.

ARGUMENTA.

1. Quia Deus non poteſt vocando intendere ſalutem eorum, quos ab æterno reprobavit, & quibus fidem & alia media ad ſalutem ducentia denegare decrevit: aliâs intenderet, quod ſcit voluntati ſuæ eſſe contrarium, quodque in æternùm novit nunquam futurum, & quidem non futurum, quia ipſe hoc præſtare non vult.

2. Quia Deus non intendit fidem in reprobis. E. nec ſalutem, quæ ſine fide haberi nequit. Non intendere autem fidem, colligitur ex eo, quòd ipſis eam non det, nec dare decrevit, imò denegare conſtituit.

3. Chriſtus in vocatione Judæorum reproborum teſtatur, ſe finem propoſitum habere eorum ἀναπολογίαν. Joh. 9. 39. dicitur *veniſſe ad exercendum judicium, ut qui vident non videant*, i. e. qui profitentur ſe videre, nec vident tamen magis magisque excæcentur. Et cap. 15. 22. *Si non veniſſem,* Joh. 9. 39. cap. 15. 22.

niſſem, nec ad ipſos locutus fuiſſem, non haberent peccatum; nunc autem excuſationem non habent peccati.

4. Qui vocantur cum intentione ſalutis, vocantur κατὰ πρόθεσιν; quia intentio iſta eſt actus Electionis, & effectus προθέσεως; At certum eſt, nullos reprobos vocari κατὰ πρόθεσιν, quia ſic & Deum diligerent. Rom. 8. 28. & neceſſariò juſtificarentur & glorificarentur, quia quos vocavit, eos etiam juſtificavit, &c. v. 30. quod de illis dici nequit.

5. Quia non aliis promittitur ſalus ex intentione Dei, quàm conditionem præſcriptam habentibus, quales ſunt onerati & laborantes. Matth. 11. 28. Sitientes. Jeſa. 55. 1. credentes & pœnitentes. Act. 2. 38. quod cùm de reprobis dici nequeat, dici non poteſt, eos à Deo vocari eâ intentione ut ſalventur.

OBJECTIONES.

1. *E. Deus illudit homini.* R. Neg. Nam vocatio externa non declarat ullam intentionem Dei, ſed tantùm propoſitionem officij. Vocatio oſtendit quidem, quid Deus velit jubere hominem ut faciat, non verò quid decreverit ipſe facere; docet, quid Deo gratum ſit & acceptum, & conveniens naturæ ſuæ, nim. ut vocati ad ſe veniant, ſed non quid ipſe de homine facere conſtituerit; ſignificat quid Deus paratus ſit dare credentibus & pœnitentibus, ſed non quid actu decreverit dare huic vel illi. Si ergo Deus aliam ſalutis viam monſtraret hominibus in Evangelio, quàm eam, quæ ad ſalutem ducit; vel, ſi credentes & reſipiſcentes à ſalute excluderet, propter Decretum reprobationis, poſſet dici minùs ſincerè agere: Sed hîc nulla eſt illuſio, vel reſpectu Dei, qui ſincerè oſtendit viam ad ſalutem, ſeriò hortatur ad illam ſequendam, & promittit veriſſimè ſalutem iis, qui eam ſecuti fuerint; vel reſpectu hominum, quia oblatio illis non fit abſolutè, ſed ſub conditione, quam illi ſua ſponte aſpernantur.

Inſt. *Promiſſio non poteſt eſſe ſeria, niſi fundetur in voluntate & intentione promittentis dandi quod promittitur.* R. Verum hoc de Promiſſione abſoluta; ſed alia ratio eſt conditionatæ; ſufficit enim ad ſalvandam ejus ſinceritatem, ut ſit intentio in Deo connectendi certiſſimè rem promiſſam cum conditione, ut nuſpiam iſta occurrat, quin illa eam comitetur.

2. *Deus*

2. *Deus eos vocat externè. E. etiam internè; nam verbum vocationis externæ debet esse signum Decreti alicujus quo nititur.* R. Sed non statim Decreti de personis singularibus salvandis; sed de mediis & eorum connexione cum salute.

3. *Repugnat sapientiæ Dei ea velle præcipere, & præcipere de facto, quæ tamen certò novit non præstanda ab iis, quibus præceptum fuerit.* R. Neg. Quia Deus jus suum & hominis officium, non minus ac bonitatem suam & justitiam in tali mandato explicare vult. Sed repugnat id Deum simpliciter & velle & absolute intendere, quod tamen non solùm novit nunquam futurum, sed etiam quod ipse non futurum decrevit.

XV. Distinguitur conversio in *primam*, quæ est actio solius Dei, & dativa novæ vitæ; & *secundam*, quæ est actio hominis jam per spiritum regeniti, amplexantis virtutem, & fugientis peccatum. Thren. 5. 21. Cant. 1. v. 4. Conversio prima & secunda.

XVI. Estque hæc regeneratio opus Christi. 1. Quà Dei. 2. Qua Mediatoris; idque (1.) Merito ejus. Tit. 2. 14. (2.) Ad imaginem ejus. 2. Cor. 3. 18. (3.) Intercessione ejus. Joh. 17. 19. (4.) Donatione ejus qua Regis, & Prophetæ. Eph. 4. 7. 8.

XVII. Quia Adversarij in gravissima hac materia subinde utuntur distinctione gratiæ in *excitantem* & *adjuvantem*, *operantem* & *cooperantem*, *prævenientem* & *subsequentem*; quo sensu admitti possit, vel rejici, ante omnia videndum. Si per gratiam excitantem, prævenientem & operatur intelligerent motionem primam gratiæ efficacis, quâ ex morte peccati ad novam vitam excitamur, & reipsa convertimur, ante ullam cooperationem & concursum voluntatis nostræ; Et per adjuvantem, cooperantem & subsequentem, motionem secundam, quæ conversis cooperantem, & eos ad agendum adjuvat, facilè hanc distinctionem admitteremus, quo sensu etiam ab Augustino usurpata fuit. Sed meritò rejicimus, eo sensu, quo ab ipsis usurpatur, ut per excitantem, prævenientem & operantem, intelligant tantùm gratiam sufficientem, illuminatione & suasione morali agentem, quæ non subjiciat sibi liberum arbitrium, ut illud efficaciter inclinet & determinet ad agendum, sed quæ subjiciatur libero arbitrio, ut penes illud sit semper illam admittere, vel rejicere, illi consentire, vel dissentire; Et per gratiam cooperantem, eam quæ coope- Gratia excitans, adjuvans, operans, cooperans, &c.

cooperetur voluntati nondum conversæ, & cui vicissim voluntas nondum conversa cooperetur. Hoc, inquam, sensu, hanc distinctionem rejicimus, quia libero arbitrio litat, de quo jam egimus, & agemus.

CONTROVERSIA I.

Voluntas hominis necesse habet regenerari.

An voluntas necesse habeat regenerari? Aff. cont. Soc. & Rem.

ARGUMENTA.

Ezech. 36. 26. 1. Quia planè est corrupta, cor lapideum. Ezech. 36. 26.

2. Quia virtutes debent infundi. Rom. 5. 5. *Charitas in cordibus effusa per Spiritum. S.*

Ps. 51. 12. 3. Imò planè cor novum dari. Ps. 51. 12.

Phil. 2. 13. 4. Deus *velle bonum* in nobis operari debet, *secundùm beneplacitum suum*, non nostrum. Phil. 2. 13. Ps. 143. 10.

OBJECTIO.

Essentia voluntatis consistit in libertate. R. Naturali ad naturalia, non supernaturali ad supernaturalia.

CONTROVERSIA. II.

Verbum Dei ab irregenitis salutariter audiri non potest.

An verbum Dei ab irregenitis ante Conversionem salutariter audiri possit? Neg. c. eosdem.

Quæstio hæc, & præcedens proponuntur tanquam partes celeberrimæ illius Controversiæ de vocatione efficaci, de qua hisce Controv. agitur contra eos, qui libero arbitrio circa hanc materiam nimiùm tribuunt. Propositæ verò quæstionis negativam tuemur sequentibus.

ARGUM.

1. Cor. 2. 14. 1. Homo irregenitus *non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei, nec potest.* 1. Cor. 2. 14.

Ps. 119. 18. 2. Gratia nobis in S. Scriptura proponitur ut necessaria ad receptionem verbi, ut quum Psalres Ps. 119. 18. petit sibi *aperiri oculos, ad contemplanda mirabilia Legis.* Et Paulus,

Eph. 1. 17. 18. Eph. 1. 17. 18. precatur Ephesiis *Spiritum Sapientiæ & revelationis, oculos sc. mentis illuminatos, ut cognoscant spem vocationis, & divitias gloriæ in Sanctis.* Christus,

Luc. 24. 45. Luc. 24. 45. dicitur *mentem* discipulis *aperuisse ad intelligendas Scripturas.*

Act. 16. 14. Eodem sensu Act. 16. 14. Deus dicitur *cor Lydiæ aperuisse, ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.*

3. Evan-

3. Evangelium non est *potentia ad salutem*, nisi *credenti*. Rom. 1. 16. Rom. 1. 16.

4. *Nemo potest dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum* 1. Cor. 12. 3. E. nec verbum salutariter audire. 1. Cor. 12. 3.

5. Omnis verbi prædicatio, & auditio frustra est, nisi Deus incrementum det. 1. Cor. 3. v. 6. 7. 9. 1. Cor. 3. 6. 7. 9.

OBJECTIONES.

1. *Cur ergo ipsis prædicatur*? R. Si forte Deus eo medio ad conversionem uti velit; 2. Tim. 2. 25. Et, ut sint inexcusabiles.

2. *Est medium regenerationis*? R. Morale: nihil ergo potest ante regenerationem.

XVIII. Ad regenerationem ergo nullæ sunt dispositiones. 1. In infantibus. 2. In adultis nullæ ab homine. 3. Neque à Deo ante principium vitæ: Sed bene in adultis. 1. Sunt occasiones regenerationis. Act. 16. 14. auditio verbi. 2. Sunt præparationes ad secundam conversionem, quæ est firmum hominis propositum emendandi vitam. Ut concio Petri fuit occasio ad conversionem Judæorum. Act. 2. 37. Ad regenerationem nullæ præviæ sunt dispositiones.

CONTROVERSIA. I.

An tota Dei actio in conversione hominis non sit nisi moralis sc. illuminatio & suasio per verbum? Neg. *An verò Deus actione spirituali physicâ novam vitam infundat?* Aff. cont Rem. & Socin. Actio Dei in conversione hominis non tantum est moralis.

Orthodoxorum circa hanc quæstionem mens est: Gratiæ efficacis motionem nec Physicam nec Ethicam propriè dicendam esse, sed supernaturalem & divinam, quæ utramque illam χάριν quadantenus includit. Non est simpliciter *Physica*, quia agitur de facultate morali, quæ congruenter naturæ suæ moveri debet; nec simpliciter *Ethica*, quasi Deus objectivè solùm ageret, & leni suasione uteretur, quod pertendebant Pelagiani. Sed *supernaturalis* est & divina, quæ transcendit omnia hæc genera. Interim aliquid de Ethico & Physico participat; ad modum *physicum* pertinet, quòd Deus Spiritu suo nos creat, regenerat, cor carneum dat, &c. Ad *moralem*, quòd verbo docet, inclinat, suadet, &c.

Quæ-

Quæstio ergo est: An præter gratiam objectivam & mediatam, quâ Spiritus per verbum quacunque opportunitate prædicatum, & quibuscunque circumstantiis & adminiculis stipatum agit in mentes, requiratur alia gratia subjectiva & immediata, quâ immediatè in ipsas facultates operetur, ad eas ad salutarem verbi receptionem disponendas, & cujus efficaciâ conversio necessariò & infallibiliter producatur? Quod asserimus, propter sequentia

ARGUMENTA.

1. Ex hominis corruptione, qui in S. Scriptura describitur ut *mortuus in peccatis.* Eph. 2. 1. 2. *Cæcus*, imò *ipsæ tenebræ.* Eph. 4. 18. & 5. 8. *Animalis, qui non potest capere quæ sunt Spiritûs Dei.* 1. Cor. 2. 14. *Peccati servus.* Joh. 8. 34. Rom. 6. 19. *Dei inimicus.* Col. 1. 21. *Qui non modò subjiciatur legi Dei, sed qui ne possit quidem.* Rom. 8 7. Uno verbo, *qui nihil possit ex seipso vel cogitare, vel facere boni.* Joh. 15. 5. & 2. Cor. 3. 5. Ex quibus patet, ad convertendum hominem aliud requiri, quàm tantùm moralem suasionem, & objecti Evangelici propositionem commodè & opportunè factam; Sicuti enim ad visionem eliciendam in cœco, & vitæ exercitium in mortuo non sufficit simplex objecti propositio, sed requiritur facultatis visivæ restauratio, & vitæ redditio. Ita ad conversionem hominis vi interna & omnipotente opus est.

Eph. 2. 1. 2. Eph. 4. 18. c. 5. 8. 1. Cor. 2. 14. Joh. 8. 34. Rom. 6. 19. Col. 1. 21. Rom. 8. 7. Joh. 15. 5. 2. Cor. 3. 5.

2. Nullum objectum concurrit ad formandam & disponendam facultatem suam ad sui exercitium; Sed eam supponit dispositam & ritè constitutam, siquidem non potest agere in facultatem, nisi per ipsius facultatis vim apprehensivam, à qua recipiatur. Qualiscunque igitur fiat objecti propositio in mente, irrita semper futura est, nisi concipiatur jam ad id dispositа, non utique per verbum, de quo recipiendo agitur, sed per actionem immediatam Spiritûs, qui facultatem præparet.

3. *Verbum crucis homini animali prædicatum est scandalum & stultitia.* 1. Cor. 1. 23. Et *ea quæ sunt Spiritûs Dei homini animali sunt stultitia.* 1 Cor. 2. 14. E. ut illud verbum recipiatur, non sufficit tantùm externa ipsius propositio, sed opus est vi internâ Spiritûs S.

1. Cor. 1. 23. 1. Cor. 2. 14.

4. Ex corruptione originali, infantibus congenitâ. Constat enim, eos esse *conceptos in iniquitate.* Ps. 51. *immundos, & ex*

& ex carne natos. Joh. 14. 1. Joh. 3. 6. Qui per consequens in regnum cœlorum non possunt ingredi, nisi prius regenerentur. Joh. 3. 5. Apoc. 21. 27. Quomodo verò repurgari possunt à sordibus suis, si nulla datur alia gratia quàm objectiva per cognitionem veritatis, cujus certum est, eos non esse capaces. Job. 14. 1. Joh. 3. 6. Joh. 3. 5. Apoc. 21. 27.

5. Modus operationis gratiæ in nostra conversione describitur per *creationem*, *Resurrectionem*, *Regenerationem*, *cordis lapidei ablationem*, *& carnei dationem*, *tractionem*, &c. quæ summam & invictam important Dei potentiam, ad quam describendam Paulus adhibet magnificas illas voces. Eph. 1. 18. 19. 20. quum dicit esse ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως, *excellentem magnitudinem virtutis*; & quidem κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *secundùm efficaciam roboris virtutis ejus*, i. e. virtutis potentissimæ quam exeruit in Christo, quum eum suscitavit à mortuis. Eph. 1. 18. 19. 20.

6. Ex iis locis, ubi virtus Sp. S. in nobis operantis apertè distinguitur à verbo, ut: 1. Thess. 1. 5. 6. *Evangelium nostrum*, inquit Apost. *non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in Virtute, & Spiritu S.* &c. quod parùm appositè diceretur, si Spiritus non aliter ageret, quàm per sermonem, & objective. Sic alibi de ministris verbi loquens. 1. Cor. 3. 6. 7. 9. *Paulus plantat*, inquit, *Apollos rigat, sed Deus dat incrementum*, &c. ubi apertè actio hominis plantantis & rigantis per verbum distinguitur ab actione interna Dei dantis incrementum. 1. Thess. 1. v 5. 6. 1. Cor. 3. 6. 7. 9.

7. Ex iis locis, quæ actionem aliquam internam Deo tribuunt in hominis conversione, ut: quum Deus dicitur *operari in nobis velle & perficere.* Phil. 2. 13. *opus fidei potenter implere in nobis.* 2. Thess. 1. 11. *Facere in nobis quod ipsi gratum est.* Heb. 13. 21. ad quod referri debent & ea, in quibus Deus promittit se *posturum Leges suas in nobis, & scripturum in cordibus nostris.* Jer. 31. 33. Et apud Ezech. 36. 26. 27. *quod sit daturus nobis cor novum, & spiritum novum positurus in medio nostri.* &c. Quæ loca actionem aliquam intimam & efficacissimam in corda nostra important. Phil. 2. 13. 2. Thess. 1. 11. Heb. 13. 21. Jer. 31. 33. Ezech. 36. 26. 27.

8. Si nulla datur alia spiritûs operatio in vocatione, quam mediata per verbum, & per moralem suasionem, causa discretionis inter ejusdem verbi auditores, quorum alii convertuntur, alii manent increduli non pendebit à gratia

gratia, ſed ab homine, contra Paulum. 1. Cor. 4. 7. Cùm enim verbum, per quod gratia ſupponitur tantùm operari, pariter utrique ſæpe proponatur, eodem tempore, & loco ab eodem præcone, & cum iisdem rationibus & motivis; nihil hic occurrere poteſt, quod non ſit ambobus commune, & per conſequens quod diſcrimen unius ab alio facere poſſit.

OBJECTIONES.

1. *Ergo Dei culpa eſt, quod multi non convertantur, vel peccatores aliquam excuſationem habebunt.* R. Neg. Nam. 1. Deus nulli debet gratiam; atque illi etiam converti nolunt. 2. Verbum non deſinit eſſe ſufficiens in ordine ſuo, nim. è parte objecti. Et ſi manet inefficax in reprobis, non ſit per ſe ex defectu verbi, ſed per accidens ex vitio hominis.

2. *Gratia illa immediata infert Enthuſiaſmum.* R. Neg. Nam. 1. Enthuſiaſmus novas quærit revelationes extra verbum: ſed gratia immediata nullas, quia verbum ſemper comitatur, nec aliud agit, quàm ut illud menti imprimat. 2. In Enthuſiaſmo objecta, quæ menti imprimuntur, non extrinſecus adveniunt, ſed intus à ſpiritu per arcanas inſpirationes ſuggeruntur. Sed hîc objectum ſupponitur ſemper extrinſecus advenire, & ex verbo peti. 3. Enthuſiaſmus fit per ſubitos motus, qui ipſum diſcurſum & ratiocinationem antevertunt & ſæpe excludunt. Sed ſpiritûs operatio non excludit, ſed ſecum trahit ratiocinationem, & gratum voluntatis conſenſum. 4. Enthuſiaſmus non infert cordis mutationem, & mentem afficit immutatâ ſæpe manente voluntate; unde in impios etiam cadit, ut in Balaamo & aliis viſum; ſed operatio gratiæ neceſſariò infert cordis mutationem & ſanctitatis ſtudium.

CONTROVERSIA I.

An gratia converſionem operans ſit irreſiſtibilis? i. e. *An Deus eo modo & ea poteſtate converſionem hominis operetur, ut homo eam impedire nec velit nec poſſit?* Aff. cont. Pontif. & Arminianos.

Gratia efficax eſt irreſiſtibilis.

Quamvis voces *Reſiſtibilitatis* & *irreſiſtibilitatis* gratiæ minus aptæ ſint ad id quod quæritur explicandum; adverſariis enim reſiſtibile dicitur quod poteſt impediri; cùm tamen

tamen aliud sit resistere, aliud superare, cogimur iis uti ad hominem, ut larvam adversariis detrahamus, qui sub ista vocum novitate virus antiquæ hæreseos propagare conantur.

Non autem quæritur de *resistendi potentia*, vel de *resistentia inchoata* & *incompleta*; an homo possit resistere Deo vocanti, & resistat actu? Hoc enim ultrò largimur, & magno nostro damno nimis experimur. Sed quæritur de *resistentia totali & completa*, seu de *resistentiæ successu*. An scil. homo eatenus resistere possit, vel actu resistat, ut gratiam vincat & superet, & voluntas maneat semper in ancipiti, quod asserunt adversarii, nos negamus. S. Quæst:

Nec quæritur de *gratia externa* & *objectiva*; an homo possit resistere verbo, & aliis mediis externis à spiritu ad ejus conversionem adhibitis. Sed de *gratia interna* & *subjectiva*; An Deo eam ad conversionem adhibenti, homo ita illi reluctari possit, ut eventus quem Deus intendit non sequatur?

Quæstio igitur eò redit: An modus operationis gratiæ efficacis sit semper resistibilis? i. e. an positis omnibus operationibus gratiæ, quibus ad conversionem in nobis efficiendam Deus utitur, maneat tamen ipsa conversio ita in potestate hominis, ut possit eam recipere vel rejicere, atque ita se convertere, vel non convertere? Quod volunt adversarii nos verò negamus; imò pertendimus, gratiam efficacem ita in homine operari, ut, licèt non possit non resistere ab initio, nunquam tamen eatenus resistat, ut eam finaliter superet, & opus conversionis impediat.

ARGUMENTA.

1. Deus in conversione dicitur homines *creare*. Ps. 51. 12. 2. Cor. 5. 17. Eph. 2. 10. *regenerare*. Joh. 3. 5. *Tit.* 3. 5. 1. Pet. 1. 3. *resuscitare*. Eph. 1. 19. 20. *cor lapideum auferre & carneum dare*. Ezech. 36. *trahere*. Joh. 6. 44. Ut ergo creanti, generanti, suscitanti nemo resistere potest, ita nec Deo hominem convertenti. Quò pertinent magnificæ illæ descriptiones. 2. Cor. 4. 5. 6. quum Apostolus dicit: *Deum, qui dixit, ut lux splendesceret e tenebris, splenduisse in cordibus nostris ad dandam nobis cognitionem gloriæ Dei in facie Jesu Christi*. Et Eph. 1. 19. 20. eandem potentiam, quam in

Psal. 51. 12. 2. Cor. 5. 18. Eph. 2. 19. Joh. 3. 5. Tit. 3. 5. Pet. 1. 3. Eph. 1. 19. 20. 2. Cor. 4. 5. 6. Eph. 1. 19. 20.

Christi à mortuis excitatione adhibuit, adhibere asserit in conversione nostra.

2. Deus dicitur nobis *dare cor novum, & auferre lapideum,* Ezech. 36. 26. *& facere ut ambulemus in statutis ejus.* Ezech. 36. 26. ubi emphaticè dicitur: *Dabo*, non offeram tantùm, *Cor*, non tantùm mentem, sed ipsum animæ sacrarium, *cor novum*, non refingam vetus, & immutabo in melius, sed planè novum & aliud dabo; amovebo *cor lapideum*, durum, aridum, & omnis sensûs expers, *indam carneum*, i. e. flexile, molle, obsequens. *Ponam Spiritum meum*, non transire faciam, instar hospitis, sed ut Dominum & Præsidem ponam, & quidem *in medio vestri*, ut principatum in vobis exerceat; *Faciam ut ambuletis in statutis meis*, non hortabor, suadebo tantùm, sed *faciam* ut ambuletis, faciam ut faciatis, &c. Quis verò locus magnificæ isti promissioni esse potest, si Deus leni tantùm suasione, & resistibiliter agit in nobis?

Exc. *Non potest conversionis gratia h. l. describi, quia Deus semper Electis suis, etiam sub V. T. dedit cor novum. At hîc singulare aliquod beneficium promittitur proprium N. T.* R. Licèt fidei & novi cordis datio sit beneficium commune omnibus Electis, privilegium tamen hîc aliquod agnoscendum respectu fidelium N. T. si non quoad rem, saltem quoad modum & gradum rei, quatenus longè illustrius, & longè pluribus cor novum dedit, quàm sub V. T. At, quæ non sunt illustria, eorum in Scriptura interdum ratio non habetur, ac si non essent, ut Spiritus nondum datus dicitur. Joh. 7. 39. quia tam copiosè datus non erat.

3. Deus non tantùm potentiam benè operandi, sed ipsum Phil. 2. 13. actum dat nobis. Phil. 2. 13. *Deus est, qui operatur velle &* Heb. 13. 21. *perficere in nobis.* Heb. 13. 21. *Deus vos perficiat in omni opere bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod est gratum coram se.* At quomodo voluntas potest velle resistere, i. e. nolle admittere gratiam, in qua Deus τὸ velle operatur efficaciter?

4. Si gratia semper operatur resistibiliter in nobis, ita ut positum sit penes liberum hominis arbitrium, vel ea uti, vel illi resistere, sequitur 1. Non Deum per gratiam, sed hominem per liberum arbitrium esse principalem causam fidei & conversionis. 2. Enervatur studium precum, & gratiarum actionum. Ecquid enim peterent à Deo fideles fidei

fidei & conversionis actum, si is non pendet à gratia, sed à libero hominis arbitrio? Et quomodo gratias de eo dono agerent, si hoc voluntati suæ, non Dei virtuti acceptum ferre debent?

OBJECTIONES.

1. *Judæi dicuntur restitisse Spiritui S.* Act. 7. 51. R. Aliud est resistere Spiritui S. externè in verbo imperanti; aliud verò ei resistere in corde operanti; aliud resistere Spiritui convincenti & coërcenti tantùm, aliud illi etiam convertenti & renovanti. Judæi restiterunt Spiritui S. primo, non secundo modo; quod patet tum ex verbis sequentibus; *quem Prophetarum non sunt persecuti, & occiderunt eos, qui ipsis prænunciabant adventum ipsius justi*: tum ex Stephani exemplo, resistebant enim Spiritui S. per Stephanum loquenti. Act. 7. 51.

2. *Oculos habent ad videndum, & tamen non vident.* Ezech. 12. 2. R. Oculi ad videndum non possunt notare conversionis gratiam, seu oculos fidei, quia ibidem additur de *domo Israelis*, quòd sit *domus rebellis*, quæ per consequens oculum fidei non habuit. Sed notant tantùm oculos mentis, seu intelligendi & percipiendi ea quæ proponebantur, facultatem, quâ propriâ malitiâ uti nolebant. Ezech. 12. 2.

3. *Deus serio multos voluit convertere, qui tamen conversi non sunt, ideo Deus conqueritur; se expandisse totâ die manus ad populum perversum.* Jesaj. 65. 2. 3. R. Aliud est Deo monenti & vocanti externè resistere, aliud conversionem intendenti, & efficaciter ac internè vocanti. Prius h. l. asseritur, non posterius; Expansio igitur brachiorum nihil aliud notat, quàm blandam & benevolam Dei invitationem, quâ illos extrinsecus, sive verbo, sive beneficiis alliciebat. Jesaj. 65. 2. 3.

4. *E. Conversio non est actus obedientiæ liber.* R. Neg. Nam efficax illa Dei operatio neque vim ullam homini infert, nec necessitatem brutam & physicam inducit, sed spontaneitatem suam & αὐτεξούσιον illi relinquit.

CONTROVERSIA. III.

An ergo homo in prima regeneratione se habeat merè passivè? Aff. contra omnes Synergistas. Homo in prima regeneratione se habet merè passivè.

Quæstio hæc nobis intercedit cum *Pontificiis*, *Socinianis*,

nis, *Remonstrantibus*, aliisque Pelagianorum & Semipelagianorum traducibus, qui ne liberum hominis arbitrium lædatur, censent id aliquam habere συνεργείαν & concursum cum gratia Dei, unde dicti sunt *Synergistæ*.

Non autem quæritur de *secundo* Conversionis *momento*, in quo certum est hominem non merè passivè se habere, sed Deo cooperari, vel potiùs suboperari; siquidem actu credit & se ad Deum convertit, dum actus agit, & regenitus ac motus à Deo, seipsum movet ad exercitium novæ vitæ. Sed de *primo momento*, quo primùm convertitur & novam vitam per regenerationem accipit, in quo merè passivè se habere ad modum subjecti recipientis, non verò principii agentis contendimus.

Nec etiam quæritur: An homo se convertere possit sine gratia? Pontificii enim agnoscunt necessitatem gratiæ cujusdam prævenientis & excitantis. Sed, an cooperari possit gratiæ illi excitanti? Quod negamus.

ARGUMENTA.

1. *A gravitate corruptionis nostræ.* Naturâ enim sumus peccatores & filii iræ, nihil nisi caro, cujus figmentum malum est à pueritia. Eph. 2. 3. Joh. 3. 6. Gen. 6. 5. Qui nihil possumus ne cogitare quidem boni ex nobis ipsis. 2. Cor. 3. 5. Mortui in peccatis. Eph. 2. 2. Cor lapideum gestantes. Ezech. 36. qui ideo nec cooperari gratiæ, nec ad conversionem disponere nos possumus.

Eph. 2. 3. Joh. 3. 6. Gen. 6. 5. 2. Cor. 3. 5. Eph. 2. 2.

2. *A natura regenerationis*, quæ cùm sit renovatio naturæ, Dei solius, non hominis opus esse debet; quia renovatio illa homini est simpliciter impossibilis. Jer. 13. 23. *An mutare potest æthiops cutem suam, aut pardus liventes maculas suas? etiam vos possitis benefacere, edocti malefacere?* Et ut in generatione naturali liberi ipsi seipsos gignere non possunt, sed merè passive se habent: Ita in generatione supernaturali nemo seipsum regenerare potest, sed solius Dei Patris cœlestis hoc est opus. Unde homini passim adimitur, & Deo tribuitur. Pf. 100. 3. *Deus ipse effecit nos, (non autem nos ipsi) populum suum, & gregem pastûs sui.* Jac. 1. 18. *Is progenuit nos sermone veritatis.* 1. Pet. 1. 3. *Regenuit nos in spem vivam.*

Jer. 13. 23. Pf. 100. 3. Jac. 1. 18. 1. Pet. 1. 3.

3. *Ab infinitate virtutis*, quæ in ea requiritur. Quia est opus omnipotentiæ divinæ; hinc dicitur *Creatio*. 2. Cor. 5. 17. & *Resurrectio*. Col. 2. 11. Quæ nullam συνεργείαν admittere

2. Cor. 5. 17. Col. 2. 11.

mittere possunt, non magis quàm ii, qui creantur & suscitantur, ad sui creationem & resurrectionem cooperari possunt.

4. *Ab absurdo.* Quia hoc posito, gloria conversionis dividitur inter Creaturam & Creatorem, & homo in seipso gloriandi materiam habebit, quòd seipsum discreverit, & aliquid habeat quod non acceperit, contra illud Pauli 1. Cor. 4. 7. *Quis te discernit? quid habes quod non acceperis?* 1. Cor. 4.7. Exc. Apost. non agit de discretione fidelium, sed de discretione Doctorum eminentium, ab iis, qui minùs donorum acceperunt. R. Quod de uno bonorum genere dicitur, idem de omnibus aliis verè dicitur, & argumentandum est à minori: Si homo fidelis nihil potest facere in charismatis vel comparandis vel augendis, de quo gloriari possit, quantò minùs in jaciendo fidei fundamento, quod longè difficilius est?

OBJECTIONES.

1. *E. homo est stipes.* R. Neg. 1. Quia voluntas est subjectum δεκτικὸν gratiæ, quod de trunco dici nequit. 2. Quia Spiritus non cogit voluntatem, sed suavissimè in animam illabitur. 3. Quia voluntas à Deo renovata & acta statim agit, sese ad Deum convertendo & credendo.

2. *Sumus Dei coadjutores.* 1. Cor. 3. 9. R. Apertè agitur de cooperatione hominum cum Deo ad opus ministerii; sed non de cooperatione eorum ad opus conversionis. 1. Cor. 3. 9.

3. *Spiritus tantùm adjuvat infirmitates nostras.* Rom. 8. 26. R. Non agitur de convertendis, sed de conversis & fidelibus, quorum infirmitates Spiritus sublevat, maximè cùm interdum pro ipsis, & eos orare nescientes docet. Rom. 8. 26.

4. *Tollitur diligentia & studium in fide exercenda; usus præceptorum & promissionum; & laus fidei & respiscentiæ.* R. Neg. Nam. 1. diligentia & studium hominis non eò pertinet, ut homo Deo cooperetur, quum primùm convertitur; sed ut excitatus & conversus à Deo agat, & salutem suam perficiat. 2. Quia præcepta & promissiones sunt regulæ officii, non mensura virium, & nulla ex præcepto facultas vel ex officio vires colliguntur, cùm Deus sapientissimè hominem & officii & impotentiæ suæ admoneat per mandata, iisque tanquam mediis utatur ad id quod præcipit efficiendum.

CONTROVERSIA. IV.

Vocatio efficax non est à congruitate.

An gratia conversionis ideo sit efficax, quia Deus eam tali tempore & loco, atque in iis circumstantiis adhibet, in quibus scit hominem suasioni auscultaturum? (quam vocationem congruam vocant) Neg. cont. Pontif. & Remonst.

Circa Doctrinam de vocatione efficaci triplex est Pontificiorum sententia. *Prima* est *Molinæ*, *Lessii*, *Becani*, & plerorumque ex Jesuitis, qui volunt efficacem dici vocationem simpliciter *ab eventu*, quia sc. sortitur effectum, & quidem ideò, quia voluntas humana ei cooperatur; ut ita in hominis potestate sit gratiam ex sufficiente reddere efficacem. *Secunda Bellarmini*, *Suarezy*, & aliorum, qui efficaciam istam deducunt ab ejus *congruitate*; *Tertia* est *Thomistarum* & *Dominicanorum*, qui eam petunt à *physica prædeterminatione*. De secunda opinione, quam supra posita quæstio satis clarè proponit, hîc agimus, & illi opponimus sequentia.

ARGUMENTA.

1. Supponit ista sententia dari posse aptitudinem aliquam in voluntate non renatâ ad conversionem, quod Pelagianum est, & Scripturæ oppositum, quæ absolutam hominis ἀδυναμίαν ad bonum mortis nomine exprimit.

2. Repugnat descriptioni actionis Dei in conversione hominis, quæ non simplici & nuda suasione morali constat, sed virtute omnipotenti & invicta, quæ non minor est ipsâ creatione & resurrectione hominis: quæque ideò non objectivè tantùm, sed & effectivè circa hominem operatur, ut supra visum.

3. Si à congruitate vocationis, & circumstantiarum variarum concursu gratiæ efficacia penderet, illi converterentur, qui aptiores & magis dispositi videntur ad Evangelium recipiendum, & circa quos circumstantiæ plures confluunt. Sed Deus contrà *abscondit mysteria sua sapientibus, & revelat infantibus.* Matth. 11. 25. Gentes vocat alienas à Christo, & Judæos fœderatos, quibus omnia suppetebant media externa ad fidem, rejicit.

Matth. 11. 25.

CON-

CONTROVERSIA. V.

An gratia Dei determinet ipsam voluntatem hominis ad actus suos? Aff. cont. Pontif. & Remonst.

Deus determinat voluntatem hominis.

Gratiæ efficacis modo in homine non se habet ad modum *actus* vel *concursûs* tantùm *simultanei*, sed etiam ad modum *principij*, & *prævij concursûs*, seu *Prædeterminationis*; quod opponitur Pelagianis Veteribus & Novis, qui concursum omnem prævium negantes, tam in gratia quam in natura, pertendunt non aliter concurrere Deum in bono, quam per modum actûs, qui attingat quidem effectum, sed non causam, ut gratia Dei & voluntas hominis concipiendæ sint tanquam duæ causæ sociæ & coordinatæ ad effectûs productionem, ut duo equi eundem trahentes currum. Sed ut necessitatem concursûs prævii seu prædeterminationis in via providentiæ adstruimus; ita eam longè fortiùs retinendam in operibus gratiæ censemus, ob sequentia

ARGUMENTA.

1. Deus pro suo beneplacito dat *ipsum credere & ipsum velle*. Phil. 1. 29. & 2. 13. Et *operatur in ipsis quod bonum est in conspectu suo*. Heb. 13. 21. — Phil. 1. 29. & 2. 13. Heb. 13. 21.

2. *Deus omne beneplacitem bonitatis suæ, & opus fidei complet potenter*. 2. Thess. 1. 11. — 2 Thess 1. 11.

3. Inde fideles orant, ut Deus flectat animos suos. Ps. 119. 36. Ut eos trahat. Cant. 1. 4. — Ps. 119. 36. Cant. 1. 4.

4. Inde fidelibus dicitur dari ut crescant Joh. 15. 16. *Ego constitui vos, ut abeuntes fructum feratis*. Et Deus eos *præparâsse ad bona opera*. Eph. 2. 10. — Joh. 15. 16. Eph. 2. 10.

5. Nisi Deus determinet, incerta esset ejus præscientia, prædestinatio, & omnia.

OBJECTIO.

Tum perit omnis libertas hominis. R. Neg. Nam vocatio nostra est divinæ omnipotentiæ opus, cum amabili & suavissima persuasione conjunctum; unde Scriptura cursum cum tractione conjungit. Cant. 1. 2. trahi dicimur, & ibidem doceri. Joh. 6. 44. constringi, sed charitatis funibus. Hos. 11. 4. 2. Cor. 5. 14. Hinc Augustino passim nomine *victricis delectationis* exprimi solet, quæ cum — Cant. 1. 2. Hos. 11. 4. 2. Cor. 5. 14.

cum summa suavitate etiam summam potentiam conjunctam habent.

Fides quid?

XIX. Fides est virtus spiritualis, quâ homo totum Dei verbum pro vitæ canone, & Christum pro salvatore accipit.

Vocis homonymia

XX. Sumitur autem aliquando pro *fidelitate*, quæ Ciceroni dicitur dictorum & factorum constantia; aliquando pro fide quam adhibemus aliis, per assensum rei factæ vel futuræ, dicentis veracitati innixum. Vel *objective*, pro fide *quæ creditur*, seu Doctrina Evangelii. Ita Paulus dicitur evangelizare fidem, quam antea vastabat. Gal. 1. 23. Vel pro ejus *professione externa*, ita Romanorum fides dicitur annunciata in tota mundo. Rom. 1. 8. Vel *subjective*, & habituaLiter, pro fide *quâ creditur*, quæ iterum à quibusdam distinguitur in fidem, quâ *credimus Deum*, vel quâ *credimus* Deo, vel quâ *credimus in Deum*; ut credere Deum sit credere Deum esse, credere Deo sit fidem adhibere Deo loquenti, & credere in Deum sit fiduciam in eum collocare: Sed discrimen hoc non est perpetuum; nam, licèt credere Deum & in Deum differant, Scriptura tamen non rarò pro uno eodemque sumit credere Deo & in Deum, ut de Abrahamo dicitur, quòd *crediderit Deo*, Rom. 4. 3. ubi agitur de fide justificante.

Gal. 1. 23

Rom. 1. 8.

De Phrasibus credere Deum credere Deo & credere in Deum.

Species fidei.

XXI. Rectiùs fides distinguitur in eam, quæ est nudi assensûs veritati revelatæ & cognitæ, quæ in Diabolos etiam cadit, & fides *historica* dicitur, de qua Jac. 2. 19. Vel in eam, quæ cum assensu habet aliquem gustum & gaudium, sed evanidum bonitatis objecti, quæ *fides* vocatur πρόσκαιρος, de qua Matth. 13. 20. Vel in eam, quæ assensum dicit promissioni alicui singulari de eventu aliquo miraculoso, vel à nobis, vel in nobis & circa nos supra ordinem præstando, quæ vocatur *fides miraculorum*. Matth. 17. 20. Vel denique in eam, quæ fiducialem apprehensionem Christi & beneficiorum ejus importat, quæ *fides justificans* & salvifica dicitur.

Jac. 2. 19.

Matth. 13. 20.

Matth. 17. 20.

XXII. Perperam verò Pontificii pertendunt, species istas varias non diversam, sed unam eandemque fidem constituere; cùm à se invicem sint separabiles; nam in Diabolis & multis infidelibus est fides historica, qui tamen fide temporaria & justificante carent, ut & fide miraculorum, quæ patrare non possunt. In aliis occurrit fides tem-

temporaria, in quibus nec datur justificans, quia radicem non habent. Luc. 8. 13. nec fides miraculorum, ut videtur in Simone Mago. Act. 8. 19. In aliis fides miraculorum est absque justificante, ut in Juda, & in illis, qui ultimo judicio dicent; *Nonne in tuo nomine Dæmones ejecimus?* Matth. 7. 22. In innumeris fidelibus datur fides justificans sine fide miraculorum.

CONTROVERSIA.

An fides temporaria differat tantùm gradu & duratione; an etiam specie à fide justificante? Prius Neg. post. affirm. cont. Rem.

Fides temporaria differt specie à fide justificante.

Remonstrantes, ut Apostasiam Sanctorum evincerent, argumento a Temporariis petito potissimùm utebantur: Cùm verò nostri responderent, non fuisse eos veros fideles, nec fidem eorum salvificam & justicantem, sed totâ specie à fide verorum fidelium differentem, illi contrà discrimen tantùm graduale voluerunt esse, non specificum, ut solâ duratione & perseverantiâ, non verò ipsâ naturâ differrent ab invicem. *Orthodoxi*, licèt in variis similes esse non diffiteantur, specificum tamen & essentiale discrimen inter eas intercedere statuunt.

ARGUMENTA.

1. Quia fides salvifica differt à temporali in *origine* & *fundamento*. Nam illa fluit à gratia speciali Electionis, unde dicitur fides electorum. Tit. 1. 1. Ista verò pendet à gratia communi, quæ etiam reprobis certa beneficia, non modò externa & temporalia, sed etiam spiritualia, & dona initialia, licèt non salutaria largitur, ad alicujus amoris generalis testificationem, & ad reatum eorum augendum, suppositâ eorum contumaciâ. Tit. 1. 1.

2. Respectu *subjecti* recipientis, quod in fide justificante est cor bonum, in temporaria cor petrosum. Matth. 13. 20. 23. Matth. 13. 20. 23.

3. Ratione *principij* interni, & modi radicationis. Nam fidei salvificæ principium est Spiritus regenerationis & adoptionis. Joh. 3. 5. Rom. 8. 15. Sed fidei temporariæ Spiritus illuminationis. Heb. 6. 4. *Modus radicationis* in fide justificante est profundus, consistit enim in profunda, penitissima, vitali, & amica ac efficaci impressione, per quam fidelis radicatus sit in fide. Col. 2. 7. At fides πρόσκαιρος radicem non habet. Matth. 13. 21. i. e. in superficie extima Matth. 13. 21.

extima animæ hæret, sc. in intellectu, non ad cor ipsum penetrat, nec veram fiduciam in Christum habet.

4. Ratione *Effectuum*. Nam fides προσκαιρος manet infrugifera & sterilis. Sed salvifica ferax est & frugifera.

5. Ratione *actuum essentialium fidei*, puta notitiæ, assensûs & fiduciæ. Nam in fide justificante notitia est profunda, viva & practica; sed in temporali tantùm superficialis & theoretica. Assensus in illa est certus & solidus, in quo est πληροφορία. Sed in temporaria debilis & lubricus. Fiducia in fide justificante est vera ac realis; in temporaria verò fucata & levis.

6. Ex *fructibus* fidem consequentibus. Fides salvifica gaudium solidum in corde generat, ex penitissimo gratiæ divinæ sensu, & spe non fallaci futuræ gloriæ, quod tale est, ut à nobis nemo auferre queat. Joh. 16. 22. Sed fides προσκαιρος gaudium quidem aliquod habet. Math. 13. 20. Sed evanidum & fluxum, ortum tantùm vel ex doctrinæ novitate, vel ex ejus suavitate, vel ex utilitate ad commoda vitæ consequenda. Insuper sanctificatio fidem salvificam sequitur necessariò, quia purificat cor. Act. 15. 9. Sed fides temporaria inani confidentiâ hominem decipit, profundo securitatis somno eum obruit, vel excitat tantùm ad externam vitæ mutationem, non verò penetrat ad ipsum cor purificandum.

OBJECTIO.

Heb. 6. 4. 5. 6. *Apostatæ, de quibus Paulus. Heb.* 6. 4. 5. 6. *fuerunt veri fideles, & fides eorum eadem fuit specie cum justificante.* R. Quicquid istis tribuitur, potest in non renatos & reprobos cadere, qui possunt *fieri participes Spiritus S.* Si non quoad dona *fundamentalia* & salutaria conversionis & consolationis, at quoad dona *initialia* illuminationis & convictionis, vel etiam quoad dona *extraordinaria*, miraculosa, & ministerialia: Possunt *illuminari*, & *cognitionem veritatis* habere, si non *practicam* & consolantem, at *theoreticam* & coërcentem. Possunt *gustare bonum Dei verbum*, gustu *extimo & labiali*, sed non *intimo & radicali*. Possunt *gustare Virtutes futuri seculi*, non tam per spem & gaudium, quæ sunt primitiæ gloriæ cœlestis, quàm respectu miraculorum, quæ sæpe nomine virtutum veniunt, quæ in Ecclesia primitiva fieri Heb. 2. 5. solebant, quæ dicitur *seculum futurum*, ut Heb. 2. 5. *mundus futurus*, quia talis erat tempore Patrum Vet. Test. Possunt gusta-

gustare donum cœleste, quoad participationem fidei, si non salvificæ, & veræ in suo genere, & quæ non aliunde quàm cœlitùs potuit haberi.

XXIII. Fidei actus alius est *directus*, alius *reflexus*. Per *illum* homo credit promissionibus Evangelii: Per *istum* verò homo fidem suam intuens scit se credere. Actus directus præcedit, reflexus sequitur, & talis datur inter utrumque subordinatio, ut quemadmodum directus post se trahit reflexum, ita reflexus supponat necessariò primum. v. 9. Non potest quis scire se credere, nisi revera credat, non potest quis Christum pro suo agnoscere, nisi qui credit Christum pro omnibus credentibus & pœnitentibus datum. Actus fidei.

XXIV. Actus autem isti sunt multiplices, quos tamen ad sex possumus referre, ex quibus quinque sunt directi, & unus reflexus. 1. Est *actus notitiæ* rerum omnium à nobis credendarum, sive quæ miseriam nostram spectant; sive Dei gratiam. 2. *Assensus theoreticus*, quo ut vera & divina recipimus quæ cognoscimus. 3. *Assensus fiducialis & practicus*, quo Evangelium non modò verum esse, sed & bonum judicamus, & promissiones gratiæ de remissione peccatorum & salute conferenda omnibus credentibus, & pœnitentibus, atque adeò & mihi, si credidero & pœnitentiam egero, esse certissimas. 4. *Actus refugii*, per quem ad Christum actu desiderii confugimus, in ipso remissionem peccatorum & salutem quærentes. 5. *Actus receptionis* Christi, sive *adhæsionis, & unionis*, per quem non modò quærimus Christum per animæ desiderium, & ad illum confugimus, sed illum oblatum apprehendimus & recipimus, inventum amplectimur, & nobis applicamus, illique adhæremus, & nos unimus. 6. *Actus reflexus*, ex sensu fidei ortus, quo anima, quæ Christum ita recipit, in seipsam reflexa, & actum directum persuasionis, refugii, & receptionis in corde suo videns, concludit se credere, & quia credit, Christum certò pro se mortuum esse, & cum omnibus suis beneficiis ad se pertinere, & se per ipsum certò beatum iri. Unde sequitur 7. *Actus consolationis & confidentiæ*, qui consistit in gaudio illo, tranquillitate, pace, acquiescentia, & delectatione, quæ ex Christi possessione oritur.

XXV. Ex his actibus quidam sedem suam habent in intellectu, quidam in voluntate. In intellectu actus cognitionis, Fides pertinet ad intellectum & voluntatem.

tionis, & assensûs: In voluntate verò refugium, & receptio, seu adhæsio. Mirum autem videri non debet, quòd fides statuatur in duabus animæ facultatibus; nam & liberum arbitrium & imago Dei partim in intellectu, partim in voluntate sedem habet; & fidem non est habitus unus & simplex, sed compositus & per aggregationem, qui proinde varios includit conceptus, sibi subordinatos, qui ad utramque facultatem bene referuntur. Atque hinc patet, perperam Bellarminum, & alios ex Pontif. fidem ita in intellectu collocare, ut negent eam esse in voluntate. Cùm enim constet fidem pro objecto habere non solùm verum, sed etiam bonum, & præcipuè consistat in refugio ad Christum & ejus receptione, quis dubio locus esse posset, quin propriè etiam pertineat ad voluntatem?

Objectum fidei generale & speciale.

XXVI. Objectum fidei vel est *generale* & *commune*, totum Dei verbum, vel *proprium* & *speciale*, doctrina de Christo Jesu, & promissio remissionis peccatorum & salutis in ejus sanguine.

Objectum fidei non potest esse falsum.

XXVII. Quær. An fidei divinæ possit subesse falsum? Resp. Neg. Quia verbum Dei quod est verissimum, solum est objectum fidei, aliâs verbum Dei posset esse falsum, lex obligaret nos ad credendum mendacio, & fides divina esset principium deceptionis, quod implicat.

Jes. 38. 2. 5.

Obj. 1. *Adam integer debuit credere, se propriâ obedientiâ salutem assecuturum? Abramus debuit credere filium suum esse offerendum.* Gen. 22. *Ezechias debuit credere se mox morituram.* Jes. 38. 2. 5. *Ninevitæ debuerunt credere, urbem evertendam.* Jon. 3. 9. *Hoc autem verum non fuisse, eventus docuit.* R. Nullus horum prædictas res absolutè debuit credere, sed conditionatè. Adam non tenebatur credere absolutè vitam æternam sibi obventuram, sed conditionatè, quæ conditio non tam fuit credenda, quàm præstanda. *Abraham* tenebatur credere quod erat verissimum, Deum sibi mandâsse ut filium occideret, & eventum Deo committere: sed non tenebatur credere, fore ut Isaac à se occideretur, in quam forsan opinionem devenit, quia sensum & finem mandati non satis perciebat. *Ezechias* non debuit credere falsum, quum Jesaias illi mortem denunciabat, quia verbum hoc non tam fuit prædictio prophetica rei futuræ absolutè, quàm *comminatio conditionata*, ad humilem ejus deprecationem excitandam. *Et Ninivitæ*

nivitæ tenebantur credere urbem suam evertendam, non absolutè & simpliciter, sed tantùm conditionatè, nisi repiscerent.

Obj. 2. *Tenemur credere Deum velle præceptivè & approbative quod nunquam futurum est propter contumaciam hominis E. tenemur credere falsum.* Resp. Neg. conseq. Quia non tenemur credere hoc futurum reipsa, vel Deum illud decrevisse, sed tantùm Deum velle hoc præcipere homini, & hoc esse officium ejus, quod est verissimum.

Obj. 3. *Deus dicitur decepisse populum.* Jer. 4. 10. R. Non effectivè, sed permissivè, sinendo eos seduci per falsos Prophetas, vel judicialiter, eos tradendo spiritui erroris: Possunt etiam verba intelligi interrogativè q. d. Tu ne decepisti pòpulum? Tune populum lactas vana spe pacis? &c. Jer. 4. 10.

XXVIII. Ad quæstionem: An fides præcédat pœnitentiam? Resp. 1 Fides quâ credimus Deum esse. 2. Virtutem esse colendam. 3. Nos peccatores. 4. Mortem æternam meritos; præcedit pœnitentiam. Sed fides, quâ Christum mediatorem recipimus, pœnitentiam sequitur. Act. 2. 37. An fides præcedat pœnitentiam.

CONTROVERSIA.

An Christus sit tantùm objectum secundarium fidei? Neg. cont. Socin. Christus non tantùm est objectum secundarium fidei.

Sociniani, ut divinitatem Christi evertant, distinguunt objectum fidei in *primarium & secundarium.* Patrem dicunt esse objectum primarium, filium verò secundarium, in quo fides non terminetur, sed per ipsum dirigatur in Deum. *Orthodoxi* dicunt, unam esse fidem, quâ in Deum Patrem & filium creditur, unam fiduciam quæ in utroque collocatur.

ARGUMENTA.

1. Quia Christus est verus & æternus cum Patre Deus, ut suo loco probatum.

2. Quia æqualitas honoris & cultûs illi cum Patre tribuitur. Joh. 5. 23. *Omnes honorare debent filium, sicut Patrem.* Sic Joh. 14. 1. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Joh. 5. 23. Joh. 14. 1.

3. Quia fides in merum hominem, qualem *Sociniani* Christum fingunt, sine sacrilegio poni non potest. Nam *maledictus qui fiduciam habet in homine.* Jer. 17. 5.

OB-

OBJECTIONES.

Joh. 12. 44. 1. *Christus ait: Ioh.* 12. *v.* 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* R. Christus h. l. se non excludit ab objecto fidei primario, sed vel loquitur ex hypothesi, nempe ex falsa opinione Judæorum, qui ipsum nudum hominem esse, & absque mandato Dei docere credebant, ut: Joh. 7. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Vel non absolutè intelligendus est locus, sed comparatè, i. e. non tam, vel tantùm in me, ut Marc. 9. 37. *Qui me excipit, non excipit me, sed eum qui misit me.*

1. Pet. 1. 21. 2. 1. *Pet.* 1. 21. *Fideles per Christum credunt in Deum.* R. Christus h. l. non removetur ab ejusdem objecti ambitu, sed ordo notatur, quo fides ascendit ad Deum non immediatè, sed mediate, per Christum mediatorem: sed ordo iste non derogat æqualitati Personarum.

Phil. 2. 8. 9. 10. 11. 3. *Honor & gloria dicitur tributa Christo exaltato à Patre Phil.* 2. 9. 10. 11. R. Non quasi eâ caruerit antea, sed quatenus in carne & cum ea declaratus est & agnitus filius Dei, qui antea latebat sub velo carnis tanquam merus homo.

CONTROVERSIA II.

Charitas non est forma fidei. *An charitas sit forma fidei, seu, an fides consistat in obediendis præceptis Dei?* Neg. c. Pont. & Socin.

Distinctio fidei in formatam & informem rejicitur. *Pontificii*, ut fidem in se consideratam non justificare obtineant, sed totam vim justificandi à charitate mutuari, fidem distinxerunt in *formatam & informem. Informis* dicitur illis, quæ à charitate sejuncta est, *formata* verò, quæ à charitate tanquam forma perficitur. Illi quidem inesse volunt quicquid creditu necessarium est, sed charitatem debere illi adesse, & cum illa concurrere ad nostri justificationem coram Deo. Quia verò videbant opponi posse, fidem habere suam internam formam, per quam constituatur & ab aliis distinguatur, ideòque à charitate quæ sit distincta virtus ab ipsa, non posse formari. Respondent, charitatem non esse formam essentialem fidei; sed metaphoricè dici posse formam ob analogiam ad formam propriè dictam, quæ suo modo subjectum perficiat. Vel, ut *Durandus* exponit; charitatem non esse formam fidei secundùm *esse naturæ*, imò posse à fide separari. Sed quoad esse

esse *meritorium*, quatenus meretur vitam æternam, quia actus fidei non est meritorius, nisi quatenus imperatur à charitate, sine qua non habet rationem meriti, & per quam homo est gratus Deo.

Sed hæc opinio duplici falsissimo nititur fundamento: Primum est, dari aliquam veram fidem informem: Cùm enim forma det esse rei, fidem dari informen est ἀσύστατον. Alterum est de merito Fidei & operum, ut suo loco demonstrabitur: Ideò tanquam falsa & absurda merito rejicitur.

Sociniani, (ut faciliùs evertant fiduciale apprehensionem Satisfactionis Christi, in qua fidei Essentiam constituunt Orthodoxi,) & ita justitiam operum retineant, nihil aliud esse volunt fidem, quàm obedientiam mandatorum Dei, ita, ut bona opera non tam sint fructus fidei, quàm ejus forma.

Sed contrà fides non potest esse obedientia mandatorum; quia sic confunduntur duæ virtutes, quæ inter se sunt distinctæ, fides & charitas. 1. Cor. 13. 13. Illa versatur circa promissiones Evangelii; ista circa præcepta legis, quæ ideo dicitur finis seu *impletio Legis*. Rom. 13. 10. Illa est causa, ista effectus; *nam finis mandati est charitas ex mundo corde & fide minime simulata*. 1. Tim. 1. 5. Illa est instrumentum justificationis, opponuntur fides & opera, ut oppositа & contraria. Rom. 3. 28. 1. Cor. 13. 13.

OBJECTIONES.

1. *Gal. 5. 6. Fides dicitur per charitatem efficax.* R. Hoc non *passivè* est intelligendum, quasi fides universam suam efficaciam mutuetur à charitate; sed *activè* quia fides post se trahit charitatem, & in qua producenda sese manifestat. Atque ita Paulus vult probare, non quamvis fidem in Christo valere, sed solam veram & vivam, quæ actuosa est per charitatem & bona opera. Gal. 5. 6.

2. *Fides sine operibus est mortua.* Jac. 2. 26. R. Non quasi opera redderent fidem vivam, sed quia opera vivam demonstrant. Ut corpus dicitur mortuum sine spiritu, i. e. cognoscitur mortuum ex defectu respirationis & habitus, hic enim πνεῦμα pro πνοὴ seu respiratione usurpatur. Jac. 2. 26.

3. *Præceptum Dei est, ut credamus in filium.* 1. *Joh.* 3. 33. E. *Fides est obedientia mandatorum.* R. Est obedientia divini 1. Joh. 3. 23.

vini mandari, sed non sensu adversariorum, qui mandata hic inteligunt præcepta Legis, quæ nobis implenda sunt bonis operibus, non mandatum Evangelii, quod præscribit nobis fidem in promissionibus gratiæ.

Joh. 6. 29. 4. *Fides dicitur opus Dei. Ioh.* 6. 29. R. Hoc fit potiùs μιμησικῶς, ratione habitâ ad petitionem turbarum, quæ rogaverant, quid sibi faciendum esset, ut operarentur opera Dei, quia fides dare ipsis poterat, quod frustra quærebant in operibus legis; ut alibi Evangelium nomine Legis donatur, & opera charitatis & beneficentiæ jejunium vocantur. Jesai. 56. 6. 7. quia præstant reipsa quod frustra quærebant Judæi in jejuniis suis hypotriticis.

CONTROVERSA. III.

Fides includit notitiam. *An ad fidem etiam requiratur notitia seu cognitio rei creditæ?* Aff. cont. Pont.

Pontificii, ut faciliùs populum per cœcam obedientiam sibi subjiciant, multa dicunt se fide *implicita*, quam dicunt Laicis sufficere, si nempe credant ea quæ Ecclesia credit, licèt nesciant quid credat Ecclesia, nec quid debeat credere, nec cui Ecclesiæ credendum sit.

Nos non negamus fidem certo respectu *implicitam* posse dici, tum in pueris & rudibus, qui obscuram tantùm habent notitiam, tum in provectioribus, in quibus lux semper est mixta tenebris, qui sæpe τὸ ὅτι solùm assequi possunt, sed ad τὸ διότι non assurgunt. Sic fides Patrum V. T. potuit dici obscura & implicita respectu nostræ, propter obscuritatem revelationis. Sed quæritur: An fides in conceptu suo includat notitiam, si non plenam, at veram & certam in suo ordine? an verò melius definiatur per ignorantiam, quam per notitiam, ut Bellarminus loquitur?

Nos etiam fidem in conceptu suo notitiam includere statuimus, non quòd fides sit absolutè idem cum notitia, vel quòd credere idem sit ac intelligere, ut Bellarm. perperam sententiam nostram proponit; sed quod, cùm genus omnium habituum sit notitia, fides autem ipso fatente sit habitus intellectûs, fides etiam necessariò notitiam debeat complecti, ut sit vera.

ARGUMENTA.

Joh. 17. 3. Jes. 53. 11. 1. Quia fides per notitiam definitur: *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant.* Joh. 17. 3. Sic Jesai. 53. 11. *Servus meus justus*

justus justificabit multos cognitione sui, i. e. fide, quæ solâ nos justificar. Unde alibi ejus actus per intellectionem describitur. Heb. 11. 3. *Fide intelligimus secula esse aptata verbo Dei.* Et Joh. 6. 69. *Credimus & agnovimus te esse Christum filium Dei viventis*; ubi notitia additur fidei ad ejus exegesin, ut innuatur in eo positam esse. Alibi fides exprimitur per πληροφορίαν πιστέως certitudinem intelligentiæ. Col. 2. 2. per ἐπίγνωσιν ἀληθείας. 2. Tim. 3. 7. Heb. 11. 3. Joh. 6. 69. Col. 2. 2. Rom. 10. 17.

2. Fides est ex auditu. Rom. 10. 17. E. ubi est fides, ibi est notitia, quia verbum non potest credi nec recipi, nisi cognoscatur.

3. Confessionem fidei edere, & rationem ejus reddere jubemur. Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam, & ore fit confessio ad salutem.* Et 1. Pet. 3. 15. *Estote parati ad rationem reddendam spei, quæ est in vobis, cuilibet petenti.* E. notitia in fide necessaria est: Quis enim dixerit confessionem edi, & rationem reddi posse rerum ignotarum? Rom. 10. 10. 1. Pet. 3. 15.

4. Quia ignorantia arguitur ut erroris mater, & exitii causa: *Populus meus perit, quia est sine scientia.* Hos. 4. 6. Et Jesai. 1. 3. *Populus meus non intelligit.* Ps. 32. 9. *Ne sitis sicut mulus & equus, in quibus non est intellectus.* Matth. 22. 29. reprehenduntur Sadducæi, quòd *errent, nescientes Scripturas.* Hos. 4. 6. Jes. 1. 3. Psal. 32. 9. Matth. 22. 29.

OBJECTIONES.

1. *Notitia distinguitur à fide*; 1. Cor. 13. 2. *Si habeam Prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque cognitionem, & si habeam totam fidem*, &c. R. Hoc loco non distinguitur fides justificans & notitia, sed fides miraculorum & donum interpretandi Scripturas, quod liquet ex addita exegesi, *adeò ut montes loco dimoverem*, i. e. res planè miras & stupendas efficerem, proverbiali locutione, ex Matth. 17. 20. 1. Cor. 13. 2.

2. *Debemus captivare intellectum in obedientiam Christi.* 2. Cor. 10. 5. R. Hoc non est ignorare Christum, aut ejus doctrinam, vel nihil de ea intelligere: sed est Christo & ejus doctrinæ agnitæ fidem habere, & illi se subjicere, licèt rationi & sapientiæ mundanæ absurda videatur. 2. Cor. 10. 5.

3. *Fides dicitur habitus inevidens.* R. Non ad negationem omnis notitiæ, sed ad remotionem notitiæ quæ fit per ratiocinationem philosophicam, cùm nitatur testimonio & authoritate loquentis: Excludit notitiam luminis naturalis,

turalis, non supernaturalis revelationis: Excludit scientiam philosophicè dictam, quæ opponitur opinioni, sed non populariter, ut opponitur ignorantiæ.

An fiducia sit forma fidei?

XXIX. Quær. An fiducia sit forma fidei; an verò ejus effectus? Resp. Fiducia sumitur. 1. pro *fiduciali assensu*, seu *persuasione* de veritate & bonitate promissionum Evangelicarum, & de potentia, voluntate ac fidelitate Dei promittentis. 2. Pro *actu refugii* & *receptionis* Christi, quâ fidelis cognitâ veritate & bonitate promissionum, ad Christum confugit, illum recipit & amplectitur, & in illius meritum unicè recumbit. 3. Pro *confidentia* seu *acquiescentia & tranquillitate animi*, quæ oritur ex refugio animæ ad Christum, & ejus receptione. Primo & secundo significatu fiducia est de essentia fidei, & bene à Theologis dicitur ejus forma. Sed tertio rectè ab aliis non forma, sed effectus fidei dicitur, quia nascitur ex ea, non verò eam constituit.

CONTROVERSIA.

Ad fidem requiritur fiducia specialis in Christo.

An ad fidem quoque requiratur fiducia, seu firma animi persuasio, promissiones Evangelii ad nos in Christo pertinere? Affirm. cont. Pontif.

Pontificii negant fiduciam ad fidem pertinere, quæ assensum tantùm rei ignotæ importet: *Nos* statuimus: Proprium & specificum objectum fidei esse promissionem specialem misericordiæ Dei in Christo.

ARGUMENTA.

Matth. 9. 2. Heb. 10. 22.

1. Mandatur hoc in fide. Inde Christus dicit paralytico. Matth. 9. 2. *Confide fili, remissa sunt tibi peccata.* Heb. 10. 22. *accedamus cum fiducia.*

Rom. 8. 38.

2. Laudatur, atque exemplis commendatur. Rom. 8. 38. *Mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque angelos, &c. nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* 2. Cor. 5. 1. *Scimus nos si terrestris hujus domûs tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, &c.* Gal. 2. 20. *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* 2. Tim. 4. 8. *Reposita est mihi justitiæ corona,* &c. 1. Joh. 3. 2. *Nunc filii Dei sumus, &c. similes ei erimus, &c.*

2. Cor. 5. 1. Gal. 2. 20. 2. Tim. 4. 8. 1. Joh. 3. 2. Matth. 14. 31.

3. Inde diffidentia reprehenditur. Matth. 14. 31. Christus

ſtus diſcipulos objurgat: *Exiguâ fide prædîti, quid dubitaſtis?* Jac. 1. 6. *Cui deeſt ſapientia, poſtulet cum fide, nihil ambigens, nam qui ambigit, ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitatur & jactatur.* Jac. 1.6.

4. Alioqui fides non poſſet operari pacem & gaudium contra Rom. 5. 1. *Juſtificati ex fide pacem habemus cum Deo* &c. 1 Pet. 1. 8. *Credentes exultatis gaudio ineffabili.* Rom. 5. 1. 1. Pet. 1. 8.

5. Fides juſtificans ſine ſpeciali miſericordia non differret à fide Dæmonum & reproborum, quibus notitia & aſſenſus competere poſſunt, ſed non fiducia in promiſſionibus divinis.

OBJECTIONES.

1. *Promiſſio ſpecialis, me, te, &c. ſalvatum iri, non continetur in Dei verbo.* R. Non continetur quidem expreſsè & explicitè, ſed implicitè, & per neceſſariam conſequentiam; nam qui dicit, quiſquis credit ſervabitur, dicit etiam Petrum & Johannem credentem ſervatum iri. Ut in Lege ſub præceptis generalibus ſpecialia continentur, & quod in genere omnibus interdicitur, etiam in ſpecie ſingulis applicari debet.

2. *Fiducia eſt effectum fidei, nam, per fidem habemus acceſſum ad ipſum cum fiducia. Eph.* 3. 12. R. πεποίθησις hîc fiduciam notat, quatenus eſt conſcientiæ tranquillitas, ſeu confidentia in eo, in quem collocata eſt fides. Senſus eſt, fideles in Chriſto, i. e. Chriſto inſitos per fidem habere παῤῥησίαν, i. e. tum audaciam prædicandi Evangelium intrepidè, tum ſecuritatem ſpiritualem, quâ liberè audent Deum ut Patrem invocare. Quo verò ſenſu talis fiducia effectum fidei dici poſſit, ſupra diximus. Eph. 3. 12.

3. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperatarum & demonſtratio earum quæ non videntur. Heb.* 11. 1. *unde inter actus fidei refertur notitia Creationis.* v. 3. R. Dicitur ita, non tantùm quia facit bona futura ſubſiſtere ſpeculativè in intellectu, per aſſenſum, ſed præcipuè practicè in corde, per fiduciam & ſpem; Non E. hîc agitur de demonſtratione merè Logica, & theoretica, quæ ſcientiam gignit, ſed de practica & fiduciali, quæ aditum ad Deum parat. Rom. 5. 2. Nec ſi inter actus fidei refertur notitia creationis, ſequitur excludi fiduciam, quin unius poſitio non eſt excluſio alterius. Quod facilè ex exemplis ab Apoſtolo allatis fidei Patrum, colli- Heb. 11. 1 v. 3.

gitur, quæ non tantùm sunt speculativa mentis, sed & fiducialia cordis.

4. *Fiducia à Scholasticis dicitur spes roborata.* R. Alia est *fiducia spei*, alia *fiducia fidei*, quæ in variis differunt: *Illa* est tantum futuri boni; *ista* verò præsentis, vel quasi præsentis, ut & præteriti. *Illa* pro objecto magis habet rem verbi, i.e. bona promissa: *Ista* verò potius verbum rei, seu promissiones ipsius. Ita tamen differunt, ut una ab altera pendeat, nec ab invicem separari possint.

5. *Circulum committitis; nam secundùm vos fides justificans, quâ obtinemus remissionem peccatorum, in eo consistit, ut credamus, peccata nobis jam esse remissa.* R. Actus fiducialis duplex est, alter qui præcedit justificationem ut ejus causa, alter, qui eam sequitur ut ejus effectus. Ille, qui consistit in persuasione de satisfactione plenissima Christi pro peccatis omnium credentium præstitâ, & in refugio ad ipsum, ac respicit remissionem merito Christi jam impetratam, sed reipsa mihi credenti applicandam. Iste qui consistit in actu reflexo fidei, & in justificationis sensu, respicit remissionem, ut jam mihi applicatam. Per illum credo peccata mea mihi remissum iri de futuro, vel de præsenti hîc & nunc remitti. Per istum verò peccata mihi in præterito jam remissa esse. Unde ad obtinendam remissionem peccatorum, non debeo credere peccata mihi jam remissa, ut perperam nobis impingunt adversarii. Sed debeo credere, peccata mihi credenti & pœnitenti juxta promissionem factam credentibus & pœnitentibus, remissum iri certissimè, quæ postea actu secundario & reflexo ex sensu fidei credo mihi esse remissa.

CONTROVERSIA. V.

An vera fides possit esse sine charitate, & bonis operibus? Neg. cont. Pontif.

Fides à charitate est inseparabilis.

ARGUMENTA.

Charitas est proprium & immediatum fidei effectum, quod à causa sua separari nequit. Unde dicitur *efficax per charitatem.* Gal. 5. 9. & *sine operibus mortua.* Jac. 2. 21. Hinc Johannes cognitionem Dei sine ejus cultu falsam esse & mendacem asserit. Epist. 1. c. 2. v. 4. *Qui dicit, novi eum, & mandata ejus non observat, mendax est, & veritas non est in eo.*

Gal. 5. 9. Jac. 2. 21. 1. Joh. 2. 4.

to. Et cap. 3. 23. mandatum Evangelicum ad fidem & charitatem refert, tanquam duos characteres fidelium ab invicem inseparabiles. 1. Joh. 3. 23.

OBJECTIONES.

1. 1. *Cor.* 13. 2. *Si fidem habeam, & charitatem non habeam.* R. Agitur de fide miraculorum; nec obstat, quòd v. 13. agitur de fide salvifica, quia non est conclusio oriens à præcedentibus, sed novum argumentum, idque posterum à comparatis, nim. à fidei cessatione, & duratione charitatis. 1. Cor. 13. 2.

2. *Joh.* 12. *v.* 42. 43. *Crediderunt in Christum, sed magis dilexerunt gloriam hominum quàm Dei.* R. Illa tantùm erat fides historica, qua credebant Christum esse promissum Messiam. Joh. 12. 42. 43.

3. *Iac.* 2. 14. *Si dicit quòd fidem habet, & opera non habet.* R. Aliud est fidem reipsa habere, aliud dicere se eam habere, quod faciunt hypocritæ, inani fidei professione se jactando. Jac. 2. 14.

4. *Fides in cælo debet cessare, manente charitate.* 1. Cor. 13. 8. R. Hoc intelligendum formaliter, quoad modum cognitionis, qui cessabit, non materialiter, quoad substantiam notitiæ, quæ eadem futura est, quia cognitio, quæ hic inchoatur per auditum verbi, in lumine gratiæ consummabitur per aspectum in lumine gloriæ. 1. Cor. 13. 8.

CONTROVERSIA. VI.

An fidelis suæ fidei, resipiscentiæ, remissionis peccatorum, & salutis certus esse possit? Electus fidei suæ potest esse certus.

Aff. cont. Pontif.

Concil. Trident. Sess. 6. cap. 9. & Can. 13. & 14. negat quemquam scire posse certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Negat oportere eos qui verè justificati sunt, absque ulla omninò dubitatione apud se statuere, se esse justificatos.

Licet verò de sententia Decreti Synodici disceptent adversarii, aliis pro certitudine pugnantibus, ut *Catharinus* & *Marinarus*, aliis opinionem de certitudine gratiæ arrogantiæ intolerabilis arguentibus, ut factum à *Soto* & *Vega*; Communior tamen inter Pontificios sententia est de incertitudine, præcipuè inter Iesuitas; unde concludunt certitudi-

titudinem justificationis tantùm esse conjecturalem, opinabilem, fallacem, h. e. revera nullam. Cui doctrinæ totam negotiationem nundinationis Pontificiæ superstruunt: stabilitâ enim semel salutis fiduciâ conciderent regni Pontificii vestigalia, vota, Peregrinationes, fraternitates, opera supererogatoria, purgatorium, indulgentiarum merces, nundinationes missarum, &c. Nam qui certus esset de salute sua, neque ad patrocinia Sanctorum, neque ad merita martyrum, neque ad Sacerdotis absolutionem confugeret, quæ est Romanæ tyrannidis carnificina.

Arminiani, timentes ne certitudo talis sit loco pulvinaris securitatis, dicunt: Laudabile & utile esse, dubitare, an ii semper futuri simus, qui nunc sumus, & certitudinem tantum conditionalem statuunt, quâ fideles sciunt se, si quidem in fide perseverent, permansuros in Dei gratia.

Nos rejicimus moralem illam, conjecturalem, & extraordinariè paucis revelatam certitudinem, quam adversarii admittunt; Et statuimus certitudinem divinam & infallibilem, quæ ordinariè sit vel esse possit in quolibet fideli, non ex propria dispositione, vel lumine naturali, sed ex gratia spiritûs per fidei ἐνέργειαν, quæ externis verbi promissis, & Spiritûs S. interno nixa testimonio, in omnibus plus minusve, sed quantum ad verum sufficit solatium, se exerat.

ARGUMENTA.

1. Consule quæ dicta sunt supra, Loc. VI. controv. V.

2. Fides vocatur ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, & ἔλεγχος τῶν βλεπομένων, Heb. 11. 1. E. Homo per fidem invisibilia & futura sibi præsentia statuit: quomodo vero vel ὑπόστασις ἔλεγχος dici posset, si in perpetua dubitatione & ἐποχῇ fideles fluctuare deberent? Heb. 11. 1.

3. Nisi fidelis posset fidem suam cognoscere, frustra examen fidei suæ illi præscriberetur, ut fieri soler. 2. Cor. 13. 5. *Tentate vos ipsos, an sitis in fide.* 2. Cor. 13. 5.

4. Ex fructibus Spiritûs & fidei. Quia *justificati fide pacem habent apud Deum.* Rom. 5. 1. Et *fructus spiritûs est gaudium & pax.* Gal. 5. 22. Petrus dicit. Epist. 1. cap. 1. v. 8. *fideles exultare lætitiâ ineffabili & gloriosâ*, quam Paulus dicit *superare omnem cognitionem.* Phil. 4. Jam quæ pax, quod gaudium concipi potest in iis, qui nesciunt an Deum habeant iratum judicem, an verò misericordem Patrem? Rom. 5. 1.

5 Ab

5. Ab absurdis. Nam doctrina de diffidentia & incertitudine Deum arguit mendacii; nam, qui non credit Deo, mendacem ipsum facit. Joh. 5. 10. abjicit testimonium Spiritûs S. pugnat cum pace conscientiæ, & gaudio Spiritûs, impedit veram invocationem, quæ debet esse cum fide, & ad desperationem ducit. Nam qui nunquam certus est de gratia Dei, non habet exortâ tentatione ubi pedem figat, & quo confugiat, ut sauciatam liget, vel languentem & dejectam erigat conscientiam. Cujus documentum luculentum exhibent miseræ illæ conscientiæ, sub tyrannide Pontificia gementes, cùm ad mortis fauces deventum est.

OBJECTIONES.

1. *Nemo potest dicere mundum est cor meum. Prov.* 20. 9. R. Alia est certitudo perfectæ justitiæ inhærentis, alia certitudo fidei & gratiæ, seu reconciliationis cum Deo per Christum, & remissionis peccatorum: Aliud propriâ justitiâ intumescere; aliud gratuitæ reconciliationis conscientiâ erigi. De priori loquitur locus, non de posteriori. Prov. 20. 9.

2. *Aliquando dubitanter promittitur gratia. E. g. Ioël.* 2. 12. 14. *Convertimini ad me in toto corde vestro, quis scit si convertatur & ignoscat Deus? Dan.* 4. 27. *Forsan ignoscet Deus delictis tuis. Ion.* 3. 10. *Quis scit si convertatur & ignoscat Deus? Act.* 8. 22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia, & roga Deum, si fortè tibi remittat.* R. 1. Loca non agunt propriè de peccati remissione quoad pœnam æternam, sed de pœnæ temporalis plenariâ relaxatione, quæ non semper conceditur etiam resipiscentibus. 2. εἰ ἄρα. sæpe sumitur pro ἵνα, ut Phil. 3. 10. 11. εἴπως καταντήσω, *si forte perveniam ad resurrectionem*, i. e. ut perveniam. Joel. 2. 12. 14. Dan. 4. 27. Jon. 3. 10. Act. 8. 22. Phil. 3. 10. 11.

3. *Quod tenemur credere fide divina, debet credi semper ut indubitatum; At fideles sæpe dubitant.* R. Verum hoc est de veritatibus immediatè revelatis, quales sunt articuli fidei, de quorum veritate non possumus dubitare sub quocunque prætextu. Sed non eadem est ratio certitudinis remissionis peccatorum, quæ non immediatè revelatur in verbo, sed oritur ex experientia & sensu interno cordis, qui à nobis pendet, & qui sæpe potest esse dubius & incertus.

XXX. Quær. An infantes habeant fidem? Resp. Peccatur h. l. *in Defectu ab Anabaptistis*, qui omnem fidem infantibus denegant, & sub hoc prætextu eos à Baptismo excludunt An infantes habeant fidem

cludunt; *In Excessu* à Lutheranis, qui, ut se opponerent Anabaptistis, in aliud extremum sunt delapsi, statuentes infantes in Baptismo regenerari, & fide actuali donari. *Orthodoxi* medium tenent, ut ex sequentibus patebit.

In infantes non cadit fides actualis.

XXXI. In infantes non cadit fides actualis. Nam. 1. Non sunt capaces actuum fidei, nec notitiæ, quia non datur sine actione intellectûs; unde dicuntur non cognoscere bonum aut malum, nec discernere posse inter dextram & sinistram. Deut. 1. 39. Jesai. 7. 16. Jon. 4. 11. Nec assensûs, qui debet ferri in objectum cognitum; nec fiduciæ, quæ versatur in speciali applicatione promissionis gratiæ. 2. Non sunt capaces auditionis verbi, ex quo fides concipitur; fides enim est ex auditu. Rom. 10. 17.

Matth. 18, 6.

Obj. 1. *Parvuli dicuntur credere in Christum. Matth.* 18. 6. R. Per parvulos non intelliguntur infantes tenellæ ætatis, sed pueri, qui aliquem jam rationis usum habent; quia de iis agitur, qui possunt vocari & scandalizari, quod in infantes non cadit. Nec obstat vel nomen παιδίων, quod generale est, non minùs adultioris ætatis pueros, quàm infantes significans. Vel vox βρέφος, quæ habetur Luc. 18. 15, quia etiam potest ad ætatem institutionis capacem extendi, ut Timotheus dicitur ἀπὸ βρέφους didicisse sacras literas. 2. Tim. 3. 15. Per παιδία possunt intelligi adulti, qui humilitate, innocentiâ & modestiâ pares sunt infantibus.

Heb. 11. 6.

Obj. 2. *Sine fide impossibile est Deo placere. Heb.* 11. 6. R. Apost. loquitur de adultis, quorum exempla varia commemorat: Infantium alia est ratio, qui placent Deo propter satisfactionem Christi ipsis imputatam, etiamsi eam nec apprehendant ipsi, nec apprehendere possint per ætatis defectum.

Ps. 8, 3.

Obj. 3. *Infantes laudant Deum. Psal.* 8. 3. R. Non subjectivè & formaliter, ex notitia & affectu; sed objectivè & materialiter, quatenus Deus in eorum cura & conservatione gloriam suam mirifice ostendit.

Infantes habent fidem seminalem.

XXXII. Licèt in infantes non cadat fides actualis; non potest ipsis denegari semen seu radix fidei i. e. principia regenerationis, & sanctæ inclinationes, quæ à Spiritu S. ipsis à teneris modo nobis ineffabili ingenerentur, & suo tempore exeant in actum accedente foris institutione humana, & intus majore efficaciâ Spiritûs S. Nam. 1. Promissio fœderis etiam liberis est facta. Act. 2. 39. E. & beneficia

neficia fœderis, remissio peccatorum & sanctificatio. 2. Ad infantes pertinet regnum cœlorum. Matth. 19. 14. E. & regeneratio, sine qua non datur ad illud introitus. Joh. 3. 3. 5. 3. Exempla dantur variorum infantium, qui sanctificati fuerunt ab utero, ut constat ex Jeremia, qui sanctificatus dicitur ab utero. Jer. 1. 5. Et Johanne, qui exiliit in utero materno. Luc. 1. 15. 80. 4. Ut ante rationis usum homines rationales bene dicuntur, quia habent principium rationis in anima rationali: Ita nihil obstat fideles dici ante fidem actualem, quia semen quod datur ipsis, est principium fidei, ex quo rectè denominantur, quomodo peccatores rectè dicuntur, licèt peccati actus nondum exerere possint.

Jer. 1. 5.
Luc. 1. 15. 16.

CONTROVERSIA VII.

An fides sit habitus permanens, non tantùm actus? Aff. cont. Remonst.

Fides est habitus.

ARGUMENTA.

1. Donatur per Spiritum; est donum Dei. E. est habitus. Eph. 2. 8.
2. Fides manet in homine: Per fidem homo manet in Christo. Joh. 15. 4. Hoc autem proprium est habitûs.
3. Est principium operationis. Est enim per charitatem efficax. Gal. 5. 6. At hoc mero actu non competit.
3. Est virtus, quæ conjungitur cum charitate, lenitate, &c. 1. Cor. 13. 13. 1. Tim. 6. 11. omnis autem virtus est habitus.
5. Cæteroquin homo dormiens non haberet fidem.

Eph. 2. 8.
Gal. 5. 6.
1. Cor. 13. 13.
1. Tim. 6. 11.

CONTROVERSIA. VIII.

An ergo dentur habitus infusi, & fides sit talis habitus? Affir. c. eosdem.

ARGUMENTA.

1. Charitas est habitus infusus. E. etiam fides. Rom. 5. vers. 5.
2. Fides per spiritum immanentem in nobis datur, est ergo habitus infusus. 2. Cor. 4. 13.
3. Alioqui non posset dici donum Dei, & Spiritûs S.

Rom. 5. 5.

4. Radix permanens ab actu transeunte nec semper præsente distinguendus, uti in scientia, amore, & virtutibus omnibus constat.

OBJECTIONES.

1. *Fides mandatur: Nullus autem habitus infusus mandari potest.* R. Lex omnem Sanctitatem mandans, mandat etiam ut habeamus fidem, & habitualem, & actualem.

2. *Non magis posset intendi, quàm vita.* R. 1. Etiam vita potest intendi, homo homine est vivacior. 2. Vita proprie non est habitus infusus, sed omnium habituum subjectum.

CONTROVERSIA. IX.

Fides in Decalogo præscribitur.

An fides in Decalogo præscribatur?

Aff. cont. eosdem.

Mens & sensus Arminianorum patet ex Apolog. c. 7. ubi quæstionem de fide in Jesum Christum, an & quomodo ea sub V. T. locum habuerit, vocant inconcinnam, ambiguam & inutilem, & certum esse, locum nullum esse unde appareat fidem istam sub V. T. præceptam fuisse, aut viguisse. Nos, licet concedamus fidem in Christum, quæ in Evangelio præscribitur, posse dici novam ratione objecti, quod à solo Evangelio revelatur, dicimus tamen, pertinere ad Legem, ratione actûs & obligationis, quia tenemur credere Deo & omni ejus verbo.

ARGUMENTA.

1. Decalogus mandat homini ut Deum habeat pro Deo suo. E. etiam ut illi fidem habeat.

2. Alioqui non peccâssent Judæi, quòd Deo non credidissent.

3. Adamo mandatum est, ut Deo fidem habeat; hoc autem Decalogo repetitum. Gen. 2. 17.

4. Lex jubet omnia bene facere. E. etiam in fide: Nam, quicquid non fit ex fide, peccatum est. Rom. 14. 23.

OBJECTIO.

Actus intellectus non subjacet legi divinæ. R. Neg. Mandatur enim cognitio Dei.

LOCUS XIV.

DE JUSTIFICATIONE.

I.

Justificatio quid?

Justificatio est sententia Dei gratiosa, quâ hominem fidelem absolvit à pœna, atque ei concedit jus vitæ æternæ.

Homonymia verbi justificare.

II. Verbum הצדיק cui respondet τὸ δικαιῶν apud Græcos, & *justificare* apud Latinos, in Scriptura sumitur vel propriè vel impropriè. *Propriè* est verbum forense, quod ponitur *pro absolvere* aliquem in judicio, vel *justum habere* & *declarare*, oppositum verbo condemnare & accusare. Extra judicium verò sumitur pro *justum aliquem agnoscere* & *celebrare*, idque vel *meritò*, ut quum terminatur ad Deum, quomodo homines dicuntur justificare Deum, quum eum justum celebrant. Ps. 51. 6. *Sapientia* dicitur *justificata à liberis suis*. Matth. 11. 19. i. e. agnita & celebrata talis, vel δεξασῶς, ut quum Pharisæi dicuntur justificare seipsos. Luc. 16. 15. *Impropriè* usurpatur vel *ministerialiter*, pro adducere ad justitiam. Dan. 12. 13. de quo loco postea. Vel *Synecdochicè*, antecedente posito pro consequente, pro *liberare*. Rom. 6. 7. *Qui mortuus est, justificatus à peccato*, i. e. liberatus. Vel *comparatè*, Ezech. 16. 51. 52. ubi propter collationem peccatorum Israëlis & Samariæ, Israël dicitur justificare Samariam, & crescentibus Judæ peccatis, Juda dicitur justificâsse Israëlem. Jer. 3. 11. Quia Israël justior erat Judâ. i. e. peccata ejus minora erant peccatis Judæ.

Ps. 51. 6. Matth. 11. 19. Luc. 16. 15. Rom. 6. 7. Ezech. 16. 51. 52. Jer. 3. 11.

CONTROVERSIA.

Verbum justificandi sumitur sensu forensi.

An verbum justificare in materia de justificatione significet Sanctitatem infundere; an verò absolvere à reatu? Neg. prius: Affirm. post. cont. Pontif.

Pon-

Pontificij quidem non negant, justificationis vocem forensi sensu sæpe sumi, & in hoc etiam argumento. Sed hoc non volunt esse perpetuum, sed sæpe significare veram productionem, acquisitionem, vel augmentum justitiæ; & hoc imprimis locum habere, quando agitur de hominis justificatione coram Deo: Justificationem esse motum ad justificationem ut calefactio est motus ad calorem. Unde distinguunt justificationem in *primam* & *secundam*. *Prima* est, per quam homo ex injusto fit justus; *Secunda*, per quam ex justo fit justior. Nos, licet non negemus, vocem justificationis varie sumi, ut jam dictum; pertendimus tamen, nunquam pro infusione justitiæ sumi, sed semper, quoties Scriptura de justificatione nostra ex professo loquitur, forensi ratione esse exponendam.

ARGUMENTA.

1. Impium non licet justificare. Exod. 23. 7. Prov. 17. 15. Liceret autem, si justificare esset sanctum facere.

2. Justificari ea dicuntur, quæ sanctificari non possunt. Ut Deus. Luc. 7. 29. Sapientia ejus. Matth. 11. 19.

3. Justificatio in hoc negotio opponitur condemnationi. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat, quis est qui condemnet?* Rom. 8. 33. Ut ergo accusatio & condemnatio non fit nisi in judicio; ita nec justificatio. Rom. 8. 33.

4. Reprehenduntur impii, qui seipsos justificant. Luc. 16. 15. quod fieri non posset, si justificare esset sanctificare.

5. Phrases æquippollentes, quibus justificatio nostra describitur sunt judiciales, quales sunt; *non venire in judicium* Joh. 5. 24. *non condemnari*. Joh. 3. 18. *remittere peccata, imputare justitiam*. Rom. 4. *reconciliari*. Rom. 5. 10. 2. Cor. 5. 19. & sim.

OBJECTIONES.

1. *Christus dicitur justificaturus multos cognitione sui. Esa.* 53. 11. R. Manifestè notatur causa meritoria & instrumentalis ablutionis nostræ coram Deo, nim. Christus, & ejus cognitio, seu fides; Intelligitur enim talis cognitio, quâ cognoscitur Christus à suis ad salutem, quæ nihil aliud est quam fides, cui passim justificatio adscribitur; quem sensum verba sequentia ostendunt, quando additur, & *iniquitates eorum portabit*, ut noterur Satisfactio Christi, quam fides amplecti debet, ut justificemur.

2. *Paste-*

2. *Pastores justificant multos. Dan.* 12. 3. R. Eodem modo Ministri Evangelii dicuntur justificare, quo servare. 1. Tim. 4. 16. Non utique per habitualis justitiæ infusionem, quæ ipsis non competit; sed per fidelem institutionem, quia docent fideles verum modum, quo possunt justificari. Unde V. V. non reddit justificantes, sed *erudientes* ad justitiam. Dan. 12. 3.

3. *Apoc.* 22. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.* R. Hoc loco non justitiæ infusio vel incrementum notatur, quia sic esset ἐντολογία cum verbis sequentibus, *qui sanctus est, sanctificetur adhuc*, nec enim illa justificatio differret à sanctificatione: Sed optimè ad justificationis applicationem & sensum refertur; Quamvis enim à parte Dei justificatio non fiat successivè, tamen à parte nostri variis iteratisque actibus à nobis apprehenditur, dum per novos fidei actus Christi meritum nobis subinde applicamus in remedium quotidianorum peccatorum in quæ incurrimus. Apoc. 22. 11.

4. *Justificatur impius. Rom.* 4. 5. R. Non debet referri ad justitiæ habitualis infusionem, sed pertinet ad remissionem peccatorum, ut ab Apostolo ex Davide explicatur. Rom. 4. 5.

III. Justificatio est actus forensis Dei, non ut creditoris & personæ privatæ, sed ut Rectoris & Judicis, pro tribunali sententiam de nobis ferentis. 2. Actus est non judicis subalterni, qui ad legis formulam adstringitur, sed supremi magistratûs & principis, ad quem solum pertinet pro jure suo συγχωρεῖν gratiam facere reis, & relaxare de rigore legum positarum. 3. Deus autem hîc non sedet in throno justitiæ, ut agat κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον νόμου, sed in throno gratiæ, ut agat juxta ἐπιείκειαν Evangelicam. 4. Ita agit ex misericordia, ut hoc fiat tamen illæsâ justitiâ, quæ cùm non possit pati leges suas impunè violari, requirit necessariò λύτρον aliquod, quo ipsi satisfiat. 5. Unde sequitur: Deum nemini gratiam facere posse, nec quenquam justificare sine perfecta justitia. Cùm enim judicium Dei sit secundùm veritatem, non potest quenquam justum pronunciare, qui revera talis non sit. Cùm verò nullus mortalium post peccatum talem justitiam in seipso habeat, imò per peccatum filius iræ factus sit, & mortis reus, quærenda fuit extra nos in alio, cujus interventu homo peccator justificetur sine justitia propria. Justificatio quomodo Deo tribuatur.

VI. Iste

IV. Ista autem justitia non est justitia Dei *Essentialis* in nobis habitans, ut somniabat *Osiander* cum *Swenkfeldio*; quia non posset illa justitia nobis *subjectivè* & *formaliter* communicari, quod est attributum essentiale Dei, quin Dii quoque essemus. Sed per hanc justitiam intelligitur tota obedientia Christi tam vitæ quàm mortis, tam activa quàm passiva, ut postea dicetur.

Justificatio activa & passiva.

V. Distinguitur justificatio sano sensu in *activam* & *passivam*. Activa est sententia Dei generalis, quâ omnes fideles propter Christum simul absolvit. Idque (1.) In Paradiso & promissione. Gen. 3. 15. (2.) In capite Christo. 2. Cor. 5. 19. (3.) In verbo suo. Rom. 8. 1. *Passiva* autem est particularis uniuscujusque fidelis. 1. In persona ejus, dum ei datur Christus. 2. In conscientia post actum fidei. Rom. 5. 1. quæ etiam sæpe repetitur. Justificatio *activa* fidem & sanctificationem nostram præcedit; *passiva* sequitur: Adeoque voluntas non puniendi peccata, v. g. Pauli, est in Deo ante ipsius fidem; ille tamen, quod ad personam ejus attinet, manet sub reatu, donec fide Christum recepit.

CONTROVERSIA. I.

Præter sanctificationem datur gratia justificationis.

An præter Sanctificationem detur alia gratia justificationis, quâ Deus absolvit credentes à pœna & iis dat jus vitæ æternæ? Aff. contra Pontif.

Confusio Sanctificationis cum justificatione præcipuos errores Pontificiorum de justificatione peperit. Nos justificationem à Sanctificatione diversum donum agnoscimus.

ARGUMENTA.

1. Enumerantur ut duo distincta. 1. Cor. 6. 11. *Abluti estis, Sanctificati estis, justificati estis*, &c.

2. Justificatio facit, ut nemo crimina possit intentare contra Fideles; E. distinguitur à Sanctificatione. Rom. 8. 33.

3. Christi sententia, *remissa sunt tibi peccata*, omninò distincta erat à Sanctificatione.

Cætera vide Loc. seq. ab initio.

OBJECTIO.

Paulus in catena salutis mentionem non facit expressam Sanctificationis. R. Includitur vel sub vocatione, quæ est Sanctificationis initium, vel sub glorificatione, quæ est ejus consummatio & complementum, ut Sanctificatio est gloriæ principium; unde sub voce gloriæ designatur. *Rom.* 3. 23. *Omnes peccârunt, & destituuntur gloriâ Dei.* Rom. 3. 23.

CONTROVERSIA II.

An causa impulsiva & meritoria, propter quam homo justificatur in judicio Dei, sit justitia inhærens nobis infusa, vel bona opera? Neg. cont. Pontif.

Causa impulsiva justificationis non est justitia inhærens.

Non quær. h. l. de *justificatione Legali*; Fatemur enim in ea justitiam inhærentem esse causam ejus meritoriam; nec posse illam nisi per perfectam hominis obedientiam obtineri. Sed quia jam Lege infirmâ factâ per peccatum, hæc justificandi ratio est ἐκ τῶν ἀδυνάτων, agitur de *Evangelicâ*, quæ in fœdere gratiæ nobis proponitur, quam in justitia inhærente fundari negamus.

Nec quæritur: An justitia inhærens per Christi gratiam nobis infundatur, cujus interventu veram ac realem sanctitatem obtineamus? Per calumniam enim nobis adversarii affingunt, nos nullam justitiam inhærentem admittere; cum tamen communi sensu doceamus, beneficia justificationis & sanctificationis ita inter se connexa esse indissolubili vinculo, ut neminem Deus justificet, quin pariter sanctificet, & justitiâ inhærente donet: Sed quæritur: An justitia illa inhærens, qualis est in Viatoribus, ingrediatur justificationem nostram, vel ut Causa ejus, vel ut pars, ita, ut constituat partem aliquam justificationis nostræ, & sit causa meritoria & fundamentum sententiæ nostræ absolutoriæ in judicio Dei? *Pontificii* enim, ut justificationem duabus partibus constare pertendunt, remissione peccatorum, & internâ animi renovatione, ita asserunt, causam illam propter quam Deus nos justificat, esse justitiam Dei, quæ nobis infusa, internè justos nos constituit. Licèt enim non videantur excludere penitùs justitiam Christi, quatenus volunt quòd per eam meruerit, ut Deus nobis per Spiritum S. justitiam internam communicaret, atque

atque ita sit *conditio causæ formalis*, i. e. justitiæ inhærentis, ut ea donari homini possit? statuunt tamen à justitia inhærente pendere jus petendi vitam, & propter eam Deum nos justificare. Distinguunt itaque inter causam *formalem* & *meritoriam*, istam quidem esse Christum, sed illam justitiam infusam. Sed frustra. Nam cum agatur de justificatione coram Deo, causa formalis non potest distingui à meritoria, quia hoc respectu causa formalis nihil aliud est quam illud, ad cujus conspectum Deus à damnatione nos liberat, & ad vitam æternam acceptat.

Orthodoxi longè aliter sentiunt: Quamvis enim non negent justitiam inhærentem Christi merito nobis acquisitam esse, & per ejus gratiam nobis conferri: Negant tamen ingredi ulla ratione justificationem, vel tanquam causam, vel tanquam partem, ut in ea justificatio posita dicatur, & per & propter eam homo justificetur coram Deo; solam quippe justitiam Christi nobis imputatam esse fundamentum & causam meritoriam, quâ nititur sententia nostra absolutoria, ut non propter aliud Deus remissionem peccatorum, & jus ad vitam largiatur, quàm propter justitiam perfectissimam Christi nobis imputatam, & per fidem apprehensam; adeoque hîc non esse logomachiam, ut quidam fingunt, sed gravissimam controversiam.

ARGUMENTA.

1. Nemo justificatur per imperfectam justitiam, siquidem Dei judicium est secundùm veritatem: sed justitia inhærens non est perfecta, nec actualis, nec habitualis: Non *actualis*, quia *in multis impingimus omnes*. Jac. 3. 2. & *nemo est qui non peccet*. 1. Reg. 8. 46. Non *habitualis*, quia regeneratio nostra hîc semper est imperfecta. 1. Cor. 13. 12. *Cernimus in speculo*, &c. & Gal. 5. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum*.

2. Justificatio nostra fit sine operibus. E. & sine justitia inhærente, quæ tota consistit in operibus. Loca sunt obvia. Rom. 3. 20. *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur*. & v. 28. *colligimus hominem justificari fide sine operibus legis*. Cap. 4. 6. *David declarat beatum illum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus*. Gal. 2. 16. *Scientes non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi*.

Rom. 3. 20. v. 28. c. 4. 6. Gal. 2. 16.

Exc. 1. Exc. 1. *Excluduntur non omnia opera absolutè, sed tantùm*

tùm ceremonialia. R. 1. At, Apostolus sine ulla exceptione opponit operantem & credentem, facere & credere. 2. Lex illa intelligitur excludi ab Apostolo cum ejus operibus, per quam est agnitio peccati Rom. 3. 20. & obnoxius fit totus mundus condemnationi. v. 19. de qua dictum, qui fecerit, vivet in iis. Gal. 3. 12. & à cujus execratione Christus nos redemit. v. 13. quod præcipuè de lege morali intelligendum est.

Exc. 2. *Intelliguntur opera ante fidem & gratiam facta.* EXC. 2. R. 1. Nihil necesse fuit opera irregenitorum excludere, cùm in confesso esset peccata esse, utpote sine fide facta Rom. 14. 23. 2. Exempla Abrahami & Davidis, quæ afferuntur à Paulo Rom. 4. quatenus jam erant conversi, & fideles, evincunt excludi opera etiam post fidem facta. 3. Illa opera omnia excluduntur, quæ gloriationis aliquam causam relinquere possent homini. Rom. 3. 27. at talia sunt opera facta ex fide, quæ volunt esse meritoria.

3. Justificatio nostra fit *gratis, gratia Dei, per redemtionem Christi.* Rom. 3. 24. Exc. *Gratia Dei notat habitum infusum charitatis.* R. Non, sed favorem, & benevolentiam Dei, quia dicimur justificari τῇ αὐτοῦ χάριτι, *ipsius gratiâ*, i. e. tanquam causâ προηγουμένῃ, procatarctica verò & meritoria ponitur in redemptione Christi, falsa rejicitur per particulam δωρεὰν, gratis, quæ excludit omnia merita, quæ sunt in nobis. Rom. 3. 24. Exc.

4. Justificatio consistit in remissione peccatorum. Rom. 4. 8. At, cui remittitur peccatum gratis, non potest justificari per inhærentem justitiam. Rom. 4. 8.

5. Si justificatio fit per justitiam inhærentem, justificatio erit ex lege, non ex Evangelio, quia justificatio legalis non aliter fit, quàm per justitiam inhærentem. At justificationem non esse ex lege docet Paulus. Phil. 3. 9. quum *vult inveniri in Christo*, sc. in judicio Dei, *habens non suam justitiam, quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Iesu Christi*, i. e. non justitiam inhærentem, quæ nostris actibus perficitur, sed justitiam Christi, quæ nobis imputatur, & per fidem apprehenditur. Phil. 3. 9.

6. Hoc derogat meritis Christi, & gloriationis ac superbiæ est argumentum: Nam si justitia & merita Christi pleniſſimè sufficiunt ad justificationem nostram; cur assumuntur merita humana? Exc. *Tota hæc justitia à Christo*

pendet, qui & illam nobis impertitur, & illi dat vim merendi. R. 1. Gratis supponitur, Christum meritum esse nobis vim merendi. 2. Quicquid homo boni accipiat à Deo per gratiam, ex adversariorum hypothesi non excludit liberi arbitrii concursum, cujus interventu fit, ut homo aliquam in se gloriandi habeat materiam. 3. Pharisæus non minùs damnatur, etsi gratias agens Deo profitetur se ab eo, non à se omnia sua habere. Luc. 18.

7. Quia remissio peccati requirit abolitionem reatûs per λύτρα debiti solutionem. At justitia inhærens nec potest offensam Dei seu reatum ex ea nascentem tollere, nec læsionem divinæ majestatis compensare; impossibile enim est per qualitatem finitæ virtutis & dignitatis offensam infinitæ indignitatis deleri aut compensari.

OBJECTIONES.

Rom. 5. 19. 1. *Rom.* 5. 19. *Per Christum justi constituimur, ut per Adamum injusti. Hoc autem factum est inhærenter.* R. Christus per obedientiam suam rectè dicitur nos *justos constituere*, non per inhærentem justitiam, sed per imputatam, ut c. 4. 6. Justi enim non minùs constituuntur coram Deo, qui propter obedientiam Christi ipsis imputatam à meritis pœnis absolvuntur, quàm ii, qui propter Adami inobedientiam injusti constituuntur, i. e. rei sunt mortis & condemnationis. Nec si Adamus nos etiam injustos constituit effectivè, per propagationem vitiositatis inhærentis, propter quam etiam rei sumus mortis coram Deo; sequitur pariter Christum nos justos constituere per justificationem forensem judicii Dei per justitiam inhærentem nobis ab ipso datam; quia scopus Apostoli non eò tendit, sed tantùm vult aperire fundamentum communis reatûs ad mortem & juris ad vitam, ex unione nostra cum Adamo primo & secundo quoad rem, licèt modus sit diversus, propter diversitatem subjecti.

Ps. 7. 9. 2. *Fideles petunt à Deo judicari secundum justitiam suam. Ps.* 7. 9. R. Non intelligenda est justitia personæ: sed justitia causæ, quam tuebantur, & propter quam ab impiis persecutionem patiebantur; vel, si intelligitur justitia personæ, non est *universalis* & *absoluta*, quæ in nullo mortalium datur; sed *particularis*, quoad certos actus, vel *comparata*, respectu impiorum.

3. *Iis quibus imputatur satisfactio Christi, infunditur etiam habitus*

habitus justitiæ. R. Verùm est; sed tamen per istum habitum non possumus justi dici relatè ad judicium divinum. Eò enim justi tantùm constituimur in foro divino, quo diluere possumus accusationem, quâ insimulamur peccati tam præteriti quàm præsentis. At talis justitiæ habitus talem accusationem diluere nequit, quia non potest habere rationem satisfactionis pro peccatis commissis, quâ eorum reatus tollatur, nam eò tendit, ut non peccemus in posterum, sed non potest facere ut non peccaverimus, atque adeo non egeamus justitiâ alienâ nobis imputatâ ad justificationem nostram.

CONTROVERSIA. III.

An satisfactio & justitia Christi nobis imputetur, nosque justificemur propter eam nobis imputatam? Aff. c. Soc. & Pontif.

Justificamur per justitiam Christi.

Contra *Socinianos* quæritur: An justitia, obedientia & satisfactio Christi nobis imputentur ad justitiam? Ut enim negant obedientiam & satisfactionem Christi pro nobis præstitam; ita obedientiæ istius & satisfactionis imputationem & applicationem rejiciunt, & velut commentum humanum explodunt. Orthodoxi verò censent obedientiam ac satisfactionem Christi nobis imputari ad justitiam, quatenus per gratuitam Dei misericordiam nostra censetur, & nos propter eam in Dei judicio à peccatis absolvimur, & justi pronunciamur.

Contra *Pontificios* verò non quæritur: An justitia & meritum Christi nobis imputetur? Hoc enim Pontif. non audent diffiteri: sed quæritur: Ad quid imputatio ista fiat, an ad justificationem & vitam, ut nos pertendimus, an verò tantùm ad gratiæ internæ & justitiæ inhærentis infusionem, ut illi volunt, i. e. an ita imputentur & communicentur nobis merita Christi, ut sint causa meritoria sola nostræ justificationis, nec alia detur justitia propter quam absolvamur in conspectu Dei? quod volumus; an verò ita imputentur, ut sint conditiones causæ formalis, i. e. justitiæ inhærentis, ut eâ homo donari possit, vel causæ extrinsecæ, quæ mereantur infusionem justitiæ, per quam justificatur homo; ut ita non meritum Christi propriè, sed justitia inhærens per meritum Christi acquisita sit causa

propria & vera, propter quam homo justificatur? quod illi statuunt, coarctando ita beneficium imputationis meritorum Christi ad effectum gratiæ infusæ obtinendum, ut non alium in finem imputatio ista fiat, quàm ad promerendam nobis gratiam infusam, cujus virtute nos ipsi legem præstamus, & in nobis justi justificamur. Nos autem statuimus, Justitiam & satisfactionem Christi ita nobis imputari à Deo, ut sit unicum fundamentum & causa meritoria, cujus solius intuitu coram Deo absolvimur à peccatis, & jus ad vitam obtinemus.

ARGUMENTA.

1. Quia unius Christi justitiâ & obedientiâ justi constituimur. *Sicut per unam offensam*, inquit Paulus. Rom. 5. 18, 19. *in omnes homines ad condemnationem venit reatus*; *ita & per unam justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ redundavit beneficium: ut enim per unius hominis inobedientiam peccatores sunt constituti multi*; ita per unius obedientiam justi constituentur multi. Rom. 5. 18. 19. Justi autem constituuntur electi coram Deo non per inhasionem, sed per imputationem. 1. Quia unius actus non potest fieri plurium, nisi per imputationem. 2. quia δικαίωμα quo nititur δικαίωσις ζωῆς perfectam justitiam postulat, quod de justitia inhærente dici nequit. 3. quia κατάκριμα, cui opponitur δικαίωσις ζωῆς, non est actus physicus, sed forensis, & judicialis.

2. Quia fides dicitur nobis imputari ad justitiam: *Abraham credidit Deo, & illi imputatum est ad justitiam.* Rom. 4. 3. Rom. 4. 3. Non ipsa fides seu actus credendi formaliter, quasi esset justitia coram Deo, ut voluit Remonstr. contra quos postea disputabimus, sed objectivè & relativè ad justitiam Christi, quam fides apprehendit, & sibi applicat, quod patet ex eo, quia Paulus ibidem imputationem fidei ad justitiam explicat per *& imputare justitiam absque operibus.* Hinc constat. 1. Justificationem consistere in imputatione justitiæ. 2. Justitiam istam non esse posse inhærentem, quæ datur nobis per infusionem, tum, quia quod est inhærens opponitur imputato.

3. Christus est justitia: quâ justificamur; ideò dicitur nobis *factus à Deo justitia.* 1. Cor. 1. 30. Et 2. Cor. 5. 21. 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21. nos dicimur *fieri justitia Dei in ipso*: *Fecit Deus eum, qui non novit peccatum pro nobis peccatum, ut fieremus justitia Dei in ipso*

ipso. Ex quibus constat. 1. Christum esse nostram justitiam coram Deo, non utique inhærenter, quia justitia unius ad alium non potest transire, sed imputativè. 2. Eo modo nos effici justitiam Dei in ipso, quomodo factus est pro nobis peccatum. At Christus factus est pro nobis peccatum non inhærenter, aut subjectivè, sed imputativè. E. & nos justitia facti non infusione, sed imputatione. Exc. *Christus dicitur factus justitia, quomodo factus est sapientia & sanctificatio, non utique imputativè, sed effectivè.* R. Neg. Nam, si non aliter factus esset justitia, quam sanctificatio, i. e. effectivè, tautologia à Paulo committeretur, siquidem eo pacto justificatio & sanctificatio non differrent. E. sapientia & sanctificatio sit nobis effectivè, nos illuminando & regenerando; sed justitia imputativè, nobis justitiam suam imputando. Exc.

4. Justificatio fit propter sponsionem Christi, & solutionem ab ipso pro nobis factam, quod sine imputatione fieri nequit: Nam ut solutio à sponsore facta pro debitore illi imputatur & applicatur, quasi ab ipso præstita esset, ut sequitur debitoris liberatio. Ita, cùm Christus loco nostro solverit, solutio ab ipso facta nobis imputatur ad plenam absolutionem, unde dicimur justificari morte & sanguine Christi Rom. 5. 9. Rom. 5. 9.

5. Justificatio nostra est justificatio impii. Rom. 4. 5. *Ei qui non operatur, sed qui credit in eum qui justificat impium, fides imputatur ad justitiam.* Justificatio autem impii non potest fieri per infusionem, sed per imputationem. Licèt enim ille qui justificatur, non maneat impius, sed renovetur per gratiam Christi, non potest dici justificari per illam renovationem quæ effectus est, qui sequitur justificationem non causa quæ eam præcedit. Rom. 4. 6.

OBJECTIONES.

1. *Ergo tam justi sumus quàm Christus.* R. Neg. Nam justitia Christi datur nobis, non ut quoad essentiam inhæreat, sed quoad vim & efficaciam satisfactionis. Christus justus est infinitè, originaliter, inhærenter & subjectivè; nos tales sumus relativè in ipso, & quidem precariò & dependenter.

2. *Ergo peccata nostra tantùm teguntur, non auferuntur.* R. Hæc calumnia est adversariorum, quâ nobis affingunt

nos nullam agnoscere justitiam inhærentem, quæ fidelibus insit, & cujus ratione verè apud Deum justi & sancti censeantur; adeoque docere, fideles semper in se manere impios & injustos, & Christi justitiam ad hoc solùm nobis imputari, ut peccata nostra tegantur, non verò tollantur; Unde occasionem sumunt Doctrinam nostram de imputatione justitiæ Christi quasi impiam traducere, cùm tamen agnoscamus, neminem à Christo justificari, qui etiam non sanctificetur, & justitiâ inhærente donetur, à quâ verè sancti justi, licèt non perfectè, in hac vita denominari possint fideles.

3. *Ergo Christo propriè peccata nostra fuissent imputata, adeoque ille factus fuisset peccator.* R. Christus propter imputatum ipsi nostrum peccatum neutiquam potest dici peccator, quod importat corruptionem inhærentem, sed victima tantùm pro peccato, quæ pœnas peccato debitas in se recepit, adeoque reatum auferendum, non verò maculam.

4. *Nemo per alterius justitiam justus constitui potest.* R. Verum quidem est, neminem justum posse dici inhærenter justitiâ alienâ, quia si est inhærens, non ampliùs est aliena. Sed potest tamen imputativè dici *justificatus*, cùm quotidie inter homines debitor propter solutionem à sponsore præstitam liber & solutus dicatur, qui ære alieno in se erat constrictus.

5. *Judicium Dei non est secundum veritatem, si justos judicat qui justi non sunt.* R. Neg. Quia non pronunciat nos justos in nobis subjectivè, quod falsum esset, sed in alio imputativè & relativè, quod est verissimum. Sic Deus verè rem æstimat & judicat uti est, non in se & naturâ suâ, sed in Christo.

Rom. 3. 24. 6. *Gratis justificamur Rom.* 3. 24. R. Licèt justitia Christi imputata statuatur à nobis in fundamentum nostræ coram Deo justificationis, non desinit ideò esse merè gratuita à parte nostri, quia merum Dei misericordiæ est donum, quòd sponsor nobis à Deo datus est, & in locum nostrum suffectus, & quòd illius obedientia & justitia, quam ipsi ex rigore Legis præstare debuissemus, nostra apud Deum censetur, & nobis imputatur.

7. *Quod imputatur alicui, id revera solutum non est, sed pro soluto habetur.* R. Verum est de eo quod alicui imputatur

tatur per meram acceptilationem, sed quòd imputatur propter veram solutionem ab alio factam, supponit rem esse solutam. At imputatio justitiæ Christi non intelligenda est primo sensu, sed posteriori. Unde cadit calumnia adversariorum, qui imputationem istam traducunt quasi meram fictionem mentis, circa rem non existentem; cùm res non sit minùs realis in suo ordine, sc. juridico & forensi, quàm infusio in genere morali seu physico; ut imputatio solutionis à Vade factæ, quæ fit debitori, maximè realis est, per quam sc. à debito liberatur, & eximitur à jure quod in ipsum habebat creditor.

CONTROVERSIA. IV.

An non tantùm justitia Christi passiva, seu mors ejus nobis imputetur, sed etiam activa ejus obedientia, & tota Legis observatio?

Justitia Christi passiva nobis etiam imputatur.

Affirm.

Circa materiam & partes sanctificationis variant Theologorum sententiæ. Sunt qui illam ad passiones seu pœnas quas pro nobis sustinuit, restringunt; quod primus videtur asseruisse *Cargius* minister Lutheranus, & post eum *Piscator*, Profess. Reformatus Herbonensis, & qui eum secuti sunt, ex quibus alii totam justitiam in morte Christi ponunt, alii adjungunt omnes passiones, quas toto vitæ tempore pertulit, & hanc vocant *justitiam passivam*; *activam* verò, quam in obedientia mandatis præstitâ collocant, ut conditionem requisitam fuisse in Persona mediatoris ad executionem officii censent, sed non venire in partem satisfactionis aut meriti, quod nobis imputetur.

Sed communis in Ecclesiis nostris sententia est: Satisfactionem Christi, quæ ad justitiam coram Deo nobis imputatur, complecti non modò passiones Christi, quas sive in morte sive in vita pertulit, sed & totius vitæ obedientiam, seu iustas & sanctas actiones, quibus Legis mandata perfectè loco nostro implevit; ut ex his duabus partibus integrum & perfectum redemtionis nostræ pretium exurgat.

Non autem quæritur: An Christus perfectè legem impleverit; & an obedientia totius vitæ Christi necessaria fuerit Christo ad salutis opus exequendum, & nobis utilis

ac bono nostro præstita? sed, an loco nostro etiam sit præstita, & an ingrediatur satisfactionem, quam pro nobis Deo exhibere debuit? quod illi negant, nos affirmamus. Nec quæritur: An meræ passiones pertineant ad satisfactionem? Agnoscunt enim illi cum quibus agimus, nullam dari posse passionem satisfactoriam sine actione, quatenus ut Deo grata esset, debuit includere obedientiam activam, seu voluntariam oblationem. Sed, an cum obedientia, quam in morte exhibuit, debeat etiam conjungi obedientia totius vitæ, per quam justitiam omnem implevit? Quod volumus, illi negant. Non tandem quæritur: An Sanctitas originalis & habitualis Christi fuerit qualitas & conditio Personæ mediatoris? Sed, an justitia meriti, quæ pertinet ad executionem officii, & nobis imputatur ad remissionem peccatorum, & jus ad vitam consequendam, nascatur ex pœnis quas passus est? Annon etiam efflorescat ex actionibus sanctis, quas fecit per totam vitam, & quibus Legem pleniss. implevit? Quod affirmamus.

ARGUMENTA.

Rom. 5. 19. 1. Ex Rom. 5. 19. *Sicut per unius inobedientiam multi constituti sunt peccatores; ita per unius obedientiam multi constituuntur justi:* ubi satisfactio Christi ad obedientiam ejus refertur, non utique mortis tantùm, sed etiam vitæ. 1. quia agitur de tota obedientia Christi sine limitatione; 2. agitur de obedientia, quæ importat conformitatem cum lege omnimodam, non modò quoad sanctionem pœnæ, sed præcipuè quoad observationem mandatorum. 3. De illa, quæ vocatur donum justitiæ, v. 17. quod de passionibus Christi dici non potest. 4. De illa, quæ opponitur inobedientiæ Adami, ut verò ista fuit totius legis violatio, ita & illa debet esse totius legis impletio.

Phil. 2. 8. 2. Christi obedientia dicitur fuisse ἕως θανάτου, *usque ad mortem.* Phil. 2. 8. ubi non tantùm notatur *intensio* ejus quoad gradum, sed etiam *extensio* & *duratio*, quia à principio vitæ usque ad mortem in ea constanter perseveravit, quod patet, quia ista obedientia refertur ad totam κένωσιν & humilitationem Christi, quæ non in morte tantùm visa est, sed in tota vita.

Rom. 8. 3. 4. 3. Christus debuit fieri in *similitudine carnis peccati, ut suppleret Legis ἀδυναμίαν, & jus Legis in nobis impleret* Rom. 8. 3. 4. At lex impotens dicitur non quoad pœnarum

rum inflictionem, sed quoad mandatorum observationem. Christus ergo supplendo id quod lex præstare non potuit in nobis, debuit perficere quod à nobis Lex exigebat, exigebat autem obedientiam activam.

4. Satisfactio Christi ad id omne debet extendi, quod à nobis debebatur, & quod pro nobis debuit solvi ad vitam obtinendam. At obedientia vitæ non minùs ac passio mortis ad id requirebatur; vita enim ex lege promittitur non patienti, sed facienti: *Fac hoc & vives.*

5. Satisfactio Christi in ejus justitia quærenda est; nam *per unam justitiam beneficium redundavit in omnes homines.* Rom. 5. 18. Unde Paulus gloriatur se habere *justitiam quæ est ex Deo per fidem.* Phil 3. 9. At justitia Christi non in passionibus, sed in actionibus consistit. Rom. 3. 18. Phil. 2. 9.

6. Ut Christus non μεμέρισται. 1. Cor. 1. 13. ita nec justitia ejus dividi debet, sed ὁλόκληρος & indivisa nobis applicanda est.

OBJECTIONES.

1. *Redemtio nostra sæpius adscribitur morti & sanguini Christi.* R. Hoc non fit exclusivè ad obedientiam vitæ; sed *per synecdochen* qua *parti potiori* tribuitur quod est totius, quia ultimus fuit exinanitionis gradus, corona & complementum obedientiæ, absque qua cæteræ omnes partes fuissent inutiles.

2. *Morte Christi tolluntur omnia nostra peccata, etiam omissionis; morte ergo ejus nobis acquiritur jus vitæ.* R. Morte delentur peccata, quatenus sunt meritoria pœnæ, non tamen suppletur quod deficiebat ad implendum fœdus operum; *fac hoc & vives.*

3. *Activam obedientiam Christus pro se debuit.* R. Licèt Christus quoad se subjectione naturali quà Creatura fuerit sub Lege; non tamen subjectione fœderali & œconomicâ, ut vitam per Legem consequeretur, & vadem se loco peccatorum sisteret, hoc enim fuit voluntariæ dispensationis opus; Et nihil tale pro se debuit, nec quà θεάνθρωπος, Dei filius, & Dominus Legis; nec qua homo; quia non fuit adstrictus fœderi legali, utpote quod ad illos tantùm pertinet, quos Adamus in illa pactione repræsentavit, qui sc. ab eo naturaliter descendunt.

4. *Ergo nos non tenemur ad obedientiam activam, quia Christus eam pro nobis præstitit.* R. Neg. conseq. sequi-

tur quidem, nos ad eam non teneri eundem in finem, sc. ut per eam vivamus: sed non obstat quominus teneamur ad idem obsequium Deo præstandum, non ut vivamus, sed quia vivimus, non ut jus acquiramus ad vitam, sed ut juris acquisiti possessionem adeamus. Quomodo, licèt Christus mortuus sit pro nobis, non desinimus morti adhuc esse obnoxii, non ad pœnam, sed ad salutem.

5. *Ergo aut mors superflua fuit, aut bis solvit.* R. Utrumque non sequitur. Nam 1. Licèt obedientia utraque Christi, tam vitæ quàm mortis fuerit perfecta in suo genere, neutra tamen sufficere potuit sola ad satisfactionem, quæ requirebat & observationem mandatorum, & pœnarum perpessionem, quâ liberatio à morte, & jus ad vitam nobis acquireretur. 2. Deus non exigit duas solutiones ejusdem debiti, quia cùm lex obliget peccatores ad obedientiam & ad pœnam, passiones & actiones Christi unicam tantùm solutionem constituunt.

Justificatio non tantùm consistit in remissione peccatorum.

VI. Quær. An justificatio consistat in remissione peccatorum? An vero complectatur etiam adoptionem, & jus ad vitam? Resp. Qui solam justitiam passivam Christi nobis imputari statuunt, solâ remissione peccatorum totam justificationem absolvi contendunt, sed malè, quia, ut postea dicetur, ad justificationem plenam non sufficit à pœna absolutio, sed requiritur etiam juris ad vitam communicatio. Alii duas partes in justificatione ponunt: *Remissionem peccatorum & imputationem justitiæ*; sed hæc perperam conjunguntur, quasi essent partes sibi respondentes, cùm tamen non sibi invicem respondeant ut pars parti, sed ut causa ad effectum, & fundamentum ad id quod eo nititur. Nam Deus nobis non remittit peccata, & postea imputat justitiam; sed primò imputat justitiam, & exinde, propter imputatam illam justitiam peccata nobis remittit. Satisfactionem enim & λύτρον intercedere necesse est, ut remissio à Deo concedi possit, illæsâ suâ justitiâ.

VII. Facilius res concipi potest, si statuamus totam justificationem his duobus contineri, sc. in remissione peccatorum, & juris ad vitam collatione, sive adoptione: Nam 1. ut Lex duas sanctionis partes continet, pœnam mortis transgressoribus, & præmium vitæ obedientibus; ita jus legis, quod per justificationem Christi in nobis impletur, non potest obtineri, nisi cum remissione peccatorum, quæ

pœnæ

pœnæ liberationem importat, habemus jus ad vitam, quod Christus obedientiâ suâ nobis acquisivit. 2. Duo mala peccatum induxit, reatum mortis, & privationem vitæ. E. non potuimus in integrum restitui, nisi per remissionem peccatorum tolleretur reatus mortis, & per adoptionem daretur jus ad vitam. 3. Quod scriptura non uno loco innuit, Gal. 4. 4. 5. *Christus factus est ὑπὸ νόμον, ut liberaret eos qui erant sub Lege*, sc. quoad maledictionem, *& ut adoptionem acciperemus*, i. e. jus ad vitam, quod ex adoptione fluit, sic Paulus Act. 26. 18. dicit; *per fidem nos accipere remissionem peccatorum, & κλῆρον, sortem inter Sanctificatos* i. e. jus ad vitam æternam cum cœteris piis. Gal. 4. 4. 5. Act. 26. 18.

Obj. *Remissio peccatorum & imputatio justitiæ differunt solùm ratione diversorum terminorum à quo & ad quem, ut est tectio nuditatis, & indutio vestis, inde Paulus. Rom. 4. 5. 6. 7. à remissione peccatorum ad imputationem justitiæ argumentatur.* R. 1. Remissio peccatorum & imputatio justitiæ, ut antea dictum, realiter inter se differunt, cùm imputatio justitiæ habeat rationem causæ, & remissio effectûs; unde non sunt comparandæ inter se ut nuditatis tectio, & indutio vestis, quæ unum idemque sunt reipsa; sed ut in reo liberatio à pœna, & dignitas regia; aliud enim est redimere à pœna, aliud præmium, etiam addicere; liberare aliud à morte, aliud vitâ & felicitate donare, ex carcere educere, & super thronum evehere; illud tollit malum; hoc verò bonum etiam superaddit, aliud est servum fugitivum absolvere à pœna debita, aliud evehere ad dignitatem & jus filii. 2. Si Paulus Rom. 4. à remissione peccatorum ad imputationem justitiæ argumentatur, hoc non facit propter æquipollentiam, quia duo ista ab invicem non differunt, sed propter individuam utriusque connexionem, quia nemini potest dari remissio peccatorum, nisi propter imputationem justitiæ, & nemini imputatur justitia, quin ilicò condonentur illi peccata. Rom. 4. v. 5. 6. 7.

VII. Hoc tamen non negandum, orthodoxos nonnunquam justificationem solâ remissione peccatorum definire; sed ita loquuntur contra Pontificios, qui ad justificationem non modo remissionem peccatorum pertinere volunt, sed etiam internam animi renovationem, & justitiæ infusionem, adversus quos bene statuunt solâ remissione peccatorum, sub qua & jus ad vitam complectuntur, totam

totam justificationem absolvi, exclusivè, non ad jus vitæ, sed ad infusionem justitiæ.

Adoptio. IX. In justificatione includitur *adoptio*, tanquam ejus pars, quæ h. l. non sumitur pro externa vocatione & assumtione in fœdus, ut ita Judæorum dicitur adoptio. Rom. 9. 4. nec pro adoptionis sensu & usu, quæ fit per emancipationem, qualis competit fidelibus Novi Test. qui quia adulti facti sunt, & non amplius sunt minorennes, dicuntur spiritum adoptionis accepisse, & non amplius servi vocantur, nec modo servorum habentur, sed filii sunt & hæredes, qui hoc jure gaudent. Gal. 4. 5. Nec pro adoptionis manifestatione plena, quæ in resurrectione futura est, quo sensu fideles dicuntur expectare adoptionem, i. e. redemtionem corporis sui. Rom. 8. 23. Sed pro actione Dei juridica, quâ ex mera sua misericordia, quos ab æterno elegit ad salutem, per fidem in Christum adoptat in familiam suam, & nomen ac jus filiorum ipsis largitur quoad hæreditatem.

Rom. 9. 4.

Gal. 4. 5.

Rom. 8. 23.

Quomodo differat ab adoptione humana. X. Quamvis inter adoptionem hanc humanam & divinam possit esse aliqua analogia, quia in utraque est adoptans & adoptatus; tamen magnum etiam intercedit discrimen. *Illa* inventa est ad solatium orbitatis; *hæc* ad solatium non Dei, qui filio unigenito summè delectabatur, sed nostrum; *Illa* ordinatur ad successionem in bona patris defuncti; sed *ista* tantum ad participationem bonorum Patris in æternum viventis. *Illa* potest dare nomen, titulos & insignia filiorum, sed non animum & qualitates. Sed in *ista* Deus adoptando cor mutat, & per Spiritum adoptionis animum & characterem filiorum imprimit. *Illa* non facit bonos, sed supponit. *Ista* est opus meræ gratiæ; Deus enim nos adoptat, non quia boni sumus, sed ut bonos reddat.

Libertas Christiana. XI. Ex hac adoptione oritur *Libertas Christiana*, quæ non est immunitas ab omnibus Legibus, ut placet Libertinis, non exemptio à magistratuum jurisdictione, qualem Anabaptistæ sectantur, & quam sibi vindicat Clerus Romanus. Sed est spiritualis manumissio sanguine Christi nobis parta, quâ à spirituali servitute Legis, peccati, mundi, & Satanæ, in filiorum Dei libertatem asserimur. De qua Joh. 8. 36. *Si vos filius in libertatem vindicavit, verè liberi estis* Rom. 6. 22. *Liberati à peccato servi autem facti Deo.* Rom. 8. 2. *Lex spiritus vitæ liberavit me à lege peccati & mortis.*

CON-

CONTROVERSIA I.

An Remissio peccatorum consistat in eorum absoluta abolitione? An verò in eorum condonatione? Remissio peccatorum non est eorum abolitio.

Prius Neg. Post. affirm. c. Pontif.

Opponitur hæc quæstio Pontificiis, qui ut serviant hypothesi de justificatione physica per infusionem, pertendunt remissionem peccati consistere in ejus reali deletione, tam quoad maculam, quàm quoad reatum, ut remissio non fiat, nisi succedat infusio justitiæ, ut tenebræ non fugantur nisi lumen succedat. Nos statuimus: Remissionem peccati non consistere in maculæ, seu qualitatis vitiosæ abolitione, sed in culpæ & reatûs ex eâ orientis gratuitâ condonatione.

ARGUMENTA.

1. Hoc est contra propriam significationem remissionis, quæ non infert peccati extinctionem, sed condonationem; ut Princeps crimen remittendo non tollit, sed tantùm condonat, & à pœna debita liberat.

2. Scripturæ Phrases Synonymæ idem docent, quum remissio exprimitur per *tectionem*. Ps. 32. 1. non ut non sint, sed ut in Dei judicis conspectum non veniant ad condemnationem; Per *non imputationem*, v. 2. ut propter ea pro merito non puniamur. Per *non recordationem*. Jer. 31. ut Deus practicè ea justitiæ suæ non sistat ad pœnam de iis sumendum. Per *deletionem & expunctionem*. Ps. 51. & 103. non maculæ, sed reatûs, quomodo creditor de libro rationum expungit debitum, cujus gratiam facere vult debitori; & similes phrases, quæ juridicam reatûs condonationem rectè important, sed non realem maculæ abolitionem. Ps. 32. 1. v. 2.

3. Si remissio peccati esset vitiositatis inhærentis abolitio, ut illa perfecta est, ista etiam perfecta esse deberet, quod repugnat Scripturæ, quæ peccatum in nobis semper superesse testatur, & propriæ Sanctorum experientiæ, qui de luctu Carnis & Spiritûs semper queruntur.

Si non imputare peccatum est illud expellere, & infundere justitiam; ex opposito imputare peccatum est infundere peccatum; quod falsum esse ex Christo patet, cui imputatum est peccatum, sed non infusum.

OB-

OBJECTIONES.

1. *Per remissionem peccati tollitur reatus.* R. Tollitur *reatus actualis*, seu obligatio ad pœnam, sed non statim *reatus potentialis*, seu meritum intrinsecum peccati, quod fluit ex macula inhærente, quia remissio in eo tantùm sita est, ut à judice reus liberetur ab actuali pœna ipsi debitâ, non verò statim ab omni vitiositate.

2. *Remissio peccatorum exprimitur phrasibus quæ realem abolitionem notant, quales sunt, tollere, auferre, delere,* &c. R. Non tamen sequitur inferre totalem peccati abolitionem, quia in remissione est aliquid reale, per illam quippe verè & realiter à persona tollitur obligatio actualis ad pœnam, & ipsa pœna. 2. Illæ phrases per alias explicantur. 3. A Sacrificiorum effectu petuntur, qui erat propitiatio & purgatio peccati, non per abolitionem maculæ, sed per deletionem reatûs, & condonationem pœnæ.

3. *Peccatum reipsa aboletur in iis, quibus remittitur.* R. Non tamen sequitur, ideò remissionem ipsam consistere in tali abolitione, quia illa versatur tantum circa reatum peccati, ista circa maculam; illa peccatum considerat cum relatione seu obligatione ad pœnam; ista ut qualitatem subjecto inhærentem; illa simul & semel peragitur, ista paulatim & successivè.

CONTROVERSIA. II.

Remissâ culpâ non remanet pœna.

An remissâ culpâ retineatur quædam pœna? an verò omnis remittatur? Prius neg. Post. aff. cont. Pontif.

Pontificii remissionem partialem & non totalem urgent, culpæ, sed non pœnæ, vel pœnæ æternæ, sed non temporalis. Nos verò docemus remissionem peccati totalem & absolutam, tam pœnæ quàm culpæ.

ARGUMENTA.

1. Remitti culpam non remissâ pœnâ est ἀτόπωτον, quia nulla datur pœna sine culpa, & remissio culpæ nihil aliud est, quàm liberatio à pœna.

2. Quomodo diceretur Deus peccata projicere post tergum, non imputare, delere, non recordari, si eorum pœnam adhuc exigit?

3. Deus hoc modo diceretur simul & semel peccatum dimit-

dimittere & retinere, quod implicat, ut nemo dixerit debitum alicui remissum esse, à quo ejus solutio adhuc exigitur.

4. Justificati non possunt habere pacem apud Deum, juxta Paulum. Rom. 5. 1. Si pœnis propriè dictis vel in vita, vel post mortem adhuc vexandi sunt.

5. In fidelibus post acceptam justificationem nulla amplius est condemnatio. Rom. 8. 1. E. nulla remanet pœna, quippe condemnatio est pœnæ adjudicatio. Rom. 8. 1.

6. Ista hypothesis supponit, vel Christum non plenè satisfeciisse pro nobis, vel Deum bis ejusdem debiti solutionem exigere, quod utrumque impium & blasphemum.

Exc. 1. *Subordinata non pugnant, quia satisfactiones hominum pendent à satisfactione Christi, ab eaque vim satisfaciendi habent.* R. 1. Gratis supponitur, satisfactiones nostras subordinari posse satisfactioni Christi, cùm expressè illi opponantur; nam *si ex Lege justitia, Christus frustra mortuus.* Gal. 2. 21. 2. Ista mediata satisfactio inaudita est in Scriptura, quæ nunquam dicit Christum satisfeciisse, ut nobis acquireret vim satisfaciendi, sed *δι ἑαυτοῦ per seipsum* peccatorum expiationem feciisse; Et, quomodo posset dici Christum peccata nostra tuliisse in corpore suo super lignum i. e. pœnas eorum, & à maledictione nos liberâsse, & chirographum quod nobis erat adversum deleviisse. Col. 2. 14. & unica oblatione in perpetuum consummâsse eos qui sanctificantur. Hebr. 10. 14. Si aliquarum pœnarum reatu tenentur adhuc fideles, pro quo ipsis adhuc satisfaciendum sit? 3. Modus loquendi non patitur, ut pro nobis satisfeciisse dicatur, nisi qui ære suo debitum nostrum expunxit. Exc. 1.

Exc. 2. *Satisfactiones nostræ requiruntur, ut satisfactio Christi, & remissio per eum acquisita nobis applicetur.* Applicatio ista fit per verbum & Sacramenta externè, per spiritum & fidem internè, non verò potest per satisfactione; fieri, quæ Deo debent offerri, non hominibus; Nec unquam auditum, remissionem debiti applicari ejus exactione, & debitori, ut is solutione pro ipso à sponsore præstitâ fruatur, hoc incumbere, ut quam pro eo Sponsor numeravit pecuniam, is quoque eadem postea Creditori ex ære suo numeret, vel certè aliquam ejus partem. 2. Si ut nobis Christi pro pœnis temporalibus satisfactio applicetur, Exc. 2.

requi-

requiruntur satisfactiones nostræ, cur non pariter necessariæ erunt, ut applicetur eadem pro culpa & pœna æterna? cùm nulla afferri possit discriminis ratio. 3. Si satisfactio Christi satisfactione nostra applicari debet, satisfactio nostra iterum aliâ satisfactione veniet applicanda, & sic in infinitum.

OBJECTIO.

1. Pet. 4. 17. 1. Cor. 11. 32. *Scriptura dicit nonnunquam de judicio adversus Ecclesiam & fideles exercito.* 1. *Pet.* 4. 17. *Tempus est ut judicium incipiat à domo Dei.* 1. *Cor.* 11. 32. *Quum judicamur, à Domino erudimur.* R. Aliud est judicium vindictæ judicis, aliud judicium castigationis paternæ; illud ex ira & odio; hoc ex amore & studio; illud ad destructionem & exitium; hoc ad correctionem & salutem. Unde afflictiones fidelium non sunt pœnæ propriè dictæ, ut demonstratum supra, Loc. de Peccato.

An remissio extendatur ad omnia peccata?

XII. Quær. An remissio peccatorum extendatur ad omnia omninò peccata fidelium, cujuscunque sint generis, tam ad futura, quàm præterita & præsentia? Resp. Peccata omnia tam futura quam præterita non possunt dici remitti simul & semel *formaliter* & *explicitè*, quia ut non Entis non sunt accidentia, ita quamdiu peccatum non est pœna ei non debetur, & dum non debetur, non potest remitti; ut non potest remitti debitum nondum contractum. Accedit, quòd ad remissionem peccati requiratur ejus confessio & pœnitentia, quæ dari non potest, nisi commissum sit. Nihil tamen obstat, quo minus peccata hoc sensu dicantur remitti *eminenter* & *virtualiter*; quia in justitia Christi nobis imputatâ fundamentum est istius remissionis; atque ita peccata omnia nostra remittuntur à Deo, sive præterita, sive præsentia, sive futura, sed per rationem temporis quo committuntur, ut præterita & præsentia actu remittantur, futura verò quum admissa fuerint, remittenda sint certissimè ex Dei promissione.

CONTROVERSIA. I.

Actus credendi non est nostra justitia.

An fides justificet propriè & per se? Neg. cont. Soc. & Remonst.

Non quæritur; An Fides justificet? Ita enim clarè Scriptura hoc asserit, ut nemo negare audeat: Sed quæritur de

de *modo* quo justificat. *Sociniani* pertendunt, fidem seu actum credendi esse causam justificationis nostræ, ut non alia sit immediata ac formalis justitia, quâ justi sumus coram Deo, quam fides nostra; non quòd fides virtutem efficiendi justitiam & vitam in se contineat; sed quòd censeatur talis per gratuitam Dei acceptilationem, quâ visum ei reputare fidem pro perfecta justitia, ut Socinus de Servatore passim loquitur. Contra hos militant sequentia

ARGUMENTA.

1. Fides est tantùm organum accipiendæ justitiæ; Proprius enim ejus actus est Christum recipere. Joh. 1. 12. Justitiam recipere. Rom. 5. 17. & remissionem peccatorum. Act. 26. 18. Joh. 1. 12.

2. Fides distinguitur ab ipsa justitia, quæ nobis imputatur, tum, quia dicitur esse ex fide, & per fidem. Rom. 1. 17. & 3. 22. Phil. 3. 9. tum quia Christus cum obedientia & satisfactione sua, est illa justitia quæ nobis imputatur; ut antea probatum.

3. Non justificamur nisi per perfectam justitiam; siquidem res nobis est cum exacta justitia Dei. At fides nulla hîc est perfecta. Exc. *Non est quidem justitia perfecta ex se, sed pro tali admittitur à Deo; per gratuitam acceptilationem.* R. In foro justitiæ divinæ, quæ adæquatam, & omnibus numeris absolutam postulat solutionem, non potest dari locus acceptilationi, quæ est imaginaria solutio. 2. Cùm justificatio nostra sit actus forensis & judicialis, ubi Deus se justum ostendit. Rom. 3. 25. non admittit acceptilationem, quæ nunquam procedit per authoritatem & sententiam judicis, sed per voluntariam & privatam stipulationem partium. Exc.

4. Si Fides reputatur pro justitia, justificabimur operibus, quia sic fides non potest non habere rationem operis quum justificat. At in hoc negotio clarum est, Paulum semper opponere fidem operibus.

OBJECTIO.

Fides Abrahami dicitur illi imputata ad justitiam. Gen. 15. 6. & *Rom.* 4. 3. R. Hoc non intelligendum propriè, quia sic justificatus fuisset operibus, quod ibidem Apostolus negat. Sed vel *relativè* & *metonymicè*, ut fides sumatur pro Gen. 15. 6. Rom. 4. 3.

Gal. 3. 25. objecto suo, ut etiam sumitur. Gal. 3. 35. *Postquam venit fides, non amplius sumus sub pædagogo.* Sensus itaque est: Illud quod fides credidit, promissio sc. illa de semine, non tam corporali quàm spirituali, quam per fidem recepit, fuit fundamentum justificationis suæ, quod confirmatur ex eo, quòd imputari hîc dicitur quod non inhæret, & quod contradistinguitur operibus: Ita Fides dicitur imputari ad justitiam per hypallagem, quia justitia imputatur per fidem, ut Apostolus declarat. v. 5. 6. & 3. 22. Potest etiam fides dici imputari ad justitiam *organicè*, quia est causa instrumentalis, quæ justitiam Christi apprehendit, per metonymiam effecti pro efficiente, ut alibi dicitur vita æterna. Joh. 17. 3. & 12. 50. i. e. causa vitæ, sc. instrumentalis.

Joh. 17. 3.

CONTROVERSIA. II.

Fides non justificat dispositivè, aut meritoriè.

An fides justificet dispositivè, vel meritoriè?

Neg. cont. Pontif.

Pontificii volunt, Fidem esse causam disponentem, & sine qua non, quæ non tantùm disponat ad justitiam, sed etiam ipsam justificationem inchoet & mereatur: Quæ sententia nititur falsâ hypothesi, quasi justificatio consistat in infusione justitiæ, & sit motus quidam physicus, qui exigat dispositiones prævias in subjecto ante formæ introductionem. Nos verò fidem non justificare *dispositive* vel *meritoriè*, ut initium & radicem justitiæ, probamus sequentibus.

ARGUM.

1. Quia Spiritus S. nuspiam fidei initium, vel partem tantùm aut dispositionem ad justificationem tribuit, sed totam & integram justificationem.

2. Quia sic non valeret antithesis Apostoli inter opera & fidem, siquidem fides ad modum operis justificaret.

3. Quia Justificatio, utpote actus forensis sit simul & semel, & ἐν ἀπόμῳ, nec potest admittere initium & progressum.

4. Quia sic possemus dici justificari διὰ τὴν πίστιν, propter fidem, quod Scriptura nunquam dicit, sed semper vel πίστει, vel διὰ τῆς πίστεως, ἐκ πίστεως, per fidem, vel fide, tanquam instrumento.

OBJECTIONES.

1. *Fides est initium justitiæ, & radix omnium virtutum.*

R. Fi-

R. Fides potest spectari vel *in ipso actu justificationis*, vel in *effectu justificationis*. In *persona justificati* bene dicitur initium justitiæ, non imputatæ, sed inhærentis, quia est radix omnium virtutum. Ita in *effectu justificationis* est principium & causa novæ obedientiæ. Sed in *actu justificationis* non aliud potest esse quàm instrumentum apprehendens & applicans homini illud quod justificat, ut fidei non *merito*, sed *medio* tantùm justificetur.

2. *Fides dicitur nos servare. Luc.* 7. 50. R. Non aliquid merendo, in ordine ad justificationem; sed tantùm receptivè & organicè, quia fuit instrumentum istius beneficii receptivum; Et nihil frequentius est, quàm per metalepsim effectum causæ principalis tribuere instrumento; ut quum *Evangelium* dicitur *potentia Dei ad salutem.* Rom. 1. 16. manus sedula dicitur domum augere, aratrum ditare colonum, manus dantis pauperem locupletare, &c. Luc. 7. 50.

3. *Fides est opus Dei. Hoc enim est opus Dei, ut credatis. Joh.* 6. 29. R. Aliud est esse opus, aliud justificare ut opus. Quod justificat ut instrumentum, non justificat statim ut opus, quamvis instrumentum illud sit opus. Actio ergo fidei nos justificat, sed non qua actio simpliciter, quasi esset nostra justitia coram Deo, sed relatè ad objectum, quatenus recipit Christum: Ut extensio manûs mendici est quidem actus mendici à divite præscriptus, non tamen quà actus mendicum ditat, sed quatenus hoc modo donum divitis sibi applicat. 2. Joh. 6. Fides à Christo vocatur opus μιμητικῶς, & per allusionem ad sensum Judæorum, qui per opera legis quærebant vitam: *Quid faciemus*, dicebant, *ut operemur opera Dei?* Huic sermoni Legali respondet Jesus non legaliter, sed Evangelicè, stylo tamen legali, phrasin legalem ex sermone Judæorum arripiendo, & sermoni suo applicando, *Hoc est opus Dei ut credatis*, innuens nullum amplius opus necessarium esse ad salutem acquirendam, sed unam fidem loco omnium operum substitutam esse ad eam accipiendam; q. d. faciant opera, tantùm credite, hoc opus, hic labor. Planè ut ægro petenti quo pharmaco sit convaliturus; si medicus, respondet; hoc est pharmacum quod præscribo tibi, ut quiescas, & mihi confidas; non vult innuere, quietem & fiduciam illam esse remedium aliquod quo sit convaliturus; sed id tantùm vult, nullo opus esse pharmaco. Ita Scriptura no- Joh. 6. 29.

mina rerum, quibus magnam efficaciam homines tribuunt falsò, sæpe tribuit iis rebus, quæ sunt efficaces: Sic regeneratio dicitur circumcisio. Phil. 3. 3. Fideles filii Abrahæ, charitas & pietas jejunium. Jes. 58. & fides opus.

Fides justificat ut instrumentum.

XI. Verus ergo modus justificationis fidei non alius est quàm instrumentalis. 1. Quia proprius ejus actus consistit in receptione Christi, & ejus justitiæ. 2. Quia non alio modo justificat, quàm quo tendit in mortem & obedientiam Christi, nim. apprehendendo & sibi applicando Christum, ut ἀντίλυτρον, pro nobis datum, & ἱλασμὸν pro peccatis. 1. Joh 2. 2. 3. Quia Fides in Scriptura describitur per *manducationem*, *intuitum & contactum*, quæ causalitatem tantùm instrumentalem habent, non propriam efficientiam, ut non sanabat intuitus serpentis per se, sed relatè ad serpentem æneum, nec manducatio nutrit nisi per cibum ori ingestum.

CONTROVERSIA.

Sola Fides justificat.

An sola fides justificet? Aff. c. Pontif.

Pontificii, vestigia prementes Pseudo-Apostolorum, qui legem cum Evangelio, Mosen cum Christo, & Fidem cum operibus in negotio justificationis consociârunt, propterea ab Apostolo notati in Epist. ad Galatas, Philippenses, & Colossenses; *Pontificii*, inquam, horum prementes vestigia cum fide in negotio justicationis timorem, spem, dilectionem, pœnitentiam, & novæ vitæ propositum ad justificationem concurrere pertendunt.

Non autem quæritur: An *fides solitaria*, i. e. separata, à cœteris virtutibus justificet, quod fieri non posse facile concedimus, cùm ne quidem sit vera & viva fides: Sed, an *sola* concurrat ad actum justificationis, quod asserimus, ut oculus solus videt, sed non revulsus à corpore. Ita particula *sola* non determinat subjectum, sed predicatum, i. e. sola fides non justificat, sed fides justificat sola; non negatur *coexistentia* charitatis cum fide in eo qui justificatur, sed *coefficientia*, vel cooperatio in justificatione. Nec quæritur: An fides quæ justificat sit operosa per charitatem, quia alias non esset viva sed mortua; sed, an quà justificat, seu in actu ipso justificationis sub tali χείσῳ spectanda sit? Quod negamus.

AR-

ARGUMENTA.

1. Ex locis expressis. Rom. 3. 28. *Concludimus hominem justificari fide, sine operibus legis.* Rom. 3. 28. Eph. 2. 8. *Gratiâ estis servati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus.* Gal. 2. 16. *Scientes hominem non justificari ex operibus Legis, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως, sed per fidem Jesu Christi.* Excip. *ἐὰν μὴ est exceptivum, ut sit sensus, hominem non justificari operibus, nisi fides in Christum accedat ad opera.* R. Hoc ipsum est quod Paulus oppugnat contra Pseudo-Apostolos, qui non opera sola pertendebant hominem posse justificare, sed fidem cum operibus miscebant, ut partim fidei, partim operibus justificatio tribueretur, quod ἀσύστατον esse Paulus non semel testatur, ut *Salmero* & *Estius* hoc agnoscunt. Eph. 2. 8. Gal. 2. 16. Excip.

2. Per illud solum justificamur, per quod applicatur nobis justitia Christi, qui pro nobis Legi satisfecit: At hoc fit per solam fidem.

3. Eadem ratione quâ Abrahamus Pater credentium justificatus est, eadem & nos justificamur: At Abrahamus solâ fide justificatus est. Gen. 15. 6. *Credidit Abraham Deo, & illi imputatum est ad justitiam, non ex debito*, propter opera antecedentia fidem, vel subsequentia, sed ex gratia, ut non haberet de quo gloriaretur. Rom. 4. 2. Exc. *Excluduntur opera fidem præcedentia, non quæ sunt ex fide facta.* R. Neg. Nam excluduntur omnia omninò opera sine distinctione, & quidem opera Abrahæ non tantùm infidelis, cùm hoc dictum sit de ipso jam fideli & regenito. Rom. 4. 2. Exc.

4. Quia gratis & per gratiam Dei justificamur. E. Solâ fide, quia sola fides potest consistere cum gratia. Rom. 3. 24. 25. Exc. *Particula gratis non excludit merita absolute, sed merita propria seu quæ sunt ex nobis, non ex Deo.* R. Imò particula *gratis* omnia omninò excludit merita, quicquid enim gratis donatur, id nullo merito acquiritur; Nec gratia quæ est indebita subsistere potest cum merito, quod mercedem facit debitam: Unde Rom. 11. 6. *Si ex gratia tum ex operibus, aliàs gratia non esset gratia*, &c. Rom. 3. 24. 25. Exc.

OBJECTIONES.

5. *Fides à reliquis virtutibus separata non justificat. E. non sola fides.* R. Aliud est justificare solam, sed non separatam, aliud justificare sine virtutibus, i. e. separatim ab illis. Unde non sequitur: Sola manus scribit, solus oculus videt.

E. tam revulsus à capite & cæteris membris, quàm in corpore. Quamvis ergo cæteræ virtutes non justificent cum fide, non tamen fides iis absentibus potest justificare, quia fides non potest esse vera, nisi in communione virtutum, quæ si non conferunt quoad justificationem, conferunt tamen ad fidei existentiam & vitam, quam præsentia vitiorum destrueret.

Luc. 7. 47. 2. *Remissa sunt illi multa peccata, nam multum dilexit.* Luc. 7. 47. R. Aliud est dilectionem peccatricis esse causam remissionis peccatorum *à priori*; aliud esse effectum & argumentum *à posteriori*. Posterius affirmatur h. l. non prius, ut colligitur. 1. Ex scopo parabolæ, qui est demonstrare, uter ex duobus debitoribus, quibus debitum gratificatus est creditor, plus debeat diligere creditorem, in signum sc. gratitudinis. 2. Ex responsione Petri: *Existimo eum cui plus gratificatus est*, ubi dilectio ponitur ut consequens remissionem, non ut antecedens. 3. Ex fine v. 47. ubi parva remissio ponitur ut causa exigua dilectionis; *Ille cui parum remittitur, parum etiam diligit.* 4. Ex v. 50. ubi salus tribuitur fidei istius mulieris, non dilectioni. *Fides tua te salvam fecit.* Nec obstat particula ὅτι, quia est tantùm ratiocinativa, non causalis, causa consequentiæ, non consequentis, ut innuat inde cognosci & colligi multa peccata illi remissa esse, quia multùm dilexerit.

Jac. 2. 24. 3. *Iacobi* 2. 24. *Videtis igitur ex operibus justificari hominem & non ex fide tantùm.* R. Videtur h. l. Jacobus Paulo contradicere; sed conciliatio non est difficilis, si scopus utriusque spectetur, & natura fidei ac justificationis expendatur. Paulus disputat adversus Pharisæos, qui operum merita urgebant: Jacobus adversus Libertinos & Epicuræos, qui sola fidei professione contenti, non modò operum merita, sed & necessitatem negabant. Adversus illos rectè Paulus solam fidem urget ad justificationem; adversus istos benè Jacobus operum necessitatem commendat ad justificationis confirmationem. Paulus de fide viva & efficaci loquitur; Jacobus de otiosâ & mortuâ, quæ ex operibus non possit demonstrari. v. 18. Paulus de *justificatione à priori & constitutivè*; Jacobus de eadem *à posteriori & declarativè*. Illam benè Paulus in sola fide constituit; Istam rectè Jacobus in operibus collocat, quibus veritas fidei & justificationis nostræ declaratur, non tantùm coram hominibus, sed etiam coram Deo. Quum ergo

fides

fides dicitur *cooperata cum operibus in Abrahamo, & per opera consummata* v. 22. hoc intelligi debet ratione efficaciæ fidei, quæ se exeruit per opera, per quæ etiam consummata est & perfecta, non essentialiter, hoc enim habet à natura sua, sed declarativè, quia demonstrata est perfecta & sincera, quomodo *virtus Dei* dicitur *perfici in infirmitate nostra.* 2. Cor. 12. 9. i. e. perfecta cognosci & declarari.

CONTROVERSIA. II.

An fideles V. T. verè justificati sint, & plenam remissionem peccatorum habuerint? Aff. contra Soc. & Remonst. — Fideles V. T. verò fuerunt justificati.

ARGUMENTA.

1. Scriptura S. ubique testatur, peccata ipsis remissa fuisse. Ps. 32. 1. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata,* Ps. 65. 4. *Iniquitatibus nostris tu propitiaberis.* Ps. 103. 3. *Deus propitiatur iniquitatibus tuis.* Jes. 6. 7. *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Jes. 43. 25. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* — Ps. 32. 1. Ps. 65. 4. Ps. 103. 3. Jes. 6. 7. Jes. 43. 25.

2. Deus convertentibus se & credentibus, apertè remissionem peccatorum promisit. 2. Chron. 7. 14. *Si conversus populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis; & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum.* Jes. 1. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Jes. 55. 7. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Habac. 2. 4. *Justus fide sua vivet.* — 2. Chr. 7. 14. Jes. 1. 18. Jes. 55. 7. Hab. 2. 4.

3. Cum fide remissionem peccatorum petierunt. 1. Reg. 8. 50. *Propitiaberis populo tuo qui peccant tibi, & omnibus iniquitatibus eorum quibus prævaricati sunt in te.* Ps. 25. 11. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum est enim.* Ps. 51. 3. 4. &c. *Lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me,* &c. — 1. Reg. 8. 50. Ps. 25. 11. Ps. 51. 3. 4.

4. Salvati & in gloriam recepti sunt. E. peccata ipsis remissa erant: Nam, sine illa remissione nemo salvatur.

Ps. 48. 15. 5. Deus fuit Deus illorum in æternum. Ps. 48. 15. Et Christus Dominus, agnus mactatus ab initio mundi. Apoc. 13. 8. Propter Christum ergo peccata ipsis remissa sunt.

6. Habuerunt Sacramenta & Sigilla remissionis peccatorum. Rom. 4. 11.

7. Plenè justificati sunt, ut exemplum habemus in Abrahamo. Rom. 4.

OBJECTIONES.

Act. 3. 38. 39. 1. *Act. 3. 38. 39. Non potuerunt per Legem Mosis justificari à peccatis.* R. Aliud est per Christi gratiam justificari ab iis omnibus, per quæ non potuerunt homines per Legem justificari; aliud, justificationem istam demùm conferri nobis sub N. T. Prius dicitur h. l. non posterius, quia non fit oppositio V. T. latè sumti cum Novo, sed externarum Ceremoniarum Legis, cum interna communione Christi; Ita nihil aliud innuitur, quàm fideles veritatem in gratia Christi habere, cujus umbra duntaxat in externa Legis Mosaicæ œconomia occurrebat, quomodo alibi Paulus testatur Ceremonias fuisse umbram futurorum, Corpus autem esse in Christo. Col. 2. 17.

Jer. 31. 34. 2. *Deus promittit remissionem peccatorum ut futuram in N. T. Jer. 31. 34.* R. Promissiones hoc Capite expressæ sunt intelligendæ non absolutè & simpliciter, quasi nullo modo fuerint sub V. T. sed secundùm quid & comparatè, quia longè clariùs & efficaciùs poponi debuerunt sub N. T. non quoad rem, sed quoad modum & gradum rei; quippe remissio sub V. T. dabatur per Christum moriturum; nunc verò datur per mortuum; i. e. factâ actuali expiatione. In N. T. remissio est lætior, consolatione plenior, uberior, quàm in Veteri; Et hoc est quod h. l. tantùm indigitatur.

Heb. 9. 15. 3. *Christus sanguine suo expiavit peccata V. T. Heb. 9. 15.* Quamvis propositus dicatur Christus in placamentum, ad remissionem peccatorum præcedentium; non sequitur fidelibus illius temporis nondum remissa fuisse, quia licet impetrata tunc tantùm fuerit, potuit jam ante applicari.

Rom. 3. 25. 4. *Habuerunt tantùm πάρεσιν dissimulationem. Rom. 3. 25. ubi Apostolus ait: Christum constitutum fuisse à Deo propitiatorium per fidem in sanguine ejus, ad ostendendam justitiam αὐτοῦ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ.* R. Locus non bene huc trahitur, quomodocunque expli-

Ἄφεσις & πάρεσις.

explicetur: sive propositio διὰ *causaliter* cum quibusdam intelligatur, & significet *propter*, ut notetur causa impulsiva istius propitiatorii à Deo instituti, & in Evangelio propositi, & πάρεσις referatur ad tempus, cui ἀνοχὴ Dei assignatur, sive intelligatur *finaliter* cum aliis, & valeat idem quod εἰς ad, ut πάρεσις sit finis, cur Christus proponatur in Propitiatorium, vel διὰ τοῦ πάρεσιν ponatur pro διὰ τῆς παρέσεως, *per remissionem*. Si posteriorem hunc sensum juxta plerosque interpretes Orthodoxos sequimur, πάρεσις idem erit quod ἄφεσις, q. d. *relaxationem*, metaphorâ ductâ à vinculis quibus nos quasi constrinxerunt peccata sub potestate Satanæ, quæ per Christi propitiationem laxari oportuit. Et sensus erit: Deum ideò proposuisse Christum propitiatorium per fidem in sanguine ejus, ut declararet justitiam suam, per & propter remissionem peccatorum præcedentium & futurorum, sed ut vim redemtionis Christi amplificet, quæ non ad præsentia solùm, sed ad præcedentia peccata etiam expianda fuerit efficax. Si prior sensus retinetur, πάρεσις notabit quidem præteritionem & dissimulationem peccatorum, quorum pœnam non voluit exigere sub V. T. sed eam distulit ad adventum Christi, peccata interim tolerando ἐν τῇ ἀνοχῇ, & quasi ὑπεριδὼν. Act. 17. 30. Sed tunc respiciet non tam Patres, quam Christum Sponsorem, à quo pœnam ab initio exigere non voluit, sed peccata in ipsum translata reliquit impunita usque ad plenitudinem temporis. Ista πάρεσις verò non obstitit, quo minùs ipsi Patres potuerint jam tum gaudere ἀφέσει, plenam remissionem peccatorum suorum obtinendo virtute expiationis futuræ. Ita sensus erit: Deum proposuisse Christum in placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad ostendendam justitiam suam, propter πάρεσιν, præteritionem & dilationem pœnæ peccatorum præcedentium, quæ facta fuerant tempore tolerantiæ Dei, quam ideò distulit, non ut ea impunita omninò relinqueret, sed ut illa suo tempore in Christo puniret, & justitiam suam adversus peccata ostenderet, quæ non adeò clarè ostensa fuerat sub ἀνοχῇ peccato nondum punito. 2. Distinctio quæ obtenditur inter πάρεσιν & ἄφεσιν, ut πάρεσις fuerit tantùm sub V. T. sed ἄφεσις propria sit Novi, solido caret fundamento. Nam α. Duæ istæ voces promiscuè sumuntur apud authores.

Budæus παρίημι dicit esse *indulgere*, *permittere*, *condonare*. Hesychius παρέηκε, συγχωρῶ, ἀφίημι, & πάρεσιν per ἄφεσιν & συγχώρησιν interpretatur. β. Verbis סלח כבל נשא & vocibus כפרה & כליחה quibus exprimitur remissio ipsis concessa, respondet verbum ἀφιέναι, & vox ἄφεσις. γ. Si ista distinctio locum habere deberet, nec Johannes Baptista ante actualem expiationem Christi morte factam, quam ἄφεσις sequi dicitur, potuisset baptizare εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Marc. 1. 4. Nec Christus benedicerer paralytico & peccatrici. Luc 5. 20. & 7. 47. ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι, vel juberet discipulos pro ἀφέσει peccatorum orare. Matth 6. 12. Nec Petrus rectè assereret. Act. 10. 43. *Omnes Prophetas testimonium Christo dare, quòd omnis in Christum credens accepturus sit in ejus nomine* ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Nec denique Paulus justificationi Veterum ἄφεσιν tribuere debuisset, ut facit tamen. Rom. 4.

Marc. 1. 4. Luc. 5. 20. & 7. 47. Matth. 6. 12. Act. 10. 43.

5. *Ubi est remissio peccatorum, nullum amplius requiritur sacrificium. Heb.* 10. 18. R. Ἄφεσις potest metonymicè sumi pro ejus fundamento, seu causa meritoria, expiatione nim. actuali per sanguinem Christi: Hac quippe præstitâ Sacrificia Vet. Test. eam adumbrantia reverà cessare debuerunt.

Heb. 10. 18.

CONTROVERSIA. III.

An Deus peccata Patrum ab iis exigere potuerit?

An Deus peccata Patrum V. T. ab iis exigere, & in iis punire potuisset? Neg. cont. eosdem.

ARGUMENTA.

Jes. 43. 25. 1. Promiserat se non facturum. Jes. 43. 25. *Ego, ego ipse deleo defectiones tuas propter me; & peccatorum tuorum non recordor.*

Ps. 89. 24. 35. 2. Expresso juramento testatus est, se non mutaturum fœdus. Ps. 89. 34. 35. quo impossibile est ut mentiatur. Heb. 6. 18.

Jes. 49. 15. 3. Quàm id impossibile sit, ostendit. Jes. 49. 14. *Si mater infantis possit oblivisci, ego tamen vestrûm non obliviscar.*

OBJECTIONES.

Heb. 10. 3. 1. *Heb.* 10. 3. *Quotannis fiebat rememoratio peccatorum.* R. Hoc tamen non obstitit, quò minùs ceremoniæ in χέσει sua Evangelica, ipsis adumbraverint expiationem peccatorum suorum futuram in sanguine Christi; Nam, dum

dum ab una parte reatum exprobabant peccatoribus, & mortem debitam interminabantur, ad terrorem iis incutiendum; ex altera, mediatoris mortem adumbrabant, & obsignabant ejus gratiam ad consolationem piorum.

2. *Christus nondum satisfecerat.* R. Hoc tamen nihil derogat veritati & certitudini justificationis fidelium illius temporis; quia solutio danda fuit certissimè à sponsore, juxta Decretum Dei, cujus virtute remissionem peccatorum potuerunt obtinere, ut causæ morales solent agere antequam sint actu. 2. Ubi agitur de solutione propria & personali debiti pecuniarii, non datur debiti expunctio, nisi præstitâ solutione. Sed alia ratio est satisfactionis vicariæ in debito pœnali, in quo sponsio sola, modò sit infallibilis, sufficit ad liberationem Rei.

An Christus sub. V. T. habuerit tantum rationem sponsoris, fidejussoris, an etiam Expromissoris? An Patres V. T. adhuc fuerint sub ira & maledictione, nec ἄφεσιν, sed tantùm πάρεσιν habuerint?

XII. Ex jam dictis patet, quid sentiendum sit de hac quæstione. *An Christus sub V. T. habuerit tantùm rationem Sponsoris, Fidejussoris; an etiam expromissoris?* i. e. an sponderit quidem pro electis, sed ita ut in ipsum non facta sit absoluta debiti translatio, nec liberati fuerint Patres à reatu peccati, sed Deus sibi jus retinuerit in ipsos ad infligendam pœnam, si Christus sponsionem deseruisset, illique non satisfecisset? Item: *An Patres sub. V. T. dici possint fuisse adhuc sub ira Dei, & maledictione Legis, & permansisse in reatu peccati, usque ad mortem Christi; nec habuisse ἄφεσιν, seu plenam & proprie dictam remissionem peccatorum, sed tantùm πάρεσιν?* *Clarissim. Turretinus* respondet negando, his nixus argumentis. 1. Cùm *fidejussor* ille sit, qui ita pro alio obligatur, ut nihilominùs ille alius obligatus maneat, usquedum fidejussor solverit: *Expromissor* verò is, qui alienam obligationem in se suscipit liberato reo, aut eo nomine non obligato, cùm obligari deberet; Christus non potest dici in V. T. tantùm fuisse fidejussor; nam hoc repugnat naturæ sponsionis Christi, ob quam *Deus conjecit in ipsum iniquitates omnium nostrum, & castigatio pacis nostræ ipsi imposita fuit, ut ex ejus livoribus sanatio nobis esset.* Jes. 53. 9. 7. Quomodo verò conjecta possunt dici in Christum peccata hominum, si sponsio ejus non fuit absoluta, per veram debiti translationem supra se, & reorum liberationem? 2. Expromissorem verum, non merum fidejussorem exigebat Dei justitia, quæ ut non potuit solutionem à primis debitoribus exspectare, ita non potuit aquiescere nisi

nisi in absolutâ filii sponsione, nec illi conveniebat Christum simul & Electos eodem decreto manere obligatos, cùm ideo in Vadem ipsis sit datus, ut eo ipso liberi dimitterentur. 3. Sponsor debuit esse ἀνάψυχος, qui se pro reis substitueret ad pœnas illis debitas patiendas, & eos hac ratione liberandos, quod fidejussor merus non potest præstare, qui spondet tantùm ad certiorandam fidem creditoris de accipienda solutione, sed non præcipuè suâ. 4. Aliàs dicendum foret, eos liberatos fuisse, & tamen mansisse obligatos, justos habitos fuisse coram Deo, & tamen fuisse semper sub reatu, quod est ἀσύστατον. 5. Repugnat tum *naturæ fœderis gratiæ*, sub quo Patres vixerunt, & vi cujus fuerunt liberati à maledictione Legis, irâ Dei, reatu peccati, &c. tum *justificationi & saluti Patrum*; Nam, si justificati sunt & salvati, quomodo dici possunt fuisse adhuc sub reatu & conscientia peccati? tum *naturæ fidei justificantis*, quam Patres habuerunt; Cùm enim potissimum consistat in fiduciali apprehensione & applicatione justitiæ Christi & satisfactionis ejus perfectissimæ, sive ut jam præstitæ, sive ut infallibiliter fide præstandæ, quam sequitur pax cum Deo, παῤῥησία ad ipsum accedendi, tranquillitas conscientiæ, & solida consolatio in vita & morte; concipi non potest, quo modo, qui tali fide præditus est, possit dici esse adhuc sub reatu & conscientia peccati, & sub execratione Legis. Quæ objectiones hîc possent afferri, superioribus duobus quæstionibus de justificatione Patrum V. T. sunt discussæ.

CONTROVERSIA.

De perseverantia Sanctorum.

An contingere possit, ut verè regeniti, filii Dei totaliter & finaliter à fide, gratia Dei, & remissione peccatorum excidant? Neg. cont. Pontif. Socin. Remonst. & alios Patronos Apostasiæ Sanctorum.

Non quæritur: 1. De fidelibus & Sanctis *æquivocè* sic dictis, tum ab externa vocatione & professione propria, tum ex præsumtione propria, tum ex opinatione aliena; quos non modò deficere posse à fide sua, sed & reipsa deficere fatemur. Sed de iis, qui *univocè & propriè* tales sunt, Christo Servatori per veram fidem insiti, quibus fundamentalia

mentalia & salutaria dona adoptionis, justificationis, Sanctificationis, non destinata tantùm fuêre, sed etiam collata.

Non quæritur. 2. De possibilitate deficiendi *à parte hominis*, & *in sensu diviso*; Nemo enim negat Fideles in se spectatos pro mutabilitate & infirmitate naturæ suæ non tantùm deficere posse, sed nihil posse aliud sibi relictos, accedentibus inprimis Satanæ & mundi tentationibus. Sed *à parte Dei*, quoad ejus Propositum, *in sensu composito*, & ratione ipsius eventûs, quo sensu impossibilem dicimus eorum defectionem, non absolutè & simpliciter, sed hypothetice & secundùm quid: Quod probè observandum, quia adversariorum exceptiones contra nostram doctrinam ferè omnes eò recurrunt; quòd Deus quidem nobis non desit, sed nos desimus nobis: Nos ipsos nos separare à Deo, &c. Cùm tamen quæstio non agat de infirmitate hominum, sed de potentia Dei, quæ suos quos semel amavit, è manu sua nunquam emittit.

Non quæritur. 3. De *actu vel exercitio fidei*: An possit intercipi & deficere etiam quoad tempus, quod nimis quotidie experimur; sed de *Essentia vitæ spiritualis, & statu ac habitu fidei*; Non, an fides possit imminui, & vita spiritualis vehementem syncopen pati; sed, an possit eatenus debilitari & corrumpi, ut prorsus auferatur, & esse desinat.

Non quæritur. 4. An fidelis *demeritoriè* possit amittere fidem, & vinculum communionis Christi, quantum in se est, abscindere; ut per ipsum non stet quo minùs separetur à Christo, & fidei jacturam faciat. Sed, an de facto & *effectivè* fidem penitus perdere possit, & à Christo separari; quod propter intercedentem Dei gratiam fieri non posse sustinemus.

Non quæritur. 5. An dum in atrocia incidit peccata, indignationem Dei paternam incurrat, justificationis & adoptionis sensu privetur, aptitudinem & dispositionem ad regnum cœlorum, quæ in praxi fidei & sanctitatis consistit, amittat, & reatum damnabilem contrahat, ita ut dum in eo statu impœnitens manet, debeat statuere se morti esse obnoxium, & certo moriturum, nisi convertatur. Sed, an propterea in odium hostile Dei judicis incidat, quo jus ad regnum cœlorum ab ipso auferatur, status adoptionis & justificationis abrogetur, & fidei ac regenerationis gratia

tia penitus ex corde ejus eradicetur? Quod vellent adversarii, nos negamus.

Adversarii verò hîc in duas classes distinguuntur. Quidam pugnant tantùm pro intercisione fidei & justificationis, ut fides quidem *totaliter* deficiat, sed non *finaliter*, restituta sc. ante obitum per singularem Dei gratiam; Alii non modò totalem, sed & finalem urgent sanctorum Apostasiam, & fidei excisionem. Utrique oppugnantur sequentibus.

ARGUM.

1. *Ex Electione Dei:* Cùm enim consilium hoc sit æternum & ἀμεταθέτον. Heb. 6. 17. Rom. 9. 11. & fundamentum στέρεον, firmum. 2. Tim. 2. 19. efficax tum ratione finis, tum ratione mediorum indivulso nexu cum fine conjunctorum. Rom. 8. 29. 30. E. fides, quæ fructus est istius electionis immutabilis, & medium infallibile salutis, non potest non esse firma & immutabilis.

2. *A fœderis gratiæ natura*, quod cum firmum sit & immutabile, perpetua etiam debent esse & immutabilia, quæ ab ipso pendent beneficia, qualia sunt fides, justificatio, & regeneratio. Quod Jeremias testatur, cap. 31. 32. 33. ubi asserit, Deum velle pangere novum fœdus cum Ecclesia, quo salutaria omnia ipsi largiturus sit dona, tum justificationis, non recordando amplius illius peccatorum, tum sanctificationis, per inscriptionem Legis in cordibus; sed & perpetua illa redditurum & æterna, tum amore constanti eos prosequendo, ne ab ipsis recedat, tum timorem sui ipsis indendo, ne recedant ab ipso. *Pangam cum ipsis fœdus æternum, me non recessurum ab ipsis, ut benefaciam ipsis*, inquit, cap. 32. 40. *ut non avertam me, & reverentiam mei animis ipsorum indam, ut non recedant à me.* Verba sunt emphatica: Cùm enim duo tantùm possent irritum reddere istud fœdus, hinc amoris Dei mutatio, inde verò timoris & fidei nostræ inconstantia & labilitas, Deus adversus utrumque periculum nos confirmat, quum illis pollicetur & amoris sui constantiam, ne recedat à nobis, & timoris nostri perpetuitatem, ut non recedamus ab ipso.

Jer. 31. 32.

32. 40.

Exc. *Agitur de reductione populi ex captivitate Babylonica. v.* 37. R. Licèt oraculum possit eò referri quoad beneficium temporale, ulterius tamen respicere ad tempora N. T. quoad beneficium spirituale, & Christus ipse docet. Joh.

Exc.

Joh. 6. 45. quando applicat omnibus electis, quòd futuri sint θεοδίδακτοι, quod Propheta de Israële dixerat, & Paulus clarè testatur. 2. Cor. 3. & Hebr. 8. in applicatione ejus ad fœdus N. T.

3. Huc pertinent illustres illæ promissiones. Deut. 31. 8. Hebr. 13. 5. *Nunquam te deseram, nec te derelinquam.* Jes. 54. 10. *Montes recedent, & colles amovebuntur, attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ*, inquit Jehova. Fœdus gratiæ cap. 55. 3. vocatur fœdus sempiternum & τὰ ὅσια πιστὰ Δαβὶδ, misericordiæ fideles & constantes Davidis, quæ Davidi promissæ sunt, quæ vel in Davide mystico fundantur, & sunt Etiam & Amen. *cap.* 59. 21. *Et hoc est fœdus meum quod pangam cum iis; Spiritus meus qui est in te, vel super te, & verba mea quæ posui in ore tuo, & de ore seminis tui, & nunc & usque in seculum.* Hos. 2. 19. *Desponsabo te mihi in sempiternum.* Joh. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & novi ipsas, & ipsæ sequuntur me, & ego do eis vitam æternam & in æternum non peribunt, nemo rapiet eas de manu mea, quia Pater qui mihi eas dedit, major est omnibus.* Sic. Matth. 16. 18. *Portæ inferorum non prævalebunt contra Ecclesiam.*

Deut. 31. 8. Hebr. 13. 5. Esai. 54. 10. & 55. 3. cap. 59. 21. Hos. 2. 19. Joh. 10. 27. Matth. 16. 18.

4. *A Christi Redemtoris merito & efficacia.* Quis enim credat Christum passurum esse, ut iis, quos tam carè emit, non auro, non argento, sed pretioso suo sanguine, & diris animi & corporis cruciatibus, & morte maledicta, ipsi subducti, in alterius & quidem infensissimi sibi hostis potestatem prolabantur? Quod fieri non posse, Christus ipse testatur. Joh. 6. 37. *Quicquid*, inquit, *dat mihi Pater, ad me veniet, & venientem ad me non ejiciam foras.* Et v. 39. *Hæc est voluntas Patris qui misit me, ut neminem perdam ex iis quos mihi dedit, sed eos suscitem novissimo die.* Hinc inde asserit, *se servâsse eos omnes quos illi Pater dedit, & neminem ex iis periisse.* Joh 17. 12. *Quia vivo*, inquit, *vos etiam vivetis.* Joh. 14. 19. ideò vocatur ab Apostolo ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς πίστεως, *dux & consummator fidei.* Hebr. 12. 2.

Joh. 6. 37. v. 39. Joh. 17. 12. Joh. 14. 19.

5. Ex natura *unionis fidelium cum Christo*, tanquam membrorum cum capite, quæ intima est, & perpetuæ durationis, ita, ut nihil vinculum istud abrumpere possit, nec nos ab eo separare. Rom. 8. 38. quia *qui Christo agglutinatur, unus fit cum eo spiritus.* 1. Cor. 6. 17.

Rom. 8. 38. 1. Cor. 6. 17.

6. *Ab*

6. *Ab efficacia intercessionis*, quæ cum irrita esse non possit. Joh. 11. 42. certa & indubitata debet esse, quam tam solicitè pro suis petiit, Perseverantia. Sic pro Petro orat, ne fides ejus deficiat. Luc. 22. 31.

Luc. 22. 31.

7. *A Spiritûs S. custodia & obsignatione*; Quia Spiritus qui nobis datur, debet manere nobiscum in æternum. Joh. 14. 16. *Rogabo Patrem, & dabit vobis alium paracletum, qui mansurus est vobiscum in æternum*: Ubi promittitur mansio Spiritûs perpetua non modò in Apostolis, sed & in omnibus fidelibus, qui ex virtute fœderis gratiæ doni istius participes fiunt. Gal. 4. 6. Quod ulterius confirmatur ex operatione Spiritûs in nobis, quæ per *obsignationem* describitur, quum dicitur nos *obsignare ad diem redemptionis*. Eph. 1. 13. & 4. 30. At sigilla instrumentis appositа eorum immutabilitatem important.

Joh. 14. 16.

Eph. 1. 13. & 4. 30.

8. *Ex donorum per Spiritum nobis collatorum natura. Dona enim Dei & vocatio sunt ἀμεταμέλητα*, i. e. immutabilia & constantia: Quomodo autem essent sine pœnitentia, si homo potest ea amittere, vel penitùs ab illis deficere? Rom. 11. 29.

Rom. 11. 29.

9. *Ex natura vitæ spiritualis*, quæ per Spiritum nobis ingeneratur, quæ non est interitui obnoxia, sed perpetua & æterna: ideò fideles in gratia dicuntur jam habere vitam æternam; *qui credit in me, habet vitam æternam*. Joh. 5. 24. & 6. 40. Et 1. Joh. 5. 13. *Hæc scribo vobis, qui creditis in nomen filii Dei, ut sciatis, vos vitam æternam habere*. At si vita quam hic habemus per gratiam est æterna, quomodo extingui vel deficere potest?

Joh. 5. 24. & 6. 40.

1. Joh. 5. 13.

10. Ex illustri loco. 1. Joh. 3. 9. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen Dei manet in ipso, nec peccare potest, quia natus est ex Deo*. Ubi Apostolus non dicit, simpliciter, non peccare natum ex Deo, i. e. verum fidelem, sed *peccatum non facere*, i. e. ita ut peccatum illi dominetur, quo totus in Diaboli potestatem regrediatur, eo modo quo iregeniti peccant, cum studio & habitu peccandi: ut *justitiam facere* dicitur, non qui quodlibet opus justitiæ facit, sed qui illi dat operam per continuum ejus exercitium: ut *medicinam facere* dicitur, qui eam profitetur, & in ejus praxi versatur; *mercaturam facere, artem facere*, qui eam exercet. Non tantùm dicitur non peccare, sed ne quidem *id posse*, & id

1. Joh. 3. 9.

& id duplici de causa, primò, propter ipsum principium internum, quia semen Dei, i. e. Verbum & Spiritus Dei manet in ipso: secundò propter ipsam generationem ab isto semine factam, quia nativitas ex Deo habet causam sui conservatricem, & effectricem perseverantiæ in eo qui natus est.

11. Huc pertinent similia varia, quibus Spiritus S. utitur ad adumbrandam istius vitæ perennitatem; ut quum confertur semini incorruptibili. 1. Pet. 1. 23. fonti salienti in vitam æternam, ex quo quisquis bibit non sitiet in æternum. Joh. 4. 14. plantationi arboris ad rivos aquarum, cujus folium non decidit. Ps. 1. 3. Domui ædificatæ super rupem, quæ stat immota contra ventos, pluvias, & torrentum inundationes, Matth. 7. 27. 1. Pet. 1. 23. Joh. 4. 14. Matth. 7. 27.

12. Huc facit judicium quod fit in Scriptura de *Apostatis*, quasi a verè fidelibus planè diversis; *Egressi sunt ex nobis*, inquit Joh. Epist. 1. c. 2. v. 19. *Sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*, &c. E. illi, qui deficiunt, non sunt ex numero verorum fidelium. 1. Joh. 2. 19.

OBJECTIONES.

1. *Qui sunt palmites in Christo, possunt non ferre fructum, ideo excinduntur, & exarescunt. Joh.* 15. 2. 6. R. Tales in Christo dicuntur esse, quia sunt in Ecclesiæ societate, & per Baptismum Christo sunt initiati, & tum sua tum aliorum opinione videntur Christo insiti; sed qui illi adhærent potiùs per contiguitatem communionis externæ, quam inhærent per continuitatem communionis internæ & per influxum vivificum Spiritûs. Joh. 15. 2. 6.

2. *Heb.* 10. 29. *Qui Filium Dei conculcant, & sanguinem fœderis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit.* R. Deflexerunt tales tantùm a sanctificatione fœderali & sacramentali, & qualicunque externâ, non intimâ & reali. Heb. 10. 29.

3. *De Hymenæo & Phileto.* 1. *Tim.* 1. 19. 20. & 2. *Tim.* 2. 19. *dicitur: quod naufragium fecerant* περὶ τὴν πίστιν, *circa fidem rejicientes bonam conscientiam.* R. Id fecerunt recedentes a pura & sincera Evangelii prædicatione, quam ad tempus retinuerant, quo sensu dicuntur rejecisse bonam conscientiam, animi sc. sinceritatem, & affectum non fucatum Evangelii puritatem retinendi, quam abjecerunt, velificantes ambitioni, & aliis affectibus suis, interpolan- 1. Tim. 19. 20.

tes veram doctrinam variis erroribus exitialibus, qualis erat negatio resurrectionis ultimæ: Vel, repulisse dicuntur bonam conscientiam, non rejiciendo quam habuerant, sed eam non admittendo, quomodo τὸ ἀπώσασθαι, quod hîc habetur, primariâ significatione pro repulsione & rejectione ponitur rei quæ non habetur, ut Act. 13. 46. non pro excussione rei quæ jam possidetur.

Matth. 13. 20. 21. 4. *Matth.* 13. 20. 21. *Cùm venit persecutio, scandalizatur.* R. De fide historica, non justificante agitur: Dicit enim radicem in se non habere. v. 21. & distinguitur ab eo, qui in bona terra est. v. 23.

5. *David, Solomon, Petrus totaliter defecerunt.* R. 1. In genere. Exempla Sanctorum, qui in gravia peccata inciderunt, non probant eos defeciisse totaliter & finaliter à fide; quia aliud est labi in peccatum, aliud regno peccati subesse, ut aliud est labi in lutum, aliud in lutum se projicere, & cum voluptate volutari. Sancti primo modo peccant, non secundo. Si pro tempore à fidei & veritatis tramite aberrant, non penitùs à scopo deficiunt, in naufragio retinent tabulam, in hyeme semen, in paroxismo rationis principium, nec cum actu perit habitus, vel cum affectu seducto tollitur redeundi propositum. 2. Quod ad exemplum Davidis in specie. Peccavit quidem ille graviter & contra conscientiam, imò in peccato suo duplici, & adulterii & homicidii aliquandiu obtorpuit; unde fides ejus non modò imminuta, sed etiam sopita proculdubio fuit, ut sensum gratiæ ad tempus non perciperet: Sed totaliter tamen non defecit, quia non ex deliberata malitia, sed ex carnis seductione peccavit. Hinc reprehensus à Nathane, statim confessus est peccatum suum, & ad gratiam Dei confugit. Ideo Ps. 51. 13. 14. petit, non ut reddatur illi Spiritus, sed ne ab illo auferatur, & ut illi reddatur gaudium salutis, quod evincit, sensum quidem gratiæ interceptum fuisse, sed non gratiam ipsam penitùs ablatam. 3. Quod ad exemplum Solomonis; Gravibus quidem ille peccatis sese contaminavit, tum per idololatriam, tum per effrænem polygamiæ licentiam, tamen non totaliter defecit, ut colligi potest, tum ex illustri promissione, quæ facta est Davidi de ipso. 2. Sam 7. 15. tanquam typo Christi: *Ero illi in Patrem, & erit ille mihi in Filium, si iniquè egerit, virgis hominum eum castigabo, misericordia mea non recedet ab ipso*

Ps. 51. 13. 14.

2. Sam. 7. 15.

ipso; tum ex singulari amore quo Deus illum complexus dicitur. 2. Sam. 12. 25. unde illi nomen *Iedidja*. i. e. dilectus Domini inditum; tum, quia fuit illustris typus Christi, quem sustinere non posset, si in Apostatarum & reproborum numerum reponendus esset; tum, quia Solomon post mortem laudatur. 2. Paral. 11. 17. ubi de Roboamo dicitur; *ambulavit in via Davidis & Solomonis triennio*; ubi de pietatis imitatione agitur, quod Sp. S. non dixisset, si penitus à fide defecisset, tum, quia 1. Reg. 11. 4. peccata ejus non sine emphasi ita recensentur: *Solomonis animus non fuit integer erga Deum suum, sicut fuerat animus Davidis Patris sui, nec plene sequebatur Iehovam sicut David pater ejus.* v. 6. tum denique ex ejus resipiscentia, cujus testis est Ecclesiastes, quem post lapsum, sub vitæ finem scriptum esse, ex summa libri colligitur. 4. Petrum, etsi Christum abnegaverit, non tamen totaliter defeciisse, patet, tum ex oratione Christi, qui pro illo oravit, ne fides ejus deficeret. Luc. 22. 32. tum ex eo, quia peccavit non ex malitia, sed ex timore, tum ex lacrymis quæ lapsum ejus secutæ fuerunt.

6. *Ezech.* 18. 21. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecit, non commemorabuntur, propter iniquitatem suam quam fecit, morietur.* Ezech. 18. 12.
R. 1. Est locutio hypothetica, quæ nihil ponit in esse, sed tantùm connexionem necessariam antecedentis cum consequente notat. 2. Si possibilitas aliqua defectionis notaretur à parte hominis, non tamen à parte gratiæ Dei. 3. Hîc, ubi Deus hominibus officium præscribit & Legislatorem agit, Deus eventus rerum à se Decretos non aperit. 4. Propheta h. l. ad hominem loquitur, cum iis, qui ex operibus Legis justificari volebant; cujus erroris vanitatem ut deregat Dominus, dicit justitiam justi nihil illi prodesse, nisi sit constans & perpetua, alias si se justus avertat, omnia opera sua præcedentia frustra esse; quòd cùm in seipsis animadverterent, mirum sibi videri non debere, si pœnas à justitia Dei inflictas sustineant.

7. *Fideles possunt à gratia excidere.* Gal. 5. 4. R. Aliud est à gratia excidere *positivè*, per realem gratiæ jam receptæ privationem; aliud verò excidere ab ea *negativè*, illam non assequendo. Illi de quibus loquitur Paulus posteriori sensu, non priori dicuntur excidisse à gratia, quatenus Gal. 5. 4.

tenus miscere volentes Judaismum cum Christianismo, & Legem cum Evangelio, justitiam suam cum justitia Christi, istâ se privabant, & ab ea ita excidebant, ut alibi de Judæis dicitur: Quòd consectando Legem justitiæ, ad Legem justitiæ non pervenerint. Rom. 9. 31. Cùm enim gratia & meritum sint ἀσύμβατα, non potest non gratiâ excidere quisquis justitiam suam in Lege quærit.

2. Pet. 2. 19. 20. 8. 2. *Pet.* 2. 19. 20. *Si postquam mundum effugerint, relabantur.* R. Illi non oves & verè fideles, sed porci & canes appellantur, v. 22. qui professione & promissis mundo valedixerant, non animo.

9. *Ad quid ergo hortationes & comminationes?* R. Media sunt, quibus Deus hominem ab interitu conservat. Deus enim promisit fidelibus perseverantiam non absolutè & sine mediis, sed per media ab ipso homine usurpanda conferendam.

Justificatio nostra non facta est ab æterno.

XIII. Quær. An justificatio facta sit ab æterno? R. Sunt qui volunt, justificationem factam fuisse ab æterno, qui concipiunt eam ut actum immanentem in Deo. Ut verò nihil de novo accedere potest Deo in tempore, jam in ipso ab æterno factam fuisse censent, & fidei tribui tantùm quoad notitiam & sensum, qui nos in ejus notitiam ducit, & de illa certos nos reddit. Sed, licèt decreta jam fuerit ab æterno justificatio nostra, non putamus accuratè loquendo justificationem ipsam posse dici æternam. Nam 1. aliud est Decretum justificationis, aliud ipsa justificatio. 2. Si hoc esset, Paulus in catena salutis non potuisset vocationem præponere justificationi. Rom. 8. 30. nec pôssemus dici per fidem & fide justificari, quia fides est aliquid ad justificationem prærequisitum. 3. Cùm justificatio, seu remissio peccatorum importet necessariò liberationem ab obligatione ad pœnam, hanc verò nemo possit consequi nisi positâ fide & pœnitentia; liquet, talem justificationem non potuisse fieri ab æterno, sed tantùm in tempore, quum homo actu credit & pœnitentiam agit. 4. Cùm justificatio sit Dei beneficium; beneficium autem non possit ad nos transire, nobisque actu conferri, nisi in tempore, patet non esse concipiendam ad modum actûs immanentis & interni in Deo.

Non fiet tantùm novissimo die.

XIV. Quær. An justificatio futura sit tantùm novissimo die? R. Quidam sunt, qui volunt, justificationem dif-

differri usque ad consummationem seculi, quasi tunc demùm propriè actum judicis Deus sit exercitarus. Sic enim perperam confunditur *declaratio justificationis* cum *ipsa justificatione*; Quamvis enim cœlestis judex tum ultimum actum judicii solemnem exerceat; hoc tamen non obstat, quò minùs jam in hac vita judicium istud inchoaverit. Imò hospitem oportet esse in Scriptura, qui ignorat, Deum proponi sæpe ut justificantem fideles in hac vita, ut passim patet Exemplis Abrahami. Gen. 15. 6. Davidis. Psalm. 32. 1. 2. 4. Rom. 4. 5. 6. Peccatricis. Luc. 7. 48. Publicani. Luc. 18. 14. & omnium Fidelium. Rom. 5. 1. Ne jam dicam, sententiam istam injuriam esse consolationi fidelium, quæ ex sensu gratiæ & justificationis oritur.

Sed fit in hac vita in Vocatione efficaci.

XV. Mediam nos amplectimur sententiam, quæ statuit, justificationem fieri in hac vita, in momento Vocationis efficacis, per quam homo peccator transfertur à statu peccati ad statum gratiæ, & unitur Christo Capiti suo per fidem. Hinc enim fit, ut justitia Christi illi imputetur à Deo, cujus merito per fidem apprehenso absolvitur à peccatis suis, & jus ad vitam consequitur, quam sententiam absolutoriam Spiritus in corde pronunciat, quum ait: Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.

An Justificatio sit actus indivisus?

XVI. Quær. An justificatio sit actus indivisus, qui fiat simul & semel? Resp. Non est indivisus *à parte nostri*, & ratione sensûs, qui fit per varios & iteratos actus, prout sensus iste potest interrumpi, vel augeri vel minui, ratione peccatorum intercurrentium; sed *à parte Dei*, non modò ratione Decreti, quo decreta est nostra justificatio, & ratione meriti, quo est impetrata, sed etiam ratione applicationis, quum intimatur nobis sententia absolutoria, quod sit unico actu, non pluribus successivè, quomodo justitia inhærens solet nobis infundi, licèt actus iste sæpius applicetur ad singula peccata quotidiana.

Adjuncta justificationis. Unitas.

XVII. Adjuncta Justificationis tria sunt: *Unitas*, *Perfectio* & *Certitudo*. *Una* est *specie* justificatio, seu æqualis in omnibus Fidelibus omnium temporum & locorum, quia Deus omnes credentes eodem modo justificat, videlicet gratiâ suâ, & merito Christi per fidem: *Deus* enim *unus est*, inquit Apostolus. Rom. 3. 30. *qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Una etiam est justificatio *numero in singulis*; quia non successivè ad mo-

dum sanctificationis iteratis actibus promovetur, sed unico actu judiciali peragitur, & credenti omnium peccatorum remissionem affert. Unde perperam Pontificii ex falsâ hypothesi de justificatione physica per infusionem justitiæ, geminam statuunt, *primam*, quâ homo ex injusto fit justus, per justitiæ infusionem, & *secundam*, quâ ex ~~in~~justo fit justior per justitiæ incrementum; quia everso semel hoc fundamento, ut factum supra, corruit quicquid illi superstruitur. Distinctio justificationis activæ & passivæ terminos illius spectat à quo & ad quem, non gradus aut species. Multiplices verò & subsequentes fidei actus non multiplicem arguunt justificationem activam, sed circa illius determinationem, applicationem, extensionem ad peccata quotidiana, ejusque sensum & πληροφορίαν, atque consolationem fidelis ex ea, occupantur. Licèt verò remissio peccatorum sæpius applicari debeat peccatis quotidianis, perperam tamen inde quis colligeret, peccata semel dimissa iterum revivisceere, & redire per subsequentia, ut quidam ex Pontificiis vellent: Cùm sit donum ἀμεταμέλητον, cujus Deum pœnitere non potest.

Perfectio. XVIII. *Perfectio* convenit justificationi secundùm quam ita est plena & absolura intensivè, ut sit expers quoad se incrementi & decrementi, nec recipiat magis & minus, licèt quoad ejus apprehensionem & sensum ita gradatim provehatur fides nostra, ut suos etiam profectus habeat & defectus.

Certitudo. XIX. *Certitudo* ejus duplex est; alia *objecti* in se per immutabilitatem & perseverantiam, quâ Deus remissionem semel datam nunquam revocat; alia *subjecti*, quæ respicit sensum justificationis, quæ licèt possibilis sit ex natura fidei, imò & necessaria ad pacem & solatium animæ conciliandum, non tamen est in eodem semper gradu, sed perfectior vel imperfectior pro ratione fidei, &c.

LO-

LOCUS XV.

De

DECALOGO ET BONIS OPERIBUS.

I.

Sanctificationis homonymia.

Sanctificationis vox hîc non usurpatur *latè* pro separatione qualibet ab usu communi, & consecratione ad usum sacrum, ut sæpe sumitur in Scriptura quoad res Sacras, quæ fit vel per *institutionem*, qualis est Sanctificatio diei septimi, vel per *relationem* signi, qualis est Sanctificatio Elementorum in Sacramentis, vel per *manifestationem*, quomodo Deus dicitur ab hominibus sanctificari, 1. Pet. 3. 15. Vel pro *sanctitate fœderali*, per externam vocationem, quomodo Israel dicitur sanctitas Jehovæ. Jer. 2. 3. Sed *strictè*, pro reali & interna hominis renovatione, per quam Deus hominem per fidem Christum insitum & justificatum, ministerio verbi & efficaciâ Spiritûs magis magisque à nativâ vitiositate liberat, & ad suam imaginem reformat.

Sanctificatio & Justificatio quomodo differant?

II. Sanctificatio à justificatione differt. 1. Justificatio est actus forensis; Sanctificatio physica & realis. 2. Justificatio magna parte extra hominem, in verbo Dei, & Christo fit: Sanctificatio verò in homine. 3. Justificatio nonnisi mutationem moralem & statûs infert; Sanctificatio realem, & novam creaturam. 4. Justificatio, simul & semel perfectè fit: Sanctificatio per gradus.

Sanctificatio non separanda à justificatione.

III. Quamvis verò distinguenda censeamus duo ista beneficia; Ita tamen sunt connexa ex Dei ordine, & rei naturâ, ut nunquam sint divellenda. Nam 1. Cùm per justificationem jus habeamus ad vitam, nec quisquam ad communionem cum Deo possit admitti sine sanctificatione; necesse est illum quem justificat Deus, etiam ab eo sanctificari, ut idoneus reddatur ad possessionem gloriæ.

2. Christus duplicem χέσιν sustinet, *Vadis* & *Capitis*, qua Vas nos justificat, & qua Caput sanctificat; ratione prioris mors ejus est causa meritoria justificationis, ratione posterioris est causa exemplaris sanctificationis. 3. Spiritus qui nobis datur non tantùm est *Spiritus adoptionis* qui obsignat justificationem nostram, sed & *Spiritus Sanctificationis*, qui eam inchoat & promovet. 4. Fides, ut est organum justificationis, recipiendo justitiam Christi; ita est radix & principium Sanctificationis, dum purgat corda, & efficax est per charitatem. Gal. 5. 9. 5. Idem probant Sacramenta, quæ administrantur ad obsignanda beneficia Christi: *Baptismus*, qui administratur in remissionem peccatorum. Act. 2. 38. est etiam lavacrum regenerationis. Tit. 3. 5. Etsi in *cœna* exhibetur nobis Christi corpus fractum, & sanguis effusus in remissionem peccatorum: Matth. 26. 28. ibidem exhibentur ut alimenta vitæ spiritualis, quæ in sanctificatione consistit. 1. Cor. 10. 16.

CONTROVERSIA.

Sanctificatio non consistit in sola morum mutatione.

An Sanctificatio consistat in sola morum mutatione? Neg. contra Socin.

Sociniani, corruptionem originalem negantes, & quicquid labis ac vitii nobis ineſt, id crebris peccati actibus, & peccandi quadam consuetudine contractum esse statuentes, regenerationem & sanctificationem nihil aliud esse pertendunt, quàm pravæ consuetudinis & vitæ mutationem, & secundùm doctrinam Christi reformationem. Nos agnoscimus quidem, actualem depositionem vitiorum, & vitæ morumque emendationem sequi regenerationem, ut proprium ejus effectum: Sed tamen Sanctificatio non est propriè talis depositio, sed ejus causa, quæ consistit in naturæ corruptæ renovatione, & ad Dei imaginem instauratione.

ARGUMENTA.

1. Thess. 5. 23. 1. Quia Scriptura Sanctificationem non ad actus tantùm, sed ipsam naturæ renovationem extendit. 1. Thess. 5. 23. Paulus optat Thessalonicensibus sanctificationem Spiritûs, animæ & corporis, ubi per Spiritum partem animæ superiorem, & per animam inferiorem intelligit; quod alibi Scriptura per renovationem mentis & voluntatis notat. Eph. 4. 22. 23. 24.

2. Quia

2. Quia alibi per dationem cordis, creationem, generationem, resurrectionem, novi hominis indutionem exprimitur, quæ phrases non tantùm vitæ & actuum emendationem, sed totius naturæ renovationem postulant.

3. Quia ista sanctificatio debet esse communis infantibus, non minùs ac adultis, ut in regnum Dei possint ingredi, in quos tamen non cadit actuum mutatio. 4. Ut corruptio peccati infecit totam naturam, non modò quoad actus, sed etiam quoad habitus; ita Sanctificatio debet includere totius naturæ reformationem, tam habitualem quam actualem.

IV. Effectum Sanctificationis proximum est ablatio dominii peccati, libertas, & nova creatura. 2. Cor. 5. 17. Atque bona opera.

V. Bona opera sunt actiones regenitorum, ope Sp. S. ex fide, ad legem, & gloriam Dei factæ. Bona opera quæ?

VI. Conditiones ad bonum opus requisitæ in Catechesi statuuntur tres. (1) Ut fiant ad Legem Dei. *Iuxta hanc* enim *Regulam incedendum est.* Gal. 6. 16. (2.) Ex fide. *Nam quicquid non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. 23. (3.) Ad gloriam Dei. Nam *sive edamus, sive bibamus, vel quicquid agamus, agere debemus ad gloriam Dei.* 1. Cor. 10. 31. Quæ omnia fieri non possunt, nisi ope Sp. S. siquidem *ne Iesum quidem possumus vocare Dominum, nisi per Spiritum S.* 1. Cor. 12. 3.

CONTROVERSIA.

Bona intentio non sufficit ad bonum opus.

An bona intentio quodcunque opus hominis bonum faciat, & liberet à peccato? Neg.

c. Pontif.

Pontificii bona opera ea volunt esse, quæ Deo non jubenti, & poscenti obtruduntur, qui cultus voluntarius à Paulo ἐθελοθρησκεία dicitur, & damnatur. Col. 2. 23. Et ad fovendum huic errori finxerunt dilutum bonæ intentionis commentum, quasi quod fit contra aut præter Dei mandatum, possit esse bonum opus, quia fit ad rectam intentionem. Sed contra valent sequentia.

ARGUMENTA.

1. Quum agitur de Dei cultu, non tantùm abstinendum est vetitis, sed etiam non jussis. Imò talia opera hoc ipso vetita

Deut. 12. 32. Num. 15. 28. vetita sunt, quia non jussa. Deut. 12. 32. *Facies quæcunque jubeo, nihil addes, nec detrahes.* Num. 15. 28. *Memmeritis omnium mandatorum Domini, & ea facietis; nec sequemini cogitationes cordis vestri.* Aliâs clamat apud Jesaj. c. 1. 12. Jes. 1. 12. c. 29. 13. *Quis hæc requisivit e manibus vestris?* Et cap. 29. 13. *Frustra me colunt, tradentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.*

Perperam intentio bona appellatur, quæ Dei intentioni adversatur. Bonam intentionem sanè obtendebat Saul, quum jussus internecione delere Amalekitas, & greges perdere, Regi pepercit, & opimas pecudes reservavit ad sacrificia; sed hoc ipsi pessime cessit, & Samuel testatur obedientiam Deum velle, non sacrificium quavis bona intentione oblatum. Hæc eadem bona intentio Uzam perdidit, quum nutantem arcam in plaustro injectâ manu sustentavit. Christus Joh. 16. 2. de persecutoribus loquens, dicit, eos putare se servire Deo, necantes fideles; & pessimæ quæque Religiones maximè sibi plaudunt, & bonam intentionem obtendunt.

OBJECTIO.

1. Tim. 1. 13. *Mihi facta est gratia, quia inscius feci.* R. Quod ex gratia remittitur, proculdubio peccatum est.

Quomodo bona opera sint necessaria.

VII. Quær. An bona opera sint necessaria ad salutem? Resp. Tres hîc sunt præcipuæ sententiæ circa bonorum operum necessitatem. Prima eorum, qui bona opera arbitraria & adiaphora faciunt, quales fuerunt olim *Simoniani*, & nunc sunt *Epicurei* & *Libertini*. Secunda eorum, qui urgent necessitatem meriti & causalitatis, quales olim erant *Pharisæi* & *Pseudo-Apostoli*, qui opera ad justificationem necessaria esse contendebant, quos hodie sequuntur *Pontificii* & *Socciniani*. Orthodoxi medium tenent; & licèt propositio de necessitate bonorum operum ad salutem, quæ superiori seculo à Pontificiis sub specie conciliationis in formula interimistica obtrudebatur, sed reipsa ut sensim puritas doctrinæ de justificatione corrumperetur, rejecta fuerit à variis Theologis Lutheranis, & etiam nostris; Tamen sine periculo retineri potest, si ritè explicetur, imò contra Epicuræorum licentiam, & Pontificiorum calumnias, qui Religionem nostram quasi impietatis magistram traducunt, urgendam esse censemus.

VIII. Non sunt ergo bona opera ad salutem necessaria necessitate aut meriti, aut causæ efficientis, sive principalis,

palis, sive instrumentalis, propriæ dictæ, ac in ipsam salutem influentis, vel, ut alii loquuntur, habent necessitatem *præsentiæ*, non *efficientiæ*, ut bene Bernhardus, *via ad regnum, non causa regnandi*, *media* item *transitionis*, per quæ eo pervenitur, non verò *effectionis*, sive quibus obtineatur. Sunt verò necessaria. 1. Necessitate *præcepit*. Nam *hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestri.* 1. Thess. 4. 3. 2. *Medii*, seu viæ regnum. ad Heb. 12. 14. *Pacem sectamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* 3. *Signi* veræ fidei. Jac. 2. 17. *Fides, si opera non habet, mortua est.* 4. *Consequentiæ; ubi spiritus, ibi libertas.* Rom. 8. 2. 5. *Ad ædificationem proximi.* Matth. 5. 16. *Ita luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona vestra opera*, &c.

CONTROVERSIA. I.

An homo operibus suis bonis gratiam vel gloriam mereri possit? Neg. cont. Pontif.

Nulla dantur opera ex condigno.

Tres circa hanc Controversiam sunt Pontificiorum sententiæ: Prima eorum, qui volunt opera bona justorum meritoria esse vitæ æternæ *ex condigno*, ratione operis, etiamsi nulla extaret divina conventio; tales sunt *Vasques*, *Michaël Bayus*, & plerique *Thomistæ*. Altera est *Scoti* & ejus sequacium, qui pertendunt opera bona ex gratia procedentia non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantùm ratione pacti & acceptationis divinæ. Tertia eorum, qui duas primas sententias conjungentes, censent opera nec simpliciter ex se, nec ex pacto tantùm meritoria esse, sed ratione pacti & operis simul, quam Bellarm. amplectitur.

Licèt verò qui secundam sententiam amplectuntur, nullum agnoscentes meritum nisi ex pacto, minùs periculosè errent cæteris, non possunt tamen excusari. Nam vehementer vocibus abutuntur, meritum de condigno illud vocantes, quod nullo modo nomen illud meretur: Quis enim dixerit opus de condigno mereri vitam æternam, quod per se non est tanto præmio dignum? Deinde locutio ista est valde periculosa, occasionem præbens graviter errandi.

Nos quidem concedimus, bona opera grata esse Deo; Licere operari intuitu mercedis, modò sit intuitus mercedis ut gratuiti præmii, & non principaliter, post gloriam Dei spec-

spectetur. Opera habere aliquam ad vitam æternam relationem ordinis & connexionis, qualis est inter medium & finem, viæ ad metam, certaminis ad coronam, antecedentis ad consequens. Deum tandem ex pacto debere mercedem rependere bonis operibus, ut sic sit debitor quodammodò non nobis, sed sibi, & suæ fidelitati: sed bona opera ad vitam æternam habere relationem causæ propriè dictæ, & ex intrinseco valore ac dignitate præmium à Deo mereri, & ipsam salutem efficere, negamus.

ARGUMENTA.

Rom. 6. 23. Eph. 2. 8. 9. Ti. 3. 5.

1. Vita æterna est donum Dei. Rom. 6. 23. *Gratiâ servati estis*, &c. Eph. 2. 8. 9. *Misericordiâ suâ servavit nos*, &c. Tit. 3. 5.

2 Christus vitam & salutem nobis plenissimè meruit. E. nostra merita derogant meritis Christi.

Exc.

Exc. *Merita nostra non sunt opponenda meritis Christi; nam non requiruntur propter insufficientiam aliquam meritorum Christi, quippe qui à Deo illud obtinuit, ut possemus nos ipsi propriis meritis vitam consequi; ut quòd Deus sole utitur ad mundum illustrandum, non est aliqua imbecillitas in Deo, sed ejus omnipotentia.* R. Merita nostra non possunt componi cum meritis Christi, nec ut causæ sociæ, in quibus non est dependentia unius ab altera, ut pertendunt esse inter meritum Christi & nostra, & quæ effectum partialiter non totaliter producunt, quod de Christo dici nequit; vel ut causæ subordinatæ, quia meritum ex se non dicit ordinem ad aliud meritum, sed potiùs respectum ad mercedem. 2. ἀσύστατον est dicere de meritis Christi nasci merita nostra, quia ut non potest dici ex Christi redemtione nasci aliam redemtionem, ita nec ex eo merito generari aliud meritum. 3. Si Christi meritum sufficientissimum est per se, cur opus est illi assuere merita humana? cùm per plura fieri non debeat, quod fieri potest per pauciora. 4. Simile de sole planè dissimile. Aliud enim est loqui de causis efficientibus, quæ habent inter se subordinationem; aliud de causis meritoriis, quæ nullam talem subordinationem ferre possunt; aliud de ordine naturæ, in quo Deus talem concatenationem inter causam primam & secundas instituere voluit; aliud de ordine gratiæ, in quo Christum solum voluit esse causam salutis nostræ.

Luc. 17. 10.

3. Christus dicit: Luc. 17. 10. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta*

præcepta sunt vobis, dicite; Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Cùm ergo hic agatur de Deo, qui nihil debet servis suis, & de hominibus qui ut mancipia nihil possunt mereri à Domino suo, & de operibus quæ debita sunt; Hinc invictè colligitur, nullum dari posse meritum apud Deum.

4. Opera nostra sunt imperfecta & finita, quæ nullam proportionem habent cum gloria æterna, quod Paulus testatur. Rom. 8. 18. quum ait: *Passiones hujus seculi non esse dignas, quæ æquiparentur cum gloria futura revelanda.* Et. 2. Cor. 4. 17. *Afflictio levis & momentanea dicitur operari pondus gloriæ excellentis*, &c. At si passiones, quas propter Christum patimur, quæ longè sunt sublimioris virtutis, non sunt condignæ, quantò minùs actiones? Rom. 8. 18. 2. Cor. 4. 17.

5. Vita æterna dicitur *hæreditas*, quæ non cadit sub meritum.

6. Tandem in genere nullum dari meritum in homine apud Deum, probatur. *α.* Quia sunt debita. Luc. 17. 10. *β.* Nullum est nostrum, sed omnia sunt dona gratiæ. Jac. 1. v. 17. *Omnis donatio bona, & omne integrum donum est superne, descendens à Patre luminum*, &c. Phil. 2. *vers.* 13. *Deus est, qui efficit in nobis velle & ipsum agere.* 2. Cor 3. vers. 5. *Non idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis; sed quod idonei sumus, id est ex Deo.* γ. Non sunt perfecta, sed variis adhuc nævis inquinata. Rom. 7. 18. *Novi non habitare in me* (i. e. in carne mea) *bonum, &c.* Gal. 5. 17. *Caro concipiscit adversus spiritum.* &c Jes. 64. 6. *Sumus ut immundus omnes nos, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ.* δ. Non sunt æqualia gloriæ futuræ, quia finiti & temporarii ad infinitum & æternum nulla est proportio. Rom. 8. 18. 2. Cor. 4. 17. E. Merces quæ illis promittitur merè est gratuita, adeòque expectanda non ex interno operis merito, & intrinseca ejus dignitate, sed tantùm ex coronantis liberrima dignatione. Rom. 6. 23. Luc. 17. 10. Jac. 1. 17. Phil. 2. 13. 2. Cor. 3. 5. Rom. 7. 18. Gal. 5. 17. Jes. 64. 6.

OBJECTIONES.

1. *Vita æterna est merces.* R. Merces alia est ex debito, alia ex gratia, alia liberalitatis & gratiæ; alia debitum virtutis stipendium, & laboris remuneratio. Promittitur operibus vita ut merces, sed ut merces gratuita & indebita, quæ obtinetur non meriti jure, sed filiationis privilegio, intercedente tamen bonorum

rum operum exercitio, tanquam necessariâ conditione; cujus causâ ut merces & præmium proponitur ad excitandam fidelium diligentiam, non ad nutriendam superbiam: sed gratuita hæc merces non magis meritum arguit, quàm emtio pretium & pecuniam apud Prohetam. Jes. 55. 1. 2. Unde quod μισθὸς dicitur, Matth. 5. 46. & 5. 1. alibi apud Lucam. 6. 32. vocatur χάρις. Et Ps. 127. 3. liberi seu fructus ventris vocantur merces, qui tamen sunt donum Dei.

Rom. 2. 6. 2. *Deus unicuique reddet secundùm opera.* Rom. 2. 6. R. *secundùm*, sed non *propter* opera, ut notetur *proportio qualitatis*, non *æqualitatis*, ut bonis bene sit, malis malè.

Matth. 25. 34. 3. *Cœlum datur hominibus quia sancti.* Matth. 25. 34. *Possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento, esurivi* enim, *& dedistis mihi quo vescerer.* Apoc. 7. 15. *Lavarunt stolas suas, dealbârunt in sanguine agni,* ideò *sunt ante thronum Dei,* &c. R. Particulæ causales γὰρ, ὅτι, h. l. non sunt *causales*, sed *ratiocinativæ*, ut: Matth. 16. 2. *Quando serum est diei, dicitis, serenitas erit, rubet* enim *cœlum*, & 1. Cor. 10. 5. *Plerosque illorum non habuit gratos Deus, prostrati sunt* enim *in deserto.* Notant ergo istæ particulæ causam *consequentiæ*, non *consequentis*, notas salvandorum, & testimonium fidei & Electionis æternæ, sed non causas meritorias salutis, ut sint argumenta & signa *à posteriori* justæ sententiæ in absolutione fidelium, non causæ & fundamenta *à priori.* Electi enim dicuntur recipere Regnum ex gratia Dei *ab æterno præparatum*, non in tempore merito operum impetratum, ut titulo hæreditatis possideant, ut filii Patris benedicti, non verò ut servi, qui tali præmio operibus suis digni sunt facti.

Apoc. 3. 4. 4. *Fideles dicuntur digni. Apoc.* 3. 4. *Illi, qui non inquinârunt vestimenta sua, digni dicuntur qui ambulent cum Christo dealbati. Sic Thessalonicenses dicuntur digni regno cœlorum*

2. Thes. 1. 5. 2. *Thess.* 1. 5. R. Dignitas alia est *personæ*, alia *operis*; Fideles dicuntur digni, sed non opera eorum. 2. Dignitas alia est *propria*, quæ fundatur in operibus ipsius hominis, alia quæ ab alterius dignatione & acceptatione pendet. Alia est dignitas *perfectionis & meriti*, quæ operibus passim denegatur; alia *aptitudinis & convenientiæ*, secundùm quam fideles his locis dicuntur digni regno cœlorum, i. e. apti & convenienter dispositi ad illud possidendum. Ita sæpe nomen ἄξιος sumitur, ut: Matth. 3. 8. Καρποὶ ἄξιοι τῆς μετανοίας.

Exolas. Digni ergo sunt, non ex interna dignatione operum, sed ex dignatione divina, quæ ex indignis dignos fecit.

5. *Gloria datur à Deo ut justo judice, & ex justitia.* 2. *Tim.* 4. 8. R. Alia est *justitia* stricta *æqualitatis*, quæ respicit exactè æqualitatem operis. Alia *justitia fidelitatis*, misericordiâ temperata, quæ veritatem spectat divinæ promissionis, & pactum, quod Deus nobiscum inire dignatus est. Deus reddit vitam operibus nostris ex justitia fidelitatis, quà fidelis & verax in implendis promissis, sed non ex justitia æqualitatis, ut attendat meritum operis, non quia justum est meritis nostris pendere debitam mercedem, sed quia justum est Deo stare promissis, & non pati ut mors Christi sit irrita. 2. Tim. 4. 8.

6. *Afflictiones dicuntur* κατεργάζεσθαι *excellentissimum pondus gloriæ.* 2. Cor. 4. 17. R. Hoc verbum h. l. non notat propriè efficientiam & meritum, sed iter & medium, quatenus momentaneam afflictionem excipit & consequitur gloria, quomodo apud Græcos idem est sæpe quod κτᾶσθαι, *potiri & obtinere*. Ita Lex dicitur κατεργάζεσθαι, *operari iram.* Rom. 4. 15. non quòd eam mereatur, vel propriè efficiat, sed quòd Legem sequatur per accidens propter hominis transgressionem. Ita Phil. 2. 12. Jubemur *salutem nostram conficere cum timore & tremore*; ubi hoc verbum notat studium promovendæ sanctificationis, & per eam conconsequendæ ac obtinendæ, non verò promerendæ salutis. 2. Cor. 4. 17. Phil. 2. 12.

7. *Mala opera merentur mortem. E. bona opera merentur vitam.* R. Licèt vita non minus reddatur bonis operibus, quàm mors malis; non tamen eodem modo, ut eandem habeant causalitatem resp. salutis bona, quam mala respectu damnationis; quia mala ex se damnationem merentur ut indebita & nostra, sed bona non pariter, utpote debita, non nostra & imperfecta. 2. Quælibet Legis transgressio hominem subjicit divinæ maledictioni; sed in operibus meritoriis omnimoda perfectio & partium & graduum requiritur, quia plura requiruntur ad rei constitutionem, quàm ad ejus destructionem.

CON-

CONTROVERSIA. II.

Nulla dantur merita ex congruo.

An homo irregenitus ante justificationem quibusdam suis operibus gratiam ex congruo mereri possit? Neg. cont. Pontif.

Merendi vox.

Merendi vocabulum hîc non *abusivè* usurpamus, prout, ipso Cassandro observante, apud Veteres ferè idem valet quod *consequi*, seu *aptum idoneumque fieri ad consequendum*; sed in proprio significatu, quatenus denotat obtinere sive lucrari debitam mercedem, secundùm justitiam commutativam, ex legali & intrinseca operis præstiti condignitate. Itaque cum Bellarmino non tantùm sequentes conditiones operis meritorii constituimus, ut sit. 1. Opus bonum. 2. Opus liberum. 3. Factum in obsequium Dei. 4. Ab homine viatore, justificato & amico Dei. 5. Quod proficiscatur ex charitate. 6. Quod habeat annexam Dei promissionem. Nam hæc ad meritum non sufficiunt; sed insuper sequentia requiruntur. 1. Ut sit *opus indebitum*; nemo enim meretur persolvendo quod debet, sed satisfacit. 2. Ut sit *nostrum*; Nemo enim de alieno potest dici mereri. 3. Ut sit *perfectum*, & omni nævo carens; nam ubi peccatum, ibi non est meritum. 4. Ut sit *æquale* & proportionatum præmio & mercedi, secus donum fuerit, non meritum.

Pontificii plerique meriti duas species constituunt; Aliud dicunt esse meritum *congrui*, aliud *condigni*. Meritum *congrui* vocant opus moraliter bonum, factum ex libero arbitrio, non adjuto à gratia. Nempe quod congruum sit & conveniens divinæ bonitati, moraliter bene dispositis, & facientibus quod in se est, infundere gratiam justificationis. Meritum *condigni* volunt esse bonum opus factum ex libero arbitrio adjuto â gratia, quod tale sit, ut omnino dignum sit tali mercede, non solùm ex pacto, sed etiam propter intrinsecum valorem operis, & æqualitatem inter opus & mercedem. De merito condigni egimus præced. quæst. Nunc meritum de congruo oppugnamus sequentibus.

ARGUM.

1. Nihil boni ab homine peccatore & nondum regenito vel

vel cogitari vel præstari potest, ut probatum suo loco, dum de libero arbitrio & vocatione efficaci actum est.

2. Quia Gratia quæ debetur, non est gratia: At gratia quæ nobis datur est omnimodè gratuita, quæ omnes actus & dispositiones nostras prævertit & anteit, & circa quam homo se habet merè passivè, ut loco citato ostensum.

3. Quia sic homo prius daret aliquid Deo, contra Paulum. Rom. 11. 35. & haberet aliquid quod non accepit, contra eundem. 2. Cor. 4. 7.

4. Quia inimici & Athei, quales sumus ante gratiam. Eph. 2. 11. Tit. 3. 3. nihil mereri possunt.

Aureolæ Pontificiorum.

IX. Ex his omnibus colligitur, quid statuendum sit de quæstione, quæ hîc movetur à Pontificiis de *Aureolis*; an dentur *aureolæ* in cœlo, quæ quibusdam assignentur præ cæteris, puta virginibus, Doctoribus, & martyribus. Quæ sententia est Thomæ & Scholasticorum. Per *aureolam* significant gaudium quoddam de operibus, quæ excellentis cujusdam victoriæ rationem habent, & quod sit præmium accidentale additum *aureæ*, seu præmio essentiali. Fundamentum petunt ex relatione pugnæ ad coronam, pugnæ enim deberi coronam, ubi ergo specialis ratio pugnæ, ibi specialem deberi coronam, quæ dicitur aureola; & quum merito debeat respondere præmium, excellentiæ meriti respondere debere excellentiam aliquam in præmio, & hanc aureolam. Sed vanitas figmenti istius, sine scriptura conficti, ex superioribus, quibus merita operum oppugnavimus, satis refellitur.

X. Norma ad quam bona opera dirigi debent, est Lex Dei, moralis, Decalogo comprehensa.

An Decalogus sit formula fœderis gratiæ?

XI. De hac Lege in antecessum quæritur: *An Decalogus in monte Sinai promulgatus, nihil nisi fœdus gratiæ continuerit, & puram ejus stipulationem?* Resp. Cùm νομοθεσίας istius modus fuerit terrificus, nemo non videt, hoc non esse χῆμα vel genium fœderis gratiæ, quod Deum placatum nobis exhibet, & peccatores ad ipsum revocat suavitate promissionum. Adde quòd Lex, quæ Decalogo continetur, juris est naturalis, fundata in Dei justitia: At fœdus gratiæ juris positivi & liberi, fundatur in ejus εὐδοκίᾳ & misericordiâ. Istud sponsorem exhibet, & obedientiam non tantùm exigit, sed etiam efficit. Sed in Decalogo est mera promissio vitæ facientibus, & transgressoribus interminatio

minario mortis. Unde Lex operum, quæ in Decalogo habetur, Legi fidei, & promissioni gratiæ apud Paulum contradistinguitur. Rom. 3. 27. Gal. 3. 17. 18.

XII. Quod tamen non ideo dicimus, quasi vel negare velimus, Fœdus gratiæ cum Israëlitis tunc pactum fuisse, quod satis colligitur ex ejus sanctione, Exod. 19. 5. ubi Deus Judæos in peculium suum adoptat, & ex ejus solenni confirmatione, quæ habetur Exod. 24. ubi mentio fit aspersionis sanguinis victimarum, & accessus seniorum ad Deum. Vel quasi arbitremur; Decalogum nihil commune habuisse cum fœdere gratiæ, & nihil aliud fuisse, quam ipsum fœdus operum, in eum finem renovatum, ut populum ad illud revocaret, ut ex illo vitam quæreret. Cùm enim Lex facta sit infirma in carne post peccatum. Rom. 8. 3. impossibilis homini per eam facta est via ad vitam. Hinc varias stricturas fœderis gratiæ Deus in Decalogo esse voluit; quod vel præfatio illi præfixa, ubi se profitetur *Deum populi sui*, qui illum eduxit è servitute Ægyptiacâ, & promissiones secundo & quinto præcepto annexæ, satis apertè docent.

XIII. Duplex igitur χρῆσις in hac dispensatione semper obtinere debuit: Una *Legalis*, severior, per quam novâ Legis & fœderis operum promulgatione, cum intolerando ceremoniarum jugo exprimere voluit, quid homines deberent, & quid ipsis ob officium non præstitum esset expectandum; quo respectu Lex vocatur *littera occidens*. 2. Cor. 3. 6. & *chirographum nobis contrarium*. Col. 3. 14. quia per illud homines se debendi reos, & mortis filios, declaratione scriptâ ex proprio sanguine in Circumcisione, & sanguine victimarum, profitebantur. Altera *Evangelica*, suavior, quatenus Lex erat *pædagogus ad Christum*. Gal. 3. 24. & continebat *umbram rerum futurarum*. Heb. 10. 1. cujus corpus & expressa imago est in Christo: unde in typis illis, umbris & figuris Christi ob oculos quasi crucifixi προγράμμα habuerunt.

Usus Legis moralis.

XIV. Usus Legis moralis est vel absolutus, vel respectivus. *Absolutus*, qui obtinet in omni hominis statu, est, ut sit norma unica, plena, & certa faciendorum & fugiendorum ab unoquoque, tam erga Deum, quàm proximum. *Respectivus* multiplex est, pro diversis hominis statibus. In *statu institutio innocentiæ* fuit *contractus fœderis operum* cum homine initi, & medium obtinendæ vitæ & felicitatis juxta pro-

promissionem Legi additam. In *statu destituto peccati* usus Legis est tum *convictionis*, quum hominem reatus sui convincit, instar *speculi* maculas suas isti ostendendo; nam per Legem cognitio peccati. Rom. 3. 20. tum *coërcitionis*, quum instar fræni continet peccatores intra cancellos externæ disciplinæ; tum *condemnationis*, quando peccatori convicto denunciat maledictionem divinam, per horrendum carmen; maledictus, qui non permanserit, &c. & ita se habet ad modum flagri, conscientias torquendo & vexando. In *statu restituto* gratiæ varium usum habet respectu electorum, tum ante eorum conversionem, tum post eam. *Antecedenter* inservit homini convincendo & humiliando, & ad Christum adducendo; *consequenter* eum jam regenitum per Christum dirigendo in viis Domini, eique inserviendo instar normæ & regulæ vitæ perfectissimæ.

CONTROVERSIA I.

Lex moralis non est abrogata sub N. T.

An lex moralis etiam hodie homines obliget, iisque præscribi debeat? Affirm. contra Antinomos.

Licèt lex sit abrogata quoad *justificationem*, in fidelibus quoad *maledictionem*, & etiam quoad *coactionem* & *rigorem* qui obtinebat sub V. T. semper tamen habet *usum directivum*.

ARGUMENTA.

1. Christus *non venit ad dissolvèndam legem*. Matth. 5. 17. Ideò jubet *audiri Mosen & Prophetas*. Luc. 16. 29. Matth. 5. 17.

2. Lex jubet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. Et hoc ipsum Christus præcipit. Matth. 22. 36. 37. Hinc Paulus. Rom. 12. vers. 8. 9. *Nihil cuiquam debete, nisi ut vos invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit*, &c. Charitas à Johanne vocatur *vetus & novum mandatum*. 1. Joh. 2. 8. Matth. 22. 36. 37.

3. Fides Legem non abolet, sed stabilit. Rom. 3. 31. Rom. 3. 31.

4. Lex multifariam necessaria est homini Christiano; tum respectu *fœderis gratiæ*, quod non tantùm habet promissionem salutis à parte Dei, sed etiam obsequii stipulationem importat à parte hominis; tum ratione *Dei Patris*, qui χάριν erga nos induit Patris & Domini; tum ratione *Christi*, qui erga nos personam sustinet non tantùm *Vadis* & *Sacer-*

Sacerdotis, sed etiam *capitis ac Regis*; tum ratione *Spiritus S.* qui habet munus *Consolatoris* & *Sanctificatoris*.

Tit. 2. 11. 12. 14. 5. Ratione gratiæ, quæ nobis hîc jam confertur, quæ obedientiam illam postulat. Tit. 2. 11. 12. *Illuxit gratia Dei, erudiens nos, ut abnegatâ impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter, & juste & pie vivamus in præsenti seculo* & v. 14. *Purificavit sibi populum peculiarem, accensum* Ps. 130. 3. *studio bonorum operum.* Ps. 130. 3. *Apud te est condonatio, ut reverenter colaris.*

6. Ratione gloriæ quam speramus, ad quam obedientia Legi debita se habet tanquam medium ad finem, sine Joh. 3. 5. quo impossibile est intrare in regnum cœlorum. Joh. 3. 5.

OBJECTIONES.

Rom. 7. 2. 3. 1. *Lex à Paulo. Rom.* 7. 2. 3. *confertur marito mortuo.* R. Non simpliciter, sed secundùm quid, ratione rigorosi Dominii quod in nos obtinebat, & maledictionis, cui mancipabat peccatores, sed non ab officio præstando juxta eam.

1. Tim. 1. 9. 2. *Lex justo non est posita.* 1. Tim. 1. 9. R. Lex minans, cogens, damnans; sed Lex directiva & regulativa morum.

2. Cor. 3. 6. 7. 8. 9. 3. *Lex est litera occidens & ministerium mortis ac condemnationis.* 2. Cor. 3. 6. 7. 8. 9. R. Non absolutè & simpliciter, sed secundùm quid, quando spectatur ut fœdus operum, oppositè ad fœdus gratiæ.

4. *Libertas Christi solvit nos à jugo Legis.* R. A jugo Legis maledicentis, à tyrannide Diaboli, & servitute peccati, sed non à necessitate obsequii Deo præstandi. Quod Petrus docet. Epist. 1. cap. 2. v. 16. 1. Pet. 2. 16. Gal. 5. 13. *Quasi liberi, sed non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed quasi servi Dei.* Et Gal. 5. 13. *Vos in libertatem vocati estis, tantùm ne libertatem in occasionem detis carni.* Et Rom. 6. 18. Rom. 18. *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ.*

5. *Lex data fuit Judæis, ideoque per Mosem.* R. Non quà Judæis tantùm, sed quà fœderatis, vel quà Dei populo simpliciter. 2. Moses etiam potest spectari vel generatim & indefinitè, ut Doctor totius Ecclesiæ, vel particulariter & definitè, ut Dux populi, & Legislator Israëlis, qui ejus commodum respexit: Posteriori sensu Lex à Mose lata ad solos Judæos pertinuit, sed priori extenditur ad omnes. Atque ita possunt conciliari diversæ Orthodoxorum sententiæ circa Legis Mosaicæ usum & obligationem, dum alii volunt eam pertinuisse ad solos Judæos exclusivè ad alios, ut

Zan-

Zanchius & *Musculus*; alii verò ad omnes spectâsse asserunt, ut *Pareus* & alii. Isti enim Mosen & Legem sub prima notione considerant; illi verò sub secunda.

CONTROVERSIA. II.

An Præcepta Decalogi sint indispensabilia.

An Præcepta Decalogi sint juris naturalis indispensabilis? Affirm.

Ad intelligentiam Quæstionis præmittenda est distinctio terminorum, qui sæpe recurrunt in hoc argumento. *Obligatio* est jus Legis in hominem, propter quod homo, qui est sublex, tenetur Legi obsequi. *Dispensatio* est, quum in aliquo casu, quo revera viget & obligat Lex, tollitur obligatio Legis ab aliquo homine in particulari, reliquis manentibus obligatis. *Declaratio* seu *interpretatio Legis* est, quando declaratur, Legem in aliquo Casu non obligare. *Irritatio* est, quum Lex aboletur, antequam perfectè obliget. *Abrogatio*, quum simpliciter aboletur & tollitur, quæ jam perfectè obligabat. *Derogatio*, quum ex parte tollitur, & ex parte manet.

β. Distinguenda sunt præcepta *simplicia*, i. e. merè moralia, quæ sunt juris naturalis; & *mixta*, ex morali & cæremoniali, quæ sunt partim juris naturalis, partim juris positivi, ut quartum de Sabbatho, quod morale est quoad genus cultûs publici, cæremoniale verò quoad circumstantiam temporis definiti, & quintum, quod morale est quoad officium præscriptum, & promissionem longævitatis, sed cæremoniale quoad appendicem promissionis terræ Canaan.

γ. Præter *jus divinum naturale increatum*, quod *primarium* dicitur, quia fundatur immediatè in natura ipsa & sanctitate Dei, & cujus contrarium velle aut præcipere non posset, quin seipsum abnegaret, aliud datur *creatum & secundarium*, quod fundatur in natura rerum, juxta constitutionem à Deo factam, & decentiam seu convenientiam rerum inter se invicem, quod licèt ex hypothesi ordinis à Deo instituti sit necessarium, non tamen ejusdem necessitatis potest censeri cum primo, nec officia quæ ex illo fluunt æqualem habent obligationis gradum. Illud enim est absolutè immutabile, nec ullus datur casus, in quo de eo relaxare Deus possit, quia sic naturam suam videretur abne-

gare. Unde nunquam approbare potuit sui odium, idololatriam, perjurium & mendacium. Sed istud, licèt regulam rectitudinis naturalem contineat, quia tamen supponit certum rerum statum, potuit in certis casibus, mutatis rerum, personarumque circumstantiis immutari, sed illius tantùm authoritate, à quo institutum est: v. g. occisio hominis, & contrectatio rei alienæ, quæ mandato sexto & octavo prohibentur, possunt fieri licitæ, mutatâ aliquâ circumstantiâ, accedente puta mandato divino, vel publicâ authoritate.

§. Ex hac verò juris divini distinctione fluit Præceptorum distinctio, quæ hîc est tenenda. Quæ enim tam arctam habent cum natura Dei connexionem, ut positâ Creaturâ rationali & regibili, non possit ad ea præstanda non obstricta esse, qualia sunt, ut Deo se subjiciat, eum pro Deo suo unicè habeat, &c. illa sine controversia sunt juris naturalis. Sed quæ à libero Dei beneplacito fluunt, & quæ liberum ac integrum Deo fuit ponere vel non ponere, censeri debent juris positivi. Et de hoc inter omnes ferè convenit: sed de particulari horum & illorum distinctione & enumeratione, non pariter omnes consentiunt: Sunt enim qui ad jus naturale ea referunt, quæ alii ad positivum potiùs pertinere judicant.

§. *Immutabilitas* & *indispensabilitas* potest bifariam intelligi, vel *absolutè* & *simpliciter*, tam respectu Dei, quàm respectu nostri, vel *comparatè* & *secundum quid*, respectu nostri, non verò Dei. Quædam enim sunt absolutè indispensabilia tam Deo quàm nobis, quædam verò secundum quid respectu nostri; quia cùm non simus Domini aut judices, sed subditi, non possumus quidquam addere aut detrahere Legi. Sed non respectu Dei, qui ut supremus Dominus & Legislator potuit in certis casibus dispensare de Lege aliqua à se lata sine peccato.

§. Circa hanc Quæstionem tres sunt celebriores sententiæ. *Prima* statuit, Legem moralem in omnibus præceptis esse dispensabilem, fundatam puta in solo jure positivo, quod à libera Dei voluntate pendet, quamque ideò pro libitu mutare posset. In qua sententia sunt varii ex *Scholasticis*, & alii qui eos sequuntur, quos præcipuè impellit temeritas expungendi præceptum secundum ex decalogo, tum potestas, quam arrogant Pontifici suo dispensandi de præ-

præceptis Dei. *Sociniani* etiam stant pro dispensabilitate hac potissimùm de causa, ut evincant, Legem Mosaicam esse imperfectam, quæ corrigi debuerit. Quibus se adjungunt illi ex nostris qui pertendunt, bonitatem & malitiam moralem rerum non aliunde fluere, quàm a libera Dei voluntate, atque adeo res bonas esse & justas tantùm, quia jussæ sunt, non jussas esse, quia justæ essent antecedenter, ut nihil obsteret, quo minus contrarium illis præcipiat, si vellet. *Secunda* est media, quæ tria primæ tabulæ præcepta vult esse indispensabilia, quartum verò ex parte, & cætera omnia secundæ tabulæ dispensabilia: Ad quos accedunt illi ex nostris, qui pertendunt, præcepta quædam Decalogi moralia, quæ absolutè fluunt à natura Dei, absolutè esse indispensabilia, qualia sunt 1. 2. 3. 7. 9. alia vero ex libera Dei voluntate, ut quartum ex parte, quintum, sextum, octavum & decimum, licèt sint immota & indispensabilia quoad nos, esse tamen dispensabilia quoad Deum. *Tertia* eorum, qui volunt Legem moralem quoad omnia præcepta sua esse simpliciter indispensabilem; quam nos sequimur; hac tamen cum limitatione, ut quemadmodum præcepta omnia non æqualiter nituntur jure naturæ primario, sed quædam absolutè fluunt à natura Dei, alia verò pendent à naturæ rerum constitutione; ita non debent censeri æqualem necessitatis, & immutabilitatis gradum obtinere; Et licèt dispensatio propriè dicta locum in iis non habeat, declaratio tamen seu interpretatio circa ea nonnunquam datur, mutatis rerum vel personarum circumstantiis.

ARGUMENTA.

1. Si præcepta omnia Legis sunt indispensabilia, & jure tantùm positivo nituntur; liberum & integrum Deo fuit ea ponere aut non ponere; imò potuit contrarium etiam præcipere, sine ulla repugnantia, quod absurdum.

2. Lex moralis eadem est quoad substantiam cum Lege naturæ, quæ immutabilis est, & fundatur in natura rationali, tum quia Legis summa, quæ amore Dei & proximi absolvitur, naturâ est homini impressa, tum quia omnia ejus præcepta ex lumine naturæ hauriuntur, & nihil in illis reperitur, quod ratione sanâ non doceatur, nihil quod pertineat ad omnes gentes per omnia secula; nihil quod non sit necessarium naturæ humanæ ad finem suum assequendum. E. debet esse juris perpetui, quia natura ra-

tionalis semper eadem est, & sibi similis; unde quod ea nititur, non potest non esse tale.

OBJECTIONES.

1. *Lex naturalis potest dici mutata per agrorum divisionem, & proprietatem possessionum & bonorum, introductam per jus gentium.* R. Neg. Quia nulla lex naturalis bonorum communitatem præcipit, vel distinctionem eorum prohibet. Et si ab initio omnia communia fuisse dicuntur, hoc intelligendum non tam *positivè*, quasi Deus Legem aliquam sanxisset ut essent communia, quàm *negativè*, quia nihil de eo expressè sancitum fuerat.

2. *Lex naturalis mutata per servitutum introductionem, cùm antea Lege primævâ omnes liberi essent.* R. Neg. Nam omnes jure naturæ non ultra liberi sunt, quàm extra culpam, vel aliorum injuriam fuerint.

3. *Mutata est per Præscriptionem, & Usucapionem, quibus sc. aliquis sortitur dominium in rem aliquam, si Dominus intra certum temporis spatium eam non repetierit.* R. Neg. Nam non efficiunt, ut alienum invito domino retineatur, quod repugnat æquitati naturali, sed tantùm ut quod antea alienum erat, ubi pro derelicto habetur à priori domino, alterius fiat proprium.

4. *Mutata est per retentionem gladii quem Dominus furiosus repetit ad homicidium.* R. Neg. Nam non est juris naturalis, reddere telum furioso, & naturali jure tenetur quisque quoad potest, homicidium impedire.

5. *Deus dispensavit de secundo præcepto, quum jussit fieri Cherubinos supra Propitiatorium, & Serpentem æneum.* R. Neg. Nam serpens æneus, Num. 21. 8. 9. & Cherubini in arca. Exod. 20. 18. cùm *imagines* fuerint potiùs *symbolicæ* & *emblematicæ*, illa beneficii Christi in crucem acti, hi natura & officii angelorum, quàm *personales* & *repræsentativæ* alicujus suppositi, nec ullo modo ad cultum erectæ vel propositæ, mandato de imaginibus non repugnârunt.

6. *Macchabæi pugnârunt in Sabbatho, per dispensationem præcepti* 4. R. Neg. Sed per illius Legis veram interpretationem, quam etiam Christus comprobat non uno loco. Nam, *quis erit*, inquit, *ex vobis, qui habeat ovem unam, & si ea inciderit Sabbatho in foveam, non apprehendat eam & erigat?* Matth. 12. 11. Et sanè *Sabbathum propter hominem*

factum

factum est, non homo propter Sabbathum; itaque filius hominis est etiam Sabbathi Dominus. Marc. II. 27. 28.

7. *Christus jubet odisse parentes, Luc. 14. 26. contra Præceptum quintum.* R. Τὸ μισεῖν non absolutè & simpliciter intelligendum est, sed comparatè, pro amore minori & diminuto, & sensus est: Si amor parentum sit ἀσύγκριτον cum amore Dei, parati esse debemus ad relinquendos parentes potiùs, quàm ad abnegandum Deum. Sic sæpe *odisse* ponitur pro *minùs amare*, ut Gen. 29. 31. 33. Jacob. dicitur *odisse Leam*, i. e. minùs amâsse. Sic verò h. l. intelligendum esse, liquet ex collatione Matth. 10. 37. ubi exponitur per minùs amare: *Si quis parentes dilexerit supra me, non est me dignus.* Luc. 14. 26. Genes. 29. 31. 33. Matth. 10. 37.

8. *Dispensatum fuit de sexto Præcepto homicidii, quum jussus est Abrahamus mactare filium. Item in facto Mosis.* Exod. 2. 12. *& Phineæ.* R. 1. Mandatum Abrahamo factum fuit exploratorium tantùm, non absolutum. Nec, si mactâsset Deo jubente filium, in Legem de homicidio peccâsset, quia authoritate publicâ instructus id fecisset, mandato sc. Dei. 2. Mosis homicidium non potest censeri contra Legem, quod Deus approbaverit per dispensationem; quia Moses fuit persona publica, habens jam internam vocationem. 3. Idem etiam de Phinea dicendum, qui publicâ authoritate fuit instructus, & internam habuit ad id vocationem, si non externam. Exod. 2. 12.

9. *Christus* Matth. 5. 39. *jubet percutienti malam dextram, etiam sinistram porrigere, contra legem naturæ, per quam homini insitum est propulsare injuriam.* R. Hæc non propriè sunt intelligenda, ut infra, sub præc. VI. docebimus.

10. *Deus jussit Hoseam contra Legem scortari.* Cap. 1. 2. R. Neg. Sed ei mandavit, ut fornicariam duceret uxorem, quod *parabolicè* intelligendum esse, docet, tum scopus Prophetæ, qui erat redarguere populum ob fornicationem spiritualem; tum verba ipsa: *Assume tibi uxorem scortum, & natos scorti*, cùm non potuerint iidem liberi assumi cum matre, & ex ea gigni. Sensus ergo est: Assume tibi scortum, argumenti loco, illudque propone populo Israëlitico, & simile hoc de uxore fornicaria Israëlitis applica, qui spirituali fornicationi, i. e. idololatriæ dediti sunt. Hos. 1. 2.

11. *Contra Præceptum septimum dispensatum est per polygamiam, divortium, conjugia in gradibus prohibitis, & Le-*

gem Leviratûs. R. De Polygamia postea agemus. 2. De divortio actum supra de officio Christi, Controv. 2. 3. Conjugia in gradibus prohibitis repugnant quidem *juri naturali secundario*, in natura constituta, post generis humani multiplicationem, & illicita sunt naturâ ptopter reverentiam sanguinis; sed non repugnant *juri naturali primario & absoluto*, aliâs Deus, qui seipsum non abnegat, de eo nunquam dispensare potuisset, nec talem conjunctionem ne quidem sub mundi initium vel instituisset ipse, vel probasset. Ut ergo rerum constitutio à voluntate Dei pendet, potuit in certis casibus eam, si non absolutè, at secundùm quid, & in certo rerum statu immutare, prout expedire novit ad humanæ societatis conservationem. 4. Idem
Deut. 25. 5. dicendum de *Lege Leviratûs* Deut. 25. 5. per quam levir seu frater demortui, uxorem fratris ducere tenebatur ad suscitandum illi semen; si intelligatur de Leviro propriè dicto seu fratre germano, ut Judæos intellexisse constat. Matth. 22. 24. 25. nim. casum fuisse peculiarem, in quo Deus prospicere voluit conservationi tribuum & familiarum populi sui. Sed si latiùs extendatur ad cognatum proximum extra gradus prohibitos, ut volunt non pauci Viri Docti, imprimis *Calvinus*, nec vox, יבם repugnat, quæ cognatum aut affinem quemlibet significat, qualis erat Booz ad Ruth Moabitidem. Ruth. 3. 9. sublata erit omnis difficultas.

12. *Dispensatum fuit de Lege furti per factum Israëlitarum, vasa Ægyptiorum auferentium.* R. Neg. Quia & Ægyptii illa ultrò concesserunt Israëlitis abiturientibus; siquidem Ægyptii vehementer instabant apud populum festinando dimittere eum è sua regione, illi ideo sua vasa concedentes; quippe *Jehova reddiderat gratiosum populum hunc ante oculos Ægyptiorum, adeò ut dederint eis petentibus, &* Ex. 12. 33. 35. *spoliaverunt Ægyptios*, Exod. 12. 33. 35. Et Deus justo suo judicio, ad Ægyptiorum pœnam, ab illis in Israëlitas eorum dominia transferebat, in mercedem debitam pro præcedentibus laboribus; ut cùm judex permittit creditori pignora capere in domo debitoris, aut illum in possessionem bonorum hujus immittit.

13. *Dispensatum est de lege furti per libertatem datam viatoribus spicas evellendi ex agro, vel uvas decerpendi ex vi-*
Deut. 23. 24. 25. *nea, sedandæ famis gratiâ.* Deut 23. 24. 25. R. Hoc factum

non

non per dispensationem Legis furti, sed per ejus veram interpretationem, quia opus erat necessitatis, quod permittebatur à supremo Domino, majoris charitatis inter homines astringendæ ergò.

XIII. Lex sequentia ab homine postulat. 1. Ut tota Lex à toto homine impleatur, ut quicquid est in homine, sive in mente, sive in voluntate & affectibus, sive in animo, sive in corpore, Deum colat, & illi subjiciatur. 2. Quadruplex perfectio in obedientia requiritur, tum *vera* & *sincera*, quæ non in ore tantùm, aut motu externo corporis consistat, sed quæ ex corde purificato, & fide ἀνυποκρίτῳ oriatur, tum *universalis*, non ratione hujus aut illius mandati, sed ratione *omnium*, tum *intensa*, & absoluta omnibus numeris, tum *perpetua* & *constans*, à principio usque ad finem. 3. Ut obedientia interna longè præstat externæ, moralis cæremoniali; ita frustra ista obtenditur sine illa. 4. Ut præcepta non æqualem habent necessitatis gradum, ita obedientia vel inobedientia major vel minor censetur: Ita aliud est omissio præcepti, aliud ejus oppugnatio, aliud oblivio, aliud neglectus, &c. Qualem obedientiam Lex exigat.

XIV. Regulæ Explicationis Decalogi sunt sequentes. 1. *Lex spiritualis est. Rom.* 7. 14. *quæ non tantùm externos corporis actus, sed internos animi motus respicit.* 2. *In præceptis affirmativis negativa, & in negativis affirmativa continentur:* Nam, non potest bonum à Lege præscriptum præstari, quin malum oppositum caveatur; nec malum prohibitum vitari, nisi bonum oppositum præstetur. 3. *In omnibus præceptis synecdoche est agnoscenda*, quâ specie unâ propositâ intelliguntur omnes sub eodem genere, & uno vitio prohibito cætera ejusdem generis, eique analoga, & quæcunque eò spectant vel ducunt, prohibentur. 4. *In effectu causa, in genere species, in relato correlatum includitur*, quia qui vult vel prohibet aliquid, etiam id sine quo fieri non potest, vel non solet. 5. *Præcepta primæ tabulæ derogant secundæ*, quoad actus internos & externos necessarios, quando simul locum habere non possunt. Sic amor proximi debet amori Dei subjici, & tenemur odisse patrem & matrem propter Christum. Luc. 14. 26. quando amor parentum est ἀσύγκριτον cum amore Christi. *Mandata Generalia* omnes obligant; *Quæ statum respiciunt*, eos, qui in eo statu sunt, ut magistratus, maritus, pater, &c. *Affirmativa* Regulæ Explicationis Decalogi

tiva semper, sed non ad semper: ut precari, eleëmosynam dare, &c. *Negativa* obligant semper & ad semper: ut, nunquam licet hominem occidere, &c. 7. *Omnium præceptorum principium & finis est amor.* Hinc charitas vocatur finis & πλήρωμα Legis. Rom. 13. 10. 1. Tim. 1. 5.

CONTROVERSIA.

Rectè quatuor Præcepta primæ tabulæ assignantur, & sex secundæ.

An rectè quatuor præcepta primæ Tabulæ assignentur, & sex secundæ? Affirm.

Quidam utrique Tabulæ quina præcepta assignant, ut *Iosephus lib. 3. Antiq. c. 4.* Et ex Patribus *Irenæus*: sed perperam, quia Christus præceptum quintum sub secunda tabula comprehendit. Matth. 19. 18. & Paulus. Eph. 6. 2. dum vocat primum mandatum cum promissione, i. e. secundæ tabulæ, nam in prima promissio datur secundo; Et rei natura hoc evincit, quia alia sunt religionis officia erga Deum, quæ primâ, alia charitatie & cultus, erga superiores, quæ secundâ præscribuntur.

Alii primæ tabulæ tria solùm assignant præcepta, primum & secundum in unum conjiciendo, & decimum in duo divellendo, quæ fuit Clementis Alex. & August. partitio, quam sequuntur *Pontificij* & *Lutherani*. Alii denique primæ tabulæ quatuor vendicant, secundæ verò, sex, quæ sententia est Paraphrastis Chaldæi in Exod. 20. & plerorumque Patrum, *Origenis*, *Athanasii*, *Ambrosii*, *Chrysostomi* & aliorum, quam & nos sequimur. Hoc tantùm observamus cum Nostris, talem esse Controversiam istam, de qua cùm quoque odiosè non sit contendendum, modò salva maneat totius Decalogi Doctrina, nec mutiletur præceptorum numerus; Quod faciunt hîc Pontificii, qui secundum Præceptum de sculptilibus adjungunt primo de Diis alienis non habendis, quasi esset tantùm appendix, vel explicatio primi; imò & expungere solent ex Breviariis, ne populo innotescat; quæ causâ fuit, ut quidam ex nostris fortiùs divisionem istam exagitaverint, & sententiæ receptæ adhæserint, his potissimùm nixi rationibus.

ARGUMENTA.

1. Nisi divisio nostra locum habeat, confundentur officia Religionis erga Deum, quæ tabulâ primâ, cum officiis justitiæ & charitatis erga proximum, quæ tabulâ secun-

secundâ continentur; Quatuor enim prima præcepta religionem, & dilectionem Dei spectant, sex verò posteriora amorem erga proximum.

2. Præceptum primum & secundum sententiis differunt; E. & ordine: Illud versatur circa τὸ ὄν, seu *objectum cultûs*, ut verus Deus colatur; Istud circa τὸ ποῖον, seu *modum cultûs*, ut non colatur per imagines. Unde fieri potest, ut unum violetur, non violato altero, quando verus Deus colitur quoad objectum, sed cultu legitimo quoad modum, ut Israëlitæ, qui Jehovam colebant in vitulo. Exod. 32.

3. Præceptum decimum perperam in duo dispescitur, quia sub uno communi nomine concupiscentiæ comprehenditur, & idem peccati genus prohibetur; Unde Moses Exod. 20. concupiscentiam domûs præponit concupiscentiæ uxoris. At Deut. 5. 27. ordine mutato illam postponit, quod fieri non debuisset, si duo essent præcepta distincta. Paulus refert præceptum hoc ut unicum. Rom. 7. 7. non ut duo; *non cognovissem concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset, non concupisces.* Rom. 7. 7.

OBJECTIONES.

1. *Sub prohibitione Deorum alienorum in primo præcepto continetur etiam prohibitio idolorum.* R. Conceditur, quatenus constituunt *objectum cultûs*, tamen non sequitur, secundum non constituere peculiare præceptum, quia tunc sub alia χέσει spectantur, ratione *modi cultûs*; Nec idola tantùm, seu fictitiorum Deorum simulachra innuunt, sed etiam imagines veri Dei. Ne ergo cultus imaginum, vel Dei in imaginibus licitus censeretur, sapientissimè Deus peculiari præcepto illum vetare voluit.

2. *Moses utitur gemino verbo ad concupiscentiam prohibendam* תאוה & חמד *in Exod. & in Deutero.* R. Tamen non sequitur, duplex eum facere voluisse præceptum; nam & in secundo quod unicum est, duplex verbum adhibuit ad cultum imaginum prohibendum שחה & עבד *incurvandi & serviendi*, quod fit non distinctionis, sed majoris emphasis gratiâ.

3. *Concupiscentia est diversa, una originalis, altera actualis, una sine consensu voluntatis prævio, altera cum eo.* R. Est diversa quoad *gradus*; eadem tamen quoad *speciem*, quæ

quæ hoc præcepto prohibetur. Nec si objecta materialiter spectata sunt diversa, formaliter tamen differunt, quia sub ratione formali rerum alienarum continentur. Si multiplicanda essent præcepta juxta diversitatem rerum concupitarum, non jam duo, sed multò plura constituenda essent præcepta.

XV. Primo Præcepto exponitur quis, & quibus virtutibus spiritualibus ille Deus coli debeat: ut sunt, *cognitio*, *fides*, *spes*, *amor*, *timor*, *humilitas*, *zelus*, &c. Prohibentur autem vitia; *idololatria*, *magia*, *divinatio*, *superstitio*, *Sanctorum invocatio*, &c.

De invocatione Sanctorum.

CONTROV. I. AD PRÆCEPT. I.

An liceat Angelos, mortuos, sanctos, aut ullam creaturam religiosè adorare aut invocare?

Neg. cont. Pontif.

De Anglis supra egimus, Loc. de Creatione. Nunc de Sanctis, de quibus facilè concedimus, eos à nobis honorandos, tum de iis præclarè sentiendo, tum eorum memoriam gratiâ & jucundâ recordatione usurpando, tum certamina & victorias prædicando, doctrinam servando, virtutes celebrando & imitando, ac pro illis Deum laudando, & gratias agendo, quòd in bonum Ecclesiæ tales excitaverit. Quod observandum contra calumnias Pontificiorum, qui nos traducunt ut Sanctorum contemtores & inimicos. Non autem rejicimus *interpellationem civilem*, *socialem* & *dilectionis*, quæ inter homines viventes locum habet, & ad secundam tabulam pertinet: sed rejicimus interpellationem *religiosam pietatis*, *& cultum religiosum*, qui juxta Pontificios consistit partim *intus* in *judicio* de ipsis, quòd necessitates nostras nôrint, & possint nobis opitulari, partim in *fiducia* in ipsis, quòd etiam velint, partim *foris*, in sacrificiis & invocationibus quæ ipsis offeruntur, festis & Templis, quæ ipsis consecrantur; quam sententiam Pontificii in Concilio Tridentino, Breviariis, Hortul. anim. Psalterio Mariæ à Bonaventura concinnato &c. ulteriùs confirmant; Nos opponimus sequentia

ARGUMENTA.

Exod. 20. 3. 1. *Ab expresso Dei mandato.* Exod. 20. 3. *Non habebis Deos alienos coram me*, vel ut habent 70. πλὴν ἐμοῦ, *præter me.* Deus verò nobis esse proque Deo haberi id dicitur, quod

quodcunque adoramus, quod confirmatur à Christo adversus Satanam disputante: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Matth. 4. 10. Matth. 4. 10.

Exc. *Distinguendum inter latriam, quæ soli Deo, & duliam, quæ angelis & sanctis, & hyperduliam, quæ humanitati Christi, & beatæ virgini deputatur.* R. Distinctio illa nulla est, 1. quia promiscua est, λατρείας & δουλείας apud profanos Scriptores significatio. 2. Ex vi vocis δουλεία plus importat, quàm λατρεία, ista enim mercenarii tantùm obsequium & cultum notat, sed illa mancipii & servi, qui Domino suo totum se debet, subjectionem. 3. In N. T. Cultus soli Deo debitus sæpe exprimitur voce δουλείας 1. Thess. 1. 9. δουλεύειν Θεῷ ζῶντι. Matth. 6. 24. οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. Rom. 12. 11. τῷ κυρίῳ δουλεύοντες. Eph. 6. 7. Μετ' εὐνοίας δουλεύοντες τῷ κυρίῳ. Exc.

2. Invocatio Sanctorum nec habet præceptum, nec promissum, nec exemplum in Scriptura, quo nitatur, adeòque nihil aliud quàm ἐθελοθρησκεία vitiosa & damnabilis.

3. Sancti non sunt *omniscii*, ut necessitates nostras omnes cognoscant, & orationes omnes tam orales quàm mentales ubique audiant. *Abraham enim nescit nos, & Israël non novit nos.* Jes. 63. 16. Eccles. 9. 6. *Mortui nesciunt quicquam.* 2. Reg. 22. 20. Dicit Deus ad Josiam: *Ecce, ego faciam, ut aggregeris ad patres tuos, & ad sepulcra tua in pace, ut non videant oculi tui totum istud malum, quod ego inducturus sum contra locum hunc.* Nec sunt *Omnipotentes*, qui possint laborantibus succurrere; Nec habent *Voluntatem*, ut velint nos juvare, & cultum hunc sibi deferri postulent. Jes. 63. 16. Eccles. 9. 6.

Exc. *Defectum hunc supplet tum Trinitatis speculum, quo beati in essentia Dei omnia videntis, omnia vident quæ hîc geruntur; tum revelatio Dei, qui Sanctis orationes & cogitationes fidelium revelat; tum donum beatitudinis, cujus vi fit, ut è cœlo res quæ hîc geruntur, intueri possint.* R. Figmentum de speculo Trinitatis non paucis inter ipsos Pontificios displicuit, *Lombardo, Thomæ, Antisiodorensi, Bannesio, Estio*, &c. Nec si Sancti immediata Dei visione fruuntur, sequitur eos omnia in Deo videre, aliâs non ignorarent diem judicii. Adde, quòd speculum illud vel erit Exc.

naturale

naturale vel *voluntarium*, si prius, nihil prorsus illis erit absconditum, quod dicere impium; si voluntarium, non alia in eo videbunt, quàm quæ Deo libuerit repræsentare, quænam verò illa sint quis dixerit? 2. Revelatio Dei, Sanctis cogitationes fidelium revelans, figmentum est extra Scripturam; Et, cur tot circuitus quærendi sunt, ubi Deus recta nos ad se vocat? Et, cui bono revelaret Deus Sanctis necessitates & preces nostras, ut eas sibi denuò offerrent? Non minus donum beatitudinis, cujus vi sancti res hic gestas intueri possint, merum est figmentum.

4. Cultus omnis & invocatio religiosa, quæ ad alium quàm ad Deum dirigitur, est idololatricus: Idololatria enim est, quando creatura colitur παρὰ τὸν κτίσαντα, præter creatorem, vel eo præterito. Rom. 1. 25. quum coluntur ii, qui naturâ non sunt dii. Gal. 4. 8.

Exc. Exc. *Non cultum supremum, sed tantùm subalternum deferimus Sanctis, non sicut Deo, sed sicut amicis Dei; & non aliter eos invocamus, quàm Reformati Sanctos viventes, ut orent pro nobis.* R. 1. Perperam finguntur gradus in cultu religioso, qui unicus est & indivisibilis. 2. Hæc fuit exceptio Gentilium, qui distinguebant inter Deum summum, cui cultus supremus debebatur, & medioxumos ac inferiores, quibus inferior etiam deferretur. Ariani & Nestoriani Christum non adorabant ut Deum, quem ille Deum creatum, hîc hominem à Persona λόγου divisum existimabat; & tamen à Patribus idololatriæ accusantur. 4. Quis ferret adulteram, se excusantem, eo quòd copiam corporis fui fecerit alteri non ut marito, sed ut mariti amico? At tam soli Deo proprius est omnis religiosus cultus, quàm conjugalis benevolentia soli marito debetur. 5. Cultum quem Creaturis exhibent Romanenses, non differre à cultu divino, patet, quia Sanctos honorant templis, sacellis, aris, imaginibus, capitibus radiatis, missis, festis, cereis, illis donaria & sacrificia afferunt, ad eos preces dirigunt, per eos jurant, iis vota nuncupant, spem salutis & fiduciam in iis collocant, &c.

5. Ignota fuit Apostolicæ Ecclesiæ, & primis Christianismi seculis Sanctorum invocatio. Nulla enim tum temporis mentio erat Templorum, Altarium, Simulacrorum, Festorum, Donorum, &c. Divis dicatorum. In publico Ecclesiæ cultu uni solique Deo hymmos cecinerunt; Sanctorum

Sorum canonizatio apud ipsos incognita fuit: Inde Pagani Divorum cultum ante 4. seculum Christianis nuspiam objecerunt. Et, si error sensim invaluit progressu temporis, quod patuit demùm circa ann. 370. non defuerunt, qui illi masculè se opponerent; indeà Conc. Laod. & Carthagi. damnatus, & ab Epiphanio contra Collyridianos Virginem invocantes, & Augustino oppugnatus.

OBJECTIONES.

1. *Ps.* 99. 5. *Adoravit scabellum pedum.* R. Habetur *coram* scabello seu tabernaculo Dei. Ps. 99. 5.

2. *Heb.* 11. 21. *Adoravit fastigium baculi.* R. Non: sed innitens baculo. Heb. 11. 21.

3. *Ferunt preces nostras ad Deum. Apoc.* 5. 8. 9. R. Quod de Citharis & phialis aureis in manu 24. Seniorum h. l. dicitur, non favet intercessioni Sanctorum: Quia si ad Sanctos defunctos hoc referatur, non significabit preces, quas ipsi pro vivis offerant, sed Dei laudes & suffitus gratiarum actionis, quos continuò Deo offerunt. *Si* verò ad laudes & preces viventium Sanctorum refertur, nihil inde pro defunctorum orationibus elicitur. Ita sc. describitur cultus Evangelicus laudum & precum, vocibus è cultu legali desumtis, ut citharæ instrumenta laudum laudes, & phialæ aureæ preces fidelium in corde fide purificato oblatas notent. Sic ostendunt se esse verè Reges & Sacerdotes; Reges enim citharæ decent, ut Davidem, phialæ verò Saderdotes. Apoc. 5. 8. 9.

4. *Iob.* 5. 1. *Ad quem Sanctorum vertes te?* R. Quum Eliphaz suadet Jobo, ut ad aliquem Sanctorum se convertat, non loquitur de Sanctis defunctis, sed advocat vivos suffragantes, è quibus negat ullum Sanctum secum consentientem producere posse, qui affirmet, Deum innocentes & justos affligere, ut antithesis docet, & contextûs series. Job. 5. 1.

5. *Patres docuerunt invocationem Sanctorum.* R. Imò constat, tribus primis seculis nullum inveniri Patrem, hujus invocationis patronum; Sub Origene irrepere cœpit inter Doctores intercessionis opinio; non tamen inde quispiam Sanctos invocat, aut tradit invocandos, donec paulatim partim ex Philosophia Platonica, & Helleniſmi reliquiis, partim ex licentia Poetica & oratoria, & hyperbolicis laudationibus & Apostrophis, *Basilius*, *Nyssenus* & *Nazian-*

Nazianzenus inter Græcos, & *Ambrosius* inter Latinos fenestram ampliorem huic errori aperuerunt.

CONTROVERSIA. II. AD PRÆC. I.

De Canonizatione Sanctorum.

An Papa possit quosdam in in Catalogum Sanctorum referre & præscribere, ut publicè colantur & adorentur? Neg. c. eosdem.

Fundamentum invocationis Sanctorum inter alia apud Pontificios est *Canonizatio* seu Apotheosis Sanctorum, quâ Sancti ab Ecclesia invocandi à Rom. Pontifice certis cæremoniis, per auream potissimùm scalam in cœlum illati, declarantur tales, qui coli & invocari debeant. Sed hoc impium θεοποίας commentum, quo terrestris homuncio, qui de salute sua certus non est, vult de aliena pronunciare, & cœlestium bonorum se diribitorem sacrilegè constituere, merum est impuræ Gentilitatis, & superstitionis Judaicæ imitamentum, quod nec in Scriptura, nec in pia antiquitate fundamentum ullum habet, adeoque rejectâ Pontificis authoritate, de qua in sequentibus agemus, cadit.

CONTROVERSIA III. AD PRÆC. I.

Christus an quà mediator sit adorandus?

An Christus quà mediator sit adorandus? i. e. an officium Christi mediatorium sit fundamentum adorationis Christi? Neg. contra Soc. Pontif. &c.

1. Occasionem Quæstioni dederunt non modò *Pontificii*, qui de Christi humanâ naturâ adorandâ disquirunt, & *Lutherani* Ubiquitistæ, qui disputant de adoratione Christi secundùm humanam naturam; sed præcipuè Sociniani. Cùm enim Orthodoxi æternam Christi Deitatem probare satagant ex adoratione illi debita; isti, ut hoc argumentum eludant, distinguunt inter cultum & adorationem, quæ tribuitur Deo Patri, ut causæ primæ, & inter eam, quæ tribuitur Christo Mediatori quà tali, i. e. tanquam causæ secundæ, mediæ, & subordinatæ omnium eorum, quæ pertinent ad salutem, quæ utraque adoratio divina quidem sit, non tamen summa, sed illa tantùm, non verò ista, ut Christus non sit agnoscendus pro ultimo fine adorationis. Unde ita argumentantur: Quæ adoratio tribuitur Christo quà Mediatori, illa non competit Deo quà tali, & per consequens non evincit ipsius Deitatem

tatem. Sed adoratio Christo tribuitur qua Mediatori. E. Cui, quia responsum fuit à nonnullis per negationem Minoris; Hinc nata quæstio de Adoratione Christi quà Mediatoris, circa quam in partes itum est, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Licèt verò quæstio hæc prout inter Orthodoxos agitatur, Problematica, alicujus tamen momenti esse, post detectas Socinianorum insidias, proclive est cuivis intelligere.

Non autem quæritur. 1. De *objecto materiali* adorationis, in quod tendat adoratio; Nam de eo consentiunt omnes Orthodoxi. Sed de *objecto formali*, seu ratione sub qua adorandus sit Christus, an sit tantùm Deitas Christi, an verò etiam ejus humanitas & mediatio, seu officium Mediatorium? An sit adorandus quà Deus tantùm, an etiam quà mediator? Et quia particulæ istæ *quà*, *quatenus*, *quia*, &c. vel *latiùs* & *specificative* sumi solent, ut specificetur objectum, circa quod aliquid fit, vel *strictius*, & *reduplicative*, quum limitatur per rationem secundùm quam prædicatum subjecto convenit: Non sumuntur hîc primo sensu, sed posteriori. Non quæritur; An Christus quà Mediator, *specificative*, i. e. *qui* Mediator est, sit adorandus, sed *reduplicative*, *quà* talis, & sub illa formali ratione.

Non quær. 2. De *motivis* & rationibus, propter quas Christus adoratur & colitur; Convenit enim, eas non tantùm petendas esse ab ὑπεροχῇ Majestatis divinæ, sed etiam à beneficiis variis, quæ ab ipso nobis collata sunt, sive in Creatione, sive in Redemtione; unde agnus dicitur dignus honore, quia mactatus est, &c. Apoc. 5. 9. Sed de *fundamento*, quod fundet adorabilitatem, seu de *Termino ultimato*, in quem feratur, & in quo terminetur adoratio; Hunc volumus esse solam Deitatem.

ARGUMENTA.

1. Solus Deus est adorandus. Matth. 4. 10. Sola ergo Deitas est fundamentum adorationis. Matth. 4. 10.

2. Christus ratione officii mediatorii est servus, Deo minor. Jes. 49. 3. 5. 6. E. illud fundamentum adorationis esse non potest. Jes. 49. 3. 5. 6

3. Quod non est fundamentum Deitatis, id non potest esse fundamentum adorationis: sola enim Deitas adoranda est. Esaj. 42. 8. *Gloriam meam alteri non dabo.* Jes. 42. 8.

4. Si hoc esset fundamentum adorationis, tum illæ naturæ essent adorandæ, secundùm quas est mediator, adeoque etiam humana natura; quod est contra Scripturam; siquidem hoc esset colere id, quod naturâ non est Deus.
Gal. 4. 8. Gal. 4. 8.

5. Mediatio est officium temporarium, fundamentum autem adorationis æternum esse debet.

6. Tum duæ essent adorationes; una quà Dei, communis cum Patre & Sp. S. altera quà Mediatoris.

OBJECTIO.

Si adoratur quà Mediator, debet etiam adorari quà homo; quia humanitas includitur in conceptu Mediatoris. R. 1. Licèt *totus* Mediator sit adorandus, i. e. Persona Christi, quæ est divina, & per consequens adorabilis; non tamen statim *totum* mediatoris, seu quicquid ingreditur constitutionem Personæ mediatoris, ut sit objectum formale cultûs; sufficit non posse concipi mediatorem, quin Deus esse statuatur. 2. Licèt humana Christi natura sit adjunctum inseparabile, sine quo non fit adoratio, non tamen est objectum adorationis, quod eam terminet, quod August. illustrat simili Regis, qui cum diademate & purpurâ adoratur. 3. Aliud est *objectum formale adorationis*, quod in se continet ejus causam; aliud *objectum considerationis*, cujus ratio quædam habetur in adoratione: Divinitas est primum; sed humanitas secundum. 4. Licèt natura humana, seu caro Christi non adoretur κατ' ἰαυτὸ, *per seipsam*, nec δι' ἰαυτὸ, *propter se*, quia cùm sit Creatura, non est per se seu naturâ suâ adorabilis; rectè tamen dicitur adorari in λόγῳ, quo cum personaliter est unita, ut tamen terminus ultimatus adorationis non sit caro, sed Deitas. 5. Si ergo quidam ex Nostris dixerunt: *Humanitatem, seu carnem Christi esse adorabilem*; non eo sensu intelligunt, quasi esset proprium objectum, quod in se & per se terminaret adorationem; sed simpliciter, quatenus est *caro verbi*, quæ in verbo & cum verbo adoratur, ut innuant cultum qui Christo debet præstari, non discerpendum esse in varias species, prout olim factum â Nestorianis, qui Christum aliâ adoratione, quà Deum, aliâ quà hominem se venerari profitebantur. Et ut fit à Pontificiis, qui λατρείαν Deitati reddentes, ὑπερδουλίαν Humanitati tribuunt,

tribuunt, atque ita cultu inferiore ipsum colunt, quàm Crucem, cui λατρείαν deberi pertendunt.

CONTROVERSIA. III. AD PRÆC. I.

An Sanctorum Corpora & Reliquiæ religioso cultu sint venerandæ? Neg. cont. Pontif. De cultu Reliquiarum.

Reliquiæ sunt corpora, ossa, cineres, cingula, vestes, &c. Sanctorum; quarum adorationem incrustare conantur hodierni Sophistæ, negantes adorationem Deo debitam illis deferri, sed tantùm venerationem & honorem. Certum est tamen sancitam eam esse authoritate Concilii II. Nicæ. cuius hæc sunt verba Act. IV. *ossa, cineres, pannos, sanguinem, sepulcra denique adorantes, illis tamen non sacrificamus.* Baron. ad A. C. 821. S. 14. dicit se à Clemente VIII. missum *ut exploraret & adoraret venerandum Cæciliæ corpus.* Vasquez. lib. 3. de Ado. Disp. 4. c. 1. 2. Imagines & reliquias eodem modo adorandas esse probat. Catech. Trid. in 3. Præc. probat juramentum per reliquias, quod esse religionis actum nemo negare potest.

Nos licèt abjicienda non esse & ludibrio habenda Corpora Sanctorum cum eorum reliquiis censeamus, sed honestè condenda, negamus tamen religioso cultu colenda, & meritò aversamur superstitionem, quâ per insignem fraudem Apostolorum ostentantur reliquiæ mutæ, dum eorum occultantur Scripta, quæ Papatum jugulant, & idololatriam confodiunt.

ARGUMENTA.

1. Quoties in V. T. vel Novo defunctorum memorantur exempla, illorum corpora terræ mandata dicuntur, sine ulla ostentatione, vel religiosâ veneratione. Quin & ipse Deus sepelevisse & occultâsse dicitur corpus Mosis. Deut. 34. 6. ne Israëlitæ tanti viri reliquiis ad idololatriam abuterentur. Et valde consentaneum est, non aliam fuisse causam jurgii inter Michaëlem & Saranam, Jud. v. 9. quàm quòd Satan vellet promi cadaver Mosis; Michaël verò vellet premi & ignorari. Deut. 34. 6. Jud. v. 9.

2. Christus Matth. 23. 29. reprehendit Pharisæos & Scribas, quòd Prophetarum & Justorum sepulcra ædificabant & ornabant, eorum interim doctrinam contemnentes. Matth. 23. 29.

3. Cultus talis non modò est inutilis, exhibitus rebus

inanimatis; sed & idololatricus, & superstitiosus, qui sine sacrilegio deferri non potest illis, soli quippe Deo debitus.

4. Cultus ille infinitis impostoris est obnoxius. E. g. Tiguri in theca pretiosissima, in quâ Reliquiæ S. S. Felicis & Regulæ Martyrum repositæ credebantur, inventæ sunt, cùm aperiretur in Reformatione, particulæ aliquot de latere coctili, funiculus item 12. cubitorum longus, & costæ nonnullæ felis aut similis animalis, & nihil præterea. Geneva ante Reformationem gloriabatur cerebro Petri, & brachio Antonii, postea apparuit cerebrum Petri esse pumicem, & brachium Antonii cervi inguen: sic infinita alia.

5. Ἀειψανοθηκία primis Christianismi seculis ignota fuit, quod pater, tum, quod Martyrum & Sanctorum corpora diligentissime sepeliverint; tum, quòd talis cultûs nulla in vetustissimorum Theologorum libris mentio occurrat; tum, quòd Pagani nostris ante 300. annos talem cultum nunquam objecerint, quod fecerunt postea. Igitur iste cultus sequentibus Seculis successivè introductus fuit: Primò cœpti ad sepulcra Martyrum cœtus Ecclesiastici celebrari, & quidem die passionis eorum, ad solennitatem eorum celebrandam, & imitationem excitandam. Progressu temporis sub Constantino M. effossiones & translationes Reliquiarum ex sepulcris obscurioribus ad celebriora fieri cœperunt, quod quidem bona intentione factum, ut nempe Gentilibus, qui etiam Clarorum Virorum corpora magna solennitate ad clariora monumenta transferre solebant, commendabiliorem redderent Religionem Christianam. Mox persuasio hominum animos invasit, martyres, aliosque Sanctos ejus Regionis, urbis & loci, ubi eorum corpora erant, columnas, turres, & præsidia esse. Postea Corpora & Reliquiæ Sanctorum non ampliùs sub altari condebantur, sed super altare ad venerationem prostituebantur, sed super altare ad venerationem prostituebantur, unde ortæ circumgestationes reliquiarum; & quia miracula fiebant ad sepulcra martyrum, præter Deum etiam Martyres, & eorum reliquiæ coli cœptæ sunt.

OBJECTIONES.

2. Reg. 13. 21. 1. *Ossa Elisæi tales reliquiæ fuerunt, apud quæ miraculum suscitati mortui editum.* 2. *Reg.* 13. 21. R. Miraculum hoc vaticinii

vaticinii Prophetæ præcedentis de successura Moabitarum irruptione fidem confirmabat; sed cultum religiosum corporis ejus non probat; unde nec ante, nec post miraculum illud, quisquam sepulcrum Elisæi invisisse, vel ossa religioso adorationis osculo excepisse legitur. Deinde miraculum istud verum fuit, & omni suspicione falsi vacuum; quod de prætensis miraculorum reliquiis nemo dixerit.

2. *Fimbria Christi sanavit. Matth.* 9. 21. R. Fimbriæ Christi tactus miraculosæ sanationis symbolum extraordinarium fuit; sed nec hoc nec ullum aliud divinorum miraculorum symbolum à quoquam pio religiosè cultum est. Nec eadem est ratio vestimenti Christi, quo indutus ad divinæ suæ potentiæ demonstrationem uti voluit, & reliquiarum Papisticarum, quæ vel incertæ, vel à Christo vivo separatæ, eandem vim & efficaciam habere non possunt. Matth. 9. 21.

3. *Umbra Petri. Act.* 5. 15. *& sudaria ac semicinctia Pauli ægrotos sanabant. Act.* 19. 11. R. Fuerunt extraordinariæ curationis symbola; sed ut propter hoc symbolicum officium adorarentur, nec mandârunt Apostoli, nec à quoquam præstitum constat. An Petrus, qui noluit adorari vivus à Cornelio, jubere voluit adorationem sui cadaveris? vel passurus fuisset, ut coram umbra sua, vel semicinctiis, ad ejus essentiam ne quidem pertinentibus, homines procumberent venerabundi. Act. 5. 15. Act. 19. 11.

4. *Cur Iacobus & Iosephus morientes jusserunt ossa sua ex Ægypto transferri in Canaan, quàm ut reliquiæ eorum colerentur?* R. Neg. Sed Translatio Patriarcharum faciebat ad fidem ipsorum erga Dei promissionem de terræ possessione confirmandam, & Messia in ea nascituro; sed nihil faciebat ad religiosum ossium ipsorum cultum, quæ denuò recondenda & humanda fuerunt: Unde ossa illorum nusquam leguntur adorata, aut osculo excepta, vel illata tabernaculo, vel circumgestata per Pompam, vel suppositа altaribus, &c.

5. *Vigilantius ab Hieronymo hæreseos accusatur, quia se Reliquiarum cultui opposuit.* R. In hoc iniquè cum ipso egit Hieronymus, Erasmo ipso fatente.

XVI. Quærit hîc author noster: An unquam cuiquam liceat dubitare de Deo, an existat, de verbo Dei, Christo, An liceat dubitare de Deo.

Christo, & similibus? Quod observat contra Philosophos quosdam, qui Cartesii Principia sectantur. Sed, ne nimis rigidè de aliis sentiamus, litem omnem facilè componimus Cl. Turretini verbis. Quamvis, inquit, Philosopho concedi posset, ad tutiorem rerum naturæ indagationem, ut à dubitatione incipiat, perperam tamen hoc ad res Theologicas & fidei traheretur, quæ certis & indubitatis nituntur principiis, de quibus dubitare est nefas, nisi velimus ἐποχὴν Academicam in Religionem invehere, & Theologiam totam Scepticam reddere.

XVII. Præcepto secundo Deus mandat quo modo & cultu externo ab hominibus publicè & privatim coli velit.

De cultu imaginum.

CONTROV. I. AD PRÆC. II.

An Dei & SS. Trinitatis, Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum imagines cultu Religioso prosequi liceat?

Neg. cont. Pontif.

Quamvis nonnulli inter Pontificios imaginibus Dei nullum cultum deferri debere pertendunt, sed eas tantùm habendas esse ad historiam, & rerum præteritarum memoriam; Tamen multi alii in diversa abeunt, & sententia eorum communis petenda ex concilio Trident. quod in hoc articulo provocat, ad Concilium Nicænum II. istud verò Concilium anathematizat illos, qui imagines venerandas, non adorandas dicunt. Unde Bell. lib. de imag. c. 21. vult imagines coli non solùm ob prototypum, sed etiam ob seipsas. Contra nos pugnamus sequentibus.

ARGUM.

Exod. 20. 4. 1. Locis expressis. Exod. 20. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles.* Levit. 26. 1. *Non facietis vobis idolum, neque sculptile, neque vobis erigetis statuam, vel lapidem figuratum in terra vestra, ut prosternatis vos ante eum.*

Levit. 26. 1.

Exc. 1. Exc. 1. *Præceptum est juris positivi, quod Iudæos tantùm obligavit, non verò naturalis, quo omnes obstringantur.* R. Contrarium testatur 1. Finis præcepti, qui est juris perpetui, nim. ut verus Deus purè absque omni idololatria colatur. 2. Repetitio facta non semel in N. T. post abrogatam

gatam Legem ceremonialem. 1. *Ioh.* 5. 21. *Filioli, cavete vobis ab idolis*; & sapius in Epistolis ad Corinthios. 3. Præceptum est naturâ notum, unde Gentiles ex eo redarguit Paulus Act. 14. & 17. & Rom. 1. quod confirmatur ex historia multarum gentium, quæ imagines admittere noluerunt. 1. Joh. 5. 21.

Exc. 2. *Agitur de idolis quæ sint rerum non existentium, qualia erant falsa Gentium Numina, non verò de Imaginibus, quæ sint rerum existentium. Ideò* פסל *vertendum per* εἴδωλον, *non verò per* εἰκόνα. R. Inane hoc est effugium. 1. Quia vox פסל de quovis simulacro dicitur, unde a 70. redditur modò per εἴδωλον, ut apud Exodum, modò per γλυπτὸν, ut Deut. 4. 16. & 5. 8. modò per εἰκόνα. Jes. 40. 18. 20. 2. Vulgata versio Deut. 4. 16. hanc distinctionem respuit, quum reddit *sculptam similitudinem, aut imaginem masculi.* Et Jes. 40. 18. *quam imaginem ponetis ei?* 3. Gratis fingitur distinctio inter εἴδωλον & εἰκόνα, quasi in usu Theologico *idolum* sumatur ut plurimùm in malam partem, imago verò in bonam, pro qualibet repræsentatione; tamen in usu Grammatico ejusdem sunt significationis. Hinc Gloss. εἰκὼν εἴδωλον. Et apud Ciceronem *imago idolum* eo tantum differunt, quòd alterum Græcum, alterum Latinum est Ita passim apud Diodorum, Polybium, Plutarchum, Regum & Imperatorum statuæ εἴδωλα vocantur. 4. Quamvis in usu hodierno idolum strictiùs, imago latiùs sumatur, ut omne idolum sit imago, sed non omnis imago idolum, nisi quum illi aliqua relatio divinitatis accedit, sive quoad repræsentationem, sive quoad cultum. Nunquam tamen inter se distinguuntur sensu Pontificio, quasi idolum esset tantùm rerum non existentium, imago vero existentium. Nam in Scriptura Idola dicuntur imagines veri Dei, ut vitulus aureus *idolum* vocatur. Act. 7. 41. & ejus cultores idololatræ, quod tamen ad verum Deum repræsentandum fuit formatum. Ita idolum Micæ. Jud. 17. & vituli Jeroboami. 1. Reg. 12. 28. 5. In Lege Deus prohibet imagines non tantùm rerum falsarum, sed etiam existentium, sive in cœlo, sive in terrra, &c. Et pleraque Gentium idola rerum vere existentium fuerunt imagines, astrorum, hominum, animalium. Exc. 2.

2. Cultus religiosus imaginum est idololatricus. Nam idolum est omnis imago religionis causâ efficta; Is ergo colit idola, qui coram imaginibus procumbit, & operi manuum

nuum suarum honorem habet. Jes. 2. 8. vel eas per se quolibet religioso cultu propriè dicto, qui quocunque nomine veniat, soli Deo debetur, adorat.

Exc. Exc. *Non coluntur imagines per se, tanquam Dii, quod esset idololatricum, sed tantùm relate ad prototypum, vel prototypus in ipsis.* R. 1. Etiam Ethnici seipsos excusârunt. 2. Qui imagines non per se quidem coluerunt, sed in imagine prototypum, idololatræ dicuntur. Israëlitæ vitulum aureum non putabant Deum esse; Quis enim arbitretur eos adeo hebetes fuisse, ut crederent, opus manuum suarum fuisse Deum illum, qui eos eduxerat ex Ægypto? sed tantùm habuerunt in animo ejus simulacrum sibi fingere, ut verum Deum in hac imagine colerent, teste ipso Aarone, qui festum huic idolo consecratum vocat festum Jehovæ. Exod. 32. 5. Et tamen Israëlitæ per vitulum aureum Deum colere volentes, dicuntur idololatræ. Eadem ratio est duorum vitulorum à Jeroboamo erectorum in Dan & Bethel. 1. Reg. 12. 28. Et idoli Micæ. Jud. 17. 3. quod Jehovæ fuit sanctificatum, & cujus Sacerdos describitur ut Sacerdos Jehovæ. c. 17. & 18.

3. Si imagines religiosè coli possent, hoc fieret vel *propter se*, vel *propter exemplar*, sed neutrum; Non *propter se*, quia sunt infra dignitatem hominis, res inanimatæ, phantasiæ artificis subjectæ; Unde toties simulacrorum cultus vetatur, quia sunt opus manuum hominum, quæ *os habent, & non loquuntur, oculos, & non vident, aures, sed non audiunt*, &c. Ps. 115. 4. 5. *Pudefiat omnis conflator sculptilis; nam falsum est fusile ejus, nec spiritus est in ullo eorum.* Ier. 10. 14. Quid profuerit sculptile, quod sculpserit illud formator illius, fusile & doctor falsi; quòd confidat formator figmenti sui ipsi, faciendo idola muta? Væ illi, qui dicit ligno, expergiscere, evigila, lapidi silenti, &c. Habac. 11. 18. 19. Non *propter exemplar*, vel Deum, vel Sanctos. Nam Deus in imagine, in qua nomen suum non posuit, coli non vult, & in imagine materiali non potest repræsentari. Sancti verò nec per se, nec in imagine colendi sunt.

Ps. 115. 4. 5.

4. Imaginum cultus incognitus fuit in Ecclesia Christiana primis quatuor seculis. Quod patet, tum ex Concilio Eliberitano, ubi picturæ in Ecclesiis rejiciuntur, tum, quia Patres cultum imaginum passim Paganis objiciunt, tum, quia gentiles defectum altarium & simulacrorum Christianis ut ma-

ut magnam impietatem objiciunt, tum, quia varii ex Patribus artem pictoriam absolutè rejecerunt. Cùm verò post quartum seculum, sub initium quinti *Paulinus* Episcopus Nolanus, & *Severus*, Bituricensis Episcopus, picturas quasdam historicas, commonitorias, ornantes, curaverint in basilicis faciendas, mox cultus earum invasit; unde initio 6. Seculi *Serenus*, Massilienſis Episcopus, & *Gregorius I.* Romanus hanc superstitionem removere voluerunt, ille eas tollendo penitùs, iste populum monendo, ad memoriam tantum utiles esse. Sensim tamen rediit illarum cultus, contra quem varia Decreta ab Imperatoribus facta sunt; ut: A Leone III. Isaurico. Ann. 726. à Constantino Sexto Caballino, dicto Copronymo, ejus filio, qui in Synodo Constantinopolitana Oecumenica, congregatis 338. Episcopis, decretum contra imaginum cultum fieri curavit. Ann. 754. A Christophoro, & Nicephoro Imperatoribus, Ann. 775. à Leone IV. Ann. 780. Licèt verò Irene, Leonis IV. uxor, rerum in oriente potita, impubere filio, imagines restituere satagerit congregatâ Niceæ Synodo generali, quæ earum cultum contra Constantinopolitanam sancivit. Ann. 787. Multi tamen Imperatores in Oriente se opposuerunt; imprimis in Occidente *Carolus Magnus*, qui non modò peculiari libro, sub titulo *Capitularis Caroli Magni* eruditissimè cultum imaginum impugnavit; sed etiam Synodum Francofurti indixit, Ann. 794 quæ Nicænum II. damnavit. Quod fortiùs confirmatum fuit in Synodo Parisiensi, à Ludovico Pio, Caroli filio, Ann. 825. Non etiam omittendum, quod ante Concil. Trid. multi Pontificii imaginum cultum rerecerint, ut: Guil. Durandus, Episcopus Mimatensis: Joh. Billet, Theologus Parisiensis, Gerson, Biel, &c. Imò durante Concilio Sebastianus, Elector Moguntinus, Synodum Provincialem habuit contra imagines. Eò pertinet, quod Catharina Medicea, Galliæ Regina, Ann. 1561. ad Pium IV. literas dedit, quibus petiit, ut imaginum cultus tolleretur. Et ejusmodi plura.

5. Ipsi Pontificii dissentiunt circa imaginum cultum; alii enim volunt adorandas esse propriè & per se, ut terminent in se adorationem, alii analogicè, impropriè & reductivè ad prototypum; alii cultu eodem cum prototypo, alii diverso & inferiori: Quotusquisque verò est ex plebe, qui

qui has distinctiones ritè intelligat, ut per abstractionem mentis, dum procumbit coram imagine, non proprium ullum cultum, sed relativum & analogicum illi exhibeat, vel cultum tantùm inferiorem cultui prototypi ipsius?

OBJECTIONES.

1. *Cherubini, & serpens æneus fuerunt ejusmodi imagines, cultus gratiâ erectæ.* R. Neg. Aliud est symbolum, emblema, & typus rei alicujus, quomòdo serpens æneus typus fuit Christi; aliud verò imago. 2. Nec Cherubini, nec serpens æneus adorati sunt; Quoad Cherubinos, positi erant extra conspectum populi, supra arcam, in Sancto Sanctorum. Quoad serpentem æneum, tantum abest, ut religiosè coli debuerit, ut etiam dejectus sit & contritus ab Ezechia Rege, cùm colere illum Judæi inciperent. 2. Reg. 18. vers. 4. 2. Reg. 18. 4.

2. *Paulus. Gal.* 3. 1. *dicit: Christum fuisse ante oculos Galatis depictum.* R. Non efformatione pictoris vel statuarii, sed prædicatione Evangelii, per quam exhibetur nobis ut crucifixus.

3. *Honor imaginis transit ad prototypum & exemplar.* R. Si id ipse instituerit, qui exemplar est: sin verò prohibuerit imaginem sibi fieri, aut eam honorari, injuria afficitur.

CONTROV. II. AD PRÆC. II.

De formatione imaginum.

An cultus tantùm, annon etiam formatio & usus imaginum religiosarum in locis sacris præcepto secundo sit prohibitus?

Affirm. cont. Lutheranos.

Lutherani cultum quidem imaginum aversantur, sed tamen imaginum efformationem & usum in locis Sacris tanquam legitimum, si non ad cultum, saltem ad historiam, & rerum gestarum memoriam propugnare conantur.

Nos non damnamus imagines *historicas* rerum gestarum, vel virorum magnorum, vel *Symbolicas*, quibus virtutes & vitia repræsentantur, vel *politicas*, quæ monetis imprimuntur; Non etiam negamus, licere creaturas & rerum gestarum historias depingere, ornatûs vel oblectationis vel institutionis gratiâ; Facilè etiam concedimus licere imagines virorum Sanctorum domi habere, ad piam eorum recor-

recordationem, & imitationis exemplum. Sed rejicimus *imagines sacras & religiosas*, quæ ad pietatem excitandam aliquid conferre existimantur, imagines item metaphoricas Dei, & ipsius Trinitatis, easque in locis sacris collocatas, ad commonefaciendos fideles, & ciendos eorum affectus, quod Lutherani cum Concilio Francofurtensi statuunt: Nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Deus in secundo præcepto vetuit non tantùm colere, sed etiam facere imagines.

Exc. 1. *Intelliguntur imagines, quibus homines Essentiam Dei conantur exprimere, non autem, quibus vel Deus vel Sanctus in apparationibus repræsentantur.* R. Imò nulla foret hoc prohibendi necessitas, quia nemo est tam insanus, ut per symbolum aliquod externum spiritualem Dei essentiam repræsentare velit. Exc. 1.

Exc. 2. *Notantur tantùm imagines falsorum Deorum.* R. Imò de vero non repræsentando per ipsum Mosen luculenter exponitur. Deut. 4. & à Deo ipso. Jes. 40. 18. ut infra videbimus: Hinc Israëlitæ Deum imagine vituli repræsentantes, graviter reprehensi & puniti sunt. Exod. 32. Exc. 2.

2. Deus ut ἄπιρος & ἀόρατος nulla imagine potest repræsentari Jes. 40. 18. *Cui assimilabitis Deum fortem, & quam similitudinem ponetis ei?* quò Paulus respicit. Act. 17. 29. *Progenies Dei cùm simus, non debemus existimare auro, & argento, aut lapidi, sculpturæ artificis & excogitationis hominum numen esse simile.* Unde Deus in promulganda Lege nullam sui similitudinem exhibere voluit, ut populus ab omni ejus imagine sibi abstinendum esse tanquam re illicitâ, imò & impossibili, intelligeret. Deut. 4. 15. *Quapropter cavebitis vobis ipsis valde, nam non animadvertistis ullam similitudinem, quo die allocutus est vos Iehova;* &c. *ut non corrumpatis, & vos faciatis vobis sculptile, similitudinem ullius simulacri formam maris aut fœminæ,* &c. Quod Apostolus in Gentilibus carpit. Rom. 1. 23. *Qui mutârunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptilibis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium.* Jes. 40. 18. Act. 17. 29. Deut. 4. 15. Rom. 1. 23.

3. Imagines in locis Sacris erectæ conjunctæ sunt cum idololatriæ periculo; Licèt enim non colantur imagines à Lutheranis, possunt tamen Pontificios in errore suo confirmare, Judæis & Muhammedanis scandalo esse, maximè peri-

periculum creare hominibus plebeiis, qui ad superstitionem naturâ proni, ad cultum earum ipsâ loci reverentiâ moventur.

OBJECTIONES.

1. *Deus visibili formâ apparuit; quid ergo prohibet illum sic pingi?* R. Neg. 1. Quia idem Deus, qui ita apparuit severè tamen prohibuit, ne ullam sui imaginem Israelitæ fabricarentur. 2. Potuit Deus sibi facere sermonem, corpora, & symbola, quibus singularem suam præsentiam testaretur; non tamen propterea homo potest Deo facere imaginem & statuam, in qua se homini exhibeat. 3. Species illæ corporeæ in visione tantùm fuerunt exhibitæ, quæ non essentiam Dei, sed opera, externamque gloriam aliquatenus adumbrarent, & quidem extraordinariæ, non ordinariæ, temporales non perpetuæ, non palam omnibus propositæ, sed huic vel illi, maximè in spiritu oblatæ; nihil ergo cum imaginibus commune habent.

2. *Scriptura Deo tribuit membra humana. E. potest pingi.* R. Hisce phrasibus Scriptura metaphoricè loquitur de Deo ad captûs nostri modulum, non verò speciem ejus visibilem quasi veram & propriam fingit, & omnium oculis publicè subjicit.

3. *In Templo Hierosolymitano fuerunt imagines?* R. A figuris Templi Hierosolymitani ad imagines Christianorum non valet consequentia; quia illæ fuerunt præceptæ, istæ non; illæ typicæ, impletæ in N. T. hæ non; illæ positæ ferè extra populi conspectum, quod de istis dici non potest.

4. *Imagines sunt libri idiotarum.* R. Imò sunt doctores vanitatis & mendacii. Jer. 10. 8. & Habac. 2. 18. 2. Alius est liber omnibus, tam peritis quàm imperitis consulendus, S. Scriptura. 3. Malè actum fuisset cum Judæis, quibus istos libros denegavit Deus, quibus tamen ut simplicioribus magis erant necessarii.

5. *Imagines movent ad pietatem.* R. Non imagines, sed Dei præsentia & majestas, & mysteriorum Sacrorum excellentia.

CONTROV. III. AD PRÆC. II.

Crux non adoranda.

An vel lignum, vel signum crucis coli, vel adorari debeat? Neg. cont. Pontificios.

Multiplicem etiam Pontificii idololatriam committunt circa adora-

adorationem crucis, quæ publico & solenni ritu invocatur in Hymno, qui die Veneris ante Pascha pronunciatur in ejus adoratione, dum enim Sacerdos detegens crucem, ait: *Ecce lignum crucis*, & chorus respondet, *venite, adoremus.* Oratio ad ipsam dirigitur: *ô crux ave, spes unica, hoc passionis tempore, auge piis justitiam, reisque dona veniam. Sola digna fuisti ferre secli pretium*, &c. Huic idololatriæ opponimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Eadem quæ contra cultum imaginum in genere.

2. Si coli debuisset, Apostoli custodivissent; quod non fecerunt.

3. Nemo scire potest, quodnam sit lignum crucis; committitur ergo idololatria.

4. Crux in qua Christus passus est, non magis coli debet, quàm homines, à quibus passus est.

OBJECTIONES.

1. *Crux sanctificata est per contactum corporis Christi.* R. Non magis quàm labia Judæ, & manus militum, qui ei colaphum impingebant.

2. *Primi Christiani adorârunt crucem; Constantinus M. & Helena ejus mater, quæ illam mirabiliter invenit.* R. Neg. Nam. 1. Licèt Christiani signo crucis in aëre certo tantùm digitorum motu formato ante Constantinum M. jam usi legantur, hoc non factum ulla lege Scripturæ, sed sola consuetudine; nec hoc signum adhibebatur ut adorandum, vel ut operativum ex opere operato, ut pertendit Bell. sed tantum ut signum discretivum, & tessera, quâ se invicem Christiani internoscerent. 2. Si Constantinus M. visione cœlesti, quæ victoriam in signo crucis portendebat, cum his verbis ἐν τούτῳ νίκα, permotus perhibetur, ut Labarum in formam crucis conficeret; & si Helena ejus mater lignum crucis dicitur apud Hierosolymam invenisse, Ann. 326. quod quàm suspectum esse debeat, vel solum silentium Eusebii docere potest; Non propterea cultus ullus cruci redditus legitur. Si verò exinde crucis imagines paulatim introductæ sunt in oratoria Christianorum, repugnantibus licèt multis piis viris, non erant adhuc adorationis objecta, sed fidei Christianæ symbola, donec subsecutis temporibus, & potissimùm circa Seculum 8. in Pseudo-Nicena Synodo sub Irene cultus iste sancitus est.

3. *Signum*

3. *Signum in fronte. Ezech.* 9. 4. *Apoc.* 7. 3. *est signum crucis.* R. Id purum putum est figmentum, ת thau non refert crucem.

XVIII. Tertio præcepto Deus mandat, quo modo coli velit, sc. attentè, devotè, sanctè, omnibusque viribus.

XIX. Prohibetur ergo jusjurandum temerarium, falsum, idololatricum, superstitiosum.

CONTROVERSIA. I.

Juramenta sunt licita.

An homini Christiano liceat jusjurandum jurare; seu necessitate urgente Deum testem invocare? Affirm. cont. Mennonit.

ARGUMENTA.

Deut. 6. 13. Jer. 4. 1.

1. Laudatur in V. T. tanquam bonum & sanctum. Deut. 6. 13. *Iehovam Deum tuum timeto, & ipsum colito, ac per nomen ejus jurato.* Jerem. 4. 1. *Iures, vivit Iehova, verè, & justè.*

Jes. 45. 23. cap. 65. v. 16.

2. Prædicitur id à populo in N. T. sanctè præstandum. Jes. 45. 23. *Per me juravi, &c. mihi incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam.* Et c. 65. 16. *Qui juraturus est, juret per Deum firmitatis.*

Rom. 1. 9. 2. Cor. 1. 23. Gal. 1. 20. Apoc. 10. 6.

3. Exemplo sunt in N. T. Rom. 1. 9. *Testis mihi est Deus.* 2. Cor. 1. 23. *Ego testem Deum invoco in meam animam.* Gal. 1. 20. *In conspectu Dei testor, me non mentiri.* Apoc. 10. 6. Angelus juravit per eum, qui vivit in secula seculorum.

Heb. 6. 16.

4. Jusjurandum etiam in N. T. proponitur ut *finis contradictionis.* Heb. 6. 16.

1. Thes. 5. 27.

5. Adjuratio, sive obligatio sub juramento licita est. 1. Thess. 5. 27. *Adjuro vos per Dominum.*

OBJECTIO.

Matth. 5. 34. Jac. 5. 12.

Matth. 5. 34. *Iac.* 5. 12. *Ne jurate omninò.* R. Hoc non absolutè intelligendum, sed secundùm quid, de juramentis temerariis, & levibus, vel conceptis per creaturas, quod addita exegesis clarè evincit, quum ait, *non jurandum esse omninò, nec per cœlum, nec per terram,* &c. Si verò omnia juramenta proscripta voluisset, addere debuisset, *nec per Deum.*

Inst. *Additur: Sermo vester sit etiam etiam, non non.* R. Christus non loquitur absolutè & universaliter de omni sermone, aut de praxi extraordinaria, sed de familiari colloquio

loquio, & per illa verba sermonis simplicitatem, veritatem, constantiam & fidem commendare vult.

CONTROVERSIA II.

An juramentum per creaturas sit licitum? Neg. c. Pont.

Juramenta per creaturas illicita.

Hoc patet, quia juramentum ad solum Deum debet referri, tanquam actus λατρείας. Deut. 6. 13. & Jes. 65. 15. quæ supra sunt expressa. Damnantur juramenta concepta per eos qui non sunt Dii. Jerem. 5. 7. *Jurant per eos, qui non sunt Dii.* Quod & natura juramenti evincit, quod est invocatio Dei testis, tum conditiones requisitæ in objecto, omniscientia, omnipræsentia, & omnipotentia, quæ in nullam Creaturam cadunt: Nec obstant Exempla, si quæ sunt in V. T. talium juramentorum, quia *facti* sunt, non *juris*, *Praxeos*, non *Legis*, sed quia dicta de invocatione Sanctorum huc referri possunt, pergimus.

Juramenta temeraria in Præcept. III. prohibentur.

XX. Hoc præcepto non tantùm prohibentur perjuria, sed etiam *levia* & *temeraria juramenta*, quum vetatur nomen Dei sumi לשוא *in vanum*, quod perperam à Socinianis & Grotio confunditur cum לשקר *in falsum*, vel *mendacium*, de quo Levit. 19. 12. quasi solum perjurium damnaretur, cùm longè latius pateat, & ad vanitatem & levitatem juramentorum temerariorum rectè extendatur: Unde LXX. reddunt ἐπὶ ματαίῳ, & Aquila εἰς εἰκῆ.

Juramenta quomodo obligent?

XXI. Quær. An quævis juramenta ita conscientiam obligent, ut illa observare necessitate inevitabili obstricti simus? R. 1. Omne juramentum quod Legi Dei repugnat, & obedientiæ legitimæ erga Magistratum, quod est vel de rebus illicitis, vel impossibilibus, non obligat jurantem ad sui observationem; nam juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Ita non fuit obligatorium juramentum Davidis jurantis se ferro deleturum universam Nabalis domum ob negatum commeatum. 1. Sam. 25. 22. 23. Herodis, promittentis fœminæ impurissimæ caput Joh. Baptistæ. Matth. 14. 7. Judæorum, qui in cædem Pauli conjurârunt. Act. 23 23. Hujusmodi juramenta si observentur, augent reatum, quia hoc modo propositum malum authoritate Dei firmatur. 2. Omne juramentum de re licita & possibili, quod salvâ pietate & obe-

dientiâ Magistratui debitâ, & salute proximi præstari potest, absque omni dolo servari debet, etiamsi per vim aut metum extorqueatur, & cum damno temporali jurantis conjungatur, quia tale juramentum fit cum invocatione Nominis divini, quod non est profanandum. Hoc nititur

Levit. 19. 11. 21. Matth. 5. 34. Ps. 15. 4. dissertis Scripturæ verbis. Levit. 19. 11. 21. *Ne mentimini, neque fallaciâ utimini in proximum; neque jurate per nomen meum ad fallaciam ullam.* Et Matth. 5. 34. *Non pejerabis, reddes autem juramenta tua Domino.* Sic. Ps. 15. 4. *Qui jurâvit malum*, i. e. malum damni, quod rebus suis obesse videt, non delicti, *& non mutat, habitabit in monte Domini.* Quamvis enim injuria facta tollat obligationem respectu hominis injuriam inferentis manet tamen semper obligatio Deo facta. Sic, quamvis Israëlitæ cum Gibeonitis juramentum sanciverunt dolo ipsorum decepti, tamen bona fide

Jos. 9. 18. impleverunt. Jos. 9. 18. Cùm verò Saul elapsis jam à fœdere centum annis, quosdam è Gibeonitis occidisset, testatus est Deus, quantum sibi factum hoc displicuerit, immissâ fame, nec nisi suspendio septem filiorum Saulis expiari potuit hoc perjurium. 2. Sam. 21. 1. & seq. Sic homo ad juramentum à latronibus adactus de redemtionis pretio solvendo, illud debet observare, nam juramentum factum est Deo, nec factum est simpliciter ab invito, sed est actio mixta, in qua aliquid est voluntarii, quia inter pecuniæ solutionem & vitæ redemtionem eligit id quod est melius, & res promissa est possibilis & privata, cui religio & pietas semper est præferenda. Si verò latroni juraverit silentium, non est adstrictus ad illud juramentum servandum, quia est de re illicita, improbos in malitia confirmante, & proximum in discrimen vitæ adducente.

Fides hæreticis est servanda.

An fides jurata etiam hæreticis sit servanda?

Affirm. c. Pont.

Sunt nonnulli ex Pontificiis, quos tam propudiosi dogmatis pudet; sed Pontifices Romani hoc non modo senserunt, sed & palàm professi sunt, & praxi sua comprobârunt. 1. Contra Excommunicatos Imperatores, Reges & Principes, quibus nec ipsi fidem servant, & subditos à juramento fidelitatis erga tales Principes liberant; quod cœptum à Gregorio III. cont. Leonem III. Iconomachum. 2. Contra infideles à Religione alienos, ut constat vel ex uno exemplo Uladislai

dislai Poloniæ Regis, contra Amurathem Turcam, qui impulsu Juliani & Franciſci Cardinalium fœdus violavit, & fidem datam fregit. 3. Contra prætenſos hæreticos, de quibus in Concilio Conſtantienſi, Seſſ. 19. decreverunt, *ut, licet ſalvus ipſis conductus fuerit promiſſus, tamen, niſi velint errores ſuos recuſare, ſint puniendi*; Quod ſtatim praxi ipſa confirmatum eſt in Joh. Huſſo, & Hieronymo Pragenſi. Quod acriter hodie à Jeſuitis retinetur. Orthodoxis eadem mens eſt cum Carolo V. Imperatore, qui dum ad fidem datam Luthero tanquam hæretico frangendam ſolicitabatur, generosè reſpondit. *Etiamſi in toto orbe terrarum fides exularet, tamen apud Imperatorem immaculatam eam manere debere.* Hæc etiam eſt Orthodoxorum ſententia.

ARGUMENTA.

1. Quia fidem ſervare eſt actus veritatis, juſtitiæ, & fidelitatis.

2. Quia infidelibus fidem jurare licet. E. & fidem ſervare: Patet Exemplis Abrahami, fœdus pangentis cum Abimelecho. Gen. 21. 23. 24. & Iſaaci. c. 26. 26. exploratorum apud Rahabam. Joſ. 6. 12. Iſraëlitarum erga Gibeonitas Joſ. 9. 15.

3. Quia Deus talia perjuria ſeveriſſimè ultus eſt in filiis Jacobi contra Sichemitas. Gen. 34. & 49. in Saule propter Gibeonitas. 2. Sam. 21. in Sedechia adverſus Nebucadnezarem. 2. Chron. 36. Ezech. 17. In Uladislao Poloniæ Rege adverſus Amurathem Turcam, in Rodolpho Suevo contra Henricum IV. Imperatorem.

4. Quia connubia cum infidelibus ſolvenda non ſunt propter infidelitatem & hæreſim. 1. Cor. 7. 13. 14. R. nec alia pacta quæcunque, quia utrobique intervenit religioſa ſponſio.

5. Quia fides jurata ipſis hoſtibus ſervanda eſt, naturæ gentiumque jure, & conſtat eximiis exemplis Reguli, Ageſilai, & aliorum: At ſub jure illo non minùs infideles & hæretici, quàm ipſi hoſtes continentur.

XXII. Ad hoc præceptum etiam pertinet *Sors*, quæ eſt petitio deciſionis divinæ in re merè caſuali. Sors & ejus ſpecies

XXIII. Sortes dividuntur, quòd ſint. 1. Vel divinatoriæ ad ſciendum occulta; quæ ſunt illicitæ. 2. Vel diviſoriæ,

soriæ, ad dividenda bona. 3. Et judicialis in dicendis sententiis.

XXXIV. Materia ergo, in qua sortis usus est, semper debet esse vel res adiaphora, vel bona.

CONTROVERSIA.

Sors ludicra est illicita.

An sors ludicra licita sit, i. e. an licet per ludum & jocum, atque etiam ad faciendum lucrum sortem mittere? Neg. contra Pontif.

ARGUMEMTA.

1. Quia sors ad hoc instituta est, ut sit consultatio providentiæ divinæ, & petitio decisionis ejus: Nam *à Iehova est tota ratio ejus.* Prov. 16. 33.

Prov. 16. 33.

2. Sors instituta est ad determinationem controversiarum, quæ aliter decidi non possunt. Prov. 18. 18. *Contentiones submovet sors.* Hoc autem in ludo locum non habet.

18. 18.

3. Sortientes causam suam judici superiori decidendam committunt, quod in ludo non licet.

4. Atque ideo homines subjiciuntur sorti, ut voci divinæ. Ideo Apostoli per sortem electuri alium Apostolum loco Judæ, dixerunt: *Tu Domine, qui corda omnium nosti, ostende utrum elegeris, &c.* Act. 1. 24.

5. Sortes ludicræ origo sunt execrationum & rixarum.

OBJECTIONES.

1. *Sors licitè usurpatur in rebus minoris momenti.* R. Etsi aliquando leves ob materiam, sæpe tamen graves ob consequentia.

2. *Sors est res adiaphora; ergo apta ad lusum.* R. Debet esse res sancta.

3. *Sors sæpius iterata varium eventum habet.* R. Iterari non debet, & Deus iteranti alium eventum in pœnam dare potest.

CONTROVERS.

Exorcismus refellitur.

An licita sit ars exorcistica, quâ aquâ, ut vocant, benedictâ, signo crucis, invocatione Sanctorum, diaboli ex obsessis expelli dicuntur? Neg. contra Pontif.

ARGU-

ARGUMENTA.

1. A Deo non sunt instituta, non possunt ergo habere divinam virtutem.

2. Spiritus non expelluntur per corporalia, sed tantùm virtute Dei Matth. 17. 21. *Hoc genus dæmoniorum non egreditur nisi per precationem & jejunium.* Matth. 17. 21.

3. Mera est magia in herbis & verbis virtutem supernaturalem collocare.

4. Non fuit hæc in Apostolis ars, sed fides miraculorum, quæ in exorcistis nulla est.

OBJECTIONES.

1. *Matth.* 10. 1. *& Marc.* 16. 17. 18. *Apostolis datur potestas in spiritus impuros.* R. Etiam in omnem morbum; cùm ergo unum miraculum non possunt, non possunt etiam alterum. Matth. 10. 1. Marc. 16. 17. 18.

2. *Experientia probat, artem esse bonam.* R. Imò meram esse fraudem & collusionem cum Diabolo.

XXV. Quarto Præcepto Deus exposuit, quem diem cultui suo publico postulet? *Septimum.* De Sabbatho.

XXVI. Adeoque quartum præceptum agit de *Sabbatho*, ita dicto à שבת *quiescere*, vel *cessare ab opere*, quæ significatio innuitur. Gen. 2. 3. quum Deus dicitur benedixisse diei septimo, quia *eo die quieverat. Sabbathi* verò nomine venit non tantùm dies septimus cujusque hebdomadæ, quem Deus quiete sua à novarum specierum creatione sanctificavit, sed & omnia festa solennia Judæorum. Ita festum expiationis Sabbathum vocatur. Levit. 23. 32. Sic etiam primus ac ultimus dies cujusque festi, quod plures dies durabat, dicitur Sabbathum, quia ambo ex æquo solennes erant. Quò pertinet Sabbathum δευτεόπρωτον, de quo Luc. 6. 1. *Secundò primum*, sic dictum, sive quòd proximè post solenne Paschatis sequeretur, quòd sit ἀπὸ τῆς δευτέρας πρώτον, *primum à crastino Paschatis*, in computo Pentecostes; sive, quia erat ultimus dies festi, qui ut ordine erat Sabbathum posterius & secundum, ita dignitate erat perinde primum aut magnum, sicut primus dies festi, q. d. primum secundariò repetitum. Sabbathum etiam sumitur pro ipsa Septimana, quam claudit dies septimus. Luc. 18. 12. Νηστεύω δὶς τ σαββάτου; & μία σαββάτων. 1. Cor. 16. 2. ponitur pro primo die septimanæ. Vox Sabbathi. Luc. 6. 1.

XXVII. Sabbathum triplex est; *Temporale*, quo quiesci-

escimus ab operibus corporalibus. *Spirituale*, quod consistit in quiete conscientiæ, & cessatione ab operibus peccati. *Æternum* & cœleste, quo à peccatis, & laboribus hujus vitæ æternùm quiescemus.

Præceptum quartum partim morale, partim cæremoniale.

XXVIII. Præceptum IV. de Sabbatho est partim morale, partim Cæremoniale. *Cæremoniale* in tribus spectari potest. 1. *In diei septimi designatione*, qui, ut mutatus est in Novo Test. cæremonialis debuit esse. 2. *In sanctificatione* istius diei strictâ ac rigidâ ejus observatione à vespera ad vesperam, tum *privativâ*, per cessationem omnis operis servilis, secundùm quam nec focum accendere, nec cibum parare, nec ambulare liceret, tum *positivâ*, in operum variorum cæremonialium exercitio, partim communium aliis diebus, qualia erant: Sacrificium juge, & circumcisio, partim propriorum hujus diei, singularia puta sacrificia illius diei pro tota Ecclesia, & duo agni anniculi, & duæ decimæ similæ oleo perfusæ Num. 28. 8. 9. & panes propositionis, qui singulis Sabbathis debebant apponi in Templo. Levit. 24. 7. 8. 3. *In typica istius diei significatione*, ad adumbrandam sanctificationis gratiam, & ex ea quietem spiritualem & cœlestem in Christo. Col. 2. 16. 17. *Morale* in tribus etiam versatur. 1. *In indictione publicorum conventuum* ad Deum colendum certo & definito aliquo tempore & die. 2. *In Sanctificatione ipsius diei*, tum *privativâ*, per cessationem ab operibus ordinariæ vocationis, ut sacris meditationibus, & cultui divino vacare liceat, exceptis tamen operibus charitatis & necessitatis, tum *positivâ*, per solennem & publicum Dei cultum in congregatione Ecclesiæ. 3. *In sublevatione servorum & jumentorum*, quorum rationem haberi voluit Deus, ne continuato opere fatiscerent, & ut ipsi servi etiam sacris operam dare possent.

CONTROVERSIA. I.

Institutio Sabbathi ante Legem.

An Sabbathum non in deserto primùm, sed ab ipsa mundi creatione institutum sit? Aff.

ARGUMENTA.

Gen. 2. 3.

1. Quia Deus dicitur statim post absolutam creationem benedixisse, & sanctificâsse diem septimum. Gen. 2. 3. *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit ipsum, cùm in eo quie-*

quievisset ab omni opere suo, quod creaverat Deus. Non autem alia ratione dici potest Deum benedixisse huic diei, & illum sanctificâsse, quàm à profano & communi usu segregando, & divino cultui dedicando.

Exc. 1. *Hæc dicuntur per prolepsin à Mose, ut mandati ostenderet* æquitatem, *non* initium; *ut Deus dicatur hunc diem sanctificâsse, non quando cessavit ab operibus suis, sed quando manna dedit, vel quando per Mosem legem tulit.* R. Nulla hic necessitas occurrit quæ prolepsin suadeat, imò multæ contra rationes obstant. 1. Ut Deus quievisse dicitur ab operibus suis hoc die septimo propriè & historicè, non prolepticè, ita & benedixisse & sanctificâsse illum; uno enim tenore ista proponuntur. 2. Positâ prolepsi sensus verborum Mosis erit, Deus post sex dierum opus peractum quievit die septimo, ideo post annos bis mille quadringentos & quinquaginta tres benedixit simili diei, & eum ad usus sacros sanctificavit; quod durum nimis & coactum est. 3. Nulla ratio afferri potest, cur Moses voluerit in simplici historiæ seu rerum gestarum, bis mille annis antequam extiterint, narratione, aliquid inferere, quod suo tempore demùm factum erat, cùm hoc historiam obscuraret. Exc. 1.

Exc. 2. *Sanctificatio illa intelligenda est ratione intentionis & destinationis, non ratione executionis.* R. Eo modo dicitur benedixisse diei, quo in illo quievit; at non quievit tantùm intentione, sed reipsa. 2. Destinatio non demùm facta est hoc die, sed ab æterno. Exc. 2.

Exc. 3. *Licèt Deus tunc benedixerit diei septimo, non sequitur, tunc Adamo præscripsisse hujus diei observationem; non enim continuò quibus rebus benedicit Deus, eas custodiendas præcipit; benedicere & sanctificare sunt actiones Dei, non nostræ: At præceptum est de actionibus hominis.* R. Sed cùm benedictio & sanctificatio non fiat respectu Dei, sed hominis; hinc patet, Deum non in alium finem diem illum sanctificâsse, i. e. ab usu communi separâsse, & sacro dedicâsse, quàm, ut ab homine religiosè observaretur. Exc. 3.

2. Exod. 16. 24. mentio fit Sabbathi, tanquam jam noti & solennis inter Israëlitas ante ipsam Legis promulgationem, in datione mannæ, quum jubentur colligere die sexto & septimo, quod Sabbathum erat Domini. Ubi quilibet videt, non primam Sabbathi institutionem, sed Exod. 16.24.

tantùm ejus confirmationem & hortationem ad illud ritè obſervandum, notari.

Exod. 20. 11. 3. Verba Præcepti IV. Exod. 20. 11. *Recordare diei Sabbathi, ut ſanctifices illum*, ſatis innuunt, Legem hanc non tunc primò datam fuiſſe, ſed tantùm renovatam, poſtquam in deſuetudinem veluti abierat, ut curam ſingularem in hac re adhiberent, nec poſtea traderent hoc mandatum oblivioni, ut antea fecerant; quod verba ſequentia confirmant, ubi repetit rationem inſtitutionis allatam. Gen. 2. de requie Dei, & benedictione diei ſeptimi, quod ſatis indicat Sabbathum tum inſtitutum fuiſſe, quando ratio illa locum habuit.

Heb. 4. 3. 4. 4. Apoſtolus Heb. 4. 3. 4. oſtendit quietem populi Dei. Pſ. 95. non eſſe quietem Sabbathi, quia quies Sabbathi jam à principio inſtituta, hæc verò poſtea promiſſa eſt. Apoſtolus nempe probaturus, populo Dei adhuc ſupereſſe Sabbatiſmum, i. e. requiem, in quam per fidem ſint ingreſſuri fideles, ut increduli ab ea excludendi ſunt propter incredulitatem, oſtendit verba Pſ. 95. quæ citat; Juravi in ira mea, ſi unquam ingrediantur in requiem meam, eò neceſſariò referenda eſſe; Quia cùm Scriptura loquatur tantùm de tribus Sabbatiſmis Dei; primo, poſt opus creationis; ſecundo poſt introductionem populi in terram Canaan; tertio, quoad ſpiritualem & æternam requiem fidelium & beatorum; & verba Davidis non poſſunt referri vel ad primam Dei requiem, in quam ab initio intravit, & quam hominibus præſcripſit exemplo ſuo, vel ad alteram, quæ illis per introductionem populi in terram Canaan à Joſue procurata eſt, quia utraque jam diu præteriit; neceſſariò intelligenda ſint de tertia illa requie, quæ fidelibus in Euangelio per gratiam, & beatis in cœlo per gloriam promittitur.

5. Hoc confirmat *Pietas* & *Religio Patrum*, quia cùm ſit Juris naturalis & perpetui, ut certa tempora ſeparentur ad ſolennem Dei cultum, fieri non poteſt, quin Adamus & S. Patriarchæ dies aliquos ſolennes habuerint, quibus cultus Dei perageretur, & in quibus Dei beneficiorum in creatione cœli & terræ recordarentur. Et ſi qui tùm fuerunt dies ſacri, conſentaneum eſt diem hunc à Deo inſtitutum fuiſſe obſervatum.

6. Non obſcura Sabbathi inter Ethnicos veſtigia ſunt; quod

quod non tam videtur ex Judæorum more petitum, quorum Religio erat Ethnicis exosa, quam ex majorum traditione, & longo usu. Unde Clem. Alex. Strom. 5. dicit: *Septimum quemque diem sacrum esse non modò Hebræi, sed & Græci agnoscunt*, quod probat ex Hesiodo, Homero, Lino, & Callimacho, apud quos dies septimus vocatur *dies sacer*. Idem de Gentibus testatur Joseph. cont. Appio. lib. 2. c. 10. Et apud Tibullum lib. 3. Eleg. 3. dies Saturni vocarur *dies sacra*.

OBJECTIONES.

1. *Deus dicitur notum fecisse Sabbathum Iudæis. Neh.* 9. 14. R. Non sequitur, non fuisse ab initio jam institutum. Nam non dicitur tantùm dari, quod primò instituitur, sed etiam quod renovatur, vel illustriori modo promulgatur. Sic h. l. Nam eodem modo notum fecisse dicitur Sabbathum, quo Lex & Præcepta, & statuta quæ per Mosem præcepta dicuntur; At lex ista, moralis sc. data fuit antea, ut & statuta & præcepta cæremonialia varia in sacrificiorum & circumcisionis institutione. Neh. 9. 14.

2. *Adam in statu integritatis Deum quotidie debuit colere, & opera ejus contemplari.* R. Non obstat hoc, quin statum aliquem diem habere debuerit, quo solennem cultum Deo redderet, cessando non quidem ab operibus justitiæ & laudis, sed à laboribus suis quotidianis, in colendo paradiso, quibus ex Dei præscripto etiam incumbere debuit, licèt citra molestiam & tœdium.

3. *Adam non habebat servos, ancillas, advenas*, &c. *E. hoc præceptum nihil ad ipsum.* R. E. nec quintum, nec septimum, nec octavum. Multiplicatis hominibus extenditur præceptum.

4. *In vita Patriarcharum non fit mentio Sabbathi.* R. Sic nulla mentio fit Sabbathi observati tempore Judicum & Samuelis; unde tamen quis perperam colligeret non observatum fuisse. Non necesse est in vita Patriarcharum omnia reperiri, quæ ad ipsos pertinebant: Satis fuit Spiritui S. ea attingere, quæ faciebant ad ejus scopum, nim. confirmare promissiones factas ipsis de semine benedicto, & texere genealogiam ipsorum, ad veritatem historiæ cognoscendam. 2. Non legimus Patriarchas ulla stata tempora observâsse ad cultum publicum Dei; & tamen pietas ipsorum nos dubitare vetat, certos dies habuisse sa-

cros cultui Dei consecratos. Tales autem dies non potuerunt commodiores esse, quàm dies septimi hebdomadales, qui à Deo peculiari ratione sanctificati erant ad quietem hominis, ad instar quietis Dei.

CONTROVERSIA. II.

Præceptum 4. non est totum morale.

An præceptum IV. sit simpliciter morale? Neg.

Affirmativam tuentur Judæi, ad quos accedebant olim Ebionitæ, Cerinthiani, Apollinaristæ, & alii, communi nomine *Sabbatharij* dicti, qui diem septimum non minus nunc, quàm olim sanctificari volebant; à quibus non sunt alieni, qui etiamnum hodie præceptum hoc absolutè morale esse pertendunt, ut cætera præcepta Legis moralis, adeoque perpetuò observandum. Contra sunt.

ARGUMENTA.

1. *Contra Iudæos.* Nam. 1. Præcepta moralia strictè sic dicta sunt de lege naturæ, quæ principium habent in ipsa natura, & per se faciunt ad bonos mores, adeoque juris sunt æterni ac immutabilis. Talis verò non est determinatio septimi diei, quippe quæ sive considerata *in se*, nec bona nec sancta est, sive *comparatè* non melior determinatione alius diei, nisi ob auctoritatem solam præcipientis. 2. Ex ipso præcepto, in quo præscribitur determinatio cultûs publici ad diem septimum, quæ cùm mera sit temporis circumstantia, eo ipso mutabilis censenda, adeoque cæremonialis & positiva, non moralis. 3. Ex fine præcepti. Quia inter alios fines habuit etiam rationem signi & typi, quod ideo suo tempore abrogari debuit. *Signi* quidem, dum vocatur signum fœderis inter Deum & Israëlitas initi. Exod. 31. 13. Ezech. 20. 12. 20. &c. Signum non *indicativum* tantùm *gratiæ præsentis*, sed & *obsignativum futuræ*. *Typi* verò, quia dicitur cum cæteris cæremoniis umbra futurorum. Col. 2. 16. 17. adumbrans duplicem fidelium quietem quam in Christo obtinent, tum *spiritualem*, tum *cælestem*. 4. Quia à Prophetis sæpe Sabbatha annumerantur reliquis festis & cæremoniis Judæorum.

2. *Contra Christianos.* 1. Quia cæremonialia omnia & typica per Christum sunt sublata. E. & id quod cæremoniale in Sabbatho. Tale quid autem in eo dari Christus testatur, dum eodem ordine illud censet, quo Cæremonias

monias alias legales, qualis est institutio de panibus propositionis, & sacerdotum λειτουργία in Templo. Matth. 12. 3. 4. 5. 2. Quia Dominus testatur. Marc. 2. 27. 28. *Sabbathum factum propter hominem, non hominem propter Sabbathum, & filium hominis esse Dominum Sabbathi*; adeoque illius sanctionem alius naturæ esse à præceptis aliis, obnoxiam etiam filio hominis, qui ejus abrogandæ potestatem habeat, respectu ejus quod est merè positivum, quod de aliis dici nequit. 3. Ex verbis Apostoli. Col. 2. 16. 17. *Nemo vos judicet in cibo; parte festi, vel novilunij, vel Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum; Corpus autem Christi.* Ubi per Sabbatha non intelliguntur alia festa Judæorum; quia h. l. festa expresse distinguuntur à Sabbathis. 4. Ab absurdo: si præceptum hoc est ex omni parte morale; E. obligamur adhuc hodie sub N. T. ad observationem præcisam septimi diei, nec translatio ejus potuit fieri in diem Dominicam.

Marc. 2. 27. 28.

Col. 2. 16. 17.

Ex.

OBJECTIO.

Præceptum de Sabbatho continetur Decalogo. E. est merè morale. R. Neg. Conseq: Quia Decalogus non est tantùm compendium Legis moralis, sed in eo datur fundamentum totius Legis Mosaicæ, & radix omnium cæremoniarum, quibus divinus cultus tum temporis constabat, in primâ tabulâ, ut in secunda fundamentum Politiæ Judaicæ. Distinguenda ergo hic *res præcepta*, & *circumstantia rei*; res præcepta moralis est, circumstantia verò rei, cæremonialis, vel merè saltem positiva.

CONTROVERSIA. III.

An contentum quarti Præcepti, scil. post sex dies operarios, septimum cultui divino dandum, *sit planè cæremoniale, in Christo abrogatum?* Neg. cont. Socin.

Quartum Præceptum non est cæremoniale.

Sicut hi, de quibus præced. quæst. egimus peccant in excessu; sic in hac quæstione peccârunt olim in excessu *Manichæi* Veteres, qui asseruerunt: Præceptum IV. esse merè ceremoniale, adeòque abrogatum secundùm se totum per Christum; Quos sequuntur hodie *Anabaptistæ* & *Sociniani*. Nos opponimus sequentia.

AR-

ARGUMENTA.

1. Est Præceptum Decalogi, quo Lex moralis continetur; cujus ideo nullum præceptum datur, quod sit merè cæremoniale.

2. Finis ejus est moralis, tum primus, publicus nim. & solennis Dei cultus, qui non potest præstari sine determinatione stati cujusdam & solennis diei, illi cultui dicati; tum subordinatus, cessatio nim. ab opere servili, ad servorum & brutorum aliquam relaxationem.

3. Officium quod præscribitur morale est, sanctificatio sc. Sabbathi, diem illum ab aliis segregando, & sanctis usibus consecrando.

4. Ratio & motivum præcepti ab exemplo Dei ad imitationem nobis proposito, quiete sc. ejus illo die, ejusque sanctificatione, morale est.

5. Natura præcepti est de rebus, quæ principiis naturalibus, & rationi rectæ conveniunt. Ratio enim recta docet, Deo, qui nobis omnia dedit, statum aliquod tempus consecrandum, ad ipsum publicè colendum.

6. Si præceptum esset merè cæremoniale, non liceret nunc Sabbathum ullum observare, non magis quàm alias cæremonias, quas Deus abrogavit sub N. T. quod absurdum.

OBJECTIONES.

Exod. 31. 13. Ezech. 20. 13. 1. *Sabbathum dicitur signum esse. Exod.* 31. 13. *Ezech.* 20. 13. R. Præceptum de Sabbatho bifariam debet spectari, vel *absolutè* & in se, quoad substantiam mandati, vel *relatè* ad œconomiam Mosaicam Vet. Test. Licèt posteriori respectu *signum* dicatur particularis illius fœderis dispensationis, atque adeo habeat aliquid cæremoniale; non tamen sequitur esse meram cæremoniam.

2. *Mandatum de loco solenni cultûs fuit cæremoniale. E. & mandatum de tempore.* R. Neg. Conseq. Nam multiplex est differentia inter locum & tempus. 1. Mentio fit in Decalogo temporis, non loci. 2. Necessitas & utilitas loci cujusdam ad cultum nihil facit ad religionem promovendam; perinde enim est, sive in basilica, sive in loco subterraneo, sive in loco publico, sive in privato Deus colatur. Sed necessitas temporis est moralis & Theologica: Dubium enim non est, quin major temporis portio

tio in Religionis exercitiis faciat ad progressum in pietate, & quin Deo sit gratior & acceptior, qui tale tempus impendit cultui sacro, quàm qui rariùs & brevius. 3. Temporis determinatio ad exercitia sacra necessaria est, quia impossibile est, ut uno eodemque tempore negotia mundana peragere possimus, & simul cultum Dei exercere. Sed diversa est ratio loci; quia in uno eodemque loco, diversis sc. temporibus possumus Deum colere, & negotia mundana peragere.

3. *Col.* 2. 16. *Nemo vos judicet in cibo, vel potu, vel Sabbathis; quæ umbræ sunt, &c.* R. Loquitur Apostolus de Sabbatho spectato ratione œconomiæ Mosaicæ, & cæremonialium adjunctorum; non de Sabbatho in se & absolutè considerato. Eodem modo loquitur de *cibo* & *potu* non *absolutè* & *simpliciter*, quia sic sequeretur, nullum dari præceptum morale circa cibum & potum, eoque non damnandos esse epulones & ebriosos; sed *secundùm quid* & *comparatè*, ratione Legis cibariæ, quæ ciborum discrimen præscribebat, quod jam sublatum est in N. T. Col. 2. 16.

4. *Institutio Sabbathi non fluit ex natura Dei.* R. Quamvis non nitatur absolutè jure Dei *naturali primario*, sed ab ejus arbitrio pendeat, & sic nitatur potiùs ejus jure positivo; Non sequitur non posse esse moralem & perpetuam ratione juris *secundarij*, nobis naturalis; nam quod Deo est positivum, nobis potest esse naturale, ut antea visum.

CONTROVERSIA. IV.

An ad moralitatem Sabbathi pertineat unius diei è septem in cyclo hebdomadali determinatio, qui singulis septimanis in orbem recurrens sit necessariò observandus? Affirm.

An ad moralitatem Sabbathi pertineat unius diei è septem determinatio?

Non quæritur. 1. *De convenientia* rei; an conveniens fuerit, & rationi consentaneum, hoc ita designari? Sed de *necessitate*; an necesse fuerit absolutè ex natura rei, hoc ita disponi, ex vi & analogia præcepti. 2. Non quær. de *morali strictè dicto*, quod fundatum est in naturâ & sanctitate Dei, cujus contrarium præcipere non potest, nec de eo dispensare: Sed de *morali latè sic dicto*, quod licèt positivum sit à parte Dei, est tamen nobis naturale, quatenus convenit naturæ rationali, & relationi hominis, ac officio erga Deum.

Quam-

Quamvis verò hæc quæstio propriè non sit Controversia, sed inter Orthodoxos problematicè disceptetur, salvo manente fidei & charitatis vinculo, tamen, ut ordinem nostrum sequamur, quo sæpius Controversiæ nomine exprimimus id quod controvertitur, vel discepratur, salvo fidei fundamento, affirmativam probamus sequentibus.

ARGUM.

1. Naturale est & morale, non modò, ut homo colat Deum publicè in communione Sanctorum, & conventu publico, sed etiam ut tempus aliquod huic usui separetur; Et naturale quoque esse debet, ut fiat temporis istius solennis aliqua determinatio, quæ non ab alio quàm à Deo fieri potest, & quam Præc. IV. definivit.

2. Si ex vi & analogia præcepti non rectè colligitur, unum diem è septem divino cultui esse consecrandum, nullus certus dierum numerus aut circulus ex ullo præcepto divino limitari poterit, cùm nullius alterius numeri ullibi in nullo alio præcepto fiat mentio; Quod absurdum esse nemo non videt.

3. Apostoli in mutatione diei septimi retinuerunt tamen cyclum hebdomadalem, ut ex septem diebus unum eligerent ad cultum publicum, quod non feciissent tamen, nisi hoc pro invariabili & morali agnoviissent. Et nemo repertus est unquam inter Christianos, qui mutationem aliquam hîc moliri ausus sit.

OBJECTIONES.

Rom. 14. 5. 6. Gal. 4. 10.

1. *Apostolus discrimen dierum sublatum esse docet sub N. T. Rom.* 14. 5. 6. *Gal.* 4. 10. *& crimini dat Galatis, quod dies & menses observent.* R. Hoc intelligendum est de distinctione dierum cæremoniali, qualis obtinebat apud Judæos sub V. T. ubi constituebat partem cultûs divini, & ubi operosè & rigidè observari debuit; vel qualis obtinebat apud Gentiles, qui dies alios aliis sanctiores & feliciores ex se existimabant; aliâs, si omnis observatio dierum absolutè & simpliciter damnaretur, nullum omninò licebit nunc diem solennem ad Deum colendum observare; Nec Paulus potuisset Christianis præscribere, ut primo quoque hebdomadis die conveniant, & collectas faciant. 1. Cor. 16. 1.

2. *Fideles tenentur singulis septimanæ diebus Deum colere.*

R. Non

R. Non tamen sequitur statum aliquem in septimana diem non esse Deo consecrandum; quia constat cultum illum publicum præstari quotidie non posse, tum propter carnis infirmitatem, tum vitæ animalis necessitatem.

CONTROVERSIA. V.

De observatione diei Dominicæ.

An Christiani diem dominicum observent solâ consuetudine Ecclesiæ; an verò institutione Apostolicâ & divina? Neg. prius. Affirm. post. c. Socin. & Pontif.

Pontificij institutionem diei Dominicæ ad jus Canonicum referunt, & inde etiam Traditionum non scriptarum necessitatem colligunt; licèt non desint inter ipsos, qui pro divina ejus authoritate pugnant. *Remonstrantes* ad ordinationem politicam, qui in Confessione profitentur, discrimen dierum prorsus esse sublatum sub N. T. *Sociniani* quoque arbitrarium ejus cultum esse asserunt. *Orthodoxi* quidam referunt originem diei Dominici immediatè ad Christum, nixi tum resurrectione Christi, tum apparitionibus variis, tum effusione Sp. S. hoc die factis. Nos Christum mediatè tantùm hunc diem instituisse asserimus, quatenus Apostoli θεόπνευστοι tum præcepto tum exemplo & praxi sua eum in Ecclesia Christiana sanxerunt.

ARGUMENTA.

1 Ex Act. 20. 7. *Primâ verò Sabbathorum*, i. e. hebdomadis, *cùm discipuli convenissent ad frangendum panem, Paulus disseruit inter eos abiturus postridie.* Cur verò dicuntur Apostoli convenisse ad verbi prædicationem, & Eucharistiæ administrationem hoc die potiùs quàm alio; aut celebri Judæorum Sabbatho, nisi tunc temporis jam invaluisset consuetudo solennes conventus agendi, evanescente paulatim Judaici Sabbathi cæremonia? Act. 20. 7.

2. Ex 1. Cor. 16. 1. 2. ubi non tantùm praxis Apostolica, sed & præceptum insinuatur. *Porrò de collectâ in Sanctos, quemadmodum ordinavi Ecclesiis Galatiæ; ita & vos facite, primo quoque die hebdomadis, unusquisque vestrûm apud se reponat, recondens quod pro Dei benignitate licuerit, ne cùm venero tum collectæ fiant.* Ergo Apostolus collectas ordinat primo die hebdomadis; solebant autem Judæi, observante 1. Cor. 16. 1. 2.

vante Philone & Josepho collectas facere singulis Sabbathis: Itaque Apostolus ordinando collectas primo quoque die hebdomadis, etiam conventus publicos, in quibus solebant fieri, ordinavit, vel comprobavit.

Apoc. 1. 10. 3. Ex Apoc. 1. 10. ubi Johannes dicit se raptum fuisse in Spiritu Die Dominico. Cùm ergo de die illa tanquam notâ, & in Ecclesiâ usitatâ loquatur, dubium non est, quin ex recepto Ecclesiæ usu hoc nomine insignita sit: Quis enim aliûs intellexisset, quid Johannes hac appellatione significâsset, si quam aliam diem designare voluisset?

4. Nemo nisi authore Deo Sabbathum Judæorum abrogare, & primum diem instituere potuit.

5. Si Ecclesia instituisset, Ecclesia posset abrogare, quod tamen nequit.

OBJECTIONES.

1. *Ita imminuitur libertas Christiana.* R. Neg. Nam observatio Diei Dominici non est pars cultûs in se, sed tantùm ejus adjunctum & circumstantia, quia cultus Evangelicus & λογικὸς N. T. non alligatur amplius certis locis vel temporibus, ut sub Veteri Testamento, sed in spiritu & veritate ubivis & semper præstari potest: Necessaria tamen est ordine Dei, ratione politiæ in Ecclesia perpetim servandæ, quia absque certo die nec ordo nec decorum constabit Ecclesiæ, sed mera erit confusio in conventibus Ecclesiasticis.

2. *Prisci Christiani Sabbathum etiam per aliquod tempus observârunt cum die Dominico.* R. Hoc pertinuit ad honestam Synagogæ sepulturam; & constat, Sabbathi festivitatem, etiam cùm servabatur, multò infra diem Dominicum habitam fuisse; quod vel ex eo liquet, quòd inter errores Ebionitarum, propter quos ab Ecclesia condemnati sunt, etiam istius arguuntur, quòd diem Dominicum & Sabbathum simul celebrarent, apud Euseb. lib. 3. cap. 21.

Sabbathum quomodo sanctificandum. XXIX. Modus rectæ observationis Diei Dominici duabus partibus absolvitur. 1. *Quiete*, seu cessatione ab omni opere servili, exceptis tamen operibus cultum & gloriam Dei spectantibus, operibus charitatis & misericordiæ, operibus communis honestatis, itemque necessitatis, non fictæ & consilio accersitæ, sed per Dei providentiam nobis impositæ. Nec in hac cessatione fideles tenentur ad præcisitates Judaicas, ut nec ignem accendere, nec cibum co-

quere,

quere, nec arma contra hostem expedire, nec iter susceptum prosequi, nec honestis relaxationibus extra horas cultui divino destinatas se recreare liceat, quod jugum ἀνέσεως Judæorum fuit. 2. *In Sanctificatione* istius quietis, per religiosum Dei cultum, præsertim frequentationem publicorum conventuum, Sacramentorum usum, Eleemosynarum distributionem, verbi divini lectionem, & alia pietatis exercitia.

CONTROVERSIA VI.

De Festis.

An Ecclesia habeat præter Diem Dominicum alios dies festos & sanctos, propriè ita dictos?

Neg. cont. Pontif.

Pontificiorum mens est: Dies quosdam esse sanctiores & sacratiores aliis, & partem quandam cultûs divini, qui celebrari debeant sub ratione mysterii, & non tantûm ratione ordinis & politiæ Ecclesiasticæ, ut pertendit Bellarm. de cultu Sanct. lib. 3. cap. 10. & doctrina hæc est & praxis Papatûs. Nos verò negamus dies illos per se sanctiores aliis esse, sed omnes esse pares, & si quæ sanctitas illis tribuitur, non esse temporis & diei, sed cultûs divini, atque ita observationem eorum apud eos qui eam retinent, esse tantûm juris positivi, & ex constitutione Ecclesiastica, non verò necessitate præcepti divini.

ARGUMENTA.

1. Nec Christus nec Apostoli talia festa instituerunt. At festa propriè dicta, quæ sunt de necessitate fidei, obligantia per se, & sub ratione mysterii, debent verbo Dei mandari.

2. Hoc revehit distinctionem dierum V. T. damnatam à Paulo. Gal. 4. 10. *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos*, &c. Col. 2. 16. *Ne quis vos dammet ob cibum, vel potum, aut respectu festi aut novilunij, aut Sabbathorum.* Imò invehit veterum Ethnicorum superstitionem & idololatriam. Gal. 4. 10. Col. 2. 16.

3. Festa ista in Papatu perniciosis superstitionibus scatent, dum faciunt festos dies per se sanctiores cœteris, fovent opinionem operis operati, affingunt iis merita, consecrant eos sanctis; aliaque multa.

OBJECTIONES.

1. *Ioh.* 10. 22. *Mentio fit Encæniorum, in memoriam re-* Joh. 10. 22.

purgati à Juda Maccabæo Templi. R. Hoc ostendit tantùm, certis diebus annuatim recurrentibus publicè fieri posse commemorationem singularium Dei beneficiorum, modò absint abusus, opinio necessitatis, mysterii, & cultûs, superstitio & idololatria.

1. Cor. 5. 7. 8. 2. *Festum agitemus non fermento veteri.* 1. *Cor.* 5. 7. 8. R. Apostolus h. l. per Festum non intelligit certum diem quo memoria Christi celebretur, sed totum tempus inde à nostra regeneratione, non tantùm septiduum, ut Judæorum Pascha, sed totum tempus vitæ nostræ, quod patet, quia festum Paschale agitatur cum mactato agno manducantur azymi. At in N. T. semel mactato agno Dei Christo, azymi nostri sinceritatis & veritatis per totum vitæ curriculum durare debent.

3. *Habemus Pascha, Pentecosten*, &c. R. Nostri dies festi longè differunt à Pontificiis. 1. Quia dies illi soli Deo, non creaturis dicantur. 2. Nulla sanctitas, vis aut efficacia illis inesse creditur, quasi reliquis diebus multò essent sanctiores. 3. Non adstringimus fideles ad scrupulosam & strictam nimis ab omni opere servili in iis abstinentiam, quasi in illa abstinentia bonum aliquod esset morale, aut pars aliqua religionis posita, & contra grande flagitium esset, aliquid operis in illis diebus facere. 4. Ecclesia non adigitur aliquâ necessitate ad immotam observationem istorum dierum, sed ut humanâ authoritate sunt constituti, ita tolli possunt & mutari, si utilitas & necessitas Ecclesiæ id postulaverit. Uno verbo: Habentur pro humanis institutis, & abest superstitio ac opinio necessitatis.

4. *Quidam dies apud quasdam Ecclesias insigniuntur nominibus Apostolorum aut martyrum.* R. Non tamen in illorum cultum instituuntur, aut in illorum honorem terminantur, sed referuntur ad memoriam Sanctorum, per quos Christus Ecclesiam suam ædificavit, ad utilitatem nostram, ad cultum verò & honorem solius Dei, qui Apostolis & matyribus contulit quicquid laude dignum habuerunt, fecerunt aut sustinuerunt. Cæterùm nec illos invocant, nec illis suffitum faciunt, sed soli Deo, quem invocant, gratias agunt, propter beneficia ministerio & exemplo illorum ad nos redundantia.

XXX. Quinto Præcepto mandantur officia inferiorum erga superiores, & superiorum erga inferiores; ut sunt:

Parentes

Parentes & filii, Domini & Servi; Magistratus & subditi.

CONTROVERSIA I.

An homini Christiano liceat Magistratum gerere, Rempubl. gerere? Affirm. contra Soc. & Menn.

Christiano licet magistratum gerere.

ARGUMENTA.

1. Sunt ministri Dei, à Deo instituti, atque obedientia ipsis præstanda mandatur. Rom. 13. 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto; non enim est potestas nisi à Deo; & quæ sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ.* 1. Petr. 2. 13. *Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum.* Rom. 13. 1. 1. Pet. 2. 13.

2. Pro ipsorum statu & regimine orandum est; non peccant ergo quòd regunt. 1. Tim. 2. 1. 2. *Adhortor ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus; pro Regibus, & quibusvis in eminentia constitutis*, &c. 1. Tim. 2. 1. 2.

3. Prædictum est in N. T. Reges Christianos futuros. Psl. 72. 11. *Incurvabunt se ei omnes reges.* Jes. 49. 23. *Erunt reges nutricii tui, & fœminæ principes earum nutrices tuæ*, &c. Apoc. 21. 24. *Reges terræ gloriam suam & honorem ei deferent.* Psl. 72. 11. Jes. 49. 23. Apoc. 21. 24.

4. Christus ipse approbat potestatem Regum. Luc. 22. v. 25. *Reges dominantur aliis*; hoc licet; *sed vos in Ecclesia non ita.* Luc. 22. 25.

5. In officiis constituti, ad Religionem Christianam conversi, retinuerunt officia: Ut: Proprætor. Act. 13. v. 7. 12. Centurio. Cap. 10. v. 1. 47. Dynastes. Cap. 8. v. 27. 37. Senator. Marc. 15. 43.

6. Eadem est necessitas habendi Magistratum in N. T. quæ fuit in V. T. sc. ad quietem publicam.

OBJECTIONES.

1. *Matth. 20. 25. Reges imperant, vos non sic.* R. In Ecclesia, vi muneris ecclesiastici. Matth. 20. 25.

2. *Christus noluit Rex aut arbiter esse.* R. Quia ad hoc non erat vocatus aut electus.

3. *Regnum Christi non est de hoc mundo. Joh. 18. v. 36.* R. Nulli ergo potestatem politicam eripit; nec lucrum in mundo, nec damnum affert. Joh. 18. 36.

4. *Modestia & humilitas Christianis mandatur.* R. Etiam potest esse in summis.

CONTROVERSIA II.

Filii non possunt se invitis parentibus voto adstringere.

An filii invitis vel insciis parentibus voto se adstringere possint? Neg. c. Pontif.

ARGUMENTA.

1. Christus hoc expresse damnat in Pharisæis, qui prætextu pietatis & voti pertendebant liberos posse juste denegare officia parentibus debita. Matth. 15. 4. 5. *Quicunque*, inquiebant, *dixerit Patri aut matri: Donum quodcunque à me erit, tibi proderit, etiamsi nequaquam honoraverit Patrem suum aut matrem suam.* Sensus loci est: Donum est quocunque à me juvari posses, i. e. Deo consecravi id omne quo alioqui posses à me sublevari, atque ideo non possum amplius id in usus tuos conferre, & hoc me absolvit jure quod in me habes. Vel est formula voti & juramenti, quo filius rebellis Deo devovet quicquid posset à se profectum Patri prodesse, & sensus est: *Donum*, vel ut habetur Marc. 7. 11. *Corban* supple *sit*, i. e. res Deo devota & sacra, quam attingere ulterius fas non sit, *quodcunque à me tibi proderit*, i. e. prodesse poterit aut posset, & *non amplius honoraverit patrem aut matrem suam* in posterum ullo subsidio, supple, *insons erit*, vel, *non amplius honoret*; ut sint verba Pharisæorum interdicentium filio parenti ullam opem ferre. Et apud Judæos formulæ istæ voti ac juramenti frequentes erant. Quia verò Pharisæi rata habebant talia vota ratione habitâ oblationum sacrarum, quas pluris faciebant mandato honorandi Parentes; ideo dicuntur per traditionem suam irritum facere Dei mandatum, subducendo liberos Patriæ potestati, quo nomine graviter perstringuntur à Christo, & cum iis quotquot eos sequuntur.

Matth. 15. 4. 5.

2. Honor parentibus præscriptus in Lege, non potest consistere cum hac sententia, quæ subtrahit liberos à debita illis reverentia in re maximi momenti.

3. Filii non sunt sui juris. E. non possunt de seipsis invitis parentibus statuere. Hinc Num. 30. 3. lex vult irritum reddi votum, quod virgo in domo Patris sui, dum adhuc esset in adolescentia sua voverat, si Pater contradixisset.

Num. 30. 3.

4. Hæc

4. Hæc sententia tollendo liberorum obedientiam naturam ipsam evertit: Quis enim liberos alere & erudire satagat, si postquam omni impensâ & solicitudine id factum, alieni sunt, non sui? &c.

OBJECTIONES.

1. *Abraham evocatus est à Deo de domo & cognatione sua.* Gen. 12. 1. R. Longe alia fuit ratio. Nam. 1. Abrahamus jam erat conjugatus, & non amplius sub tutela Patris. 2. Habuit speciale mandatum divinum, quod hic non obtinet. 3. Secedit ab idololatris, sed isti à parentibus Christianis. 4. Non vovit cœlibatum vel obedientiam alicui homini, quæ potestatem paternam imminueret; Imò non invito, sed consentiente & comitante Patre exivit è domo sua. Gen. 12. 1.

5. *Levitæ. Deut* 33. 9. *perhibentur Patri suo & matri suæ dixisse, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos*, &c. R. Ostenditur quidem laude dignos eos esse, qui, ut obediant Deo, expressè aliquid mandanti, neque cognationem, neque affinitates respiciunt: Sed hoc non spectat ad eos, qui contra Dei mandatum de honorandis parentibus eos deserunt, ut se aliis hominibus mancipent. Deut. 33. 9.

3. *Sponsa. Ps.* 45. 11. *jubetur oblivisci populi sui & domus paternæ.* R. Mystice notatur officium fidelium, qui mundo, carni, & veteri Adamo renunciare tenentur, ut Christo indissolubili vinculo uniantur. Ps. 45. 11.

4. *Christus, Luc.* 14. 26. *jubet odisse parentes propter se.* R. Hoc comparatè intelligendum, ut amor parentum cedat amori divino, ut quum dicta Parentum cum obedientia Deo debita pugnant, ea posthabeamus Dei præceptis. Luc. 14. 26.

5. *Christus Luc.* 9. 59. 60. *non permittit ei, quem jubebat se sequi, patrem sepelire.* R. Docetur quidem h. l. vocationem divinam præferendam esse paternæ sepulturæ, i. e. officiis parentibus debitis; Non tamen sequitur filium à Christo non vocatum, sine necessitate, invito parente, votum emittere posse, quo in perpetuum se potestati parentum subducat. Aliud etiam est parentes mortuos, inprimis, si spiritualiter etiam sint mortui, sepeliendos mortuis relinquere; aliud parentes viventes spiritualiter & corporaliter abjicere, & se victitiis parentibus, sæpe in peccato mortuis, addicere. Luc. 9. 59. 60.

CONTROVERSIA. III.

De consensûs parentum necessitate in matrimonio liberorum.

An necessarius sit consensus Parentem in matrimonio liberorum? Affirm. c. Pontif.

Licèt facilè concedamus, aliam esse rationem cum filiis *emancipatis* & *majorennibus*, qui è potestate Parentum exierunt, & sui sunt juris, aliam cum *minorennibus*, qui sub patria potestate adhuc omnimodè sunt constituti; Statuimus tamen, non tantùm de honestate, sed etiam de necessitate esse consensum parentum in nuptiis liberorum, ut absque eo non sint legitimæ nuptiæ, & dirimi quoque possint. Hac tamen cautione, ne parentes liberos invitos ad matrimonium cogant, nec avaritiæ causa honestas liberorum nuptias dirimant, cujus sui dissensûs rationes sufficientes dare non possunt.

ARGUMENTA.

Eph. 6. 2. 1. Parentibus obedientia reddenda est in omnibus in Domino. Eph. 6. 2. maximè ergo in conjugio, in quo tantùm momentum situm est.

2. Inde parentibus Præcepta dantur de liberis in matrimonio elocandis. Exod. 34. 16. *Non accipies uxorem filiis tuis de filiabus earum.* Deut. 7. 3. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Jerem. 29. 6. *Date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris.* 1. Cor. 7. 36. *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, qui non jungit, melius facit.* Quomodo verò ista dici possent, nisi Parentum potestati subjicerentur liberi in matrimonii contractione?

Exod. 34. 16. Deut. 7. 3. Jer. 29. 6. 1. Cor. 7. 36.

Ex. 22. 16. 17. 3. Filia constuprata & seducta non elocanda, nisi pater assenserit Exod. 22. 16. 17.

4. Exemplis. Ita Abraham pro filio suo petit Rebeccam. Gen. 24. Hagar pro Ismaële. Gen. 21. Jacobus à Labane uxores petit. cap. 29. vide similia exempla in Calebo filiam suam pollicente. Jud. 1. 12. in Samsone, à parentibus uxorem petente. Jud. 14. 3.

5. Filii qui sunt sub potestate parentum non possunt de se statuere, quia non sunt sui juris; nam. 1. ponuntur inter bona parentum. Job. 1. 2. 8. 12. utpote qui sunt à parentibus, & seipsos iis debent. 2. Licuit parentibus liberos vendere in egestate ad serviendum. Exod. 21. 7. 3. Votum filiæ irritatur à parente. Num. 30. quia est sub ejus pote-

potestate. Nam si non licet de bonis paternis absque parentum consensu decernere, quomodo, quod longè majus est, liceret illi de seipso disponere?

6. Nisi hoc observetur, lex divina violatur, authoritas Patrum labefactatur, honestas publica proculcatur, pax domestica turbatur, salus liberorum, qui per ætatem sibi nondum possunt consulere, in discrimen adducitur, &c.

OBJECTIONES.

1. *Esavus inconsultis parentibus uxorem accepit.* R. Inde vanitas talium matrimoniorum evincitur, quia hoc parentibus fuit amarissimum.

2. *Cur ergo parentes talia conjugia non rescindunt?* R. Hoc fit ex indulgentia paterna, ut vitentur majora mala, non ex justitia.

XXXI. Sexto Præcepto Deus mandat ut homo & suam & proximi sanitatem ac vitam conservet, eamque neque animo, nec verbis, nec facto lædat aut minuat.

CONTROVERSIA. I.

An liceat magistratui facinorosorum hominum sanguinem fundere? Affirm. c. Soc. Anab. — Homicidium judiciale licitum.

ARGUMENTA.

1. Magistratus Dei minister est, vindex ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. Rom. 13. 4. Et datus est à Deo ad ultionem facinorosorum. 1. Pet. 2. 14. — Rom. 13. 4. 1. Pet. 2. 14.

2. Magistratus fideles sunt custodes utriusque tabulæ, & prospicere debent Legis observationi, quod non fieret, si sontes supplicio afficere non liceret, quia ubi pœnæ metus abest, aperitur fenestra omnibus sceleribus.

3. Tranquillitas & pax publica conservari non posset, si in reos gladius stringi non posset, ut civitas à talibus sceleratis repurgaretur.

OBJECTIONES.

1. *Matth. 5. 38. 39. Vindicta prohibita est.* R. Vindicta privata: Magistratus autem punit nomine Dei. — Matth. 5. 38. 39.

2. *Debemus hostes amare. Matth. 5. 44.* R. Sed magis Deum, qui eos puniri voluit. 2. Aliquis potest diligere personas, & animadvertere in scelera, imò pugnaret con- — Matth. 5. 44.

tra legem charitatis, facinorosos in perniciem Reipubl. & injuriam bonorum impunitos relinquere.

3. *Non occides.* R. Innocentem, neque authoritate privata nocentem.

Rom. 12. v. 19.

4. *Mihi relicta est ultio. Rom.* 12. 19. R. Deus etiam ulciscitur, cùm per magistratum punit.

5. *Debemus remittere proximo.* R. Injuriam nobis factam, non delictum, quatenus Deus id puniri voluit.

CONTROVERSIA. II.

Bellum gerere in N. T. licitum.

An magistratui Christiano liceat bellum gerere, i. e. se & patriam vi & armis contra hostes defendere? Affirm. cont. Soc. & Menn.

Licèt bella injusta & temeraria, quæ sine justa & necessaria causa, ex ambitione mera, vel avaritia ad fines imperii ampliandos suscipiuntur, tanquam mera latrocinia detestemur; Pertendimus tamen jus belli ad magistratum pertinere, & ab eo posse exerceri legitimè, quando agitur de bello justo & necessario.

ARGUMENTA.

1. Eadem ratio quæ bellum fecit licitum in Vet. Test. etiam obtinet in Novo; nam semper ad magistratum pertinet subditos adversus injustam violentiam defendere, quod aliquando sine bello fieri non potest.

2. Idem jus in N. T. non semel approbatum est. Primò

Luc. 3. 14.

à Johanne Baptista. Luc. 3. 14. dum hortatur milites ipsum interrogantes, quid facere deberent ad iram futuram fugiendam, & vitam æternam consequendam, non jubet ut militarem artem deponant, quod omninò faciendum fuisset, si esset per se vitiosa & illicita, sed ut in ea manentes contenti sint stipendiis suis, & neminem concutiant. Ita Centurionis fides à Christo. Matth. 8. 8. Cornelii pietas à Luca

Matth. 8. 8. Act. 10. 1.

prædicatur. Act. 10. 1. & angeli testimonio ornatur; nec Paulus salutem & incolumitatem suam militari præsidio tueri recusat. Act. 23.

OBJECTIONES.

Jes. 2. 4. Zach. 9. 10.

1. *Jes.* 2. 4. *Convertent gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Zach.* 9. *v.* 10 *Messias evertet arcum militarem.* R. Hæc non externè, sed spiritualiter intelligenda sunt, de pace spirituali Regni Christi, & sensus est: Propaga-

pagationem regni Christi non carnalibus armis, sed solâ Evangelii prædicatione & Sp. S. virtute perficiendam; hoc verò juri magistratûs circa bella nihil derogat.

2. 2. *Cor.* 10. 4. *Arma militiæ nostræ non sunt corporalia.* 2. Cor. 10. 4.
R. Arma quidem Apostolorum, quibus contra Satanam, mundum & carnem pugnabant, spiritualia erant, & fidelium arma non alia sunt quàm preces & lacrymæ, in bello spirituali; inde tamen non sequitur non competere Magistratui jus gladii; arma enim ista spiritualia non tollunt corporalia.

3. *Deus domum ædificari noluit à Davide, quia miles erat.* 1. Chron. 28. 3.
1. *Chron.* 28. 3. R. Id mysticum est, quia non domus belli, sed pacis futura erat.

CONTROVERSIA. III.

An homini Christiano liceat vitam suam contra latrones & invasores vi & armis defendere? Aff. cont. eosdem. Homicidium defensivum.

Non prohibetur *Homicidium defensivum*, cùm quis vitam suam defensurus contra violentum & injustum aggressorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, alium occiderit. Ut verò hoc moderamen servetur, oportet 1. ut invasor injustè invadat. 2. Ut defensori omnis alia via elabendi intercluſa fuerit. 3. Ut in ipso congressu, non autem eo finito defensio fiat. 4. Ut nihil fiat ab eo vel iracundiæ vel vindictæ affectu, sed ex sola defensionis intentione.

ARGUMENTA.

1. Deus ipse in Lege hoc innuisse colligitur. Exod. 22. 2. ubi casus privatæ defensionis proponitur, ex quo de Legis illius praxi judicium fieri potest. *Si infringens fur domum in ipsa perfossione, vel cum instrumento perfossorio deprehensus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis; si verò orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, morietur & ipse.* Exod. 22. 2.

2. Juris naturalis est, omnibus animantibus datum, *ut vitam suis armis defendant.*

3. Ita etiam Christianis mandatum est, ut vitam suam odio non habeant, sed amant, & defendant Eph. 5. 29. Eph. 5. 29.

4. Homicida sui est, qui se patitur ab alio occidi, dum id prohibere potest.

5. Alioquin Christianus proximum suum, eumque latronem, magis amaret, quàm se; contra Matth. 22. 39.

OBJECTIONES.

Rom. 12. 19. 1. *Nos non debemus ipsi ulcisci. Rom.* 12. 19. R. Prohibetur vindicta privata; Qui verò vitam suam justè defendit, non privato ausu, sed publicâ legis naturæ authoritate id facit.

2. *Proximum debemus amare.* R. Dilectio inimici non tollit necessariam vitæ defensionem, quia fundamentum dilectionis proximi est amor nostri.

Matth. 26. 52. 3. *Dominus jubet Petrum ensem reponere in vaginam. Matth.* 26. 52. R. Non tollit justam sui defensionem, quia hoc non tam defensionis habebat speciem, quæ inutilis fuisset contra tantam multitudinem, quàm vindictæ; Deinde non exspectaverat mandatum Domini, qui tali defensore non opus habebat, sed præcipitantiùs se gesserat.

Matth. 5. 38. 39. 40. 4. *Matth. 5. v.* 38. 39. 40. *Obvertenda maxilla percutienti, & relinquendum pallium petenti.* R. Hæc non tam *positivè* intelligenda sunt, quasi revera obvertenda esset maxilla, & pallium dimittendum, quod nec Christus ipse, nec Paulus observârunt percussi, quàm *negativè*, i. e. de non resistendo & vindicando seipso resistentiâ privatâ, inordinatâ, & non necessariâ; non *literaliter*, sed *figuratè* & *hyperbolicè*, de altera potiùs ferenda injuria, quàm priori ulciscenda.

CONTROVERSIA IV.

De αὐτοχειρία. *An* αὐτοχειρία *sit licita?* Neg. contra Stoicos veteres, & alios.

ARGUMENTA.

1. Homo αὐτόχειρ peccat *in Deum*, incurrendo in ejus *authoritatem*, qui solus est Dominus vitæ, in ejus *bonitatem*, qui ipsum hucusque tam benigne in vivis conservavit; in *providentiam*, cujus ordinem turbare conatur.

2. Peccat in *seipsum*, & naturalem inclinationem, quâ quis seipsum diligit, ac carnem suam nutrit & fovet. Eph. 5. 29.

3. In *Rempublicam*, illius civem perimendo.

4. In *familiam*, ejus membrum eripiendo, suosque omnes ignominiâ, dolore ac luctu implendo.

5. In *Ecclesiam* & *Religionem*; doctrinæ Christianæ igno-

ignominiæ notam inurendo, omnibus dolorem, bonis scandalum, & hostibus insultationis occasionem præbendo.

6. Adversatur *legi naturæ*, quæ unumquemque ad conservationem obligat, & *fiduciæ*, & pietati in Deum, quæ mala omnia ut à Deo immissa excipere debet; *sapientiæ*, quia nonnisi insano furore ad hoc facinus devenitur; *justitiæ*, quia cùm homo non sit Dominus suæ vitæ adeòque injustum, ut se hoc modo suo Domino subducere conetur; denique *fortitudidini*, quia oritur ex impatientia mali immissi, vel ex formidine immittendi.

OBJECTIONES.

1. *Samson fuit ἀντόχειρ. Iud.* 16. R. Hoc singulare fuit factum, motu Spiritûs S. extraordinario perpetratum, quod patet tum ex Apostol. Heb. 11. 34. qui eum hoc per fidem patrâsse dicit; tum ex precibus ejus ad Deum, & earum exauditione. 2. Finis ejus fuit non ultio privata simpliciter, sed vindicta gloriæ Dei, religionis & populi, utpote qui persona publica fuit, & vindex populi à Deo suscitatus. 3. Fuit itaque typus Christi, magnam morte sua hostium stragem edendo, & incumbentem cervici populi sui tyrannidem frangendo.

2. *Exemplum Eleazaris fratris Iudæ Maccabæi.* 1. *Macc.* 6. 43. 44. 45. *qui ultro subruit Elephantem, & ab eo obrutus periit; Et Raziæ, suo se gladio occidentis.* 2. *Macc.* 14. 41. 42. Hæc Exempla è libris Apocryphis petuntur, eoque non valent. 1. Macc. 6. 43. 44. 45. & 2. C. 14. 41. 42.

3. *E. illi, qui extremis periculis se pro patria aut amicis objiciunt, etiam sunt culpandi.* R. Neg. Aliud est se periculis objicere necessitate urgente, & vocatione Dei peculiari instigante, aliud sibi ipsi necem consciscere.

4. *Quid ergo sentiendum de illis, qui se simul cum navibus, incenso pulvere pyrio tollunt?* R. illi non possunt excusari; & repugnat factum ipsorum *fiduciæ in Deum*, apud quem sunt mille elabendi viæ; *prudentiæ Christianæ*, quia certum exitium cum incerto casu librant; *fortitudini*, fortis enim non ex desperatione salutis stationem deserit, sed ad extremum usque pugnat; *charitati* erga miserabiles personas, senes, ægrotos, &c. quibus ipsi hostes parcere possent. Non ergo tales omnimodè absolvi possunt à culpa in

in regulam Apostoli; non esse facienda mala, ut eveniant bona.

5. *Bonum est reddere Deo quod ab ipso datum.* R. Sed ubi id reperitur a nobis, & debito modo redditur.

CONTROVERSIA V.

Duellum.

An Duellum sit licitum? Neg. contra Jesuitas quosdam, quales sunt Lessius, Amicus, Escobar & alii, duello faventes, ut patet ex excerptis Theolog. eorum moralis, editis an. 1666. Propos. 11. 12. 15. 16.

Prohibitam verò volumus non quamlibet monomachiam, vel pugnam inter duos, qualis est necessaria defensio vitæ adversus aggressorem injustum. Non quæ fit ex publica authoritate in bonum commune, quale fuit Duellum Davidis adversus Goliathum. Sed pugna inter privatos, quæ directè & sponte suscipitur ex condicto; quam simpliciter damnandam putamus, tam in acceptante, quàm in provocante.

ARGUMENTA.

1. Vindicta denegatur privatis, qui essent sic judices in propria causa.

2. Nulla honesta ratione potest defendi; non *defensione honoris*, qui honori Deo debito non est anteponendus, alio modo quàm morte lædentis potest reparari, ac in renuente duello nullum omninò periculum patitur. Nec *defensione bonorum*, quia vita nostra & aliena non debet cum bonis aliis temporalibus commutari; Nec *veritatis manifestatione*, quia Diabolicum est, providentiam Dei hoc modo velle consulere.

XXXII. Septimo Præcepto mandatur castitas, sobrietas, pudor & vigilantia. Prohibetur omnis impuritas cogitationis, verborum, vestium, gestuum, picturarum, atque actionum.

CONTROVERSIA I.

Cœlibatus.

An Personis Ecclesiasticis rectè injungatur perpetuus cœlibatus, & prohibeatur matrimonium? Neg. cont. Pontif.

Pontificii *Clericos*, quos perperam ita vocant distinctè à Laicis,

Laicis, cùm etiam tota Ecclesia vocetur κλῆρος. 1 Pet. 5. 3. abusu conjugii perpetuò abstinere volunt, tum, ut majori sanctitatis specie eos apud plebem commendent, & authoritatem illis majorem concilient, tum, ut arctiùs illos Pontifici subjiciant, quasi matrimonium concedere Episcopis, non sit aliud, quàm Hierarchiam de Ecclesia tollere.

Non verò etiam consentiunt Pontificii circa hoc Caput: Alii volunt naturam & usum conjugii ex se & per se repugnare functionibus sacri ordinis, & in carne esse ac conjugatos esse pro eodem habent, & negant conjugatos posse Deo placere, quod dixit olim Syricius Papa, atque ita longè gravius peccatum esse censent Sacerdoti, si uxoris misceatur, quàm si scortetur aut mœchetur, quæ est Costeri propositio.

Alii contrarietatem matrimonii & sacerdotii volunt tantùm esse accidentalem, quæ petatur vel à voto continentiæ, vel ab interdicto Ecclesiæ. Alii verò volunt, tantùm esse juris Ecclesiastici & positivi.

Nos statuimus, matrimonium nulla lege Ecclesiastica imponendum vel prohibendum, sed liberæ cujusque voluntati permittendum. Posse unumquemque privatis apud se expensis rationibus eo vel uti, vel abstinere, prout se senserit interiùs dispositum; Eo verò juxta præscriptum Apostoli uti debere, si se dono continentiæ destitutum deprehendat.

ARGUMENTA.

1. *Honorabile est conjugium* ἐν πᾶσι, *& torus immaculatus.* Heb. 13. 4. Exc. 1. ἐν πᾶσι *ad res, non ad personas refertur, adeóque est generis neutrius, non masculini.* R. 1. Si omnia quæ pertinent ad matrimonium sunt τίμια, quomodo status matrimonii in quibusdam poterit censeri impurus? 2. Apostolus apertè agit de Personis, quia opponit eos, qui castas nuptias sectantur, scortatoribus. 3. Ad personas referunt Biblia Lovanensia, Benedicti, Antverpiensia, Pagninus, Salmero, Cajetanus, Estius, Bellarminus, & alii. Exc. 2. *Sententia Apostoli est imperativa, non assertiva, ut sensus sit: Honorate matrimonium.* R. Apostolus non dixit: τιμῶσιν ἔστω. 2. Verba sequentia non habent causalem γὰρ, quasi ratio reddatur præcepti, sed adversativam δὲ, ut opponat scortatores conjugatis. Exc. 3. *Si universaliter intelliguntur verba Apostoli, tum etiam*

Heb. 13.4. Exc. 1.

Exc. 2.

Exc. 3.

etiam matrimonium inter patrem & filiam, &c. *honorabile esset*. R. At, talium conjunctio non est matrimonium, sed incestus.

2. Apostolus omnibus & singulis, qui se continere non
1. Cor. 7. 2. 9. possunt, præcipit conjugium 1. Cor. 7. 2. *Propter fornicationem suam quisque uxorem habeat, & proprium quæque virum habeat.* Et v. 9. *Quòd si se non continent, matrimonium contrahant, nam satius est matrimonium contrahere, quàm uri.*

3. Apostolus ponit interdictum matrimonii inter notas Apostasiæ novissimorum temporum, & vocat Doctri-
1. Tim. 4. 1. 2. 3. nam Dæmoniorum 1. Tim. 4. 1. 2. 3. *Spiritus disertè dicit, fore ut novissimis temporibus desciscant quidam à fide, Spiritibus deceptoribus attendentes, & doctrinis dæmoniorum, per hypocrisim falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est, prohibentium matrimonium contrahere, & jubentium abstinere à cibis*, &c.

Exc. Exc. *Paulus notat eos, qui absolutè nuptias ut malas prohibebant, quales erant Tatiani, Encratitæ, Marcionitæ, & Manichæi.* R. 1. Illorum incusatio Pontificios non potest excusare, nisi probare possint, se non prohibere nuptias & usum ciborum, quod Apostolus hic damnat. 2. Hæc Montanistarum olim apologia fuit, non sibi applicandam esse hanc Prophetiam, qui nuptias non damnarent, ut malas, sed tantùm abstinendum ab iis censerent majoris sanctitatis specie: Damnavit tamen vetus Ecclesia Montanistas, iisque Prophetiam hanc Pauli accommodavit. 3. Pontificios non minùs, imò potiùs quàm Veteres hæreticos respicit hoc oraculum. Nam. α. Apostolus de Apostasia loquitur *novissimorum temporum*, quæ non tam tempora primitivæ Ecclesiæ, quæ Apostolorum ætatem statim subsecuta sunt, designant, quàm novissima, quæ sub finem seculorum fluere debebant. β. De iis loquitur Paulus, qui potestatem habituri erant prohibendi conjugii; Hæretici autem illi cogere non poterant; possunt aurem Pontifices. γ. Non agit de illis, qui absolutè nuptias damnabant, sed de iis, qui in hypocrisi, i. e. sub mentitæ cujusdam sanctitatis specie certis quibusdam hominibus matrimonium interdicerent: Nec ideò necesse erat, ut Spiritus Dei tam solicitè fideles adversus blasphemas istas veterum hæreses præmuniret, quarum manifesta impie-

impietas prima fronte plerisque invisa videretur; sed ab Antichristo periculum majus metuendum fuit, qui mysterium iniquitatis sub pietatis prætextu operaturus erat.

4. Apostoli & discipuli Christi conjugati fuerunt, aut esse potuerunt, salvo Apostolatûs ministerio. 1. Cor. 9. 5. *Nonne potestatem habemus ducendi nobiscum uxorem, ut & alii Apostoli, & fratres Domini & Cephas?* Inde legimus quòd Petrus nurum habuerit. Matth. 8. 14. Et de Philippo, quòd habuerit quatuor filias. Act. 21. 8. 9. Exc. 1. *Fœminæ, quæ sequebantur Apostolos, non fuerunt propriæ ipsorum uxores, sed mulieres locupletes, à quibus Christi exemplo Luc. 8. 1. 2. alebantur.* R. Glossa repugnat Scopo Apostoli, qui testatur, ideo se non circumduxisse uxorem, ne gravis esset Ecclesiæ. At, si pias istas fœminas circumduxissent Apostoli, non utique gravata, sed sublevata per eas fuisset Ecclesia. 2. Paulus non loquitur de pluribus, sed de unica, quæ non potest alia esse quàm uxor, aliâs honestas non ferebat tales mulieres circumducere.

1. Cor. 9. 5. Matth. 8. 14. Act. 21. 8. 9. Exc. 1.

Exc. 2. *Dimissæ fuerunt uxores ab Apostolis post vocationem suam, quia dicuntur omnia deseruisse ad sequendum Christum. Matth. 19. 27.* R. 1. Hoc non fieri potuit ab Apostolis, quin primævæ legi conjugii repugnarent, & regulæ positæ à Paulo. 1. Cor. 7. 10. *Uxor à viro ne seipsam separato; & vir uxorem ne dimittito.* Dereliction verò, de qua Matth. 19. 27. tantùm est eorum, quæ impedimento erant vel ministerio, vel confessioni Euangelii: Uxores verò legitimæ solatio & confirmationi fidei esse poterant.

Exc. 2. Matth. 19. 27.

5. Apostolus vult, ut Episcopus, qui ἀνεπίληπτος debet esse, sit *unius uxoris vir.* 1. Tim. 3. 2. quod dicere non potuisset, nisi licitum esse conjugium Episcopo agnovisset.

1. Tim. 3. 2.

Exc. 1. *Hæc allegoricè intelligenda, de unius Ecclesiæ Episcopo.* R. Neg. Nam quæ ab Apostolo adduntur, repugnant, quum facit mentionem liberorum, & ex gubernatione familiæ vult judicari, sitne aptus ad regendam Ecclesiam nec ne.

Exc. 1.

Exc. 2. *Hoc διάταγμα Apostoli fuit temporarium, quod valuit tantùm in ecclesia primitiva, propter paucitatem cœlibum, quæ cogebat conjugatos eligere, sed nostrorum temporum alia est ratio.* R. Si temporibus illis, quæ fuerunt tempora virginitatis Ecclesiæ, non pugnavit conjugium cum Episcopatu, quare repugnaret hodie?

Exc. 2.

6. Non

6. Non omnes habent donum continentiæ. Matth. 19. 11.

Matth. 19.11. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed ii, quibus datum est.* Et
1. Cor. 7. 7. 1. Cor. 7. 7. *Unusquisque proprium suum donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Unde lex de cœlibatu mundum impuritatibus & Ecclesiam scandalis replevit.

7. A Praxi Ecclesiæ Veteris. Quò pertinet Concilium Gangrense, adversus Eustathium, Presbyteris conjugium interdicentem, institutum; & Nicenum, in quo Paphnutius Thebarum Episcopus, licèt ipse cœlebs, contra interdictum conjugii graviter inclamavit, concilio unanimiter annuente.

OBJECTIONES.

1. Cor. 7. 1. *Vitæ genus melius & sanctius est ministro sectandum. At cœlibatus talis est, ut Apostolus docet.* 1. Cor. 7. R. Apostolus non vult cœlibatum per se esse melius vitæ genus
v. 28. alio, sed secundum quid, & certi temporis respectu, tum,
v. 26. quia curis & molestiis paucioribus est obnoxius. v. 28. tum, quia tempora ista infesta erant persecutoribus. v. 26. Τὸ καλὸν ergo apud Paulum non de bonitate morali &
v. 35. honesta intelligi debet, sed de bonitate utili, ut Apostolus ipse explicat. v. 35. per συμφέρον, quod commodum est & conducibile, propter instantem necessitatem crucis. 2. Non imperatur cœlibatus, sed tantùm suadetur. Paulus enim negat, se mandatum Domini de eo accepisse. v. 6. 25. Testatur nullius se conscientiam opinione necessitatis aut cultûs illaqueare velle. v. 35. Suadet non omnibus, sed iis tantùm, qui dono continentiæ sunt præditi. v. 7. 17. aliis verò conjugium præcipit. v. 2. 9.

2. Tim. 2. 4. 2. *Minister se non debet implicare negotiis & curis hujus seculi.* 2. *Tim.* 2. 4. R. Nim. immodicis, nimiis, à pietate, sanctitate, & ab obeundo munere avocantibus. Tales verò curas matrimonium non importat; impedit enim non per se, nec semper, nec avocat à toto, sed à tanto. Et à prohibitione matrimonii plus mali nascitur, quàm ex avocatione non perpetuâ ob periculum scortationis.

1. Cor. 7. 5. 3. *Qui cultui divino vacant, debent abstinere.* 1. *Cor.* 7. 5. *At ministri semper debent cultui divino vacare.* R. 1. Docet quidem Apostolus, dari tempus, in quo consultum sit abstinere ab usu conjugii, etiam legitimi, ut melius possimus dispositi esse cultui divino. Sed quid hoc ad legem cœlibatûs?

batûs? cùm agatur non de abstinentia perpetua, sed tantùm ad paucos dies, non de precibus ordinariis, sed extraordinariis; nec Clericis tantùm dicatur, sed etiam laicis, jubeaturque ut iterum conveniant, ne à Satana tententur. 2. Licèt minister teneatur semper vacare rebus divinis, i. e. ut nunquam vacet rebus oppositis, qualis est idololatria, & ita ut in *actu primo* semper in id sit intentus; non tamen semper tenetur vacare rebus divinis in *actu secundo* ut nunquam non vacet, aliâs officia omnia, quæ versantur circa τὰ βιωτικὰ, illi interdicerentur.

4. *Conjugalis censuetudo immundiciem afferebat sub V. T.* R. Ea tota legalis & Levitica fuit, quæ cum translato Sacerdotio abrogata est, non minùs quàm impuritas ex contactu mortui. 2. Si quid valerent illa exempla, sequeretur legem abstinentiæ illius non extendendam esse nisi ad illud tempus, quo se ad publicum cultum proximè parant vel publico cultui actu ipso vacant. Nam toti populo & Sacerdotibus V. T. conjugatis esse licuit, tametsi illis æque incumberet legem nocte dieque meditari.

CONTROVERSIA II.

An Polygamia simultanea sit licita? Neg. c. Soc. nominatim Ochinum. Polygamia

ARGUMENTA.

1. Est contra primam conjugii institutionem, quâ sancitum, ut duo, non tres aut plures essent una caro.

2. Contra naturam amoris conjugalis, qui ita proprius est & singularis, ut tertiam personam non possit admittere ad ejusdem rei communionem.

3. Contra naturam contractûs matrimonialis, quo fit, ut conjunx non habeat amplius corpus in potestate sua. 1. Cor. 7. 4. unde fit, ut injustitiæ & perfidiæ reus peragatur, qui alteri sese jungit. Malac. 2. 14. &c.

4. Contra mandatum Pauli, qui vult, ut quælibet uxor proprium virum habeat. Unde Rom. 7. 2. 3. uxor mœcha dicitur, quæ vivente adhuc marito fit alterius uxor. Rom. 7. 2. 3.

5. Contra unitam illam prolis curam, quam conjugii finis requirit, quæ in polygamia dividitur.

6. Contra pacem familiæ, ut visum in domo Jacobi. Gen. 30. Elkanæ. 1. Sam. 1. 6.

Lev. 18. 18. 7. Huc facit locus. Levit. 18. 18. *Mulierem unam ad alteram ne assumito.*

OBJECTIONES.

1. *Patres V. T. fuerunt polygami.* R. 1. Legibus, non exemplis standum. 2. Si permissa fuit vel *permissione juris Ethicâ* per dispensationem peculiarem propter infirmitatem, quia erant adhuc infantes, quibus multa conceduntur, quæ adultis denegantur, quæ nunc sub N. T. cessat. Vel, quod verisimilius est, *permissione facti*, i. e. per meram tolerantiam, non per approbationem, ut hac ratione immunes essent à pœna civili in foro soli, sed non item à pœna divina in foro poli, à qua liberari debuerunt gratiâ Dei.

Inst. *Scriptura non reprehendit Polygamiam in Patriarchis.* R. Non tamen sequitur licitam fuisse; Etiam Lothi incestus non reprehenditur, quis verò dicat, non fuisse peccatum?

Inst. *Patriarchæ nescivere se peccare per polygamiam.* R. Peccârunt ex ignorantia, putantes id licitum esse omnibus, quod passim obtinebat, pravâ consuetudine quæ invaluerat.

Inst. *Non egerunt pœnitentiam illius peccati.* R. Egerunt implicitè, quum petebant veniam omnium peccatorum, dicendo cum Davide: *Purga me ab occultis.* Ps. 19.

Deut. 21. 15. 16. 2. *Deut.* 21. 15. 16. *Deus dat leges de hæreditatibus polygamorum.* R. Ipsam tamen Polygamiam ideò non approbat; ut dat Legem Deut. 23. 18. de non inferenda mercede scorti in domum Dei, ipsum tamen pretium non approbat; dat legem de eligendo Rege, desiderium tamen populi non approbat. 1. Sam. 8. 6. 7.

XXXIII. Octavo Præcepto mandatur omnis æquitas, justitia, charitas, & conservatio bonorum proximi & nostrorum: Prohibetur autem furtum, & rapina, sive ea bona patriæ, sive Ecclesiæ, sive proximo, sive nobis eripiantur.

CONTROVERSIA I.

De Bonorum communione. *An omnia omnium Christianorum bona omnibus debeant esse communia?* Neg. cont. Mennon. quosdam.

ARGUMEMTA.

1. Quisque propriam suam domum habere & curare debet;

debet: Nam, *si quis suis domesticis non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5. 8. Inde Diaconi jubentur præesse suis domibus. Cap. 3. 12. sic de proprio pane jubemur vesci, laborantes. 2. Thess. 3. 12. 1. Tim. 5. 8. cap. 3. 12. 2. Thes. 3. 12.

2. Etiam inter Christianos sunt divites & pauperes. 1. Tim. 6. 17. Jac. 1. 10. E. distincta dominia.

3. Contractus emtionis & venditionis, atque æquitas in illis commendatur. 1. Cor. 7. 30. *qui emunt, sint ut non obtinentes.* Hinc verò oriuntur distincta dominia. 1. Cor. 7. 30.

4. Eleemosynæ in N. T. commendantur. Heb. 13. 16. *Beneficentiæ & communicationis ne obliviscimini.* Heb. 13. 16.

5. Inutile esset præceptum de furto.

OBJECTIO.

Act. 2. 44. & 4. 32. *omnia habebant communia.* R. Quod ad usum, & breve tempus, non quod ad dominium. Act. 2. 44. & 4. 32.

CONTROVERSIA. II.

An aliqua usura sit licita? Dist.

Usura lucrum est, quod præter officium mutuationis ultra sortem exigitur, sive sit pecunia, sive frumentum, sive aliud quid: Dicitur ab *usu*, quod propter usum pecuniæ percipiatur. An usurá sit licita?

Circa quæstionem duæ sunt præcipuæ sententiæ; Negativam tuentur Canonistæ & Scholastici, unde Jesuitæ Calvinum nostrum tanquam fœneratorum patronum traducunt, quia usuras absolutè non improbat. Ad hos accedunt nonnulli ex Lutheranis, imò ex nostris Zuinglius, Musculus, Aerius, & varii ex Theologis Anglicanis. Affirmativam amplectuntur communiter Orthodoxi, certis tamen distinctionibus.

Usura alia est *mordens* & immodica seu expilatoria, quæ nulla ratione æquitatis & charitatis Christianæ habita immisericorditer exigitur à quolibet mutuante, etiam paupere & attenuato; alia est *modica & juvans*, in qua talis moderatio adhibetur, quæ utriusque, & commodantis & mutuantis necessitati & commodo conveniat. Talem usuram non improbamus.

ARGUMENTA.

1. Licuit sub. V. T. usuras capere ab extraneis. Deut. 23. 20. *Extraneo dabis in usuram.* Deut. 23. 20.

2. Si usuræ essent absolutè illicitæ, Christus sub illa similitudine officium spirituale de legitimo talentorum usu non repræsentâsset. Matth. 25. Nec Baptista. Luc. 3. 13. Publicanos qui certo precio vectigalia à Romanis conduxerant, juberet, tantùm retentâ vitæ conditione ne quid ultra æquum exigerent.

3. Usuræ usus fundatur. 1. In *necessitate & utilitate*, quia sine usuris non possunt subsistere commercia, præcipua societatis humanæ firmamenta. 2. In *æquitate naturali*, quia æquum est, ut qui commodum percipit ex ære alieno: ejus quoque participem faciat illum, cujus subsidio hoc commodum percepit. 3. In *justa gratitudine*; nam qui compendium facit ex alieno mutuo, jure gratitudinis debet aliquod ἀντίδωρον. 4. In *charitate Christiana*, quæ requirit, ut Paterfamiliâs suis prospiciat. 1. Tim. 5. 8.

OBJECTIONES.

Deut. 23. 19. 1. *Deut.* 23. 19. *Ne dato in usuram fratri tuo, usuram pecuniæ, usuram cibi, usuram ullius rei quæ in usuram datur.* R. Vel exponenda est interdictio ex locis parallelis. Exod. 22. 26. Levit. 25. 35. 36. in quibus restringitur ad pauperem populum, & attenuatum fratrem. Vel, si sine exceptione ad omnes Hebræos refertur, lex erit forensis peculiaris huic populo, ut fortiùs societas Israëlitarum hoc vinculo adstringeretur, quales aliæ non paucæ erant de servis, pignoribus, agris, specilegio, &c. quæ sub N. T. locum jam nullum habent.

Ps. 15. 5. Ezech. 18. 8. Luc. 6. 34. 2. *Laudatur ut justus, qui fœnori non dat. Ps.* 15. 5. *Ezech.* 18. 8. R. Agitur de usura mordente & improba.

3. *Christus ait: Luc.* 6. 34. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* R. Non malè juxta vim vocis ἀπελπίζειν redditur *nihil desperantes*, quasi beneficium vestrum perditum sit, vel pecunia vestra malè collata, quasi nihil inde recepturi sitis, quia merces vestra multa semper erit apud Deum, si officium perit apud homines. 2. Ibi quidem præcipitur quid faciendum, sed non quid tantùm faciendum, pauperibus nim. etiam subveniendum à quibus nihil sperare possit.

Matth. 21. 12. 4. *Christus in templo numulariorum mensas evertit. Matth.* 21. 12. *eosque ut emptores & venditores inde ejecit.* R. Non tam quòd emere & vendere, ac nummos permutare sit illicitum

licitum, quàm quòd locus mercatus ex orationis domo fieri non debeat.

XXXIV. Nono præcepto mandatur, ut honorem & bonum nomen proximi conservemus, omni veritate, fidelitate, taciturnitate, & παῤῥησίᾳ. Prohibetur autem mendacium, simulatio, adulatio, calumnia, mala suspicio, garrulitas, &c.

CONTROVERSIA I.

De æquivocationibus.

An sive in verbis, sive in jurejurando liceat uti æquivocatione, & mentali reservatione, i. e. ad decipiendum proximum aliud verbis testari, aliud animo sentire? Neg. cont. Jes.

Non quæritur de æquivocationum *usu Rethorico*, quibus utuntur Rethores in figura antanaclasi, ironia, &c. Nec de *usu Logico*, qui sæpe obtinet in disputationibus, & aliis sermonibus πειρασικοῖς, qui exercendorum ingeniorum causâ instituuntur. Sed de *usu Theologico & Ethico*, in testimonio dicendo, aut in judicio, vel confessionis casu.

Æquivocatio vel *verbalis* est, quum verba ipsa quæ usurpantur, sunt ambigui sensûs, ut, si quis rogatus; an Petrus esset domi, responderet, non est, i. e. non comedit; vel *mentalis*, quum verba ipsa quæ adhibentur unum simplicem habent sensum, sed per tacitam restrictionem, quam sibi in mente reservat, in alium commutantur, quò pertinet Franciſci Assisii responsum, qui rogatus, quâ perrexisset quidam homicida qui juxta eum transierat, manus in manicas immittens, respondit, non transisse illâc, intelligens, non transisse per illas manicas: Hoc modo Jesuitæ plerique statuunt, Sacerdotem rogatum, an sit Sacerdos, si rationabilem habeat causam veritatem dissimulandi, posse respondere, se non esse Sacerdotem, dummodò intelligat, se non esse Sacerdotem Baalis, aut non esse Sacerdotem, ut hoc alteri dicat.

Quamvis verò multi ex Pontificiis animosè hoc dogma rejecerint, & Becanus clamet, fieri injuriam sibi & sociis suis, tamen non tantùm reipsa, sed & scriptis multi testatum faciunt; E. g. Toletus, Suarezius, Lessius, Emmansa, &c. multique alii, quibus præcipuè addi debet *Garnetus*, qui ex praxi & Apologia coram judicibus artem hanc probavit,

ur videre est in actis contra Proditores Anglicanos. Has verò æquivocationes nos detestamur.

ARGUMENTA.

Heb. 6. 16. 1. Juramentum debet esse omnis controversiæ terminus. Heb. 6. 16. sed ubi adest æquivocatio, multiplicantur potiùs quàm finiuntur lites.

Jer. 9. 8. 2. Cor. 4. 2. 2. Scriptura hanc artem damnat, dum perstringit eos, qui in ore suo pacem loquuntur proximo, & in corde ponunt insidias. Jer. 9. 8. & vult, ut abrenunciemus pudendis latebris, non cum calliditate ambulantes. 2. Cor. 4. 2.

3. Hoc juri divino, naturali & civili repugnat. *Divino*, quod vetat fieri mala, ut eveniant bona. *Naturali*, quia est falsa significatio, pugnans cum natura, & cum proposito fallendi conjuncta. *Civili*, quia hoc posito suspecta erunt colloquia, juramenta, contractus, commercia, nihilque tutum & securum erit.

4. Ita magistratus ambiguis responsis eluditur; adeoque nec veritas inquiri, nec controversiæ decidi, nec sontes puniri, nec insontes absolvi possent.

5. Æquivocationes sunt directa & manifesta mendacia, quia aliud tegitur pectore, aliud ore profertur, idque cum fallendi intentione, & sic per æquivocationes omnibus mendaciis janua aperitur. Nam duo ad mendacium requiruntur; tum, ut enunciatio sit falsa, contraria rei veritati, tum, ut adsit falsum enunciandi voluntas, & ita sermo sic contrarius cogitationi; Hæc verò in æquivocatione locum habent.

Exc. Exc. *Ex oratione vocali, & restrictione mentali una fit oratio composita & totalis, in qua nulla falsitas est; licet autem homini orationem suam componere ex terminis vocalibus & mentalibus.* R. Licet, quando fidelis secum aut cum Deo solo loquitur, qui cogitationes mentis nostræ novit; non licet in testimonio coram hominibus dicendo, quia reservatio mentalis nihil testatur audientibus.

6. Christus, Apostoli, & martyres nunquam æquivocationibus usi sunt, sed præclaram confessionem ediderunt.

7. Æquivocationum magistri olim fuerunt veteres hæretici, *Basilidiani*, qui docuerunt, fidem esse dissimulandam, aut perjurio negandam, ut martyria devitarentur. *Priscillianistæ*, qui propter occultandas contaminationes & turpitudines suas dicebant: *Iura, perjura secretum prodere noli.*

OB-

OBJECTIONES.

1. *Veritas potest taceri.* R. Aliud est aliquid veri tacere, aliud falsi aliquid dicere; non est mendacium, quum silentio absconditur verum, sed quum loquendo promitur falsum.

2. *Æquivocationes non differunt à promissionibus & comminationibus, quæ tacitam habent conditionem.* R. Imò toto cœlo differunt: Quia, licèt in ejusmodi comminationibus & promissionibus conditio non sit expressa, non ignota tamen fuit iis, quibus proponebantur.

3. *Samuel profitetur, se ad immolandum Domino venisse Bethlehem, cùm tamen venisset ad ungendum Davidem.* 1. *Sam.* 16. 4. R. Dicit aliquid quod erat præstiturus, & quod revera præstitit, sed ulterius non indicavit quid esset facturus, quia non opus erat. 1. Sam. 16. 4.

4. *Ioh.* 7. 8. *Ego non ascendam ad festum, & tamen ivit.* R. Christus non negat simpliciter se ascensurum, sed secundum quid, ratione certi temporis, ego *nondum* ascendo, quia sc. præstitutum suum tempus ascendendi nondum advenerat. Joh. 7. 8.

5. *Luc.* 24. 28. *Christus finxit Discipulis Emauntem proficiscentibus, se longius iturum.* R. Hoc non infert ullam æquivocationem, sed occultationem consilii, quod prudentiæ fuit, non æquivocationis. 2. ἀποστησις ista non tam formaliter quàm materialiter est intelligenda, quia id egit Christus, quod progressum ulteriorem simulans agere solet, qui passus aliquot ultra locum destinatum progreditur, ut proliceret preces suorum, & ardentius sui desiderium excitaret, ut parentes discessuri liberorum, amici amicorum preces provocare solent. 3. Potest etiam dici, Christum ulterius progredi in animo habuisse, & progressurum fuisse, nisi precibus discipulorum retentus fuisset. Luc. 24. 28.

6. *Medici æquivocationibus utuntur.* R. Medicorum commenta ad demulcendos phreneticos subintellectam habent modificationem, usu notissima, ut constet, illos non fingere ut fallant, sed ficta tantùm narrare, ut ægrotantis infirmitati consulant.

7. *Artes & simulationes in bello.* R. Satis est notum hostibus, bellum arte & marte geri. E. non ipsis nescientibus insidiæ struuntur.

CONTROVERSIA II.

De mendacio officioso.

An mendacium officiosum & jocosum sit licitum?

Neg. cont. Socin.

Mendacium vulgo distinguitur in *perniciosum*, quod nocendi animo profertur & in perniciem proximi tendit, *jocosum*, quod per jocum dicitur oblectandi gratiâ, & *officiosum*, quod in commodum proximi vergit, & juvandi ergò pronunciatur. Quamvis verò discrimen observemus inter ista mendacia, ut pernicioſum sit gravius, alia verò duo leviora; peccata tamen vera esse censemus, lege Dei damnata.

ARGUMENTA.

Ps. 5. 7. Prov. 6. 17. cap. 12. 12. Eph. 4. 25. Col. 3. 9. Joh. 8. 44.

1. Mendacium sine ulla exceptione passim damnatur in Scriptura. Ps. 5. 7. *Perditurus es loquentes mendacium.* Prov. 6. 17. *Linguam fallacem odit Iehova.* & Cap. 12. 21. *Abominationi sunt Iehovæ labia fallacia.* Eph. 4. 25. *Depositio mendacio loquimini veritatem quisque cum proximo suo.* Col. 3. 9. *Ne mentimini alius adversus alium.* Et omne mendacium est à Diabolo, Patre mendacii. Joh. 8. 44.

2. Omne mendacium est per se malum, cadens super indebitam materiam, est enim inordinatio tum mentientis in se, quia contra ordinem naturæ oratio ejus, quæ mentis est interpres, à mente planè dissentit, tum ad proximum, quia veritatis observantiam unusquisque proximo suo debet, ex obligatione naturali & divini juris.

3. Si pernicioſum mendacium tantùm esset peccatum ejus ἀνομία peteretur tantùm à fine, quod falsum, quia in ipsâ mendacii deformitate & ἀταξία, nempe in divortio mentis & linguæ, quæ mentis interpres esse debet, consistit ejus ἀνομία.

4. Si mendacium posset honestari à fine, nim. intentione juvandi proximum, sic & furta possent honestari quæ essent officiosa, quum aliquis vellet ex furto proximo benefacere, quod tamen est contra regulam Apostoli. Non sunt facienda mala ut eveniant bona. Rom. 3. 8.

OBJECTIONES.

Exod. 1. 19. Jos. 6. 23. 25. 1. Sam. 19. 17. 1. Sam. 20. 6. 28.

1. *Exempla multa habemus in sacris mendacii officiosi, ut, in obstetricibus Ægyptiacis. Exod.* 1. 19. *Rahab. Ios.* 6. 23. 25. *Michal.* 1. *Sam.* 19. 17. *Ionathan.* 1. *Sam.* 20. 6. 28. R. in

his

his exemplis omnibus distinguenda virtus actionis à vitio & nævo ei adhærente, & modo quo fit; infirmitas hominis, & bonitas Dei, illa quæ in optimis actionibus semper aliquid vitiosi admiscet, ista quæ vitium condonando bonum gratiosè compensat. Ita placuit Deo, quòd obstetrices ab infanticidio abstinuerunt, quòd Rahab hospitum suorum securitati consuluit; quòd Michal Davidis mariti sui, & Jonathan amici vitæ prospexerunt, licèt modus agendi in istis bonis operibus per mendacium, non caruerit vitio coram Deo.

2. *Elizæus mentitus est militibus Syris.* 2. *Reg.* 6. 19. R. Neg. Quia nihil ab eo prolatum, quod verum non esset quoad rei eventum. Quærentibus viam, quâ Elisæum invenirent, respondet non eam esse, siquidem ibat Samariam, nec illam civitatem, ex qua jam exiverat, pollicetur verò se eos ducturum ad virum quem quærebant, quod reipsâ implevit, ducendo eos Samariam, ubi agnoverunt Prophetam. 2. Reg. 6. 19.

3. *Michæas suadet bellum Regi Iosaphat, contra mentem suam.* 1. *Reg.* 22. 15. R. Non tam loquitur affirmativè & Propheticè, quàm ironicè & μιμητικῶς, non ex sua, sed ex Regis & Pseudoprophetarum sententiâ, non ut eos falleret, sed ut eos falli doceret; nam postea, cùm adjuratus esset à Rege, ut in nomine Jehovæ eloqueretur veritatem. v. 16. 17. longe aliud præ se tulit. 1. Reg. 22. 15.

4. *Ieremias in gratiam Regis mendacium dixit. Ier.* 38. 27. R. Neg. Quia id retulit Principibus quod verissimum erat, nim. Regem à se rogatum, ne denuò in carcerem pristinum detruderetur, quod erat verissimum, ut liquet ex Jer. 37. 15. 20. & 38. 15. 16. ne traderetur in manus hostium suorum; aliud verò est partem veritatis non necessariam tacere; aliud falsum pro vero narrare; prius licitum, non posterius. Jer. 38. 27.

5. *Paulus negat. Act.* 23. 5. *se sciviſſe Ananiam fuiſſe summum Sacerdotem; quod tamen verum non erat.* R. Sensus verbis ejus optimè constare potest, sine ulla mendacii nota, sive dicatur ironicè locutus, quia nihil in eo Pontifice dignum videbat, sive seriò hoc dixerit, quod reverâ Pontifex non fuerit, sed in veri Pontificis partes sese obtrusisset, ut tanta erat tum temporis ἀναρχία, ut in dies quasi essent Pontifices, aut non essent: Vel quia diutius Hierosolymâ Act. 23. 5.

abfuerat, & novus erat Pontifex ipsi adhuc ignotus: Nec ex sede hoc colligere potuit, quia non erant in templo aut domo Pontificis, & loco Synedrii ordinario, & forsan tumultuariè & confusè sedebant.

6. *Parabolæ sunt species mendacii.* R. Neg. Nam Parabola non affertur, ut significetur id esse, quod adumbratur per id quod dicitur; unde non propter materiale proponitur, sed propter suum formale; aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur. Differt ergo à mendacio. 1. ratione *originis*, quia mendacium omne vel à mala mente, vel à bona ad malum deviante; Parabola non. 2. Ratione *formæ*, quia mendacium habet intrinsecam disconvenientiam cum mente dicentis, non parabola. 3. Ratione *finis*, quia mendacium comparatum est ad fallendum; parabola ad docendum. 4. Ratione *effectûs*, quia per mendacium falsi ingeneratur notio animo audientis, per parabolam verò vera. Idem de apologis dicendum, in quibus non proponitur historia, sed typus, nec aliquid repræsentatur ut factum, nec hoc quod proponitur intenditur quamvis falsum & fictum, sed aliud omninò, & quidem verum.

XXXV. Decimo præcepto prohibetur minima quæque concupiscentia rei vetitæ, etiam ea, quæ præcedit consensum voluntatis.

XXXVI. Concupiscentia autem damnatur non omnis, quæ in *genere Entis & physicè* spectata, nec bona est nec mala, sed indifferens; quæ totam bonitatem & malitiam suam moralem haurit ex qualitate objectorum circa quæ versatur; sed *inordinata ac vitiosa*, quæ objectum habet injustum & illicitum.

CONTROVERSIA. I.

An illa propensio ad malum, quæ concupiscentia vocari solet, verè & propriè sit peccatum?

Aff. cont. Pontif.

Vide hanc. Controv. supra Loc. de Peccato.

CON-

CONTROVERSIA II.

An motus primo-primi, seu concupiscentia mali consensum voluntatis præcedens verè & propriè peccatum sit? Aff. c. Pont.

De motibus primo-primis.

Motus primo-primos vocant Pontificii subreptiones & titillationes quasdam, sed sine deliberato mentis judicio, & formali voluntatis consensu: Hos in Lege prohiberi negant: Nos contrarium probamus sequentibus

ARGUMEN.

1. Tales motus non conveniunt sanctitati & puritati quam Deus à nobis postulat, & perfectioni requisitæ amandi Deum, toto corde, & omnibus viribus. Ideoque non possunt non esse vitiosi & ἄνομοι.

2. Non oriuntur à spiritu regenerante, sed ex corruptione hominis: sunt ergo peccatum.

3. Repugnant bonæ voluntati & proposito pii hominis. E. sunt peccatum. Matth. 15.19.

OBJECTIONES.

1. *Non sunt in potestate hominis. E. non peccata.* R. Nec bonum opus quodlibet est in nostra potestate, cujus tamen omissio est vitiosa. Lex ergo non attendit ad vires hominis, sed ad officium, non quid possit, vel non possit, sed quid teneatur præstare in moralibus.

2. *Motus concupiscentiæ naturales sunt.* R. Naturales non possunt dici nisi respectu naturæ corruptæ à qua fluunt; non verò respectu naturæ sanæ & integræ.

XXXVII. Hæc de Decalogo in specie: Restant adhuc quædam Controversiæ.

CONTROVERSIA I.

An aliquid additum sit Legi morali per modum Consilii? Neg. c. Pontif.

De consiliis Evangelicis.

Consilia vocantur à Pontificiis Bona opera, à Christo nobis non imperata, sed demonstrata, non mandata, sed commendata. Quæ *Evangelica* & *Perfectionis* illis dicuntur, quòd in Evangelio tanquam Lege perfectiore proponantur & suadeantur, & ad majorem sanctitatis perfectionem deducant, quotquot speciali voto se obstringunt ad eorum

eorum obſervationem. Unde diſtinguuntur ſecundum ipſos à præceptis. 1. Ex parte *materiæ*, quæ in conſiliis longè difficilior & perfectior ſit, quàm in præceptis. 2. Ex parte *ſubjecti*, quòd conſilia ad certum tantùm hominum ordinem pertineant, præcepta verò ad omnes in univerſum. 3. Ex parte *formæ*, ſeu obſervationis, quæ in conſiliis arbitraria, in præceptis neceſſaria ſit. 4. Ex parte *finis* & *effectûs*, quòd præſtantius præmium, puta aureolas, & ſublimiorem felicitatis gradum obtineant præ præceptorum obſervatione. Talia antem conſilia tria præcipua ſunt, quibus monaſticam vitam ſuperſtruunt, *continentia*, *obedientia*, & *paupertas*, quibus reſpondent tria vota monachalia; *continentiæ perpetuæ*, *obedientiæ regularis*, & *voluntariæ paupertatis*. Scopus eſt merita ſupererogationis ſtabilire.

Nos non negamus, dari quædam opera adiaphora, quæ conſilia dici poſſunt veriùs quam præcepta, quale eſt conſilium Pauli de elocanda vel non elocanda virgine. 1. Cor. 7. 26. 36. ſed negamus dari talia conſilia circa moralia; utpote quæ cadant ſub præceptum propriè dictum, non ſub conſilium. Fatemur etiam, diverſa poſſe dari præcepta, alia *univerſalia*, quæ omnes obligent, ut præceptum amandi Deum & proximum; alia *ſpecialia*, quæ certis perſonis conveniunt, qualia ſunt officia magiſtratûs, Patris, viri, &c. alia *privata*, quæ perſonis ſingularibus imponuntur, quale fuit præceptum datum Noacho arcam fabricandi, & Abrahamo tollendi filium: ſed negamus ulla ex iſtis ſub conſilium cadere, cùm expreſsè mandentur.

ARGUMENTA.

1. Nullum datur opus bonum, quod in lege morali non præcipiatur, omnia enim includuntur in amore Dei & proximi.

2. Quicquid cadit ſub conſilium in rebus moralibus, cadit etiam ſub præceptum; nam quod Deus conſulit, eò ipſo imperat. Unde conſilium pro mandato ponitur. Prov. 1. 30. *Non acquieverunt conſilio meo, ſed contemſerunt omnem correctionem meam.* Luc. 7. 30. Phariſæi *conſilium Dei aſpernati ſunt.* Act. 20. 27. Paulus dicit: *Annunciavi vobis omne conſilium Dei.* Apoc. 3. 18. *Conſilium do tibi, ut à me aurum*, &c.

Prov. 1. 30.
Luc. 7. 30.
Act. 20. 27.
Apoc. 3. 18.

3. Quic-

3. Quicquid ad hominis Christiani perfectionem facit, non suadetur tantùm vel commendatur, sed mandatur à Christo: *Estote perfecti, ut Pater noster est perfectus. Matth.* 5. 48. Matth. 5. 48.

4. Tria præcipua consilia Evangelica, quorum supra mentionem fecimus, sunt extra verbum Dei excogitata. ut: *obedientia regularis*, quæ repugnat libertati, in qua nos Christus constituit. Gal. 5. 1. & secundùm quam non debemus amplius fieri servi hominum. 1. Cor. 7. 23. *Continentia pepetua*, quia testatur Christus, illud donum non esse cujusvis. Matth. 19. 11. & per Apostolum præcipit, ut qui se non continet, matrimonium contrahat, quòd melius sit nubere quàm uri. 1. Cor. 7. 9. *Paupertas voluntaria*, quia nemo sine speciali vocatione facultates suas debet abjicere. Matth. 19. 21. 27. ne tentet Deum. Matth. 4. 7. aut charitatem erga proximum negligere cogatur. Eph. c. 4. v. 28.

OBJECTIONES.

1. *Si vis perfectus esse, abi, & vende quæ habes, & da pauperibus*, &c. *Matth.* 19. 21. R. Hoc non fuit consilium perfectionis, sed *præceptum personale & exploratorium*, ad illius juvenis turgidi fastum retundendum, & hypocrisim detegendam. Perfectio igitur quæ h. l. proponitur non est perfectio gloriæ, quam præ cæteris consecuturus fuisset, sed perfectio justitiæ, quæ studio bonorum operum in hac vita obtinetur. q. d. Si vis te perfectum ostendere, qualem te jactas, debes hoc experimento illud comprobare, omnia vendendo, quod ex quæstione juvenis, & Christi ad eam responsione patet. Matth. 19. 21.

2. *Eunuchis promittitur intra muros Ierusalem spatium & nomen melius, quàm filiorum & filiarum. Iesa.* 56. 5. R. Eunuchi h. l. intelliguntur non voluntarii, qui se voto cuipiam obstrinxerint, sed naturales, vel per vim facti, quibus sub N. T. dummodò pietatem coluerint, promittitur admissio in Templum & civitatem Dei, i. e. Ecclesiam, & nomen eximium filiorum Dei, quod melius est liberis, quia est æternum, non obstante lege forensi de Eunuchis, quâ à congregatione Domini excludebantur in V. T. Deut. 23. 1. 2. Quia ergo Lex obedientibus fœcunditatem promittebat, Eunuchi ἄκαρποι poterant cogitare inane fore studium suum, maximè cùm infames essent, & à populi privilegiis Jes. 56. 5.

vilegiis excluſi; ideo quod hac in parte ipſis deeſt, id aliis beneficiis potioribus ſe compenſaturum ſi fideles fuerint, dicit Deus. Ita ſub alienigenis & Eunuchis Ieſaias complectitur omnes, qui videntur indigni, quos Deus in populo ſuo cenſeat, & eos alloquitur, ne diffidant, quòd non ſit acceptio perſonarum apud Deum, &c.

Matth. 19. 12. 3. *Eunuchi quidam dicuntur ſe εὐνουχίζειν propter regnum cœlorum.* Matth. 19. 12. R. Eunuchi non denotant eos, qui ex conſilio voverunt perpetuum cœlibatum; ſed qui ſibi imponunt ſponte neceſſitatem manendi in cœlibatu, & ſervandi talem vitæ ſtatum, ut commodiùs Deo ſerviant, & ejus regnum promoveant, quamdiu Deus donum continentiæ ipſis conceſſerit, quæ limitatio colligitur ex v. 11. ubi Dominus teſtatur, non omnes cœlibatûs eſſe capaces, ideoque nonnullis neceſſarium eſſe conjugium, & ex v. 12. quum ait: *Qui poteſt capere capiat.*

CONTROVERSIA. II.

Homo regenitus Legem perfectè implere nequit.

An homo juſtificatus & regenitus legem Dei perfectè adimplere poſſit? Neg. contra Pontif. Socin. & Remonſt.

Pontificii & Sociniani Pelagianiſmum ab orco revocantes, ut viam ſibi facerent ad merita operum, Legem à renatis perfectè impleri poſſe ſanxerunt: Hinc inter ipſos Pontificios certamen ſuper iſto articulo non leve excitatum eſt, inter Janſeniſtas & Jeſuitas. Licèt verò Pontificii perplexè hîc loquantur, nec ipſum Concilium Tridentinum mentem ſuam ſatis apertè hîc explicet; & Bellarm. calumnietur Noſtros, quaſi docerent; Legem divinam eſſe planè impoſſibilem homini etiam juſto, & nullam eſſe in nobis veram actualem juſtitiam, ſed omnia opera juſtorum eſſe peccata mortalia ex natura ſuâ. Tamen quod illi una manu videntur dare, alterâ auferunt, quum abſolutam poſſibilitatem Legis non deſinunt urgere, ut Bell. c. 10. 11. & ſeq. Nec aliter ſentire & loqui poſſunt juxta ſuam hypotheſim de juſtificatione & merito operum, de operibus ſupererogatoriis, & Conſiliis Evangelicis, quæ neceſſariò ſupponunt perfectam & omnimodam Legis obſervationem.

Non autem quæritur. 1. De *perfectione ſinceritatis*: quâ quis corde non fucato Deo ſervit. Hæc enim in veris fideli-

delibus reperitur, & tribuitur Jobo, Cap. 1. v. 1. quum dicitur *perfectus & rectus, timens Deum, & recedens à malo*; Et Hiskia sibi eam vindicat. Esa. 38. 3. Nec de *Perfectione partium*, tàm *subjectivâ* respectu totius hominis, qui totus debet sanctificari, tam quoad corpus, quàm quoad animam & spiritum. 1. Thess. 5. 23. quàm *objectivâ*, respectu totius legis, quoad omnia mandata: Hanc etiam à fideli requiri credimus, ut de Zacharia & Elisabetha prædicatur. Luc. 16. Nec de *perfectione comparata*, quæ quibusdam fidelibus provectioribus tribuitur præ aliis, quo sensu fideles N. T. τέλειοι vocantur, respectu fidelium Vet. qui vocantur νήπιοι. 1. Cor. 2. 6. Gal. 4. 1. Et fideles Christiani, qui majores progressus fecerunt aliis. Phil. 3. 15. Heb. 5. 13. Nec de *perfectione Evangelicâ*, quæ est cum tegmine gratiæ, quum omnia facta denudantur, quando quod factum non est ignoscitur, tectum sc. justitiâ Christi, in quo perfecti dicimur. Col. 2. 10. Sed de *perfectione Legali absolutâ* omnibus numeris, ut nihil illi desit tam quoad gradus, quàm quoad partes, intensivè & extensivè.

Job. 1. 1. Esa. 38. 3. Luc. 1. 6. 1. Cor. 2. 6. Gal. 4. 1. Ehil. 3. 15. Heb. 5. 13.

Non quær. 2. *De impossibilitate absoluta & totali*; nam mandata Dei fuerunt possibilia homini in statu Naturæ, & possibilia essent homini regenito in statu gratiæ, si Deus tantam gratiæ mensuram dare vellet. Sed de *impossibilitate secundùm quid*, relatè ad statum nostrum, & Dei ordinem, quam asserimus sequentibus.

ARGUM.

1. In fidelibus semper habitat peccatum. 1. Joh. 1. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, mentimur, & veritas non est in nobis.* Et Jacobi 3. 2. *In multis labimur omnes.* 1. Reg. 8. 46. *Non est homo justus super terram, qui non peccet.* Prov. 20. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum?*

1. Joh. 1. 8. Jac. 3. 2. 1. Reg. 8. 46. Prov. 20. 9.

2. Hoc confirmat Lucta carnis & Spiritûs, quæ perpetuò occurrit in fidelibus; Cùm enim caro adversetur Legi Dei, nec illi subjiciatur, vel subjici etiam possit. Rom. 8. 7. patet, quamdiu Caro in nobis manet, nec perfectam esse sanctificationem, nec Legem à nobis posse impleri. Luctam hanc Paulus graphicè describit. Gal. 5. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum, & spiritus adversus carnem, hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis eadem faciatis.* Et Rom. 7. à v. 14. usque ad finem. *Ego sum carnalis & venditus sub peccatum.* Et v. 19. *Non facio bonum.*

Rom. 8. 7. Gal. 5. 17. Rom. 7. 14. 19. 23.

bonum quod volo, sed malum quod nolo hoc ago. Et v. 23. *Video aliam Legem in membris meis belligerantem contra Legem mentis, & captivantem me sub Legem peccati.* Unde in tristem istam querelam erumpit. v. 24. *Miser ego, quis me liberabit ex hoc corpore mortis?*

Exc. Exc. *Paulus non loquitur de se ut regenito.* R. Non desunt rationes in contrarium. 1. Quia Paulus non loquitur in præterito, ut antea v. 9. sed in præsenti. v. 14. At, quum hæc scribebat, non amplius sub Lege erat, sed sub gratia. 2. Agitur de eo, cui competit velle bonum, & nolle malum, seu odisse peccatum. v. 15. & 18. at hoc tantùm pertinet ad renatos. 3. Agitur de eo, qui consentit Legi Dei quoad hominem internum, & qui eâ delectatur. v. 22. ex qua delectatione oritur cultus. v. 25. *mente servio Deo.* 4. Agitur de eo, in quo distinguuntur duo principia, unum secundùm quod facit malum quod non vult, alterùm secundùm quod non perpetrat malum, sed peccatum in ipso habitans. v. 17. 18. 19. 5. De eo agitur, qui ingemiscit ob miseriam suam, & qui liberationem optat, & de ea inventa sibi gratulatur.

Inst. *Paulus dicit: se esse carnalem, & venditum sub peccatum. v. 15. peccatum in se habitare; optat liberationem à corpore mortis, quæ omnia in renatos non cadunt.* R. Imò possunt in eos cadere: Nam quòd dicit, *se esse carnalem & venditum sub peccatum*, non absolutè intelligendum est, sed comparatè, ut Paulus 1. Cor. 3. 1. vocat carnales Corinthios, & non spirituales, quia multas adhuc prodebant in suis actionibus carnis & veteris hominis reliquias; non de venditione & captivitate universali quoad statum, quasi essent adhuc sub imperio peccati, sed de captivitate & venditione particulari quoad certos actus, quo sensu caro dicitur concupiscere adversus Spiritum, ut non faciamus quæ volumus. Gal. 5. Dicit *peccatum in se habitare*; sed aliud est habitare, aliud regnare; illud præsentiam peccati notat, quod usque ad finem in fideli, hoc verò ejus tyrannidem & dominium, quod ablatum est per Spiritum Christi. *Optat liberationem à corpore mortis*; sed alia est liberatio inchoata, alia perfecta; alia à maledictione legis & reatu mortis, alia à Dominio peccati & mortualitate, quæ illud comitatur; primam jam obtinuit fidelis, sed alteram adhuc exspectat.

Inst.

Inst. *Lucta carnis & Spiritûs in Apostolo non probat, illum loqui de se ut regenito; quia etiam in irregenitis datur talis lucta.* R. Quamvis sæpe occurrat in irregenitis lucta inter appetitum & rationem, qualis fuit in Medea Poëtæ, quæ dicebat: *Video meliora proboque, deteriora sequor*, magnum tamen discrimen intercedit cum lucta carnis & Spiritûs regenitorum. 1. Quoad *causas*, quia lucta irregenitorum oritur ex dictamine conscientiæ, seu luminis naturalis strictûris, quæ in intellectu potissimùm sedem habent, & ex metu servili pœnæ; at lucta fidelium oritur ex nova & supernaturali qualitate seu principio Spiritûs Sancti. 2. Quoad *subjectum*, quia lumen irregenitorum est merè theoreticum, quod manet in intellectu, nec ad cor pervadit; sed gratiæ lumen regenitorum non hæret tantùm in τῷ ἡγεμονικῷ. seu superiore animi parte, sed transit etiam ad τὸ ἐπιθυμητικὸν seu inferiorem ejus partem. 3. Quoad *objecta*, nam pugna irregenitorum versatur tantùm circa crassiora scelera, quæ omnes naturali lumine abominantur; Sed lucta fidelium etiam circa ea, quæ in hominum foro externo nec pœnæ, nec ferè ulli vituperio subsunt. 4. Quoad *effecta*, quia prior lucta potest consistere cum quotidiano peccandi exercitio, & si efficit aliquando, ut bonum fiat, nunquam tamen fit bene, atque ita reprimit potiùs peccatum quàm perimit, unde tandem ratio cum lumine suo vincitur: Sed in lucta fidelium caro eatenus mortificatur, ut, etsi in multis adhuc actibus se exerat, non possit tamen prævalere, sed à Spiritu tandem superetur.

3. Lex omnimodam obedientiam exigit, tam quoad internos affectus, quàm quoad externos effectus, non modò quoad partes, sed etiam quoad gradus. Quod à nullo mortalium impleri potest.

4. Jubemur quotidie in Oratione Dominica petere remissionem peccatorum; At, ubi opus est remissione, ibi præcessit transgressio.

5. Sancti hanc impotentiam agnoscunt. Job. 15. 15. *En, sanctis suis non crediturus esset firmitatem: & cœlites non sunt mundi in oculis ejus.* David Psalm. 130. 3. *Si iniquitates observaris, Domine, quis possit consistere?* Ps. 143. 2. *Ne congrediaris judicio cum servo tuo; nam non esset justus coram te ullus vivens.* Iesaias c. 46. 6. *Sumus ut immundus*

Job. 15. 15.

Ps. 130. 3.

Ps. 143. 2.

Jes. 64. 6.

dus omnes nos, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ.

OBJECTIONES.

Matth. 11. 30. 1. *Iugum Christi suave & leve dicitur. Matth.* 11: 30. R. Non intelligitur Lex Mosis *strictè* sumta, sed partim *doctrina Evangelii*, de fide & nova obedientia, quam in nobis operatur Spiritus S. eam levem & suavem reddendo; partim *jugum crucis*, quod vocatur leve, quia Deus non sinit nos tentari supra vires. 1. Cor. 10. 13. & suave, quia Spiritus S. consolatio ita crucem temperat, ut ex ea suavissimos justitiæ & gaudii fructus eliciat.

1. Joh. 5. 3. 2. *Mandata Dei dicuntur non esse gravia fideli.* 1. Joh. 5. 3. R. Non quoad perfectam impletionem Legis; sed tum respectu *imputationis* & peccatorum remissionis, tum respectu *renovationis*, quia Sp. S. interiùs renovat corda, ut fideles sponte & suaviter ad officium impellantur.

3. *Impossibile neminem obligat.* R. Impossibile ἀπλῶς; sed mandata Legis impossibilia sunt tantùm κατὰ τι, in statu Viatorum, propter interveniens naturæ vitium: Ut creditor non amittit jus repetendi debitum à debitore, etiamsi non sit solvendo: Ita jura Dei non imminuuntur, etsi homo propriâ culpâ non amplius sit solvendo. 2. Deus non præcipit Legem fidelibus, quasi illis absolutè possibilis esset, sed ut cognoscendo officium & impotentiam suam ardentius remedium gratiæ quærant.

Phil. 4. 13. 5. *Paulus dicit se omnia posse in eo qui eum corroborat. Phil.* 4. 13. R. Non absolutè intelligendus locus, sed pro subjecta materia, nempe quæ spectant ad præsentis vitæ qualemcunque conditionem patienter & moderatè ferendam.

Mar. 9. 23. 5. *Omnia sunt possibilia credenti. Marc.* 9. 23. R. Non simpliciter, sed secundùm quid ad beneficia quævis vel ordinaria vel extraordinaria à Deo consequenda.

An opera fidelium verè bona sint? XXXVIII. Quær. An opera fidelium verè bona sint, & dici possint? Resp. Aliud *verè* bonum, aliud *perfectè* bonum: Hoc non potest tribui operibus Sanctorum, sed illud: Quod dum distinguere nolunt Pontificii, perperam nobis objiciunt, nos negare fidelium opera esse verè bona, quod tamen negamus; quia illa opera, quæ speciali impulsu Spiritûs S. fiunt, Deo placent, & tam egregias promissiones ampliſſimæ mercedis habent, non possunt non

esse

esse bona. Quod tamen non impedit, quin dicamus: Omnia opera fidelium, etiam optima in hac vita non carere peccato, non quidem *quoad rem*, per se, & naturâ suâ, sed *quoad modum*, quia propter admixtionem carnis nunquam eâ perfectione fiunt, quæ possit sustinere rigidum judicii divini examen, propter sanctificationis imperfectionem.

Lex Cæremonialis.

XXXIX. *Lex Cæremonialis* est systema Præceptorum Dei positivorum de cultu externo in sacris veteri Ecclesiæ præscripto, vel ordinis, vel significationis causâ.

Ejus usus.

XL. Istis Cæremoniis 1. ceu chirographo, victimarum sanguine conscripto, fideles V. T. reatum suum confitebantur. Hinc dicitur Christus deleviſse illud chirographum nobis contrarium. Col. 2. 14. 2. Tanquam pariete intergerino à Gentilibus & profanis sejungebantur, & in officio ac unitate cultûs, ab idololatricis abducti, continebantur; Quare Christus evocatis gentibus ad fœderis sui communionem, dicitur utraque unum feciſse, & intergerini parietis septum solviſse. Eph. 2. 14. 3. Christus venturus præsignificabatur; nam Lex pædagogus fuit ad Christum. Gal. 3. 14. erantque omnia illa cæremonialia umbræ rerum futurarum, at corpus est Christi. Col. 2. 17.

An lex Cæremonialis sit data ex ira in iram?

XLI. Quæri solet à nonnullis: An lex Cæremonialis post μοσχοποίαν imperata habuerit usum obsignativum reatûs & maledictionis fideles adhuc constringentis, adeòque ex ira in iram sit data, & ad aggravandam atque obsignandam Patrum sub reatu, iræ & execrationis servitutem? An verò præcipuè Christum respexerit, & data sit in typum bonorum futurorum, ad erigendos fidelium animos? Resp. Duplex illius Legis χίσις sedulò est attendenda; altera *Legalis*, quæ respiciebat fœdus operum, & Legem ejus violatam; altera *Evangelica*, quâ ferebatur ad fœdus gratiæ, & ejus mediatorem: Respectu prioris dubium non est, quin usum habuerit peccatum retegendi, & ejus reatum obsignandi, & iram ac execrationem Dei propter peccatum imminentem denunciandi: Et si de illa χίσει intelligantur supra dictæ Phrases, nemini lis movenda. Sed quum posterior χίσις attenditur, certum est, etiam in ea symbola fuisse & sigilla gratiæ Dei in Christo, quibus fideles erigerentur in spem futurorum bonorum, & adversus peccati & iræ Dei sensum confirmarentur.

CONTROVERSIA.

Lex Cæremonialis ſub N. T. eſt abrogata.

An Lex Cæremonialis ſub N. T. abrogata ſit? Aff. cont. Jud.

Licèt nolimus Legem iſtam abrogatam eſſe quoad *doctrinam*, ſtatuimus tamen contra Judæos, abrogatam eſſe quoad *obligationem* & *obedientiam*, idque ſequentibus.

ARGUM.

1. Oeconomia Moſaica, cujus pars potiſſima fuit Lex Cæremonialis, mutari debuit. Gen. 49. 10. ubi *non auferendum* dicitur *ſceptrum à Iuda, & Legislator è medio pedum ejus, donec veniat Schilo.* Prædicitur à Propheta: *Tempore illo fore quinque Civitates in terra Ægypti, loquentes ſermone Canaan, & altare Iehovæ* (quod ſub Lege nefas fuiſſet) *in media terra Ægypti.* Eſai. 19. 18. 19. *Novum fœdus pangendum in manu Meſſiæ, non ſecundùm illud fœdus quod Deus pepigerat cum Iſraëlitis, eos educendo ex Ægypto.* Jer. 31. 32. Ipſummet Meſſiam futurum Sacerdotem in ſeculum ſecundùm ordinem non Aaronis, ſed Melchiſedeci. Pſ. 110. 4. Eum aboliturum Sacrificium & munus, quale obtinebat in cultu Levitico. Dan. 9. 27. effecturumque, ut in omni loco ſuffimentum ſpirituale precum, vice corporei & externi, quod in Templo demùm licebat offerre, adferretur nomini divino. Malach. 1. 11.

Gen. 49. 10.

Eſai. 19. 18. 19.

Jer. 31. 32.

Pſ. 110. 4.

Dan. 9. 27.

Malac. 1. 11.

2. Ex Cæremoniarum fine: Lex illa fuit inſtar Pædagogi ad Chriſtum. Erat μεσότοιχον, quod ſeparabat Judæos à gentibus. Eph. 2. 14. χειρόγραφον adverſus nos. Col. 2. 14. Habuit umbram rerum futurarum. Heb. 10. 1. Fuit φρουρά, ſub qua detinebatur populus. Gal. 3. 23. Sed exhibito Meſſia hæc omnia ſublata ſunt.

3. Perſonæ, res & loca, quæ ſub Lege Cæremoniali requirebantur, mutata ſunt. Quoad Perſonas, Lex lata fuit tantùm Iſraëlitis: Sed nunc omnes populi ad œconomiam gratiæ ſalutaris vocantur, & populus iſte rejicitur. Quò pertinent omnia loca Prophetarum, quæ de vocatione Gentium loquuntur. Olim ad miniſterium ſacrum admittebatur tantùm tribus Levitica, ſed nunc admittuntur Sacerdotes etiam ex Gentibus. Jeſ. 66. 21. Olim Sacrificia externa erant & carnalia, nunc ſpiritualia. Rom. 12. 1. Olim cultus ſacer uni loco affixus erat; ſed

nunc

nunc ubique licet manus puras ad Deum attollere. 1. Tim. 2. 8. Et veri adoratores non amplius tenentur Hierosolymis se sistere, vel in monte Garizim, ut sacra faciant, quia ubique adorare Deum possunt in Spiritu & veritate. Joh. 4. 21. 23. Unde altare dicitur erigendum in Ægypto Jes. 19. 19. quod nefas fuisset sub V. T. & suffimentum omni loco Deo offerendum prædicitur. Mal. 1. 11. 1. Tim. 2. 8. Joh. 4. 21. 23. Jes. 19. 19.

4. Destructo Templo, solo æquatâ Hierosolymâ, dispersâ miserabiliter totâ gente per universum orbem, impossibile est legem istam observari.

5. Decretum Synodicum. Act. 15. hanc abrogationem confirmat, quum statuit, nihil amplius imponendum esse Christianis.

OBJECTIONES.

1. *Circumcisio est pactum æternum.* Gen. 17. 7. R. Intelligitur perpetuitas non absoluta, sed limitata, quomodo vox עולם sæpe sumitur. Ut. Exod. 21. Servus qui sese domino suo obstringebat usque ad Jubilæum, dicebatur serviturus לעולם 2. Cæremoniæ possunt dici Perpetuæ, non ratione *signorum* & in se, sed ratione *rerum significatarum.* Gen. 17. 7.

2. *Paulus Timotheum voluit circumcidi. Act.* 16. 3. *& Paulus votum habuit de tondendo capite. Act.* 18. 25. R. Si Apostoli Cæremonias observârunt post Christi mortem & resurrectionem, non fecerunt ex necessitate, sed ex charitate, ut se accommodarent infirmitati Judæorum, partim ut ostenderent, se legi Mosis non adversari, ut malevoli Paulum improbè calumniabantur, partim ut Judæos Christo lucrifacerent. 1. Cor. 5. 9. Partim ut Synagogam honorificè sepelirent, quod ex eo constat, quòd licèt agendo cum fratribus infirmis voluerint uti adhuc ad tempus cæremoniis, eas tamen, quando illis res fuit cum Pseudo-Apostolis pertinacibus, constanter repudiârint: Inde Paulus, qui Timotheum voluit circumcidi, Act. 16. 3. noluit tamen disputans contra falsos fratres, Titum circumcidere Gal. 2. 3. 4. Ita Apostoli omnibus facta sunt omnia. 1. Cor. 9. Act. 16. 3. Act. 18. 25.

3. *Apostolica est constitutio, ut abstineamus à sanguine & suffocato. Act.* 15. 20. R. Hæc constitutio non fuit juris perpetui, sed temporarii, patet. 1. *à fine & scopo*, qui fuit tolerantia infirmorum ex Judæis, qui cæremoniis assue- Act. 15. 20.

ti paulatim debuerunt ab iis avocari. 2. *Ex modo decisionis*, quo & Gentibus gratificantur, absolvendo eas à cæremoniis Legis, & Judæis satisfacere student, quasdam Cæremonias Gentibus imperantes, ut concordiæ causâ aliquid illis indulgerent, donec plenius innotesceret Christiana libertas. 3. Quia discrimen ciborum sub N. T. omne abrogatum est. Rom. 14. 14. *Novi, & persuasum habeo per Dominum Jesum, nihil esse impurum per se, sed ei qui reputat aliquid esse impurum, id ei impurum esse.* 1. Cor. 8. 8. *Esca nos non commendat Deo.* & cap. 10. 27. *Quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.* 1. Tim. 4. 3. prædicit Paulus, *ultimis temporibus seductores futuros, jubentes abstinere à cibis, quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus.* Imò Paulus non vult eos audiri, qui dicunt: *Ne ederis, neque gustaris, neque attigeris, sc. quasi non parcentes corpori.* Col. 2. 21. 22. quæ omnia eò fortiùs stringunt quòd Paulus ipse, qui Synodo interfuit, mentemque ejus optimè tenuit, ista scripsit post Synodum.

Discrimen ciborum.

Rom. 14 14.

1. Cor. 8. 8.

cap. 10. 27.

1. Tim. 4. 3.

Col. 2. 21, 22.

Inst. *Prohibitio sanguinis & suffocati conjungitur cum scortationis prohibitione, quæ est juris perpetui.* R. 1. Potest intelligi non ipsa scortatio, sed cibus meretricius, seu pretium scorti, ut vox ἀλισγήματος sit repetenda ἀπὸ κοινοῦ, quæ notat pollutionem cibi & potûs ex Dan. 1. 8. 2. Si ad scortationem ipsam referatur, non statim sequitur ejusdem esse generis, quia sæpe disparia conjunguntur, & moralia cum cæremonialibus; e. g. 1. Tim. 3. 2. *Oportet Episcopum irreprehensum esse, unius uxoris virum, vigilantem, temperantem*, &c. ubi esse unius uxoris virum, seu esse conjugatum, non eandem habet necessitatem cum cæteris Episcopi attributis, & tamen eodem tenore conjunguntur. Possunt ergo moralia cum positivis conjungi, maximè cùm talia ejusdem generis esse ex sensu hominum existimantur, quomodo scortatio à Paganis pro re levissima habebatur, præsertim apud Græcos.

XLII. Quær. An Sacrificia obtinuerint ante peccatum, vel obtinuissent, si homo non peccâsset? R. Sacrificium aliquando *late* sumitur pro qualibet actione religiosa, à Deo instituta, ut ei nostra offeramus ad ipsius gloriam, & sanctâ societate illi arctiùs copulemur. Eo sensu potuit locum habere ante peccatum, & finis fuit testandæ

& ob-

& obsignandæ, conservandæ & augendæ communionis cum Deo, homine gratias agente, & Deo accepta omnia ferente. Sed *stricte* notat oblationem & mactationem victimæ ad peccati expiationem: Et ita post peccatum tantùm locum habere potuit.

Cæremoniæ Vet. T. quando abrogatæ?

XLIII. Lex Cæremonialis quoad *jus* abrogata est per Christi mortem; quoad *factum* successivè & per gradus.

XLIV. Hinc tria tempora Cæremoniarum accuratè sunt distinguenda; Primum quo *vivæ* fuerunt, sub V. T. Secundum quo *mortuæ*, quando nempe abrogatæ jam de jure per mortem Christi, factæ sunt mortuæ & adiaphoræ, quæ potuerunt tamen adhuc aliquandiu observari, ad lucrandos Judæos infirmos, modò id fieret ex charitate tantum, non ex necessitate. Tertium, quo sunt *mortiferæ*, respectu sc. abusûs Judæorum & Pseudo-Apostolorum, à quibus urgebantur sub Evangelio, tanquam ad salutem necessariæ, cum opinione meriti. Primum protenditur à sanctione Legis usque ad mortem Christi. Secundum à morte Christi usque ad plenam Evangelii & libertatis Christianæ manifestationem. Tertium ab Evangelii promulgatione & destructione Templi ad finem mundi.

Lex forensis.

XLV. *Lex Forensis*, seu judicialis fuit de Gubernatione civili populi Dei in V. T. & continuit systema præceptorum de forma istius regiminis Politici. Hujus fines fuerunt. 1. Εὐπραξία Politiæ Judaicæ. 2. Discretio istius Gentis ab omnibus aliis populis. 3. Vindicatio Legis moralis & cæremonialis. 4. Adumbratio Regni Spiritualis Christi.

Quomodo abrogata.

XLVI. Circa abrogationem ejus diversæ sunt sententiæ; In *Defectu* errant *Anabaptistæ* & *Antinomi*, qui, ut rationes nostras, quas petimus ex V. T. pro jure Magistratûs, belli, &c. infringant, eam absolutè & simpliciter abrogatam censent. *In excessu* peccant, qui Legem istam adhuc vigere censent, quæ fuit *Caroloſtadij* & *Castalionis* sententia, ad quos *Brochmannus* Lutheranus accedit. Nos medium tenemus, & distinguimus in ista Lege quæ fuerunt *juris particularis*, & peculiariter Judæos spectabant, ab iis quæ fuerunt *juris communis & universalis*, quæ fundantur in Lege naturæ omnibus communi, quales sunt Leges de pœnis scelerum, viduis, orphanis, &c. Illa bene abrogata dicun-

dicuntur; Ista adhuc manent, quia ingrediuntur naturam Legis moralis & perpetuæ, & præscripta sunt Judæis non quà Judæis simpliciter, sed quà hominibus Legi naturæ cum cæteris subjectis. Hæc verò ab illis distinguuntur sequentibus criteriis. 1. Quæ non tantùm inter Judæos, sed etiam inter Gentes rectæ rationis lumen sequentes obtinent, sunt juris communis. 2. Quæ Præceptis Decalogi conformia deprehenduntur. 3. Quorum observatio Christianis in N. T. commendatur.

LOCUS XVI.

DE

ECCLESIA.

I.

Ecclesiæ Nominis Etymon.

Ecclesiæ nomen dirivatur ἀπὸ τῦ καλεῖν & ἐκκαλεῖν, ut hoc ab Hebræo *Kahal*, unde & *Coheleth Ecclesiastes*, qui verba habet ad Concionem: quo nomine tertius Salomonis liber, & ipse in eo, inscribitur. Hinc *calandi* vocabulum apud Latinos, & *calata comitia*, quæ per præconis vocem convocabantur. Duo quoque conventuum genera apud Athenienses, ἀγορὰ & ἐκκλησία, quorum ille populi confluxum promiscuum & voluntarium ad forum & mercatum; hic ejusdem concionem, cui nomen à *ciendo*, præconis voce evocatam, denotabat.

Synonymia

II. Interpretes Græci V. T. nomen *Kahal* promiscuè reddunt ἐκκλησίαν & συναγωγήν, sed nomen *Gnedah* à *Jagnad* nunquam aliter quàm συναγωγήν. Attamen N. T. Syrus interpres hoc posterius sæpe usurpat ad ἐκκλησίαν significandam: Ut valde incerta sint quæ de discrimine illorum duorum vocabulorum apud Hebræos perhibent nonnulli. Id certum, Synagogæ nomen nunquam in N. T. tribui Christi Ecclesiæ, non, ut malè Augustinus, quòd Synagoga etiam sit bestiarum, Ecclesia tantùm hominum; quum & hæc grex ac ovile dicatur; unde dicitur

tur parvus grex. Luc. 12. 32. Unus grex. Joh. 10. 16. Sed quò discrimen constitueretur, etiam in nomine, inter populum Judaicum & Christianum. Sanè Heb. 10. 25. ἐπισυναγωγὴ; *non deserentes*, τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν: & συναγωγὴ. Jac. 2. 2. *Si quis ingrediatur* εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν, vel locum sacri conventûs notat, ut loco posteriori, vel ut priori, ipsam fidelium coitionem in unum ad exercitia pietatis, quæ nonnullis veterum *collecta* dicebatur; non verò ipsam Ecclesiam: Hæc enim non nostra in Scripturis, sed Dei, aut Christi dicitur.

III. Sed de Etymo aut Synonymis quicquid sit; vox Ecclesiæ in Scripturis est πολίτευμα. Equidem nunquam sumitur sensu Pontificio pro Pontifice Romano, quum absurdum sit unum hominem, quem etiam possibile est ad Ecclesiam non pertinere, ex Adversariorum ipsorum placitis, si nempe non fuerit baptizatus, aut propter Simoniam vel occultam hæresin excommunicatus, exprimi nomine Ecclesiæ, quod numerum & multitudinem suo conceptu dicit; Nunquam etiam, ut vulgi consuetudo nunc fert, id nominis loco conventûs habendi tribuit Scriptura. Locus verò, qui à Bell. petitur ex cap. 6. Judithæ, v. ult. non huc pertinet, cùm in textu Græco nomen Ecclesiæ non extet, sed tantùm *quòd invocaverint Deum Israël in auxilium per totam illam noctem*; solo Vulgato Interprete dicente, quòd per totam noctem intra Ecclesiam oraverint. Nec magis urget locus 1. Cor. 11. 18. 22. *Quum convenitis in Ecclesiam*, &c. cùm possit optimè de cœtu ipso fidelium unà coëuntium ad exercitia pietatis intelligi, quemadmodum dicuntur Senatores convenire in Senatum, & Pastores in Synodum, non respectu loci, sed conventûs; unde mox additur; an Ecclesiam Dei contemnitis? quod non ad locum, sed ad cœtum refertur.

Significatio multiplex κατ' ἄρσιν.

Judith. 6. 18.

1. Cor. 11. 18. 22.

IV. Verùm id nominis. 1. Sumitur *in genere* pro quolibet cœtu, etiam tumultuantium & malignantium. Sic. Act. 19. 32. *Alij aliud clamabant, erat enim* ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, & juxta γ. γ. ac Græcos interpretes Ps. 26. 5. *Odivi Ecclesiam malignantium.* 2. Aliquando notat Christi corpus mysticum, ipsi ceu Capiti suo juxta æternam Electionem constanter adhærens; ut: Matth. 16. 18. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam.* Eph. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea.* 3. Quando-

Κατὰ θέσιν.

Act. 19. 32.

Ps. 26. 5.

que significat particulares cœtus fidelium loco convenien-
di distinctos, quales erant tempore Pauli Ecclesiæ Roma-
norum, Collossensium, &c. 4. Aliquando ipsos Rectores
& Ministros Ecclesiæ, quibus dispensatio verbi & Sacra-
mentorum, & disciplinæ administratio publica commissa
Matth. 18. 17. est, quò Christus respicit. Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiæ, quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Quæ Ecclesia nihil aliud notat quàm Presbyterium, penes quod est potestas & administratio clavium, quæ vulgò dicitur *Ecclesia Repræsentativa*, distinctè à *Collectiva*, quæ constituitur ex populo seu fidelibus, qui Pastorum regimini subesse debent. 5. Sæpissimè verò notat universalem illam Societatem & multitudinem religiosam hominum, qui profitentur fidem in Christum, ex universo genere humano collectam Dei verbo, & ad Dei cultum, æternamque fœlicitatem specialiter evocatam. De qua. 1. Tim. 2. 15. *Ut nôris, quomodo oportet in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei vivi*, &c.

V. Ex his patet, non posse assignari definitionem Ecclesiæ, quæ variis ejus acceptionibus sic conveniat, ut naturam earum plenè exprimat; Et frustra laborare Pontificios in danda definitione, quæ possit omnibus Scripturæ locis, ubi nomen Ecclesiæ habetur, accommodari.

CONTROVERSIA. I.

Nomen Ecclesiæ non tantum tribuitur cœtui singulari.

An nomen Ecclesiæ, & unius Ecclesiæ in verbo Dei non tantum detur cœtui singulari, qui in unum locum coit, sed etiam toti corpori fidelium, veritatem profitentium? Aff. cont. Independentes.

ARGUMENTA.

1. Omnes confessores constituunt unum corpus Eccle-
1. Cor. 12. 27. siasticum. E. unam Ecclesiam. 1. *Cor.* 12. 27. *Vos estis cor-*
Eph. 4. 11. 21. *pus Christi, & membra particulatim.* Eph. 4. 11. 12. *Dedit alios Apostolos, alios Prophetas*, &c. *ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.*

2. Totum illud corpus dicitur unum ovile. Joh. 10. 16. una domus. 1. Tim. 3. 15. Templum Dei. 2. Thess. 2. 4. Clerus Domini. 1. Pet. 5. 2. 3.

3. Ecclesia visibilis est etiam sponsa Christi, mater fidelium; illa verò una est Cant. 6 9. Gal. 4. 26.

4. Qui-

4. Qui convertuntur, dicuntur Ecclesiæ in singulari addi. Act. 2. 37. Consideratur ergo ut unum corpus.

CONTROVERSIA. II.

An Ecclesiæ cognitio præcedere debeat cognitionem doctrinæ? Neg. c. Pontif.

An cognitio Ecclesiæ debeat præcedere cognitionem doctrinæ?

Pontificii volunt, cognitionem Ecclesiæ præcedere debere examen & cognitionem ipsius doctrinæ, ut fides seu doctrina ex Ecclesia potiùs, quàm Ecclesia ex Doctrina & fide cognosci debeat: Viam authoritatis Ecclesiæ sequendam esse, non viam discussionis & examinis doctrinæ. Atque ex hoc præjudicio nos qui primam viam sequi nolumus, Ecclesiæ Romanæ cæcâ obedientiâ nos submittendo, etiam inauditos justè condemnari posse. Sed commenti istius falsitas retegitur sequentibus.

ARGUMEN.

1. Scriptura S. fidei & doctrinæ examen præmittere solet cognitioni Ecclesiæ: Christus mittens Apostolos ad Ecclesiæ collectionem, supponit necessitatem institutionis præcedaneæ. Matth. 28. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Act. 2. 42. adjunguntur Ecclesiæ, qui edocti prius erant per Apostolos. Et cap. 8. 12. qui credunt Samariæ, baptizantur. Math. 28. 19. Act. 2. 42.

2. Cùm societatis unitas supponat necessariò aliquod principium in quo membra illius uniantur; Unitas Ecclesiæ supponit unitatem fidei præcedaneam, in qua conveniunt fideles. Ut in civitate oportet jus habere Civitatis antecedenter ad communionem civium in Rep. Et in familia supponi debet nativitas à patre ante communionem fratrum. Ita non possumus ingredi in Ecclesiam antequam fidem & cognitionem habeamus veritatis; aliâs vellemus esse in familia Dei, antequam ab eo geniti simus, & admitti in Rempubl. antequam jus civitatis habeamus, & rem cognoscere ignoratâ ejus formâ.

3. Non potest admitti authoritas Ecclesiæ, nisi prius duplici facto examine. 1. An Deus voluerit talem aliquam infallibilem dari Ecclesiæ authoritatem? 2. An si talis authoritas detur, Ecclesiæ Romanæ illa competat? Neutrum autem potest sciri, nisi præsuppositâ prius verbi cognitione.

OB-

OBJECTIONES.

1. *Via authoritatis est brevior & facilior viâ examinis.* R. Hoc gratis supponitur. Nam via examinis, quæ in authoritate Verbi Dei fundatur, nititur hac duplici hypothesi. 1. quòd quidquid nos Deus docet sit verum. 2. quòd quicquid Scriptura nobis revelat sit Dei verbum, quæ gemina hypothesis apud Christianos est in confesso. At via authoritatis, quæ Ecclesiæ authoritatem & infallibilitatem pro fidei regula obtendit, geminâ etiam nititur hypothesi, sed longè obscuriore: imò falsissima, nim. quòd detur Ecclesia visibilis infallibilis in mundo, & quòd talis Ecclesia non alia sit, quàm Romana, ad cujus examen longa argumentorum serie, & accuratâ historiarum disquisitione opus est. 2. Via authoritatis semper supponit necessitatem examinis istius authoritatis, & Ecclesiæ quæ illam sibi vindicat; nec enim quisquam sanæ mentis authoritati ullius Ecclesiæ sese submittet unquam, qui non persuasus sit legitimam esse & à Deo institutam. At, cùm hoc judicium fieri non possit nisi per Scripturam, præviam requirit semper cognitionem doctrinæ. 3. Si difficile est assequi sensum Scripturæ, longè difficilius est assequi sensum Ecclesiæ, tum quia inquirendum est, quænam illa sit, an vetus, an hodierna? Et si hodierna, ubinam reperiatur inter varias Sectas Christianorum; an inter Protestantes, an inter Pontificios? Et si inter Pontificios, ubinam ejus authoritas resideat, an in Papa, an in concilio, &c.

2. *Examen fidei & doctrinæ est impossibile & periculosum rudibus & imperitis.* R. Non agitur de examine & cognitione distincta omnium doctrinarum quæ in controversiam venire possunt, sed tantùm de doctrinis necessariis ad salutem, quæ in Scriptura satis clarè continentur, ut à quibuslibet fidelibus per spiritum discretionis percipiantur.

3. *Cognitio Ecclesiæ præcedit cognitionem fidei.* R. Præcedit cognitione confusâ, quatenus Ecclesia consideratur ut cœtus hominum eandem doctrinam profitentium, & iisdem sacris utentium, sed non cognitione distincta, quat. consideratur ut cœtus fidelium veram Christi fidem & doctrinam retinentium.

CON-

CONTROVERSIA III.

An Ecclesia bene à Bellarmino definiatur, quod sit cœtus hominum, ejusdem Christianæ fidei professione & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris vicarii, Pontificis Romani? Neg. cont. Pont.

Definitio Ecclesiæ Pontificia.

Hæc est Pontificia Ecclesiæ definitio; in qua tota controversia. πρῶτον ψεῦδος est, Ecclesiam metiri velle ex societatis civilis modulo, ut ejus essentia in externis tantùm, & in sensus incurrentibus consistat, & sola professio fidei sufficiat ad membrum Ecclesiæ constituendum, nec ipsa fides & pietas interna ad id necessariò requirantur. Cùm tamen S. Scriptura Ecclesiam non tam in externis constituat. Igitur definitio Bellarminiana oppugnatur sequentibus.

ARGUM.

1. Definitum est homonymum, quod non distinguitur juxta varios significatus, qui naturæ ejus declarandæ in primis sunt necessarii.

2. Definitio non est essentialis, quæ excludit formam & adjuncta propria sui definiti, dum nullam fidei, charitatis, ac virtutum internarum mentionem facit, in quibus consistit ratio formalis Ecclesiæ.

3. Est falsa, supponens subjectionem Pastoribus, & præcipuè Pontifici Romano, esse de ejus conceptu formali.

Ecclesia militans & triumphans.

VI. Ecclesia vulgò inter alia dividitur in *militantem*, quæ in terris adhuc militat, & *triumphantem*, quæ in cœlis triumphat & regnat: Quod discrimen non est essentiale & specificum, quoad naturam, sed tantùm accidentale, quoad statum & gradum. Nec audiendi Pontificii, qui tertiam fingunt, sc. dormientem & *laborantem in purgatorio*; quod commentum postea refutabimus.

Ecclesia una.

VII. Licèt Ecclesia quoad statum externum & accidentalem loci, vel temporis, vel rituum, vel ætatis diversa sit; una tamen est *unitate essentiali*. 1. *Unitate corporis*; quia licèt ex variis partibus velut totidem membris constituatur diversis locis & temporibus viventibus, unicum tamen est Corpus; quod Apostolus eximiè declarat 1. Cor. 12. 12.

Ut

Ut Corpus est unum, & multa membra, sed omnia membra licèt sint multa, sunt unum corpus, eodem modo est Christus. 2. *Unitate capitis*, quod mysterium Paulus non semel aperit, præcipuè. Eph. 1. 10. quum ait, *beneplacitum Dei hoc fuisse, in dispensatione plenitudinis temporum omnia ἀνακεφαλαιώσασθαι in Christo, tam quæ sunt in cœlis, quàm quæ sunt in terra.* Et vers. 20. *Dedit illum in caput Ecclesiæ, quæ est corpus ejus*, &c. 3. *Unitate spiritûs. Unum enim est corpus, & unus spiritus.* Eph. 4. 4. *Et qui unitur Domino, est unus spiritus cum eo.* 1. Cor. 6. 17. 4. *Unitate fidei.* Quia *una est fides.* Eph. 4. 4. tam quæ creditur, quàm quâ creditur, i. e. una salutis doctrina in Euangelio proposita, quam fides amplectitur, quæ tam *subjectivè* ratione credentium, quàm *objectivè* ratione objecti in quod fertur, una semper fuit & erit, tum ante tum post Christum. *Christus* enim *idem est heri, hodie, & in secula.* Heb. 13. 8. *Unitate charitatis*, per quam fideles Christo uniti per fidem, debent per charitatem inter se colligari, ut servetur *unitas spiritûs per vinculum pacis.* Eph. 4. 3. Et fideles fiant *unum cor & una anima.* Act. 2. 6. *Unitate spei.* Eph. 4. 4. i. e. rei speratæ & hæreditatis cœlestis, ad quam omnes ex æquo vocamur, & cujus participes omnes suo tempore futuri sumus.

Ecclesia quomodò Catholica?

VIII. Ecclesia etiam dicitur *Catholica*, non sensu Pontificio, qui universalitatem istam circumscribunt terminis Ecclesiæ Romanæ, ut extendatur tantùm ad eos, qui in variis gentibus & locis subsunt Pontifici Romano, ut Romanum & Catholicum esse idem sint; cùm tamen vocis ipsius propria significatio doceat, non posse Ecclesiæ Catholicæ nomen sibi vendicare cœtum, qui certis locis restringitur. Sed Catholica dicitur. 1. Respectu *Locorum*, quia nulli regioni, urbi aut loco speciatim affixa est. *Mulier crede mihi, venit tempus quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem, sed veri adoratores (ubivis locorum) adorabunt Patrem in spiritu & veritate*, Joh. 4. 21. 23. 2. *Personarum*; quod nulli ætati vel conditioni alligetur; *vere deprehendo Deum non respicere ad personam, sed in quavis gente acceptum ei esse qui eum timeat, & operam det justitiæ.* Act. 10. 34. 35. 3. *Temporis*, quoniam omnes mundi ætates indiscriminatim complectitur; *Quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus cum oculis nostris, id ipsum annunciavimus vobis.* 1. Joh. 1. 1. 3. Quamvis enim Ecclesia sub V. T. formaliter Catholica non fuerit, sed

uni

uni Israëliticæ genti adstricta, tamen Ecclesiæ sub N. T. Catholicismus illam quoque complectitur, cùm Jesus Christus heri & hodie idem sit & in secula. Heb. 13. 8. 4. *Partium*; quia omnes particularis Ecclesiæ quæ unquam extiterunt, sunt auterunt, licèt aliæ aliis puriores, quamdiu & quousque sunt Christianæ, ad eam pertinent.

CONTROVERSIA. I

An impii, hypocritæ & reprobi, qui veritatem externè profitentur, etiam sint vera membra Ecclesiæ Christi? Neg. c. Pont.

Impii hypocritæ, &c. non sunt vera membra Ecclesiæ.

Pontificii in definiendis membris seu partibus Ecclesiæ peccant tum in excessu, tum in defectu; in *excessu*, nimis extendendo Ecclesiæ pomœria, Ecclesiæ vera membra vocantes non solùm electos & fideles, sed etiam hyprocritas & reprobos: In *defectu*, ab Ecclesia arcendo Catechumenos, excommunicatos, & Schismaticos. Prius, de quo hoc loco agimus, statuunt, eo scopo, ut nulla alia Ecclesia agnoscatur præter eam, cujus Episcopus Rom. caput sit. Momentum verò Controversiæ tale est, ut ab ejus decisione pendeant pleræque omnes aliæ, quæ circa Ecclesiam inter nos & Pontificios agitantur.

Nos concedimus, Reprobos etiam posse pertinere ad statum externum Ecclesiæ, seu ad formam externam Ecclesiæ, quæ posita est in professione fidei, seu communione externa & sensibili corundem Sacrorum. Negamus verò pertinere ad statum ejus internum, qui positus est in vocatione interna & efficaci per verbum & spiritum. Concedimus etiam, reprobos & infideles esse membra Ecclesiæ æquivocè, & κατὰ δόξαν ac externam speciem ita dicta; Concedimus eos esse in Ecclesia; Nec negamus etiam peccatores, quales quoque sunt electi, esse in Ecclesia; Notamus etiam; non quæri de Electis spectatis tantùm in destinatione æterna, ut Perronius perperam quæstionis statum ponit: *Utrum Prædestinatione, quæ occulta est, definienda sit Ecclesia?* sed in executione, quæ facta est per Vocationem, per quam Electi fiunt membra actu & de facto. Igitur quæstio eò redit: An forma Essentialis Ecclesiæ consistat in sola professione externa fidei, annon posita sit in veritate interna fidei? An impii & impœnitentes, modò extrinsecus sese adjungant societati, quæ doctrinam Christi profi-

profitetur, licèt de cætero fide & sanctitate destituantur, possint dici constituere Ecclesiam; annon soli pii & fideles, qui non modò profitentur fidem, sed qui revera credunt, & regeniti sunt, hoc nomine donentur, & hoc privilegio fruantur? Prius vellent Pontif. Nos posterius statuimus.

ARGUMENTA.

1. Ecclesia dicitur Corpus Christi, & membra omnia Ecclesiæ membra Christi. 1. Cor. 12. 28. *Vos estis corpus Christi, & membra particulatim.* At corpus non aliud est, quàm illud, cui salutem dat caput. Eph. 5. 23. Nec Christus potest habere membra damnata, ut dicit Augustinus. *Christus est caput corporis*, i. e. Ecclesiæ. Colloss. 1. 18. At nullum verum membrum, quod vitam corpori non communicet.

1. Cor. 12. 28. Eph. 5. 23. Col. 1. 18.

2. Ecclesia vocatur *Sponsa Christi.* Eph. 5. 23. quam *in judicio, in veritate, & in æternum sibi desponsavit.* Hosè. 2. 19. quæ ita arctè unitur cum eo, ut non sint duo, sed unum. Eph. 5. 28. quam diligit & fovet ut propriam carnem, quæ aptari debet Christo ut virgo pura & casta. 2. Cor. 11. 2. quæ ornatur sponso suo. Apoc. 19. 7. & 20. 2. cujus matrimonium hîc inchoatum per sponsalia facta in gratia, consummari debet per nuptias agni celebrandas in gloria. Apoc. 19. 9. Nemo autem dixerit ista attributa reprobis & mundanis convenire.

Eph. 5. 23. Hosè. 2. 19. Apoc. 19. 7. 9.

3. Ecclesia est ovile. Joh. 10. quod componitur tantùm ex ovibus, quæ *vocem Christi audiunt, & quæ agnoscunt & sequuntur ipsum, quibus dat vitam æternam, ut non perituræ sint unquam*; At reprobi & infideles non sunt oves Christi. Joh. 10. 26. *Vos non estis ex ovibus meis*; nec agnoscunt, audiunt, & sequuntur ipsum. Joh. 10. 47. *Vos non auditis*, nec à Christo agnoscuntur, ducuntur & beantur. Matth. 7. 23. *Nunquam novi vos*, & cap. 25. 33. *discedite à me maledicti*, &c.

Joh. 10. 26. v. 47.

4. Ecclesia vocatur *ædificium & domus Dei.* Matth. 16. 18. 1. Petr. 2. 6. & Eph. 2. 20. & talis domus, quæ ex reprobis & infidelibus constare non potest, sed ex solis electis & fidelibus. 1. ab *authore*, quia Deus est ejus architectus. Matth. 16. 18. qui impios non ædificat. 2. *A materia*, quia sunt lapides vivi, non mortui. 1. Pet. 2. 6. 3. *A fundamento*, quia ædificantur super Petram, i. e. Christum lapidem angularem, non super arenam, ut impii. Matth. 7. 23. & 16. 18. 4. *A structura*, quia ædificium totum con-

Matth. 16. 18. 1. Pet. 2. 6. Eph. 2. 20.

congruenter inter se cohæret, per charitatis vinculum; at nulla justitiæ cum injustitia communio. 5. *A victoria in hostes, & firmitate* immota; quia nec prævalere possunt portæ, inferorum adversus eam. Matth. 16. 18. nec ipsa quovis impetu corruere & destrui potest. Matth. 7. 25. quod de reprobis dici nequit. 6. *A fine & usu*, qui solis piis competit, quia debet esse domus viva, columna & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. 16. Tabernaculum in Spiritu, & templum sanctum Domino. Eph. 2. 20. Apoc. 21. 2. 3. 4.

5. Ecclesia talis debet esse, qualis ab æterno in Decreto Dei concepta est, siquidem Vocatio per quam Ecclesia congregatur in esse Ecclesiæ non facta est simpliciter ad externam professionem fidei & sanctitatem: *Elegit nos*, inquit Paulus Eph. 1. 4. *in Christo, ut essemus sancti.* Et Rom. 8. 29. *Prædestinavit nos conformes fieri imagini filii sui.* Unde Ecclesia describitur per gentem electam & populum peculii. 1. Pet. 2. 9. Eph. 1. 4. Rom. 8. 29. 1. Pet. 2. 9.

6. Talis est Ecclesia, qualem declarabit Deus novissimo die, quia Ecclesia quam beabit in gloria, non alia est ab ea quam hic justificat & regenerat in gratia. At soli fideles & pii introducendi sunt in Ecclesiam triumphantem, ex Christi ipsius verbis. Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei*, &c. Matth. 25. 34.

7. Talis debet esse Ecclesia, qualem eam credimus in Symbolo; at credimus Ecclesiam *sanctam*, quæ & ipsa est *communio Sanctorum.*

Exc. *Sancta dicitur à professione, & baptismate, & externa unione cum capite; vel, ob partem, quia à meliori fit denominatio.* Agitur de sanctitate reali & interna, quâ Ecclesia sancta est Deo, non externâ & inani, quæ talis videtur oculis hominum. Professio & baptismus sanctitatem aliquam externam & Sacramentalem important, sed quæ inutilis est sine interna & spirituali, quam Deus præcipue requirit. 2. Fatemur, cœtum visibilem à meliori parte denominari; sed Ecclesia vera est cœtus ille melioris partis, vel melior pars cœtus. Exc.

8. Reprobi ad regnum & corpus Diaboli pertinent. E. non possunt ad Ecclesiam Catholicam pertinere, nec ulla datur inter ista duo communio. 2. Cor. 6. 16. 17. *Quæ communio Christi cum Belial, lucis cum tenebris, iniquitatis & justitiæ, Templi Dei cum idolis?* & Joh. 10. 26. *Vos non creditis,* 2. Cor. 6. 16. 17. Joh. 10.

tis, quia non estis ex ovibus meis. Alibi eos filios Diaboli vocat. Joh. 8. 44. *Vos ex Patre Diaboli estis*; quis verò dixerit, tales esse vera Ecclesiæ membra? Præ cæteris clara sunt verba Johannis. 1. cap. 2. 19. *Ex nobis*, inquit de Apostatis, *exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, utique nobiscum permansissent*; Unde sic colligo. Quicunque exeunt ex Ecclesia, non sunt de Ecclesia. At Reprobi ex ea exeunt. Ergo.

Joh. 8. 44. — 1. Joh. 2. 19.

9. Ea debet esse natura & unitas Ecclesiæ, qualem describit Christus. Joh. 17. quum orat non modò pro Apostolis, sed & pro tota Ecclesia fidelium, & petit *ut sint unum inter se, sicut ipse & Pater sunt unum* vers. 20. Quis verò credat unitatem externam meræ professionis, quæ communis est bonis & malis à Christo respici, non verò unitatem internam & mysticam veræ fidei & charitatis?

Joh. 17.

10. Illa est sola vera Ecclesia ad quam promissiones salutares Gratiæ propriè pertinent, quia sunt fructus fœderis gratiæ, quod cum illa Deus pepigit. At nemo dixerit eas pertinere ad impios & reprobos, qui non habent partem in hæreditate cœlesti; sed ad solos electos & fideles quibus destinatum est Regnum ab æterno. Matth. 25. qui sunt populus peculii. Tit. 2. 14. dilecti & vasa gratiæ. Rom. 9. 23. 25. 26. semen. Esa. 53. 10. filii promissionis. Rom. 9. 8.

OBJECTIONES.

Matth. 3. 12. &c. 13 47. — 2. Tim. 2. 20.

1. *Ecclesia comparatur areæ, sagenæ, ovili, domui, in quibus boni & mali. Matth.* 3. 12. & 13. 47. *& domui magnæ, in qua sunt vasa ad decus, & ad dedecus. 2. Tim.* 2. 20. R. Sicut Pontificiorum exceptiones in hac quæstione omnes, ferè eò recurrunt, quòd non distinguunt inter Ecclesiæ communionem externam & visibilem, in qua etiam sunt reprobi, ac internam & visibilem, in qua sunt soli electi; ita etiam in eundem scopulum impingunt quoad objectiones: Nam istæ parabolæ probant tantùm Ecclesiam militantem in terris mixtam esse, & confusam cum multa extranea turba. Sed non probant Ecclesiam Catholicam ex illis constare & compositam esse. Augustinus optimè hîc distinguit *mixtum esse, & partem esse, adhærere, vel adnasci, & membrum esse.* Auro terra, frumento palea, bonis piscibus mali adjunguntur, sed non propterea vel terra est aurum, vel palea frumentum, vel mali pisces sunt boni.

2. *Ex vestra doctrina sequitur.* 1. *Turcas, Muhamedanos, &*

& hæreticos posse esse membra Ecclesiæ, modò sint prædestinati. 2. *Omnia incerta fore, nec oves Pastorem, vel Pastorem oves, vel fratres se invicem cognituros, cùm Prædestinatio sit occulta, in Deo scil. non in homine.* R. Hæc nituntur falsâ hypothesi, quæ supponit ex nobis solam electionem facere membrum Ecclesiæ; aliud enim est solos electos & Prædestinatos esse membra Ecclesiæ, quod statuimus; aliud solam Electionem sufficere ad constituendum membrum Ecclesiæ, quod negamus, siquidem cum electione requiritur Vocatio efficax, quæ effectus est electionis. 2. Turcæ, &c. non possunt dici membra actu Ecclesiæ, donec vocentur efficaciter, licèt sint membra destinatione, ut Christus oves suas vocabat Gentiles nondum vocatos. Joh. 10. 16. 3. Licèt nemo cognoscere possit quinam sint prædestinati à priori, potest tamen cognosci à posteriori, ex fructibus fidei & charitatis: Et, si non possumus certum judicium facere de hoc vel illo in particulari, an sit membrum verum Ecclesiæ, possumus tamen certò scire quænam sit vera Ecclesia Christi, & ubi illa sit?

3. *Omnes baptizati sunt vera Ecclesiæ membra.* R. Qui baptizati sunt non tantùm externè, sed etiam internè; sed reprobi baptizantur tantùm externè, sed non internè, baptizantur aquâ ad ablutionem sordium carnis. 1. Pet. 3. 21. sed non spiritu ad purgationem peccati.

4. *Ab orco revocatis errorem Novatianorum, Catharorum, & Donatistarum, qui Ecclesiam ex perfectè sanctis constare volunt.* R. Neg. Nam præterquam, quod in communione externa hypocritæ miscentur veris fidelibus, electi, qui soli formaliter ad corpus Christi mysticum pertinent, quamdiu in terris versantur, variis nævis & peccatis semper sunt obnoxii.

CONTROVERSIA. III.

An Catechumeni & non baptizati pertineant ad Ecclesiam? Aff. cum distinctione cont. Pontif.

An Catechumeni & non baptizati pertineant ad Ecclesiam.

Duplici distinctione quæstio solvi potest. 1. distinguantur non baptizati, à fide & religione alieni, à non baptizatis credentibus, vel ad fidem jam dispositis, licèt externum baptismi Sacramentum nondum susceperint; Istos enim tantùm,

non illos ad Ecclesiam pertinere arbitramur. Secundò Ecclesia spectari potest vel quoad externum statum & formam visibilem, vel quoad formam internam & invisibilem. Catechumeni & non baptizati ad Ecclesiam pertinere dicuntur non priori sensu, sed posteriori tantùm, ut sint de corpore Christi mystico, licèt nondum vocati sint externè ad communionem externam & visibilem; nec jus habeant ad Sacra.

ARGUMENTA.

1. Catechumeni, non baptizati in eo statu possunt servari. E. sunt de Ecclesia, & in Ecclesia; nam extra Ecclesiam non est salus. Tales autem servari patet ex latrone converso, qui licèt nunquam fuerit baptizatus, servatus tamen fuit.

2. Catechumeni & non baptizati possunt esse in fœdere Dei, ac Christi & beneficiorum ejus participes, antequam fœderis symbola acceperint, ut patet in iis, qui à Republ. Israëlis extranei secundùm carnem, spiritualis populi corpori accensebantur, & bonis iisdem per fidem potiebantur, qualis erat Melchisedec, Jobus, & alii in V. T. & in Novo Centurio, Latro Conversus. Luc. 23. Eunuchus. Act. 8. & innumeri martyres, qui ante susceptum baptismum mortui sunt.

3. Gratia Dei non est alligata Sacramentis, & non diffitentur ipsi Pontif. Baptismum absolutè ad salutem non esse necessarium, sed posse suppleri voto & martyrio.

OBJECTIONES.

1. *Per Baptismum primò initiamur Ecclesiæ.* R. Ecclesiæ visibili, ut signo professionis: Sed per Spiritum S. inserimur Christo, quod etiam ante Baptismum fit.

Act. 2. 41. 2. *Baptizati adduntur Ecclesiæ.* *Act.* 2. 41. R. illi qui aggregantur Ecclesiæ, vel uno eodemque tempore credunt & Baptismum suscipiunt; vel quum credunt, tamen baptismum non suscipiunt, vel necessitate coacti, ut latro in cruce, vel liberâ voluntate ducti, ut Catechumeni, quorum Baptismus differebatur in primitiva Ecclesia usque ad festum Paschatis, imò aliquando usque ad vitæ finem. Illi de quibus agitur. Act. 2. ad priores pertinebant; sed hoc non obstat, quominùs illi qui vera fide Christum suscipiunt, nec tamen baptismum statim recipiunt, modò id fiat citra contemtum Sacramenti, pertineant ad Ecclesiam.

3. *Vete-*

3. *Veteres distinguebant Catechumenos à fidelibus.* R. Sumebant vocem fidelium strictè pro iis qui non tantùm credebant, sed etiam qui fidei professionem jam ediderant in externo ordine & politia Ecclesiæ: Sed hoc non obstat quo minùs iidem fidelibus veris accenseri deberent, qui jam eâ intus præditi erant, licèt eam nondum publicè profiterentur.

CONTROVERSIA. IV.

An excommunicati sint Ecclesiæ membra? Dist. cont. Pontif.

An Excommunicati sint Ecclesiæ membra?

Excommunicatio vel injusta est, qualis fuit excommunicatio lata in Christum, & eos qui eum sequebantur, quæ non potest præscindere à communione Ecclesiæ; vel justa & legitima, quæ vel est partialis & secundùm quid in certo gradu, per quam excommunicatus arcetur à mensa Domini, à precibus & cœtibus; vel absoluta & totalis, quæ major dicitur, quâ excommunicatus resecatur ab ipsa societate Ecclesiæ. Hoc posito, excommunicati illi sunt extra Ecclesiam, qui externâ professione contenti aliquandiu nullam veram cum Christo & fidelibus fidei & charitatis communionem habuerunt, de quibus quum excommunicantur, dicendum quod Johannes de Apostatis cap. 2. 19. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Sed alii, qui licèt à communione externa ejecti, internam retinent, & fidei ac pœnitentiæ semen non abjiciunt, rectè dicuntur adhuc esse de Ecclesia.

ARGUMENTA.

1. Quia Excommunicatio nunquam est absoluta, sed conditionata, suppositâ sc. impœnitentiâ & obstinatione.

2. Non tam fit à corpore mystico Christi, quàm à communione externa Ecclesiæ, & Sacrorum usu.

3. Non fit ab Ecclesia Catholica, sed tantùm à particulari aliqua & visibili, nec ad exitium, sed ad salutem.

OBJECTIONES.

1. *Excommunicatus est tanquam Ethnicus. Matth.* 18. 17. Matth. 18. 17.
R. Aliud est aliquem habere pro Ethnico & Publicano, i.e. censere à religione & Ecclesiæ communione alienum, quales habebantur inter Judæos Ethnici & Publicani; aliud tamen esse in rei veritate: De excommunicatis prius dici potest, sed non posterius.

2. *Pars scissa à corpore non manet pars Corporis.* R. Scinduntur quidem ab Ecclesia particulari, visibili, non semper tamen ab universali, invisibili.

Ecclesia quomodo visibilis & invisibilis?

IX. Ecclesia potest dici visibilis. 1. ratione *materiæ*, seu *hominum*, qui eam constituunt, qui cadunt sub aspectum. 2. Ratione *formæ externæ*, Prædicationis sc. verbi & administrationis Sacramentorum. 3. Ratione *splendoris* quo fulget, & conspicua redditur in mundo. Invisibilis verò dicitur. 1. Ratione *formæ internæ & fidelium* quà talium, qui Ecclesiam constituunt, qui sub sensus non cadunt, sed soli Deo noti sunt. 2. Ratione *Catholicismi*; Nam licèt Ecclesiæ particulares sint visibiles, Ecclesia tamen Catholica, quatenus notat collectionem omnium Ecclesiarum quæ sunt in mundo, nunquam potest tota conspici simul, nec quoad partem jam triumphantem, nec quoad eam quæ adhuc futura est. 3. Ratione *dissipationis* & *defectionis*, sive propter errores subnascentes, sive propter persecutiones grassantes.

CONTROVERSIA. I.

An vera Ecclesia rectè dicatur invisibilis?

Aff. cont. Pontif.

Pontificii Ecclesiam à nobis invisibilem dictam esse arbitrantur, ut satisfaceremus quæstioni nobis ab ipsis motæ, ubi Ecclesia nostra foret ante Lutherum, & quia non poteramus ostendere nostram Ecclesiam perpetuò fuisse visibilem in mundo, ideo excogitâsse hanc distinctionem, ut Ecclesiam aliam visibilem, aliam invisibilem esse dixerimus: sed perperam illi sententiam nostram interpretantur; Nam etsi tam conspicua fuisset olim Ecclesia nostra quàm nunc est; Nos tamen Ecclesiam Catholicam nihilominus invisibilem esse diceremus. Quæstio verò ista ad aliam Controversiam pertinet, de perpetua eminentia & conspicuitate Ecclesiæ quoad statum externum, de qua in sequentibus agetur.

Vera ergo Controversiæ origo repetenda est ex eo, quòd cùm ab initio Reformationis Pontificii contra Lutherum & alios, de Indulgentiis, justificatione, & humanis satisfactionibus, disputarent ex Scripturis, nec facile se expedire possent, ad Ecclesiæ tribunal eos pertrahere volebant: Quia verò Ecclesiam non aliam agnoscebant, quàm

quàm cœtum visibilem, externè fidem profitentem, constantem ex Episcopis, Clericis, & aliis, quibus Papa tanquam Caput præesset; Lutherus non modò hoc admittere noluit, sed negavit etiam tales vel esse vel dici debere Ecclesiam; veram enim Ecclesiam non professione externa, aut subjectione Romano Pontifici esse metiendam, sed solâ fide ac pietate internâ, quæ sub sensus cadere nequeat. Hinc nata quæstio de invisibilitate Ecclesiæ.

Nos, quando Ecclesiam distinguimus in visibilem & invisibilem, hæc divisio non est generis in species, quasi duas species fingeremus Ecclesiæ sibi oppositas, ut adversarii nobis per calumniam affingunt: Sed est tantùm limitatio subjecti secundùm varias ejus χέσεις. Et, licèt Ecclesia multis modis visibilis dici possit, ut suprà indigitavimus; invisibilis tamen h. l. nobis rectè dicitur ratione *formæ internæ*, puta veræ fidei, quatenus consideratur ut corpus Christi mysticum.

ARGUMENTA.

1. Ex Rom. 2. 28. *Verus Iudæus* (mò quodlibet veræ Ecclesiæ membrum) *non est in aperto, sed in occulto, nec vera circumcisio, quæ est in carne & litera, sed circumcisio cordis, quæ est in Spiritu.* Confirmatur ex Cap. 3. 1. Ep. Pet. v. 4. ubi Apostolus donum regenerationis, quo ornari debent fideles, vocat *hominem occultum cordis, qui est in incorruptione Spiritus lenis & pacifici.* Eo pertinet quod dicitur Apoc 2. 17. de calculo albo dando vincenti, & de novo nomine illi inscribendo, quod nemo novit nisi qui accepit. Confirmatur ex 2. Tim. 2. 19. ubi Deus dicitur nôsse qui sui sunt. Rom. 2. 28. 1. Pet. 3. 4. Apoc. 2. 17. 2. Tim. 2. 19.

2. Quæcunque Ecclesiam propriè dictam constituunt sunt interna & invisibilia, electio & vocatio efficax, unio cum Christo, Spiritus, fides, regeneratio, & inscriptio Legis in cordibus, cultus λογικὸς & spiritualis. Hinc describitur ut *sponsa Christi, quæ formosa est & glorioſa intus.* Ps. 45. 14. ut domus spiritualis, & tabernaculum in spiritu. Eph. 2. 21. & 1. Pet. 2. 5. Ps. 45. 14. Eph. 2. 21. 1. Pet. 2. 5.

3. Caput Ecclesiæ est invisibile. E. & corpus ejus. Christus enim, licèt visibilis sit quà homo, tamen quà Mediator & Caput Ecclesiæ non potest cadere sub sensus: Ita in Ecclesia, quæ Corpus ejus est. Eph. 1. 21. videntur quidem

dem homines qui eam constituunt, sed non quà fideles & Christi membra.

Luc. 17. 20. 4. Ecclesia est Regnum Dei, quod non venit μετὰ παρατηρήσεως, *cum observatione*, i. e. cum splendore mundano, & regio, qui incurrat in sensus, & observari possit, quasi, esset regnum temporale & terrenum.

Joh. 4. 23. 5. Quia veri adoratores, qui constituunt veram & propriè dictam Ecclesiam, illi demùm sunt qui adorant *in spiritu & veritate*. Joh. 4. 23. i. e. spirituali cultu oppositè ad cultum carnalem & externum, qui obtinebat sub V. T. & vera ac reali adoratione, oppositè ad umbras & figuras legales.

OBJECTIONES.

Matth. 5. 14. 1. *Ecclesia est civitas in monte sita, quæ occultari nequit, & lux mundi. Matth.* 5. 14. R. Non agitur h. l. de Ecclesia, sed de pastoribus, qui prædicatione verbi mundum illuminant, omniumque oculis & censuræ, ut urbs in monte, expositi sunt; illi tamen & minui & mori possunt.

Jes. 2. 2. 3. Dan. 2. 35. Mich. 4. 1. 2. 2. *Ecclesia est mons domûs Domini, in vertice aliorum montium. Ies.* 2. 2. 3. *Mons magnus, qui implet totam terram. Dan.* 2. 35. item: *Mich.* 4. 1. 2. R. Hæc loca amplitudinem & claritatem Ecclesiæ sub N. T. per Evangelii prædicationem ostendunt, oppositè ad tempora V. T. sed non inferunt Ecclesiam verorum fidelium quà talem esse visibilem, quia gloria & splendor externus non inserunt nos Corpori Christi mystico, sed gloria interna fidei & regenerationis, quæ soli Deo cognita est.

3. *Unusquisque fidelis tenetur se adjungere Ecclesiæ.* R. Necessitas communionis cum Ecclesia nec potest nec debet intelligi de externa cum Ecclesia visibili; nam sic damnarentur innumeri fideles, captivi, vel alio modo impediti, ut non possint se ulli cætui adjungere; sed de interna & spirituali cum Ecclesia Catholica, quia nemo salvus esse potest, qui Christo unitus non fuerit, & membrum Corporis ejus factus. 2. Aliud est cognoscere ubi sit vera Ecclesia; aliud quænam sint genuina ejus membra in individuo. Prius necesse est illi qui Ecclesiæ se debet adjungere, sed non statim posterius.

4. *Nulla dari potest societas hominum, nisi se agnoscant; non autem se agnoscunt, nisi se videant.* R. 1. Quis nescit dari societatem & communionem inter Ecclesiam triumphantem

phantem & militantem, inter quos tamen nulla intercedit cognitio. Nim. sunt quædam officiorum commercia quæ inter notos & vicinos exerceri possunt; sed alia dantur quibus ignotissimos amplectimur, dum illos Deo precibus commendamus, & spiritûs vinculo cum illis colligamur. 2. Falsum est neminem agnosci posse nisi sensibus externis. Nam, ut Christus non cognoscitur secundùm carnem, ita nec fideles.

5. *Ecclesia ædificatur super petram. Matth.* 16. 18. *E. est visibilis.* R. Non potest iste locus de Ecclesia quâ visibili intelligi; quod patet ex adjuncto addito, quòd portæ inferorum non sint prævalituræ adversus eam: Nam contra Ecclesias particulares visibiles prævalere potest Satan, & sæpe prævalet, sed, contra Ecclesiam Catholicam, quæ in solis Electis consistit, nunquam prævalere potest. Matth. 16. 18.

CONTROVERSIA II.

Ecclesiæ visibilis defectibilitas.

An Ecclesia in his terris aliquando ita possit obscurari, diminui, & supprimi, ut nullus ejus cœtus illustris publicè appareat, hostibus, & mundo notus? Aff. c. Pontif.

Præcedens quæstio agebat de *invisibilitate* Ecclesiæ *essentiali*, quæ à forma ejus interna fluit; Hæc agit de *accidentali*, quæ respicit formam externam. Præcedens egit de Ecclesia Catholica invisibili, quæ est universitas credentium toto orbe dispersorum. Præsens verò agit de Ecclesia quavis particulari visibili.

Pontificii statuunt Ecclesiam non modò non posse deficere, sed nec etiam posse obscurari aut imminui, quin semper maneat multitudo congregata, in qua sunt Prælati & subditi, imprimis Romanus Pontifex, tanquam Caput Ecclesiæ Catholicæ cum majestate eminens.

Nos verò censemus; Ecclesiam ita obscurari posse, ut nullus ejus cœtus illustris in mundo appareat, sed obscura manear, oculis hominum subducatur, sicque Ecclesia lumini similis sit, quæ sua incrementa & decrementa patitur.

ARGUMENTA.

1. A conditione Ecclesiæ sub V. T. Ante diluvium ea fuit sine splendore, quum omnis caro corruperit viam suam. Gen. 6. & in diluvio, quum ad octo animas redacta in arca fuit inclusa. Tempore Abrahami ante vocationem

nem suam ex Ur Chaldæorum latebat in familia paterna idololatriæ dedita. Jos. 24. 1. 2. Quis splendor Ecclesiæ in Ægypto? Quis splendor ejus sub judicibus, quum post mortem Josuæ Israëlitæ relicto Deo Patrum suorum post alios Deos iverunt? Jud. 2. 7. & 3. 8. 10. Quis splendor Ecclesiæ fuit tempore Eliæ. 1. Reg. 19. quum solum se relictum putat qui coleret Deum? Quis splendor Ecclesiæ Iudaicæ sub Achazo, Manasse, Ammone, & aliis impiis Regibus, sub quibus juge sacrificium interruptum est, fores Templi clausæ, altare ad formam Damasceni ab Uria S. Sacerdote extructum, & idololatria passim introducta? 2. Reg. 16. 11. 12. 14. &c. &. 2. Chron. 28. 3. 4. 24. 25. Ubi splendor Ecclesiæ in Captivitate Babylonica, postquam urbs solo æquata, templum pollutum, vasa sacra ablata, sacrificia abolita, & populus in servitutem abductus est? Quæ denique eminentia esse potuit Ecclesiæ sub persecutionibus diris simis Antiochi & successorum ejus, de quibus in libris Machab.?

2. Ex statu Ecclesiæ N. T. quem obscurum fuisse & sine splendore res ipsa clamat, cùm contineretur in Christo, & paucis obscuris hominibus, Iosepho, B. Virgine, Simeone, Anna, Zacharia, Elizabetha, piscatoribus, publicanis, aliisque ex infima plebe. Similis erat conditio Ecclesiæ sub Persecutionibus Imperatorum Ethnicorum, Arianorum, &c.

Apoc. 12. 6. 3. Ex loco. Apoc. 12. 6. Ubi mulier quæ peperit masculum, (i. e. Ecclesia, quæ peperit Christum mysticum in membris suis) fugere cogitur in desertum, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi nutriatur per mille ducentos & sexaginta dies.

2 Thess. 2. 9. 4. Ex relevatione Antichristi, qui debet sedere in Templo Dei, i. e. Ecclesiâ, & efferri supra id omne quod dicitur Deus &c. 2. Thess. 2. 9. Si verò sedere debet, i. e. imperium exercere in Ecclesiam, quisnam tum ejus splendor esse poterit?

OBJECTIONES.

1. *Infinita loca Prophetarum splendorem & eminentiam pollicentur Ecclesiæ.* R. Hæc loca non favent Pontificiis. 1. Quia per Jerusalem & Sionem non intelligunt Societatem mixtam ex bonis & malis; nec cœtum aliquem visibilem certæ sedi affixum; sed societatem verorum fidelium,

lium, ad quam solam promissiones Dei petinent. 2. Non tam loquuntur de gloria & splendore externo, quàm de spirituali & interno, juxta stylum V. T. quo res cœlestes & spirituales, terrenis & corporeis adumbrantur. Et sic exponendum Cap. 60. Iesaiæ, ubi Deus erecturus prostratam Ecclesiam, ostendit quanta sit verbi efficacia, de qua locutus est cap. præcedenti, & glorioſum Ecclesiæ statum sub Messia depingit Symbolicè per gloriam Regnorum terrenorum. 3. Si splendor aliquis & conspicuitas est intelligenda, non ad omnia tempora Ecclesiæ est extendenda; sed ista quatuor potissimùm respicit, in quibus magis conspicua debuit esse. Primum *in initio Christianismi* per vocationem Gentium, quâ Ecclesia Christiana illustris & conspicua debuit esse per totum orbem. Secundum, in *progressu ejusdem Christianismi*, quando mirificè auctus fuit per conversionem Imperatorum & Principum. Tertium, *in conversione generali Iudæorum* sub finem mundi. Quartum *in fine seculorum*, per glorioſam resurrectionem & felicitatis æternæ consummationem. Jes. 60.

2. *In Ecclesia sunt Pastores, Doctores*, &c. *E. est visibilis.* R. Aliud est ministerium Evangelicum esse ordinarium medium collectionis & conservationis Ecclesiæ, quòd perpetuò sit duraturum usque ad consummationem seculi, quod à nobis conceditur; aliud ministerium hoc perpetuandum esse in continua successionis serie in una aliqua sede, nim. Romana, & eodem semper splendore, tam incorruptæ doctrinæ, quàm inviolati ordinis, & spectatæ dignitatis, quod negamus.

3. *Ies. 61. 8. Fœdus perpetuum feriam cum illis, ut sciatur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* R. Ostendit quidem Propheta, Ecclesiam N. T. in Gentibus esse propagandam, & tanta fore divinæ gratiæ in illa signa & effecta, ut omnes qui ea intuituri sunt, rapiendi sint in admirationem, & cogi debeant fateri hos esse filios Dei, semen cui benedixit Dominus. Sed non sequitur, talem fore semper ejus statum.

4. *Vel homines illi occulti, qui invisibilem Ecclesiam constituunt, profitentur palàm fidem, & ab idololatria abstinent, vel non. Si profitentur, utique visibilis est Ecclesia; si non profitentur, nulla est vera Ecclesia, cujus proprium est corde credere,*

credere, & ore confiteri. R. Argumentatio hæc peccat insufficiente enumeratione; & deest tertium membrum, nim. vel profitentur palàm fidem, vel non, vel occultè servant fidem, & ab idololatria abstinent, ut fiebat à centum Prophetis, quos Abdias tempore Jezabelis in spelunca occultaverat. 1. Reg. 18. 3. & à 7000. hominum, latentium tempore Eliæ.

X. Deus conservat Ecclesiam hoc modo. 1. Universalem, invisibilem, semper. 2. Semper etiam in aliqua parte mundi reservat sibi Ecclesiam particularem institutam. 3. Sed hanc non perpetuò in eodem loco, modò hic, modò illic.

CONTROVERSIA. I.

Ecclesiæ invisibilis perennitas.

An semper in mundo futura sit aliqua vera Ecclesia, & veri fideles, atque ita Ecclesia deficere non possit, ut nulla usquam supersit?

Affirm. contra Socin.

Quæstio de *Perennitate Ecclesiæ* sub duplici λόγῳ spectari potest, vel quà visibilis, vel quà invisibilis. Priori respectu pertinet ad statum externum Ecclesiæ, & nobis intercedit cum Pontif. Posteriori sensu quæstio est hujus loci, nobis mota à Socin.

Nos non negamus; Ecclesiam posse deficere à parte Ecclesiæ; hoc enim certò futurum esset, si sibi relinqueretur; Nec negamus eam deficere posse à flore & eminentia per obscurationem: Concedimus etiam, posse deficere hanc vel illam Ecclesiam particularem visibilem. Sed negamus Ecclesiam Catholicam, quæ est universitas credentium toto orbe dispersorum, à parte Dei, posse deficere, defectione à vita per totalem interitum & extinctionem.

ARGUMENTA.

Ep. 1. 21. 1. A natura Ecclesiæ. Quia Ecclesia est corpus Christi. Eph. 1. 21. quod divelli ab eo nequit, & tamdiu duraturum, quamdiu ipsum caput. Est Sponsa Christi, cui se desponsavit in
Hos. 2. 19. æternum. Hos. 2. 19.

Jes. 59. 21. 2. A natura fœderis gratiæ, quod est æternum. Jes. 59. 21. *Hoc erit fœdus meum cum istis: Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut*

aut ex ore seminis tui, ait Jehova, ex hoc tempore usque in seculum. Cap. 61.8. *Fœdus perpetuum pangam eis.* Jes. 61.8.

3. A promissionibus divinis, quum pollicetur Christus. Matth. 16.18. *Portas inferorum non prævalituras adversus Ecclesiam.* Item: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculorum.* Matth. 28.20. quod non ad Apostolos solos referendum, quia Christus h. l. alloquitur Discipulos non modò ut Apostolos, sed etiam ut electos Dei, & veros fideles, repræsentantes totum corpus fidelium. Matth. 16.18. Matth. 28.20. Exc.

4. Ab officio Christi mediatorio, quod perpetuum esse debet quoad tres ejus partes. 1. Quoad *Regnum*, quod æternum dicitur & sine fine. Dan. 2.44. regnum quod in secula non corrumpendum est, aut evertendum, & cujus non est finis futurus. Luc. 1.32. 2. Quoad *Sacerdotium*: Nam cùm sit constitutus Sacerdos εἰς τὸ διηνεκὲς, Ps. 110.4. nec possit hoc officio defungi perpetuo nisi quoad intercessionem, nullus daretur isti locus, si Ecclesia militans funditus intercideret. 3. Quoad *Prophetiam*; Quia prædicatio Euangelii durabit usque ad finem mundi. Nam crescet Ecclesia per eam, & augescet usque ad sui perfectionem, ultimo demùm die futuram. Eph. 4.15.16. Dan. 2.44. Luc. 1.32.

5. A perpetuitate præsentiæ Spiritûs in Ecclesia. Jesai. 59.21. quem locum antea citavimus. Idem probat promissio Paracleti à Christo data, qui mansurus sit cum fidelibus εἰς τὸν αἰῶνα. Joh. 14.16. Joh. 14.16.

6. Tandem huc pertinent omnia argumenta, quæ pro perseverantia Sanctorum pugnant.

OBJECTIONES.

1. *Luc.* 18.8. *Cùm filius hominis veniet, an fidem in terra est reperturus?* R. Hoc non absolutè est intelligendum, quasi nulli amplius fideles superfuturi essent in mundo; sed hyperbolicè & comparatè, quia Ecclesia exigua erit præ statu superiorum seculorum. Luc. 18.8.

2. *Apostasia universalis prædicitur.* 2. *Thess.* 2.3. R. Non absolutè, sed secundùm quid, quia pauci testes erunt superfuturi. Apoc. 11.3. 2. Thes. 2. 3.

3. *Tota terra dicitur adoratura bestiam. Apoc.* 13.3. R. Per totam terram intelliguntur genera singulorum, non singula generum, omnes sc. incolæ terræ, indiscriminatim cujuscunque gentis, conditionis, sexûs, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni, ut exponitur v. 8. Apoc. 13. 3.

4. *Omnes*

4. *Omnes Ecclesiæ particulares possunt deficere. E. etiam Ecclesia Catholica, quia eadem est utriusque ratio, nam eadem est ratio totius quæ partium.* R. Hoc valet tantùm in eodem ordine, non diverso; nim. respectu Ecclesiæ Catholicæ vocatorum, & particularium visibilium, non verò respectu Ecclesiæ invisibilis Electorum. 2. Non absolutè & simpliciter admitti potest, omnes & singulas Ecclesias particulares simul & semel in terra deficere posse, sed successivè tantùm.

CONTROVERSIA. II.

Ubi Ecclesia nostra fuerit ante Lutherum & Zuinglium?

An Ecclesia nostra fuerit ante Lutherum & Zuinglium? Aff. cont. Pontif.

Absurdum & iniquum est postulatum Pontificiorum: Ubi fuerit Ecclesia nostra ante Lutherum & Zuinglium, tum, quia nititur falsâ hypothesi, nim. veram Ecclesiam perpetuo splendore conspicuam esse debere in muudo; tum, quia perperam argumentantur ab ignoratione rei & loci ad ejus negationem; tum, quia & nos ipsos interrogare possumus; ubinam fuerit Ecclesia ipsorum tempore Christi & Apostolorum, quo nihil dum de Transsubstantiatione, Missæ sacrificio, Sanctorum invocatione, imaginum cultu, de Purgatorio, indulgentiis, de Papa & ejus authoritate, cæterisque erroribus inter fideles invaluerat? ostendant, ubi esset Ecclesia Seculo illo X. quod *ferreum* vocat Baronius, quo plus quàm 50. Pontifices sibi invicem succedentes, non tam Apostolici, quàm *Apostatici* & *Apotactici* fuerunt, teste Genebrardo?

Sed ne videamur declinare Quæstionem, quasi nobis esset ἀλλοῦ, dicimus: Fuisse Ecclesiam nostram in ipso Papatu, quatenus Deus in media Babylone sibi semper servavit reliquias secundum electionem gratiæ, veros sc. fideles, qui sub illa captivitate gementes, ad liberationem spiritualem anhelabant; qui in Papatu fuisse dicuntur, non quoad communionem cum eo, sed quoad commorationem & hospitia. Hinc ante Lutherum & Zuinglium plurimi fuerunt, qui apertè se Romanæ tyrannidi opposuerunt, quales fuisse inprimis Waldenses & Albigenses notum est. Isti verò quamdiu vel Principum authoritate subnixi, vel numero suo freti, publicos cœtus habere potuerunt, reddiderunt Ecclesiam visibilem & conspicuam; ut in Bohemia,

mia, in quibusdam Angliæ partibus, & in Provinciis Galliæ meridionalis, Aquitaniâ, Occitaniâ, & in tractu Narbonensi usque ad Alpes. At postquam Principes Episcopi Romani furore excitati pios istos fideles armis persecuti sunt, tum partis illius Ecclesiæ facies externa ita quidem obscurata fuit, ut penitus defeciſſe videretur; interim substitisse adhuc ejus reliquias, utut dissipatas & dispersas, variis in locis, & inprimis in saltu Pyrenæo, & in Convallibus, quæ sunt ad radices Alpium, historiæ monumenta testantur. Et tales innumeros fuisse probant *Catalogi Magdeburgenſium*, *Illyrici*, *Pleſſæi*, *Foxii* & aliorum, qui referunt nomina & scripta plangentium Ecclesiæ conditionem sub Papatu, & Reformationem expetentium. Imò & ipsi adversarii non possunt diffiteri, ante Lutherum & Zuinglium innumeros fuisse, qui fidem nostram profitebantur, & publicè protestabantur contra errores Papales. Vide quid de Waldensibus & Albigensibus, Hussitis, Wiclefitis, Lollardis, & Picardis referant *Thuanus* lib. 6. & 27. *Æneas Sylvius*, seu Pius II. Histor. Bohemi. cap. 35. *Poplinerius*, Histor. Franci. lib. 1. *Carolus Molinæus* de Monarch. Gall. p. 56. & alii non pauci, qui eorum originem longè ante Reformationem repetunt. Nec diffiteri potest hoc *Eckius* loc. com. cap. 28. quum ait *Lutherum nihil aliud feciſſe, quàm revocare hæreſes pridem damnatas in Waldenſibus, Albigenſibus, Huſſitis & aliis*; & *Cochlæus* lib. 5. agnoscit Lutheranos ab Hussitis doctrinam suam accepisse. Nec omittendum hîc testimonium Reynerii ante annos 300. Inquisitoris contra hæreticos de Convallensibus, vulgò Waldensibus dictis, quo de eorum antiquitate & integritate fidem facit in libro de illis conscripto, & à Gretsero edito.

OBJECTIONES.

1. *E. Eccleſia ante Reformationem fuit in Papatu, & Papatus in Eccleſia.* Imò, diverso respectu. Ecclesia erat in Papatu quoad formam externam, quatenus sub illa deformi & corrupta superficie latebat. Papatus verò erat in Ecclesia, quia ut accidens adnatum & subjecti corruptivum illi adhærebat: Unde accuratè distinguendum est inter Ecclesiam quæ est in Papatu, & Papatum ipsum: Papatus erat quidem in Ecclesia, sed non erat ipsa Ecclesia, sed tantùm ulcus & gangræna illam depascens. Et pii qui vivebant

vebant sub Papatu, manebant quidem quoad locum & sedem in illo cœtu; sed non quoad sensum & fidem, pertinebant ad Ecclesiam quà Christianam, sed non quà Papalem & Antichristianam, & qui secesserunt, secesserunt tantùm à Papatu, non verò ab Ecclesia.

2. *Si piis ante Reformationem potuit sufficere ad salutem Ministerium latinum, licet corruptum, sine apertâ secessione; E. potest & vobis sufficere.* R. Neg conseq. Nam alia sunt tempora, & alia rerum facies. Tunc erant adhuc tempora captivitatis, in quibus nondum aperuerat Deus viam ad secedendum. Sed, ex quo Deus vexillum Evangelii ubique erexit ad excutiendum jugum Antichristi, & fideles vocandos ad libertatem, necessaria fuit secessio positiva.

XI. Ecclesia tribus modis potest dici deficere. 1. In *Doctrina*, labendo in errores. 2. In *vita*, perpetrando peccata. 3. In *loco*, cùm vel decedit, vel expellitur, vel confessores moriuntur.

CONTROVERSIA.

An Ecclesia vel in Papa vel in Concilio sit infallibilis?

An Ecclesia sit infallibilis; an verò errare possit circa fidem? Prius. Neg. Post. Aff. contra. Pontif.

Quamvis maximi momenti sit hæc controversia, & Ecclesiæ infallibilitas quam Papistæ prætendunt, præcipuum Papatûs fulcrum sit, tamen circa illam nec ipsi Pontificii consentiunt, dum alii istam infallibilitatem in Papa, alii in Conciliis quærunt.

Nostra sententia est. 1. Ecclesiam Catholicam invisibilem, utcunque possit dici infallibilis *objectivè*, quatenus normam habet infallibilem, puta verbum Dei quo dirigitur, & *subjectivè*, quatenus non potest exitialiter errare in fundamento, ita ut absolutè definat esse: Tamen dum militat in terris variis erroribus non minùs ac peccatis semper esse obnoxiam. 2. Ecclesiam visibilem, quæ in cœtibus particularibus cogitur per totum orbem, sive spectetur collectivè, sive repræsentativè in Rectoribus suis; vel seorsim singulis, vel omnibus conjunctim in Concilio consideratis, non esse infallibilem, sed exitialiter errare posse, tam in fide, quàm in moribus, tam in quæstionibus juris

quàm

quàm facti; Et privilegium ἀναμαρτησίας nulli Ecclesiæ vel personæ post Apostolicum tempus datum fuisse, vel amplius competere.

ARGUMENTA.

1. Ab imperfectione regenerationis: Nam quia Ecclesia militans reliquias peccati semper secum circumfert, & in speculo ac ænigmate tantùm intuetur. 1. Cor. 13. 9. errori adhuc est obnoxia. 1. Cor. 13. 9.

2. Præcipuè argumentandum ab experientia omnium seculorum. Nam Ecclesia erravit sub Vet. Test. Ecclesia Israelitica erravit, cùm Aaron vitulum aureum fudit, & altare extruxit coram eo. Exod. 32. 2-5. Sub Judicibus, quum post mortem Josuæ deseruerunt Dominum, & servierunt Bahalim. Judi. 2. sub Regibus impiis & idololatris tam Samariæ quàm Jerosolymis, temporibus Jorami, Achazi, Manasse, Achabi & aliorum, sub quibus populus in fœdam idololatriam prolapsus est. Imò etiam Prophetas, Sacerdotes, Rectores Ecclesiæ infectos fuisse, ex Prophetiis Jesajæ & Jeremiæ abunde liquet. Erravit Synagoga gravissimè tempore Christi, traditionibus suis irritum faciendo Dei mandatum. Matth. 15. 1. 2. Legem corruptelis suis depravando. Matth. 5. fermento exitiali variorum errorum puriorem doctrinam inficiendo. Nec pauci & ignobiles, sed Primores populi, Sacerdotes, & Scribæ, Pastores, qui successionem locorum & personarum habebant, non tantùm seorsim, sed conjunctim in Synedrio, in quo non modò sancitum, ut fieret ἀποσυναγωγὸς qui Christum sequeretur. Joh. 9. sed Christi condemnatio & mors decreta est. Joh. 11. 50. Matth. 26. 65. 66. tanquam impostoris & Pseudo-Messiæ. Exod. 32. 2-5. Joh. 11. 50. Matth. 26. 65. 66.

3. Ex prædictionibus variis, quibus constat Ecclesiam N. T. errare debuisse. 2. Thess. 2. Paulus loquens de Apostasia novissimorum temporum, dicit: Diem Domini non venturum, *donec venerit apostasia, & homo peccati revelatus sit, filius perditionis sese opponens & efferens supra id omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Huc pertinent aliæ prædictiones non paucæ de corruptelis & erroribus introducendis in Ecclesiam per Pseudo-Christos, & spiritus seductores novissimis temporibus, à quibus fideles cavere jubentur. Matth. 7. 15. *Cavete à Pseudo-Prophetis, qui ad*

vos veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces, &c. 24. 24. *Surgent Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetæ & dabunt signa & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi.* Act. 20.28. *Attendite vobis ipsis, & universo gregi, in quo Spiritus S. vos posuit Episcopos, quia intrabunt post discessum meum lupi rapaces, non parcentes gregi, viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* 1. Tim. 4. 1. *Spiritus* manifestè *dicit, quòd in novissimis temporibus deficient quidam à fide, attendentes Spiritibus seductoribus, & doctrinis Dæmoniorum*, &c. 2. Pet. 2. 1. *Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis*, &c.

cap. 24. 24. Act. 20. 28. 1. Tim. 4. 1. 2. Pet. 2. 1.

4. Ab examine doctrinæ fidelibus impositò: Jubentur enim *scrutari Scripturas.* Joh. 5. 39. *Explorare spiritus, an sint ex Deo.* 1. Joh. 4. 1. *omnia probare, & bonum retinere.* 1. Thess. 5. 21. Quorsum verò istud examen præciperetur tam sedulò fidelibus, si Ecclesia esset infallibilis?

Joh. 5. 39. 1. Joh. 4. 1. 1. Thes. 5. 21.

5. Ex incertitudine istius dogmatis inter ipsos Pontificios, quia quidam volunt, Concilium esse supra Papam, ut in Concilio Constantiensi & Basileensi sancitum est, & constanter creditur ab Ecclesia Gallicana: Alii Papam Concilio superiorem esse pertendunt, ut Concilium Tridentinum statuit, & cum eo Canonistæ & Scholastici.

6. Nec Concilia sunt infallibilia, Nec Papa. Non *Consilia*; certum enim est, varia Concilia errâsse, ut Ariminense & Seleucienſe sub Constantio, quod Arianismum confirmavit, Ephesinum secundum λῃστικὸν sub Theodosio juniore, in quo Eutychiana hæresis approbata est, & alia non pauca. Sic Nicenum secundum Præceptum Decalogi secundum, & Constantiense Christi de cœnâ à se institutâ integrè percipiendâ mandatum sacrilegè proculcat. Quod non obscurè confirmatur ex Contrarietate conciliorum, quæ pugnantia Decreta condiderunt: Romanum sub Stephano Formosi acta rescindit, & Romanum sub Joanne IX. Stephani acta infringit, & Formosum restituit. Nicænum II. imagines erigit, Constantinopolitanum & Francofurtense evertunt. Papam subjiciunt Concilio Synodus Constantiensis & Basileensis, evehunt verò Lateranensis & Tridentina.

Eodem modo nec *Papa* est infallibilis; multi enim ex illis fuerunt hæretici, ut Liberius, Arianismo subscribens, Honorius I. Monotheliſmum tuens, & ideò in Concilio VI. generali

generali damnatus. Marcellinus 1. idolis sacrificans, Sozymus, Pelagianismo favens, Joannes XXXIII. immortalitatem animarum, & resurrectionem carnis negans, in Concilio Constantiensi damnatus, &c. 2. Pontifices ipsi non crediderunt istam infallibilitatem, qui tam sæpe antecessorum suorum facta rescinderunt. 3. Multa Concilia Pontifices deposuerunt, & hæreticos eos pronunciârunt. 4. Appellationes ad futurum Concilium, factæ sæpius adversus attentata Pontificum & Curiæ Romanæ, idem testantur. 5. Nihil opus fuisset tam operosè convocare Concilia, si judicium infallibile potuit inveniri in Pontifice.

OBJECTIONES.

1. *Ecclesia gubernatur à Christo & Spiritu Sancto. E. non potest errare; aliâs error Ecclesiæ deberet tribui Spiritui S.* R. Ecclesia quidem militans gubernatur à Spiritu S. sed non tantùm & semper, quia non rarò gubernatur etiam à carne, quæ concupiscit adversus Spiritum. Gal. 5. 17. Nec ideò error vel infirmitas Ecclesiæ magis tribui potest Spiritui S. mysticum hoc corpus vegetanti, quam pedis aut manûs luxatio tribuitur animæ corpus naturale informanti.

2. *Christus est Sponsus Ecclesiæ. E. non errat: Nam per errorem desineret esse Sponsa Christi.* R. Christus, Sponsus Ecclesiæ, vult quidem eam præservare ab omni errore fundamentali, ne totaliter vel finaliter erret, non tamen statuit ab illa omnem errorem amovere, cùm contrà velit subinde fidem ejus explorare, permittendo ut in errores aliquando incidat. Nec si sponsi vocem quandoque dormitans non audit Ecclesia, propterea Sponsum planè deserit, ut qui rationis dictamen in aliqua actione surdâ aure præterit, non mox rationem ipsam ejerat. Nam, ut carnale matrimonium non quovis jurgio dirimitur, sic spiritualis connubii vinculum non quovis errore abrumpitur: Nam Deus Sponsam suam diuturnâ patientiâ & clementiâ ad meliorem furgem revocat, priusquam eam repudiet.

3. *Deus semper adest suæ Ecclesiæ. Matth.* 28. 20. R. Semper adest Ecclesiæ invisibili Electorum, ad eam præservandam ab errore fundamentali, & lapsu totali ac finali. Sed inde non sequitur, illum adesse Ecclesiæ visibili & repræsentativæ ad infallibilitatem illi in omnibus decretis con- Matth. 28. 20.

ciliandam. Nam istiusmodi promissiones non in aliis implentur, quàm in veris fidelibus & Electis, in quorum numero non esse omnes, qui cœtus Ecclesiasticos componunt, manifestum est.

Joh. 16. 13. 4. *Spiritus S. doctores Ecclesiæ ducit in omnem veritatem. Ioh.* 16. 13. R. Hic respicitur primariò ad Apostolos, qui ut fundatores Ecclesiæ, & Canonis fidei conditores debuerunt esse infallibiles. Secundariò quidem extenditur ad Pastores ordinarios, & ad singulos fideles, sed non in eodem gradu & mensura donorum; aliâs omnes deberent ex æquo esse infallibiles. Ductus E. Spiritûs S. h. l. non absolutè & simpliciter est intelligendus, quoad omnem veritatem universaliter, sed limitatè & secundùm quid respectu materiæ subjectæ, i. e. veritatis necessariæ ad salutem, eo modo, quo 1. Cor. 1. 5. Corinthii dicuntur *divites in omni verbo.* Et Paulus dicitur *annunciâsse omne Dei consilium.* Act. 20. 27. 2. Ministri deducuntur in omnem veritatem per spiritum Dei in Scripturis loquentem, & tamdiu reguntur à Spiritu, quamdiu verbum à Spiritu propositum audiunt.

1. Tim. 3. 15. Malac. 2. 7. 5. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.* 1. *Tim.* 3. 15. R. Notatur tantùm quid facere teneatur Ecclesia, non verò quid semper faciat, eodem modo, quo Malac. 2. 7. *Labia Sacerdotis* dicuntur *custodire scientiam, & Lex requiri ab ore ejus, quia est Angelus Jehovæ exercituum*; non quòd semper hoc ab ipso fiat, siquidem mox additur v. sequenti, *at vos recessistis ab illa via, fecistis ut impingerent multi in Legem.* Sed quia hoc munus illi impositum est. Sic sæpe verba quæ actionem significant, de debito sunt intelligenda; ut Malac. 1. 6. *Filius honorat patrem, servus Dominum suum*, &c.

Matth. 10. 40. Luc. 10. 16. 6. *Matth.* 10. 40. *Qui vos recipit, me recipit. & Luc.* 10. 16. *Qui vos audit, me audit.* R. Nim. si vos me auditis, & nihil nisi verbum meum proponitis, quod non semper fieri à Pastoribus, res ipsa clamat.

Matth. 18. 17. 7. *Ecclesia audiri jubetur. Matth.* 18. 17. R. Tamen non magis est infallibilis, quàm quilibet judex aut Parens, quibus etiam obediendum. 2. Agitur in eo loco de particularis cujusque Ecclesiæ Presbyterio, cui tamen nemo ausit infallibilitatem tribuere, & de exercitio disciplinæ, non de dogmatis fidei.

8. *Chri-*

8. *Christus promittit se futurum in medio duorum vel trium in nomine suo congregatorum Matth.* 18. 19. 20. R. Hinc bene colligitur illum piis Pastoribus & Fidelibus quibusvis in nomine suo convenientibus, tantum gratiæ & opis daturum, quantum ipsis erit necessarium pro conditione & vocatione sua: At non egent infallibilitate in vocatione sua, cùm non debeant esse norma fidei, sed id solis Scripturis competat. Matth. 18. 19. 20.

9. *Si Ecclesia repræsentativa non est infallibilis, cur ergo Synodis vestris tantam tribuitis authoritatem?* R. Authoritas illa non est absoluta & illimitata, cui nos subjicere teneamur cæcâ obdientiâ, & sine examine, sed limitata & ministerialis à duplici conditione pendens; prima est, ut nihil decidant nisi ex verbo Dei; altera, ut relinquant semper libertatem examinis Decisionum suarum fidelibus.

XII. Triplex est necessitas nos adjungendi Ecclesiæ. 1. *Præcepti*, quia Deus jussit. 2. *Medij externi*, ut nos ipsos & proximum ædificemus. 3. *Signi*, ut nos à profanis separemus. Necessitas se adjungendi veræ Ecclesiæ.

CONTROVERSIA.

An unusquisque teneatur inquirere quæ sit vera Ecclesia, atque ei se adjungere? Aff. c. Libert. & Socin.

ARGUMENTA.

1. Ideo à Deo colligitur Ecclesia, ut, qui salvari volunt, se ei adjungant. Act. 2. 47. *Dominus addebat quotidie Ecclesiæ qui salvi fierent.* Act. 2. 47.

2. Graviter reprehenduntur, qui Ecclesiam contemnunt, & deserunt. 1. Cor. 11. 22. *Num Ecclesiam Dei contemnitis?* 1. Cor. 11. 22. Heb. 10. 25. *Non deserentes aggregationem nostri mutuam*, &c. Heb. 10. 25.

3. Pastores concionari debent. 2. Tim. 4. 2. *Prædica sermonem, insta tempestivè, intempestivè.* Fideles verbum recipere. Jac. 1. 21. *Excipite insitum illum sermonem, qui potest servare animas vestras.* Antecessoribus obedire. Heb. 13. 17. *Obedite ductoribus vestris*, &c. E. se Ecclesiæ adjungere. 2. Tim. 4. 2. Jac. 1. 21. Heb. 13. 17.

OBJECTIONES.

1. *Ad salutem consequendam satis est Christi præcepta servare.* R. Etiam præceptum Christi est, ut nos Ecclesiæ

siæ adjungamus. Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiæ*; & 28. 19. *Ite, docete.*

2. *Qui crediderit, salvabitur.* R. Fides est ex auditu verbi in Ecclesia. Rom. 10. 17.

XIII. Vera autem Ecclesia agnoscitur ex notis ejus, quæ sunt signa externa, evidenter & certò indicantia quænam sit vera Ecclesia.

CONTROVERSIA I.

Notæ veræ Ecclesiæ.

An veritas Doctrinæ, quæ in Cœtu aliquo obtinet, seu conformitas cum Dei verbo per puram verbi prædicationem & professionem, & legitimam Sacramentorum administrationem & usum, sit nota veræ Ecclesiæ visibilis? Affirm. cont. Pontif.

Agitur h. l. de notis non Ecclesiæ *invisibilis*, ad dignoscendos veros Electos & Fideles, quo sensu pro notis habet fidem, spem, & charitatem: Sed de notis Ecclesiæ *visibilis*, & secundùm formam collectionis & unionis externæ. Nec agitur de notis Ecclesiæ Christianæ in genere; hanc enim professio Christianismi satis distinguit ab Ethnicis & aliis infidelibus: Sed in specie de Ecclesiæ particularis visibilis notis agitur, ut Ecclesiam Orthodoxam & puriorem ab heterodoxa discernamus. Has notas quidam constituunt puram verbi Prædicationem, legitimam Sacramentorum administrationem, & Disciplinæ exercitium; alii unicam constituunt, doctrinæ. sc. veritatem & conformitatem cum Dei verbo; in re tamen consentiunt; quia non potest purum Dei verbum alicubi prædicari, quin ibidem & Sacramenta legitimè administrentur, & Disciplina Dei verbo præscripta obtineat.

ARGUMENTA.

1. Ex Scriptura, quæ hoc charactere veros Christianos ut membra Ecclesiæ à falsis discernit. Joh. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & me sequuntur.* Eodem pertinet quod Christus ait: Joh. 8. 31. 32. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas vos liberabit.* & v. 47. *Quisquis ex Deo est, vocem Dei audit.* & cap. 14. 23. *Si quis sermonem meum servaverit, Pater meus diliget eum*; Confirmatur ex Matth. 18. 20. ubi pol-

Joh. 10. 27.
Joh. 8. 31. 32.
v. 47.
c. 14. 23.
Matth. 18. 20.

pollicetur Christus præsentiam suam in medio eorum, qui congregati fuerint in nomine suo. Cùm enim salutaris Christi præsentia in vera sola Ecclesia locum habeat, & ea promittatur iis qui in nomine Christi congregantur, i. e. qui ejus authoritate ad verbum ejus prædicandum & audiendum conveniunt; dubium non est, quin Ecclesia illa vera sit, ubi fideles conveniunt in nomine Christi. Idem probatur ex Act. 2. 42. ubi Ecclesiæ Apostolicæ character proponitur per perseverantiam in doctrina Apostolorum, per communionem, & fractionem panis, &c. *Perseverabant discipuli in doctrina Apostolorum, & in communione, & in fractione panis, & in orationibus.* Act. 2. 42.

2. Eadem debet esse ratio distinguendæ veræ Ecclesiæ à falsa, quæ est dignoscendæ falsæ Ecclesiæ à vera, & Pseudo-Prophetarum à veris Doctoribus. At hæc non alia est, quàm falsitas doctrinæ, & ejus à verbo Dei dissensus, ut colligitur ex 1. Joh. 4. 1. ubi Apostolus vult probari Spiritus, i. e. Doctores, an sint ex Deo, si quæras normam probationis, affert ipse v. sequenti, ex veritate doctrinæ. *Cognoscite ex hoc*, inquit, *Spiritum Dei, omnis Spiritus qui confitetur Iesum venisse in carnem, est ex Deo, omnis Spiritus qui non confitetur Iesum venisse in carnem, non est ex Deo.* Et clariùs in secunda Epist. v. 9. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet, qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.* Quod Paulus confirmat. Gal. 1. 8. quum anathema denunciat ei, qui evangelizare voluerit præter id quod evangelizatum est. 1. Joh. 4. v. 1. 2. Joh 9. Gal. 1. 8.

3. Quod soli & toti Ecclesiæ semper convenit, debet esse ejus nota essentialis & specifica, quâ ab aliis omnibus cœtibus, non modò infidelium, sed & hæreticorum discernitur. At veritas doctrinæ, quæ in prædicatione Verbi & Sacramentorum administratione elucet, talis est: Sola enim Ecclesia est domus Dei, columna & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. 15. Sola fundamento Apostolorum & Prophetarum superstructa. Eph. 2. 19. 20. sola habet sigilla fœderis Matth. 28. 20. Sola verbum possidet, & per illud à cæteris cœtibus distinguitur. Ps. 147. 19. Deut. 4. 6. Nec ista privilegia illi competunt ad tempus, sed in perpetuum usque ad consummationem seculorum. Eph. 4. 11. 12.

4. Ecclesia visibilis per verbum prædicatum & receptum constituitur, congregatur & conservatur, ita ut eo posito

firo ponatur, & eo sublato tollatur. Hinc candelabri seu ministerii Verbi ablatio destructionem Ecclesiæ post se trahit. Apoc. 2. 5. & Prophetiæ cessatio populi dissipationem infert. Prov. 29. 18, *ubi non datur visio, populus dissipatur.*

Prov. 29. 18.

OBJECTIONES.

1. *Etiam hæretici tales notas jactant.* R. Inde non magis dici potest notas nostras non esse proprias, quàm si quis dixerit, justitiam causæ tam actori quam reo convenire, quia eam uterque jactat; nec ex ægrotorum somniis, vel temulentorum opinione, sed ex rei veritate de notis judicandum est. 2. Eadem ratione notæ Pontificiorum rejiciendæ erunt, quia non pauci præter eos eas sibi tribuunt, ut Antiquitatem, Unitatem, doctrinæ sanctitatem, & alia hujusmodi.

2. *Pura verbi prædicatio non semper obtinet in Ecclesia. E. nota ista est separabilis ab Ecclesia.* R. Neg. conseq. Quia ista puritas debet intelligi cum quadam latitudine, nec statim cessat Ecclesia, ubi secundùm gradus aliquos cessat puritas, modò non cesset in totum.

3. *Prædicatio verbi non est notior Ecclesiâ.* R. Aliud est *notius naturâ*, aliud *notius nobis*. Scriptura notior est Ecclesiâ *naturâ*, quia est ejus principium & fundamentum; unde non potest certò & infallibiliter cognosci nisi ex Scriptura. Ecclesia est Scripturâ notior *nobis* cognitione confusâ & inchoatâ, quia est medium & instrumentum quod nos ducit ad Scripturam, & quod nobis eam tradit.

4. *Doctrina non potest esse nota Ecclesiæ, nec ea quæ non est controversa, quia de ea omnes partes consentiunt, & sic non est distinctionis, sed potiùs communionis nota, nec controversa, quia sub judice lis est, nec decisio fieri potest quàm per Ecclesiam.* R. Non dicimus simpliciter, doctrinam esse notam Ecclesiæ, sed quatenus est conformis Scripturæ, quæ principium est receptum inter Christianos. Si controversiæ decidendæ nulla esset regula, aut adeò obscura, ut vix ac ne vix quidem cognosci posset, fateor non posse doctrinam controversam esse notam. Sed Canonem habemus in verbo, juxta quem pii facilè de veritate conformitatis cum regula edoceri possunt. 2. Doctrina non controversa, qualis est Oratio Dominica, Lex, & Symbolum Apostolorum, potest doctrinam controversam decidere, si cum

ea

ea conveniat, vel si ab ea differat. Si articuli affirmativi, de quibus inter nos consensus est, sunt regula negativorum de quibus disceptamus, ut rectum est index sui & obliqui. 3. Si quia litem movet adversarius, aliqua nota definit esse nota, periclitantur omnes notæ quæ proferuntur ab Adversariis, quia de illis controverti potest.

5. *Prædicatio verbi constituit essentiam Ecclesiæ; Ergo non est nota.* R. Licèt non necesse sit, ut nota sit forma essentialis rei, seu differentia ejus specifica; non obstat tamen, quo minùs possit esse nota, imò nulla certior dari potest, cùm forma det esse rei. Nec impedit, quòd formæ & differentiæ rerum ut plurimùm lateant, nota autem debeat esse sensibilis & externa: Quia alia ratio est rerum naturalium & corporearum, quæ incurrunt in sensus, & quarum notæ per consequens debent esse externæ & sensibiles; alia verò spiritualium & moralium, quæ cadunt sub intellectum. Talis autem est Ecclesia de qua quæritur; quia non attenditur hic simpliciter ut cœtus hominum inter se unitorum per actus externos Religionis, sed per veram fidem Christi, & sinceram administrationem Sacramentorum.

6. *Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum veræ Ecclesiæ erant, & tamen ibi non erat sincera prædicatio verbi. Gal.* 1. R. Etenus etiam non erant veræ Ecclesiæ, sed errantes.

CONTROVERSIA. II.

Notæ Pontificiæ.

An nomen Catholicum, Antiquitas, Duratio continua, Amplitudo, Successio Episcoporum, conspiratio in Doctrina cum Ecclesia antiqua, unio membrorum inter se & cum Capite, Sanctitas doctrinæ, ejusdem efficacia, vitæ sanctimonia, gloria miraculorum, lumen Propheticum, Confessio Adversariorum, infelix exitus persecutorum Ecclesiæ, & eorum qui ipsam defenderunt Temporaria felicitas sint notæ veræ Ecclesiæ? Neg. c. Pontif.

Qamvis alii Pontificii non omnes has notas ponant; Bellarminus tamen eas omnes conjungit: Ad quas observamus.

ARGUMENTA.

1. *In genere.* 1. Notæ illæ sunt cognitu difficillimæ,

adeoque non notiores, qualis est antiquitas, successio, perpetuitas, quæ non possent cognosci nisi perspectâ omnium Conciliorum historiâ, & evolutis omnium seculorum Annalibus. 2. Pleræque à rebus merè externis, politicis, temporalibus, accidentalibus & contingentibus petuntur, quæ proinde notas necessarias & essentiales efficere non possunt. 3. Communes sunt aliis cœtibus, ut multitudo, antiquitas, duratio, &c. 4. Potest adversus illas meritò retorqueri, quod immeritò nostris objicitur, quòd nec sint propriæ, nec notiores, nec inseparabiles.

2. *In specie.* Nomen *Catholicorum* potest esse titulus sine re, ejus qui ut Angelus Sardensis dicitur vivere, & mortuus est. Apoc. 3. 1. nec quærendum qui dicantur Catholici, sed qui sint: cùm etiam Ariani, ac alii Hæretici se Catholicos olim vocitârint.

Antiquitas Ecclesiæ nota non est perpetua, cùm ea olim fuerint tempora, quibus Ecclesia nova videbatur, & idololatria uti nunc de antiquitate gloriabatur; nec antiquitas Doctrinæ certiùs quàm ex verbo Dei potest æstimari; Et multi antiquitatem sibi falsò tribuunt, ut Gabaonitæ sedium suarum magnam fingebant ab Israëlitarum castris distantiam. Jos. 9. 4. quorum inventa valde sunt recentia.

Duratio diuturna, & non interrupta continuatio ejusdem est commatis; nam Ethnicismus qui supereſt in mundo, ne de Judaismo dicam, diutius duravit hactenus quàm Christianismus; nec aliunde quàm ex Scriptura certò judicari potest de fidei & doctrinæ quam aliquis cœtus profitetur duratione perpetua, cùm solum Dei verbum sit incorruptibile, & maneat in æternum.

Amplitudo & multitudo profitentium minus est ad rem, reclamante totâ Scripturâ: *Ne insistito vestigiis potentiorum,*
Exod. 23. 2. *sive plurium, ad mala.* Exod. 23. 2. *Multi, qui introeunt*
per latam portam, & spatiosam viam, quæ abducit in exitium.
Matth. 7. 13. Matth. 7. 13. 14. Hinc Ecclesiam suam Christus *parvum*
Luc. 12. 32. *gregem* vocat. Luc. 12. 32. cùm è contrario universa terra sequa-
Ap. 13. 3. 16. tur bestiam. Apoc. 13. 3. 16.

Successio personalis Episcoporum in eadem sede frustra fuerit absque successione doctrinæ; nec habent hæreditatem Petri, qui illius fidem non tenent. Et, cùm Ecclesia ambulatoria sit, nec alligata huic vel illi loco, talis est etiam ejus successio. Imò, competit etiam talis successio falsis

Docto-

Doctoribus. Annas & Cajaphas succeſſerunt Aaroni in Sacerdotio, Scribæ & Phariſæi ſuccedebant Patribus, & Legis interpretibus. Ariani ſuccedebant Orthodoxis, Eccleſia Græca, quam Pontif. habent pro Schiſmatica & hæretica, ſucceſſione non interruptâ Epiſcoporum ab Apoſtolis gloriatur.

Conſpiratio in doctrina cum Eccleſia antiqua non poteſt aliunde certiùs firmari, quàm ex Scripturis; cùm & ipſi qui *Patres* dicuntur, homines fuerint qui etiam quandoque ceſpitaverunt, & ſua ad Scripturarum amuſſim exigi voluerunt.

Unio membrorum cum Capite & inter ſe, ſi de Capite Chriſto agatur & interna Charitate, non cadit ſub ſenſus, & ſoli Deo nota eſt: Aliud caput verò, quale fingitur Papa, vera non novit Eccleſia, & ab illius Beſtiæ adoratione aliena eſt. Unitas quoque Veritate deſtituta, conſpiratio in Deum & mera vanitas eſt; ut taceam quòd jam olim Ethnici & hodie Judæi & Turcæ Chriſtianis in communi, ſua in Sacris diſſidia ſolent objicere. Nec prætereundum, quòd Veteres nunquam crediderunt Eccleſiæ notam eſſe conſenſum vel obedientiam R. P. præſtitam; Nam Eccleſias Aſiaticas habuerunt pro Eccleſiis, & ſi eas excommunicâſſet Victor, ut & Africanas, licèt diſſiderent à Pontifice. Ita Eccleſiæ Græcæ non minus quàm Latinæ nomen ſuum retinuerunt, etſi ſæpe diſſiderent à Romanis, nec ullam Papæ exhiberent ſubjectionem. Athanaſius non deſiit Orthodoxus eſſe, etſi Liberius conſenſiſſet in ejus condemnationem. Nec Cyprianus, licèt Stephanus eum à ſua communione repuliſſet, & Epiſcopos ab illo ex Africa legatos, nec ad ſermonem communis colloquii admiſiſſet, & præcepiſſet univerſæ fraternitati, ne quis eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolùm tectum, ſed etiam pax negaretur.

Sanctitas doctrinæ notam dicit quæ coincidit cum noſtra; ut & illius doctrinæ *Efficacia* ad Sanctificationem; cùm aliàs etiam ſua inſit efficacia ad ſeductionem doctrinæ Antichriſtianæ; nam *adventus Antichriſti eſt ex illa vi efficaci Satanæ, cùm omni potentia*, &c. Et Deus dicitur miſſurus *efficaciam erroris, ut homines credant mendacio.* 2. Theſſ. 2. 9. 10. 11.

De Sanctitate vitæ Authorum & Patrum noſtræ religionis

gionis idem ſtatuendum; Nulla enim vera Religio eſt, quæ cum Chriſto Prophetas & Apoſtolos Authores ac Patres non agnoſcat. Inſuper, cùm nemini infallibiliter conſtet de Sanctitate vitæ aliorum, quia Sanctitas vera eſt quid internum, ſoli Deo notum, & ſæpe ab hypocritis ita ſimuletur, ut pro ſanctis habeantur qui ſunt corruptiſſimi; non poteſt Sanctitas vitæ eſſe nota quam quærimus; nam, ſi agitur de interna, eſt inviſibilis; externa verò fallax & dubia, quam etiam Hæretici Donatiſtæ, Cathari, jactabant.

Gloriam miraculorum etiam ſibi vendicant falſi Prophetæ, ut hoc prætextu non debeamus vel latum unguem abduci à veritate Evangelii. Nam multi dicent Chriſto die illo: *Domine; nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus?* quibus reſpondebitur: *Certe, nunquam novi vos.* Matth. 7. 22. 23. *Excitabuntur Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & edent ſigna magna & miracula, ita ut ſeducant, (ſi fieri poſſit,) etiam electos.* Matth. 24. 24. & *Antichriſti adventus futurus erat cum omni potentia & ſignis & prodigiis mendacibus.* 2. Theſſ. 2. 9.

Matth. 7. 22. 23.

Matth. 24. 24.

2. Theſſ. 2. 9.

Lumen Propheticum ejusdem eſt conditionis: Deſiit Spiritus Prophetiæ in Veteri Eccleſia à tempore Malachiæ ad Chriſtum, nec tamen deſiit eſſe Eccleſia: Neque poſtquam doctrinam nobis in Scripturis revelatam novis revelationibus eſt inhiandum, aut temerè credendum iis qui illas jactaverint: Oſtentârunt etiam Ethnici ſua oracula; Hæretici quoque & Fanatici ſuas revelationes.

Confeſſio Adverſariorum in gratiam Eccleſiæ alicujus non eſt ſemper in propatulo; cùm è contrario veram Eccleſiam ejus adverſarii ſuis ſæpe calumniis obruere conentur. Laudârunt quoque Auſonius Symmachum, Baſilius Libanium, Ethnicos, Auguſtinus Tychonium Donatiſtam, citra præjudicium veritatis; Virtus vel in hoſte laudanda.

Infelix exitus eorum qui Eccleſiam oppugnârunt, ſæpe quidem potuit obſervari, ſed non ſemper; Nec felicitas vera ex his externis debet æſtimari, aliàs tot Martyres Eccleſiæ qui inter probra & tormenta ſuas animas Deo reddiderunt, infeliciſſimi judicarentur.

Sed omnes abſurditatis numeros ſuperant, quando etiam *Felicitatem temporalem* annumerant Notis Eccleſiæ, cùm id potiùs purpuratæ Babyloni denotandæ inſerviat, & Crux ac calamitas ſit veritatis illius quæ ſonat in vera Dei Eccleſia

sia appendix ordinaria: *Oportet enim per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* Act. 14.22. & *omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.* 2. Tim. 3. 12.

Act. 14.22.
2. Tim. 3. 12.

3. Quamvis autem illæ essent notæ veræ Ecclesiæ quas perperam comminiscuntur Pontificii, haud difficile est ostendere, ne quidem illas convenire Synagogæ Romanæ. Non est Ecclesia *Catholica*, cùm contradictorium sit Ecclesiam Romanam, quæ particularis est, Catholicam sive universalem statuere, & orbis major sit urbe, ac multæ sint Ecclesiæ ad Ecclesiam Catholicam pertinentes quæ nullam cum Romana sede colunt communionem; neque aliter quàm æquivocè & catachrestice Pontificii Catholici sint censendi.

Ecclesia Græca est *antiquior* Romanâ, & hodierni Romanenses multum à fide antiqua discrepant, nec Roma perseveravit in ea doctrina quam ab Apostolis acceperat, sed excidit ab illa.

Exc. *Ecclesia Romana non est accusanda Novitatis, sed Reformata; Nam in omni insigni mutatione semper ista sex demonstrari possunt.* 1. *Author ejus.* 2. *dogma aliquod novum.* 3. *tempus quo cæpit.* 4. *Locus ubi cæpit.* 5. *Quis eam oppugnaverit?* 6. *Exiguus aliquis cætus, qui paulatim aliis accedentibus crescere cæperit. Quæ omnia non competunt Ecclesiæ Romanæ, sed Reformatæ.* R. Ridiculum est ubi de re constat, venari circumstantias, quod hic faciunt Pontificii, qui, si nos Ecclesiam Romanam miserè mutatam à fide majorum defeciſſe dicimus, illi ut declinent istud examen, confugiunt ad impossibilitatem mutationis, & nolunt credere ullam mutationem factam, nisi authores, locum, tempus, & alias circumstantias istius mutationis, illis demonstremus. 2. Falsò pertendunt ad demonstrandam mutationem sex ista concurrere debere, sufficit secundum caput, nim. novitas dogmatis. 3. Mutatio alia est in bonum, alia in malum. Illa quidem lux est, tenebras dispellens, ideoque evidentior, & quæ facilius potest observari. Sed ista non apertè, sed clam & subdolè fieri solet, qualis est superseminatio Zizaniorum, quæ noctu facta, obdormiente Patrefamiliâs & domesticis. Matth. 13. 26. 4. Morbi alii sunt subitanei, qui hominem prius sanum & valentem subitò aggrediuntur; quorum tempus & causa notari

notari potest, ut pestis, apoplexia, &c. alii lenti, quorum initia sunt occulta, & incrementa tarda; Et tali morbo similem esse mutationem in Ecclesia Romana factam, res ipsa clamat, & mysterii iniquitatis nomen satis innuit. 5. Variis hoc ipsum exemplis demonstrari potest. Sic in Judaica Ecclesia maxima in doctrina mutatio facta est, à tempore Malachiæ, usque ad adventum Christi: In Ecclesia Galatarum & Corinthiorum errores gravissimi invecti fuerunt non multò post prædicationem Pauli; quis tamen harum mutationum authores certò, vel tempus præcisè notare posset? 6. Facilè ostendi potest maximos Pontif. errores esse novitios, & Ecclesiæ Apostolicæ ac primitivæ ignotos. e. g. Veneratio & cultus imaginum Seculo demùm 8. in secunda Synodo Nicæna anno 781. sub Adriano 1. Papa sancitus fuit, sed damnatus postea paulò post à Concilio Francofurtensi à Carolo Magno congregato. Suprema Pontificis authoritas tam in spiritualibus quam temporalibus ann. 1076. per Gregorium VIII. sancita est. Paulò ante annum 1050. sub Nicolao II. in Concilio particulari decretum est, Corpus Christi sensualiter tangi & frangi manibus Sacerdotum, & dentibus fidelium teri. Seculo decimo tertio ineunte, Transsubstantiatio ab Innocentio III. in Consilio Lateranensi sancita est, & novo Symbolo addita, ut articulus fidei. ann. 1218. Et anno 1264. Festum Sacramenti ab Urbano IV. & processio ejusdem ann. 1336. à Joanne XXII. instituta. Purgatorii doctrina in Concilio Florentino sub Eugenio IV. recepta est in articulum fidei anno 1439. Communio sub una specie subtracto populis calice paulò ante ann. 1414. in Concilio Constantiensi decreta fuerat. Idem facilè ostendi posset circa alios errores.

Amplior est jurisdictio & communio Alexandrini & Constantinopolitani Episcopi, per Asiam & Africam, quam Papæ per Europam, in qua, Hispanis ferè ac Italis exceptis, nulla est gens quæ ipsi in solidum adhæresçat, imò neque hi satis bona fide.

Continuæ *Successionis* filum jamdiu in ea sede abruptum est propter Schismata quæ passa est; ut nihil dicam de eo. quòd nonnulli volunt Papatum in Sixto V. penitùs extinctum fuisse, & quòd illius successionis origo nihil habeat certi, cùm de primo & immediato Petri successore adhuc ambi-

ambigatur, dum alii Linum, alii Cletum, alii Anacletum, alii Clementem eum faciunt.

Facilius quoque Roma ostendet se *consentire* cum Veteribus hæreticis, ex quorum erroribus centonem sibi confecit, quam cum antiqua Ecclesia. Conspirat enim cum Angelicis, Collyridianis, & Staurolatris, in Angelorum, B. Virginis, & Crucis cultu. Cum Montanistis, Manichæis, Encratitis & Tatianis, in ciborum delectu, statis jejuniis, & cœlibatus Lege. Cum Pelagianis & Semipelagianis in doctrina de libero arbitrio, de meritis operum, & de perfectione justitiæ; Cum Marcionitis & Pepusianis in Baptismo mulierum; Cum Manichæis in prohibitione calicis, & communione sub una specie: Cum Essenis in linguæ peregrinæ in Sacris usu, cum Euchetis, Nudipedalibus, & Apostolicis in Monachorum votis; cum Samplæis in reliquiarum cultu; cum Basilidianis, Carpocratianis, & Gnosimachis, in Scripturæ prohibitione; cum Eutychianis, Marcosianis, & Elcesaitis, in Transsubstantiatione; cum Heracleonitis in extrema unctione, & cum omnibus hæreticis in Traditionum necessitate, & Scripturarum accusatione.

Sanctitatem doctrinæ non habet, cùm suis dogmatis januam aperiat omnibus vitiis, quæ etiam ita regnant in Curia Romana, ac tota illius communione, ut de morum sanctitate non possit multum gloriari.

Miracula & lumen Propheticum jactat equidem; sed non demonstrat; imò sæpe professi sunt Pontificii, alicujus Protestantis Præsentiam vim miraclificam suarum imaginum & reliquiarum & exorcisationum impedire; & quamvis quotidie jactent miracula hîc & istîc fieri, æquè invisibilia ac suam transsubstantiationem, tamen vix ulla ex illis Papæ approbationem consequuntur, adeò fraudum & mendaciorum suorum in eo genere sibi probè conscii sunt; nec audent vel Pontificibus vel Conciliis suis lumen Propheticum tribuere.

Nemo nostrûm est qui Romam Ecclesiam Catholicam *confiteatur*, & multis bene cessit illam impugnâsse; & tantum periit illi de prisco suo splendore, ut *fœlicitatem* suam in temporalibus non possit multùm deprædicare; imminuitur indies, donec placuerit Christo illum ἄνομον adventûs sui splendore planè conficere. Nulla quoque *efficacia*

cacia est tanta doctrinæ Pontificiæ, nisi intelligas erroris efficaciam, cùm tot consiliis humanis & culinariis, tot artibus Politicis, tot piorum persecutionibus, tot inquisitionis sævitiis, tot congregationibus & missionibus ad fidem suam propagandam, tot novis Monachorum & superstitionum examinibus ad plebem dementandam, vix ac ne vix sustentetur.

De sua *Consensione* perperam grandia adversarii loquuntur, cùm plures ferè sint Controversiæ inter Theologos Pontificios, quàm quæ inter nos & illos agitantur; & illæ sanè gravissimæ & de fundamento, ut: de Papæ infallibilitate, de ejus authoritate supra Concilium, aut concilii supra ipsum, de gratia, Prædestinatione, & libero arbitrio, conceptione B. Virginis, Crucis adoratione, &c. Unde etiam illa Sectarum nomina, Scotistarum & Thomistarum, Molinistarum & Richeristarum, sive, ut nuper cœptum loqui, Jansenistarum, Hierarchicorum & Regularium, Prædeterminantium & assertorum scientiæ mediæ, &c. quæ in Papatu obtinent.

XIV. Regimen Ecclesiæ externum non est merè *Democraticum*, ut nonnulli Fanatici & Anabaptistæ somniarunt, & hodierni Independentes & Brouwnistæ videntur statuere; cùm passim Ministros, quibus competit Ecclesiæ regimen, Scriptura ab ipsa plebe distinguat. Nec *Monarchicum*, ut Pontificii volunt, sed *Aristocraticum*, quale fuit ab initio per collegium Apostolorum, & postea per Synodos & Concilia; ut singularum semper per Presbyteria & Synedria.

CONTROVERSIA I.

Regimen Ecclesiæ non est Monarchicum.

An regimen Ecclesiæ debeat esse Monarchicum?
Neg. cont. Pontif.

Non quæritur: An in Ecclesia Regimen aliquod Monarchicum locum habeat, cui omnes homines subesse sit de necessitate salutis: Hoc enim nemo negat proprium esse Christo. Sed, an præter Christum aliud Caput detur, & alius Monarcha agnoscendus sit inter rectores Ecclesiæ, cui omnes subesse teneantur? Quod volunt adversarii; nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Quia Christus in Ecclesia omnem dominatum prohibuit;

hibuit: Luc. 22. 25. 26. Cùm enim discipuli inter se contendissent de Primatu, eorum ambitionem his verbis cohibuit. *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maximus est inter vos, sit sicut minimus, & qui princeps, sicut qui ministrat.* Et Petrus, Epist 1. cap. 5. v. 2. *Pascite gregem qui penes vos est, curam illius agentes, non coactè, sed libenter*, &c. *neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis.* Luc. 22. 25. 26. 1. Pet. 5. v. 2.

Excip. Ad locum Lucæ. *Monarchia & dominatio absolutè non interdicitur, sed tantùm ejus modus, qui non sit similis dominationi Politicæ, seu tyrannidi Regum gentium, quod indè patet, quia Christus addit: Ille qui major est in vobis.* R. 1. Hæc omnia falsa sunt, quia Apostoli non contendebant inter se de modo Primatus, sed de Primatu ipso; unde responsum Christi absolutè debet proscribere omnem dominationem, ut respondeat eorum quæstioni. 2. Quando Christus h. l. mentionem facit majoris & minoris, non loquitur de majoritate vera, quoad rem, sed de imaginaria, quoad affectationem & desiderium; quod Matthæus & Marcus exponunt: *Qui inter vos volet esse primus.* Vel de primatu ordinis, non jurisdictionis & dominationis est intelligendus. Exc.

2. Christus eandem authoritatem absolutam & ἀυτοκρατορικὴν proscribit. Matth. 23. 8. 9. *Vos nolite vocari Rabbi, unus enim est Doctor vester, nimirum Christus, vos autem omnes fratres estis; Patrem neminem vocate in terra, unus enim Pater vester est, qui est in cælis; Ne vocemini magistri, unus enim est Magister vester, nimirum Christus; Sed qui maximus est inter vos, sit minister vester.* Ubi Christus interdicit Discipulis omnia nomina magisterii & authoritatis, non absolutè & simpliciter, sed secundùm quid, quoad rem tituli, nim. magisterium & authoritatem, à qua nemini liceat provocare, quomodo Rabbini & Doctores inter Judæos ea nomina sibi tribuebant. Matth. 23. 8. 9.

3. Apostoli Dominationem omnem removent à Ministris. 2. Cor. 1. 24. *Non quòd dominemur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudij vestri.* 1. Pet. 5. 3. *Non dominantes cleris, sed ut sint exemplaria gregis*; Unde Pastores iis nominibus designantur, quæ curam & ministerium notant, sed non dominationem aut imperium, dum vocantur *Ministri, Dei* 2. Cor. 1. 24. 1. Pet. 5. 3.

servi, Legati, Nuncii, Dispensatores & œconomi mysteriorum Dei.

4. Si Christus in Ecclesia Monarcham aliquem, & œcumenicum Pontificem constituisset, Paulus ejus mentionem aliquam facere debuisset in iis locis, ubi ordines, & munera Ecclesiastica à Christo instituta enarrat, quia hoc plurimùm intererat Ecclesiam rescire, ut obsequium illi eò promptiùs exhiberet: At Paulus hujus nullam mentionem facit.

5. Christus solus est Monarcha, Caput & Sponsus Ecclesiæ. Eph. 5. 23. *Christus est Caput Ecclesiæ, Servator Corporis sui.* Unde Paulus admonet: Viros diligere debere uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum pro illa dedit, &c. Corpus verò non debet esse biceps, & Sponsus non debet admittere thori socium. Et cùm Capitis sit vitam influere toti Corpori mystico, nemo non videt hoc soli Christo competere.

Exc. Exc. *Distinguendum est inter Caput primum & principale, & secundarium ac ministeriale.* R. 1. Contradictionem involvit dicere Caput secundarium, siquidem Caput de se notat id quod primum & supremum est. 2. Monstrosum est uni corpori duplex caput tribuere. Nec Exempla *Proregum*, qui à Rege constituuntur in Rectores Provinciarum, hoc evincunt; quia quantacunque illis authoritas tribuatur, nemo tamen vel Regis nomen, vel capitis Regni sub Rege sine crimine usurpare potest.

6. Si præter Christum daretur aliquod aliud caput Ecclesiæ; E. Ecclesia diceretur alterius corpus quàm Christi, cùm verò Scriptura eam vocet corpus Christi. Eph. 4. 11. 12. & 5. 23.

7. Impossibile est Ecclesiam toto orbe dispersam ab uno homine mortali regi, qui nec omnibus locis interesse, nec omnia quæ ubique fiunt, videre & cognoscere per se potest.

OBJECTIONES.

1. *Ecclesia Judaica semper fuit gubernata ab uno visibili Capite, summo Pontifice, E. etiam hodie ita regi debet.* R. Regimen Ecclesiæ V. T. non potest huc trahi. 1. Quia nunc Ecclesia toto orbe dispersa est, quæque ab uno non potest regi; ubi olim intra limites Judææ coarctabatur. 2. Summus Sacerdos erat quidem ordine primus inter alios Sacerdotes,

dores, sed nunquam dictus est Monarcha & Caput ipsorum, cum censuræ & jurisdictioni magni Synedrii subesset, & ad Legem Dei adstringeretur. Deut. 17. 11. 3. Quicquid authoritatis habuit, in eo typus fuit Christi summi Pontificis. N. T. non verò Papæ.

2. *Ecclesia comparatur cum exercitu bene ordinato, cum regno, ovili, domo, humano corpore. E. in ea Caput esse debet*, R. Caput illud est Christus.

3. *Christus in terra vivens fuit visibile Caput Ecclesiæ.* R. Non tamen sequitur post ascensionem ejus superesse debere Caput Ecclesiæ visibile; Nam Christus semper munere suo præsens defungitur. Math. 28. 20.

4. *Monarchia est optimum regimen. E. in Ecclesia obtinere debet.* R. 1. Agnoscimus supremum Ecclesiæ Monarcham, sed Christum, non Papam. 2. Quod regimen simpliciter & in se est nobilius, non semper est melius aut utilius huic aut illi subjecto. 3. Non valet consequentia à Regimine Politico ad Ecclesiasticum, quia Christus suis non dominationem, sed ministerium commisit.

CONTROVERSIA. II.

An Petrus loco Christi à Christo institutus fuerit totius Ecclesiæ Monarcha, cujus potestati omnes Apostoli & fideles subjecti fuerint?

Petrus non fuit Monarcha Ecclesiæ.

Neg. cont. Pontif.

Licèt Petro Primatum quendam concedamus *ordinis* vel *vocationis*, vel *ætatis*, vel *dignitatis*; Tamen denegamus illi primatum *authoritatis* & *jurisdictionis*, per quem constitutus fuerit Pontifex œcumenicus, Vicarius Christi, & caput Ecclesiæ, cum absolutissima potestate, ut singuli fideles, & Apostoli ipsi cum cæteris tanquam subditi obnoxia capita ei submittere debuerint?

ARGUMENTA.

1. A natura muneris Apostolici, quod cùm sit summum in ordine Ecclesiastico, superius & majus non agnoscit.

2. Ex Æqualitate Apostolorum. Nam nulla superioritas legitur collata Petro supra cæteros à Christo: Nam Christus ex æquo mittit ipsos. *Sicut Pater me misit, ita ego mitto vos.* Joh. 20. 21. 22. Ex æquo insufflat ipsis Spiritum, & potestatem ipsis dat remittendi & retinendi peccata: Joh. 20. 21. 22.

Quibuscunque remiseritis peccata, remissa erunt, quibuscunque retinebitis retenta erunt. Ex æquo omnibus dat mandatum
Matth. 28. 19. prædicandi & baptizandi. Matth. 28. 19. Post ascensionem Christi eadem æqualitas patet ex praxi Apostolica. 1. Si Mathias eligitur in locum Judæ, non fit ex Petri arbitrio, sed sorte ex communi totius cœtûs consensu. 2. Spiritus S. descendit super omnes ex æquo, sine ulla cujusquam prærogativa. 3. Quum de Creatione Diaconorum. Act. 6. duodecim Apostoli dicuntur convocâsse multitudinem propterea, & qui fuerunt electi, dicuntur oblati Apostolis, ut imponerentur illis manus. 4. Petrus ab aliis Apostolis mittitur ad Samaritanos Act. 8. 14. E. non potuit esse œcumenicus Pontifex, quia illi repugnat ab aliis delegari.

Act. 15. 2. 24. 25. 3. Ex Concilio Hierosolymitano. Act. 15. unde varia petuntur argumenta contra Primatum Petri. 1. Quia mittuntur Paulus & Barnabas ad Apostolos in genere, non ad Petrum. v. 2. 2. Solutionem afferunt ab Apostolis & Senioribus, non à Petro. v. 24. 25. 3. Nec minor apparet hîc Jacobi quàm Petri authoritas, quia Petri sententiam temperat, & ita concludit, ut in ejus sententiam transierit universus cœtus, & scriptæ sint literæ.

4. Ex Petri & Pauli comparatione: Quia Paulus testatur se nulla in re inferiorem fuisse τοῖς ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλοις,
2. Cor. 11. 5. & 12. 11. Gal. 2. 9. 2. Cor. 11. 5. & 12. 11. Jacobus, Johannes & Petrus Paulum ut collegam agnoverunt, & ut tali dedêre dextram. Gal. 2. 9. Si verò Paulus Socius erat & Collega aliorum, quis locus supereſt Petri primatui? Paulus & Petrus inter se conveniebant, ut ille apud Gentes, iste apud Judæos Apostolatu fungeretur. Gal. 2. 7. Hæc verò Provinciarum distributio fieri non potuit salvo Petri primatu, ut inter Papam & Episcopos nulla talis hodie posset fieri.

5. Ex Petri à Paulo reprehensione. Nam œcumenicus Pontifex est ἀνυπεύθυνος, qui omnes judicare, & à nemine judicari vel reprehendi debet: Sed Petrus à Paulo judicatus & reprehensus legitur. Gal. 2. 11. *Cùm autem Petrus venisset Antiochiam, coram omnibus illi obstiti, quia reprehensibilis erat*, &c.
Gal. 2. 11. 13.

6. Ex Petri declaratione, qui nunquam sibi Primatum istum vindicavit, sed se in eodem cum aliis gradu collocat.
1. Pet. 5. 1. 2. 3. 4. 1. Pet. 5. 1. 2. 3. 4. *Seniores inter vos hortor ὁ συμπρεσβύτερος senior vobiscum, & testis passionum Christi, & particeps gloriæ*

riæ futuræ, pascite gregem Dei inter vos, non coactè, sed libenter, nec sicut dominantes cleris, sed ut exemplaria gregis? At, si primatum obtinuerat à Christo, quomodo illius non meminit, ut majus pondus adderèt hortationibus suis? cur se in eodem ordine cum aliis ponit? cur aliis tam solicitè dominatum prohibet?

7. Ex silentio Scripturæ. Si talis primatus à Christo institutus esset, in quo præcipuum Ecclesiæ esset fundamentum; annon Christus alicubi, vel Apostoli ejus mentionem expressam facere debuissent, ut fideles moniti debito illum prosequerentur obsequio?

OBJECTIONES.

1. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam. Matth.* 16. 18. R. De Petra quidem hæc dicuntur, sed non de Petro. Nam 1. Petra expressè distinguitur à Petro. Vt, licèt Christus Syriacè locutus sit, qua lingua כאפא promiscuè Petrum & Petram significat, non tollitur tamen diversitas, tum, quia diversum est genus; nam quum pro Petra sumitur, generis est fœminini, quum verò pro persona, masculini; tum, quia Matthæus, qui procul dubio optimè novit mentem Christi, & cujus textus est authenticus, distinguere voluit inter πέτρος & πέτρα, cùm tamen ex usu Græcorum potuisset utrumque eodem sono & genere πέτρος dicere. 2. Ex naturâ rei, quia Petrus non potest dici fundamentum Ecclesiæ, cùm nullum aliud fundamentum præter Christum poni possit. 1. Cor. 3. 11. 3. Petrus non potuit jam tum dici Petra in præsenti, cùm postea Christum negaturus esset; imò Christus eum Satanam vocare cogitur in seq. Matth. 16. 18.

Inst. *Pronomen ταύτη referendum ad immediatè præcedens.* R. Spiritus S. non ponit nudum pronomen, sed addito nomine ipso, quod omnem tollit ambiguitatem; Et, ne quis quod addit Christus de ædificatione Ecclesiæ super Petram referret ad personam Petri, non contentus fuit solo demonstrativo, sed designat distinctè Petram à Petro, quod Interpres V. retinuit. Fateor quidem aliquam hîc esse ad Petrum χάριν, non ut innuat, personam ejus fore Petram, cui inædificanda esset Ecclesia; Sed ratione nominis impositionis, quia Christus Petro gratificaturus, novum nomen illi dat, quod ab illa Petra derivatur, q. d. Tu Petrus à me Petra, quam confessus es, diceris, super quam

ædificabo Ecclesiam meam. Cephas ergo denominativè appellatur à Cepha Petra, ut à Christo lapide vivo, fideles vivos lapides nominat ipse Petrus. 1. Pet. 2. 5. Cujus mysterii clavem ipsa Scriptura nobis aperit, quum passim Christum sub Symbolo Petræ nobis exhibet. Ut sub V. T. Deus nomen rupis Ecclesiam sustentantis habet. Deut. 32. 4. Jesa. 26. 4. Christus ipse sic exponit. Math. 21. 42. *Lapis quem reprobârunt ædificantes, factus est in caput anguli*, &c.

Deut. 32. 4. Jes. 26. 4. Matth. 21. 42.

Matth. 16. 19.

2. *Claves regni Petro datæ, & potestas ligandi ac solvendi. Matth.* 16. 19. R. Claves aliæ sunt *Dominij* & *Principatûs*, aliæ *ministerij* & *subjectionis*, quales sunt quæ dantur à Principe officiario, & Præfecto domûs, & à Patrefamilias œconomo & promicondo: Tales sunt claves, quas Christus pollicetur se daturum Petro, quæ iterum sunt geminæ, tum *scientiæ* & *cognitionis*, quibus per verbi prædicationem aperiuntur thesauri mysteriorum cœlestium, tum *regiminis* & *disciplinæ*, quibus cœlum aperitur pœnitentibus, & clauditur incredulis. Quod explicatur per *ligare* & *solvere*, quia ii quibus cœlum clauditur per denunciationem iræ Dei, & quorum retinentur peccata, quasi ligantur, ut conjiciantur in gehennam; Contra illi, quibus cœlum per annunciationem gratiæ Dei & remissionis peccatorum aperitur, solvuntur vinculis peccati & judicii Dei, ut expeditè introeant in cœlum. Hæc igitur potestas, quæ h. l. innuitur, tantùm est ministerialis, quatenus nomine & authoritate Dei, ex verbo ejus declaratur quid fidelibus & pœnitentibus sperandum, impœnitentibus verò timendum sit.

Joh. 21. 15.

3. *Joh.* 21. 15. *Pasce oves meas.* R. Aliud est pascere, aliud imperare: Quamvis enim actus pastoralis aliquando dominium dicat, quo sensu Reges vocantur Pastores populorum, & Christus vocatur Pastor ovium suarum; non potest tamen hæc significatio hic locum obtinere, quando agitur de Apostolis & ministris, tum quia pascendi hoc officium diserte opponitur dominio. *Pascite gregem Christi, non dominantes cleris.* 1. Pet. 5. 3. tum quia dominium istud expresè interdicitur à Christo. Luc. 22. tum, quia Petrus jubetur pascere *oves Christi*, non suas, ut innuatur hoc officio defungi debere non ut Dominum; sed ut Christi ministrum. 2. Hoc munus non imponitur soli Petro, sed & reliquis Apostolis, imò & omnibus ministris. Act. 20. 28. *Attendite vobis, & toti gregi, in quo constituit vos*

vos Christus Episcopos, *ad pascendam Ecclesiam Christi.* E. non Monarcha est, quisquis pascere oves jubetur, alioquitot haberet Monarchas Ecclesia, quot ministros.

Inst. *Hîc aliquid κατ' ἐξοχὴν Petro tribuitur, quia solus compellatur, & quidem ter.* R. Neg. Quia quod dicitur Petro singulariter, non ideo fit, ut Primus & Princeps Apostolorum constitueretur, sed ut trinæ abnegationi, quâ poterat videri excidisse suo Apostolatu, triplex in illum restitutio, cum stipulatione amoris & officii opponeretur, ut trinâ confessione trinam negationem dilueret.

4. *Multæ Prærogativæ Petro tribuuntur.* R. Omnes istæ prærogativæ primatum non evincunt, quales sunt. 1. *Nominis mutatio*, quia non tam nomen ei mutatum, quàm novum adjectum est. Matth. 17. 25. & 2. Pet. 1. 1. adde quòd nova hæc nominis impositio communis fuit filiis Zebedæi, qui dicti sunt *Boanerges.* 2. Quòd *primo loco ponatur.* Matth. 10. 2. Marc. 3. Luc. 6. Nam præterquam quòd hoc non est perpetuum; alii enim alibi illi præponuntur. Joan. 1. Andreas. 1. Cor. 3. Paulus, Apollos. Gal. 2. 9. Jacobus; potuit ita vocari ratione ordinis, vel ætatis, vel donorum, non ratione potestatis & jurisdictionis, ut primus consul in urbe non est Senatûs Princeps. 3. *Ambulatio super aquas*, quæ fervorem tantùm ejus & πεζητεύειν notat. 4. *Revelatio magnorum mysteriorum fidei*, quia hæc nec soli facta est, nec primo. 5. *Solutio tributi pro Christo & Petro*, non pro aliis; quia certa fuit causa, cur pro utroque solveretur, quia in eadem urbe habitabant, nim. Capernaumi, quæ vocatur civitas Christi, & in qua Petrus domum habebat. 6. *Captura multorum piscium* Joh. 21. quia hoc ministerium ejus notat, non imperium, in signum piscationis Evangelicæ. Luc. 5. 7. *Oratio Christi pro ipso*, quæ potius testimonium est infirmitatis, &c. aliaque similia quæ afferuntur.

CONTROVERSIA. III.

An Petrus Romæ fuerit, ibique Episcopatum per plures annos tenuerit? Neg. c. Pontif.

Petrus non fuit Episcopus Romanus

Communior de Episcopatu Petri sententia Pontificiorum, quam Baronius & Bellarminus sequuntur, est, Petrum postquam à passione Domini ad quinquennium in Judæa subsitisset, inde anno 39. Christi Antiochiam venisse, Episcopatum eum suscepisse, illoque per septennium defunctum

esse, inde Romam iviſſe, ibique Cathedram inſtituiſſe, & omnium primum ſediſſe. Eveniſſe interea ut Petrus anno 51. edicto Claudii cum cæteris Judæis Româ expelleretur, quâ occaſione ad concilium venerit, Hieroſolymis eo anno habitum. Tandem mortuo Claudio Romam rediiſſe, & poſtquam 25. annis ei Sedi præfuiſſet, vitam martyrio finiiſſe. Nos Petrum Romæ fuiſſe dubium eſſe aſſerimus: Ipſum verò Romæ fuiſſe Epiſcopum, & per tot annos ibi ſediſſe, pernegamus.

ARGUMENTA.

1. Si Petrus ejusmodi Epiſcopatum Romæ fundâſſet, cur Lucas in Actis Apoſtolicis, in quibus toties Petri mentionem facit, de hoc ſilet, quod tamen maximi eſſet momenti?

2. Si Petrus Romæ fuiſſet, an veriſimile, Paulum ad Romanos ſcribentem, & omnes qui aderant, inprimis συνεργὸς ſalutantem, Petri omnium digniſſimi ſalutationem omiſiſſe, nec meminiſſe quidem.

Phil. 2. 20. Col. 4. 10. 11. 2. Tim. 4. v. 11. v. 16.

3. Paulus Romæ ſcribens dicit ſe neminem tam fidelem inveniſſe quàm Timotheum. Phil. 2. 20. Non habuiſſe coadjutores niſi Marcum & Juſtum. Col. 4. 10. 11. Lucam ſolum ſecum fuiſſe. 2. Tim. 4. 11. In prima defenſione neminem ei ab auxilio fuiſſe, v. 16. Unde concludendum, Petrum illic non fuiſſe, multò minùs Epiſcopum.

4. Si Romanam Eccleſiam fundavit Petrus, cur nuſpiam ejus ullam mentionem facit, ad majorem ſibi authoritatem conciliandam?

Gal. 2. 7. 8. 9.

5. Id ipſum non obſcurè colligitur ex diſtributione muneris, quæ facta fuit inter Petrum & Paulum, de qua Gal. 2. 7. 8. 9. per quam commiſſa eſt Petro ſpeciatim cura potiſſimùm Judæorum, & Apoſtolatûs circumciſionis, Paulo verò cura Gentilium, & prædicatio præputii. Quis verò ſibi facilè perſuadeat, Petrum Apoſtolum, illo ipſo tempore quo Paulus & Barnabas vacabant Gentibus, in tanta Judæorum per Græciam, Thraciam, Aſiam minorem, Syriam, Babyloniam, & Orientem omnem meſſe, neglectis ſuis Partibus, adiiſſe Romam, fixurum ibi Cathedram Pontificiam, ubi pauciſſimi erant Judæi præ Gentibus.

6. Si Petrus fuit Romæ, vel ſub Cajo, vel ſub Claudio, vel ſub Nerone, quo tempore Paulus Romæ aut commoratus,

ratus, aut vinctus, aut sublatus fuit, debuit esse, sed sub neutris potest dici fuisse. Non sub Cajo, quia historia Lucæ eo tempore eum in Iudæa & Samaria exhibet. Non sub Claudio; quia ex Actis constat, Petrum captum fuisse ab Herode, & in carcerem conjectum Hierosolymis anno Claudii 4. qui fuit Herodis Agrippæ ultimus; unde ante hunc annum Romam proficisci non potuit. Rursus Petrus Hierosolymis adhuc fuit tempore Concilii Apostolici, quod fuit congregatum sexennio post, i. e. decimo octavo post Christi passionem, anno nono Claudii: Exinde Petrus Antiochiam se contulit, & aliquantum temporis moratus est: Non potuit ergo Romæ fuisse sub Claudio. Nam Exc. quod affertur à Bellarmino, rediisse Româ Hierosolymam, propter edictum Claudii, quo pulsi Româ fuerunt Judæi, frivolum est. Nam si Româ rediit, cur Lucas, qui Priscillæ & Aquilæ adventum eâ de causâ memorat, Petri nullam mentionem facit? cur cœtum suum deseruit, & non potius ad fidelium fidem confirmandam sanguinem suum fudit? quod boni pastoris officium, & Petri fortitudo requirebat. Si coactus fuit fugere, cur defuisset saltem epistolari officio? Non potest etiam dici Romam venisse Petrus sub Nerone, Claudii Successore; quia sic paucissimi supersunt anni Petrini Episcopatûs, nisi sub Vespasiano vel Tito velimus sublatum. Adde quod cùm Paulus anno 2. vel 3. Neronis ad Romanos scripserit, nec ullum Petri verbum faciat, liquet nec tum Romæ fuisse: Nec quum Neronis sexto urbem adiit; Nec quum Româ sex posteriores Epistolas scripsit, quis enim crediderit, si tunc ibi fuisset Petrus, Paulum de eo planè nihil dicturum fuisse? Quum Paulus Romam venit, illi fratres occurrunt ad Appii forum, occurrisset certè tum Petrus, si ibi fuisset: At, Petri nulla fit mentio. Deinde post tertium diem vocat Paulus primores Iudæorum; Illi verò tum nondum Christiani cupiunt audire ex Paulo quid sentiat: At, si Petrus tum Romæ fuit Episcopus, nonne ex illo audivissent jam fidem Christianam?

7. Quamvis Petrum Romæ fuisse constaret, impossibile est ibi per 25. annos hæsisse. Quia ab anno 18. Tiberii, quo crucifixus est Christus, usque ad 13. Neronis, quo statuitur ab ipso sublatus, anni numerantur 36. nimirum 5. Tiberii, 4. Caligulæ, 14. Claudii, & 13. Neronis. Petrus

autem pedem non movit ex Judæa ante duodecimum annum à morte Christi, quo captus est ab Herode, & in carcerem conjectus, quod ex Actis Apostolicis abundè liquet, ubi ejus præsentia, & gesta Hierosolymis, & in Judæâ continuatâ serie recensentur cap. 5. 6. 8. 9. 10. 11. & 12. Sexennio post, i. e. 18. post mortem Christi Concilium Hierosolymitanum congregatur, quò ivit Paulus. Act. 15. 2. 3. Gal. 2. 1. & cui Petrus cum cæteris Apostolis interfuit. Rursus ex hypothesi Adversariorum debuit per septem annos Antiochiæ sedere. Sic undecim tantùm anni supersunt, quibus Romæ potuit hærere, non viginti quinque, ut vellent, quos alibi in Oriente, ubi ministerium Judæorum ipsi commissum melius exerceri poterat, consumsisse longè verisimilius est.

OBJECTIONES.

1. Pet. 5. 13. 1. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylon.* 1. Pet. 5. 13. R. Licèt Babylon, de qua loquitur Johannes in Apocalypsi non alia sit quam Roma, quia iis characteribus describitur, qui nulli alii civitati competere possunt, nim. quòd septicollis erat, & tunc temporis habebat imperium in Reges terræ; Non sequitur eandem per Babylonem intelligi apud Petrum: Quia Johannes prophetiam scribebat, & ideo mysticè & ænigmaticè loquebatur; Sed Petrus historicè & simpliciter, quia epistolam scribit, ubi nudè & apertè res narratur. Et mirum est Pontificios plerosque Babylonem in Apocalypsi, scripto mystico & Prophetico, sumere velle propriè, & velle id nomen sumere mysticè in scripto merè historico. Non itaque alia per Babylonem convenientiùs potest designari, quàm Chaldæorum & Assyriorum Caput, quæ erat arx & sedes imperii, metropolis illius dispersionis ad quam Petrus scribit, Ponti scilicet Galatiæ, &c. Quantus enim ibi fuerit Judæorum confluxus vel exinde liquet, quòd tandem Scholæ Judaicæ ex Palæstina in Babyloniam sunt translatæ, unde Thalmudi Babylonico nomen.

2. *Ante Pauli adventum multi jam Christiani Romæ fuerunt; Imò Ecclesia ibi jam fundari cœpit.* R. Non tamen sequitur Petrum eam fundâsse; potuit sc. ab aliis colligi, nam ut in dispersione Hierosolymitana discipuli hinc inde dispersi Evangelium prædicârunt, ut Philippus Samariæ, & alii alibi, quidni potuerint & Romam nonnulli proficisci?

ſteiſci? Jam tempore Tiberii nomen Chriſti & Chriſtianorum non ignotum fuiſſe liquet, ex eo quòd retulerit ad Senatum de Chriſto in Deorum numerum referendo, & quòd Senatus hoc recuſando cenſuerit Chriſtianos exterminandos; ſi ergo tunc Chriſtiani jam erant, quidni & diſcipuli?

3. *Plurimi ex Veteribus tradunt, Petrum Romæ fuiſſe & mortuum eſſe.* R. Hoc non poteſt fidem facere, quia initium iſtius traditionis petitur à Papia Hierapolitanæ in Phrygia Eccleſiæ Epiſcopo, qui ex Euſebii ipſius teſtimonio fuit mediocri ingenio, ſimplex, qui multa χιλιάδας tradidit, qui etiam author fuit opinionis Chiliaſtarum. Cùm ergo parens iſtius traditionis tam ſubleſtæ ſit fidei, quomodo aſſenſum à nobis obtinere poterit?

4. *Simon Magus à Petro Romæ debellatus eſt.* R. Hæc hiſtoria nititur tantùm fide humana, & eſt ficta, & ex Scriptura conſtat, militiam ejus Samariæ à Petro detectam fuiſſe. Act. 8. 23. priuſquam Romam veniret, eumque nonniſi victum & fugientem conſpectum Apoſtoli Romam veniſſe, ut Clemens Conſtit. lib. 6. cap. 6. refert, & Euſeb. lib. 2. cap. 14. Unde non eſt veriſimile Petrum Romam ſe conferre debuiſſe ad eum denuò perdendum. Inſt. *Statua ipſi dicitur poſita, cum hac inſcriptione: Simoni Sancto Deo.* R. Hoc perperam refertur ad Simonem Magum, & pridem obſervatum eſt à viris Doctis, imperitiam Latinæ linguæ impoſuiſſe Veteri Scriptori, ut de Simone Sancto intelligeret, quod de *Semone Sanco* legendum erat, qui Romanis Deus certus erat, etiam *Fidius* dictus, quia per eum jurando fides fieret. Unde error ortus Juſti. Martyris, ut quia Samaritani ſui Simonem Magum in Actis memoratum, pro Sancto Deo haberent, eo ſtatuam Romæ conſtitutam *Semoni* Deo Sancto, poſitam putaret Simoni Mago.

CONTROVERSIA. IV.

An Papa Romanus ſit ſucceſſor Petri, & caput totius Eccleſiæ? Neg. c. Pontific.

Papa non eſt Succeſſor Petri, ac œcumenicus Pontifex.

ARGUMENTA.

1. Si eſt ſucceſſor Petri, hoc erit vel ratione Miniſterii communis & ordinarii prædicandi verbum, Sacramenta adminiſtrandi, & diſciplinam exercendi. Vel ratione Mune-

Muneris specialis & extraordinarii Apostolatûs. At priori sensu successio non pertinet ad unum aliquem in particulari, sed ad omnes in genere veros Christi ministros. Posteriori verò nemo succedere potuit Apostolis, quia munus ipsorum temporale fuit & extraordinarium, ad Ecclesiæ Christianæ fundamenta jacienda, quodque ideo in eodem officio successores non habuit.

2. Papa non minùs Pauli quàm Petri authoritate & successione gloriatur, de cujus tamen primatu nemo unquam somniavit. Unde sigillum Pontificum utriusque imaginem exhibet, & olim qui Romam Religionis ergò veniebant, *ad limina Apostolorum* venire dicebantur. Quò pertinet liber gallicus Arnaldi, de *Magnitudine Ecclesiæ Romanæ*, ubi author probare intendit, Authoritatem Ecclesiæ Romanæ fundatam esse super Petro & Paulo, qui æquales fuerint, qui liber malè exceptus fuit Romæ.

3. Ex æqualitate Patriarcharum, quia fuit unus à numero Patriarcharum, qui sibi invicem æquales authoritate fuerunt, licèt alii aliis priores vel posteriores ordine essent, quod patet ex Concilio Nicæno, quo æqualis authoritas tam Alexandrino quàm Romano tribuitur. Item ex Concilio Constantinopol. Concilio. 4. œcume. Chalcedonensi, Trullano, quibus sancitum, ut Constantinopolitana sedes æquis fruatur honoris prærogativis cum Romana, quia postquam Constantinus imperii sedem Româ abstulerat, & Constantinopolim transtulerat, Constantinopolis fuit nova Roma.

4. Ex Convocatione Conciliorum; Quia si Rom. Episcopus fuit Ecclesiæ Monarcha, Concilia convocata essent ejus authoritate & mandato. At Concilia vetera generalia fuerunt coacta authoritate Principum Christianorum, qui etiam jus sibi tribuebant non solùm Moderatorem Politicum constituendi, sed insuper ipsum Ecclesiasticum Præsidem deligendi; qui, in quatuor illis famosis, Nicæno, contra Arium, Constantini M. tempore, Constantinopolitano, contra Macedonium Pneumatomachum sub Theodosio seniore, Ephesino, adversus Eutychem imperante juniore Theodosio, Chalcedonensi, sub Martiano, præcipuè adversùs Nestorium; non fuit Episcopus Romanus: Præfuerunt enim Nicæno Hosius Cordubensis, Constantinopolitano Nectarius Constantinopoli-

nopolitanus, Ephesino Cyrillus Alexandrinus, Chalcedonensi Patricii & Comites Martiani, quamvis sub initium Dioscori authoritas ibidem magna fuerit.

5. Ex interdictione Appellationum ad Episcopum Rom. Nam si agnitus fuit semper œcumenicus Pontifex, licuit appellare ad ipsum tanquam ad supremum judicem. At contrarium patet. 1. Ex authoritate eorum Conciliorum, quæ Causas Ecclesiasticas intra suam Provinciam judicari & terminari voluerunt, qualia fuerunt Nicænum & Antiochenum. 2. Quia appellationes ad Episcopum Rom. sæpe damnantur; unde Cyprianus, Epist. 55. invehitur in factum *Fortunati & Felicissimi*, qui in Africa damnati Romam confugerant. 3. Idem testantur Orientales Episcopi, qui apud Socratem, lib. 2. cap. 11. *Julium*, qui ad eos scripserat de Athanasii restitutione, audire noluerunt. Licèt verò non excusandi essent in Athanasii condemnatione, credibile non est, si licuisset appellare Romam, tam apertè ausos fuisse isti juri contradicere, & Julium in re adeò certa & justa de jure isto appellationum nihil reposuisse. 4. Concilium Milevit. cap. 22. transmarinas omnes appellationes damnat.

6. Ex appellationibus ab Episcopo Romano. Nam si appellari potuit ab Episcopi Romani judicio, eo ipso non agnitus fuit Pontifex œcumenicus; à supremo enim non licet appellare. Hoc verò contigisse, patet, quòd Romani Episcopi ipsi, cùm sibi obsisteretur, judicium detulerunt ad Synodum; quod non fecissent, si se supremos judices agnovissent, ut visum in Liberio, qui cum sibi obsisteret Constantius Imperator in Athanasii causa, nusquam jactavit œcumenicam authoritatem, sed Concilium indici postulavit.

7. Ex dissensu variorum ab Episcopo Romano. Quia si habitus fuisset pro œcumenico Pontifice, nemo ab ipso dissentire ausus fuisset, quod factum tamen ab Ecclesiis Asiaticis, quæ in Paschatis controversia liberè à Victore dissenserunt, ideò ab ipso excommunicatæ. Cyprianus contra Stephanum Episcopum Romanum scribit de Anabaptismo, & quidem cum acri objurgatione.

8. Ex Episcoporum Romanorum subjectione imperatoribus, qui sæpe eos deposuerunt, ut Constantius Liberium misit in exilium, Justinianus Silverium, Theodoricus

ricus Rex Johannem conjecit in carcerem, Otho I. Joannem XII. depoſuit, Henricus III. Gregorium VI. Pontifices Romani eos agnoſcebant pro Dominis ſuis, Gregor. I. lib. 3. Epiſt. 61. Imperatorem *ſereniſſimum Dominum ſuum* appellat, *ſe verò indignum ejus ſervum, qui ei debeat obedientiam.*

9. Papa Petri ſucceſſor eſt, nec de *jure*, nec de *facto*, Primò de *jure*: ſi talis ſucceſſor à Chriſto datus eſſet, Chriſtus de eo Apoſtolos monuiſſet, ut in V. T. tam diſerta mentio fit Pontificis Judaici, quod tamen factum non eſt. 2. Si Petro quærendus fuit dignus ſucceſſor, Joanni Apoſtolo procul dubio, qui triginta ferè annis Petro ſuperſtes fuit, hoc multò potiori jure debebatur. 3. Non poteſt ſucceſſionem Petri jure ſibi arrogare, qui Petri munera, qualia ſunt paſcere oves Chriſti, & verbo docere, aliaque id genus, non præſtat. Secundò de *Facto*, 1. Epiſcopi Romani olim delecti fuerunt ſuffragiis plebis & Cleri Romani; quis verò hanc plebi Romanæ poteſtatem dedit, ut Eccleſiæ univerſali de capite proſpiceret? 2. Non conſtat inter Pontificios de veritate ſucceſſionis, cùm alii Petro ſubjungant Linum, deinde Clementem, alii contrà Clementem proponant, alii à Lino proximum faciant Cletum, alii iterum pro Cleto Anacletum ſubſtituant, alii vivo & vidente Petro Linum ſediſſe affirmant, quæ varietas facilè arguit, ſubleſtæ fidei eſſe, quicquid de hac re traditur.

OBJECTIONES.

1. *Succeſſio eſt neceſſaria in Eccleſia.* R. Succeſſio doctrinæ, & muneris communis ac paſtoralis: ſed non loci & perſonarum, & muneris Apoſtolici extraordinarii. Paſtores primo modo ſuccedunt Apoſtolis, ſed nemo potuit ſuccedere poſteriori.

2. *Fuit ſucceſſio Vet. Teſt.* R. Illa clarè traditur in Scriptura, & cautum eſt hoc lege divina, ut Aaroni ſuccederetur. Sed de Petri ſucceſſore in N. Teſt. nihil habetur.

3. *Probatur id ex Conciliis & Patribus.* R. 1. Debebat probari ex verbo Dei. 2. Quæ ex Conciliis afferuntur, ſunt fictitia, ut viri Docti, qui ex profeſſo hoc argumentum proſecuti ſunt, jam diu probarunt.

4. *Epiſcopus Romanus primum inter Patriarchas locum obtinuit.*

obtinuit. R. Iste primatus non fundatur in successione Petri; sed dabatur ratione civitatis; nam quia post obitum Apostolorum & urbis excidium, dignitas urbium dedit præeminentiam Ecclesiis, & ordo politicus, qui ibi obtinebat, originem dedit ordini & authoritati Ecclesiasticæ, etiam Episcopo Romano dabatur Primatus, quia illius urbis Episcopus erat, quæ orbis habuit imperium: Eademque ratione Constantinopolitano Episcopo secundus inter Patriarchas locus assignatus est, non quòd Andreæ Apostoli successor erat, sed quòd Constantinopolis erat Roma nova, quòd illuc translata esset imperii sedes.

Primatus in Ecclesia Romana paulatim invectus est.

XV. Quamvis difficile sit temporis momenta præcipuè assignare, quibus Primatus iste vel fundatus sit, vel confirmatus; ponimus tamen juxta varia ejus incrementa eum in quatuor gradus distribuere. 1. Est ἀρχὴ seu *initium*, seu nativitas ejus, quæ refertur ad seculum quartum, seu tempus Concilii Nicæni, quo in regimine dominationem affectare cœpit. Nam honor collatus Episcopis præcipuarum urbium, subinde animos eorum ita mutavit, ut plusculum sibi arrogare, & se extollere supra alios inciperent. Quod Romæ imprimis, urbe imperatoria, & orbis Dominâ evenisse constat: Cujus ambitionis Victor & Stephanus Exempla suppeditant. Ille, dum Polycratem & Ecclesias Asiaticas ob levem circa tempus Paschatis celebrandi dissensum temerè condemnat, & excommunicat anno Ch. 195. Iste verò, dum Basilidem Episcopum Asturiensem, & Martialem Melidensem, Hispanum utrumque immorigerum in fidem recipiens, Ecclesiam Hispanicam arguit, & jus appellationis ad Ecclesiam Romanam ambit anno 250. multùm reclamante licèt Cypriano. Qualescunque verò Romanorum Episcoporum fuerint conatus pro obtinendo in reliquas Ecclesias primatu; Certum tamen nihil adhuc juris & potestatis supra cæteras habuisse, quod dissimulare non potuit Æneas Sylvius, postea Pius II. epist. 301. ad Martin. & Major. quum air; *ante Concilium Nicænum sibi quemque vixisse, & ad Romanam Ecclesiam parvum habitum fuisse respectum.* Quamvis Pontificii Primatum suum ex Concilio hoc Nicæno probare non possint; quod examinare non est hujus loci. 2. *Incrementum*, à Seculo quarto ad sexti finem, & septimi initium, quo Episcopi œcumenici titulum sibi arro-

arrogavit, & dominationem in spiritualibus indultu Phocæ adeptus est, & multifariam in doctrina & ritibus à pristina simplicitate degeneravit, & à seculo sexto ad decimum, à Bonifacio III. usque ad Benedictum IX. & Gregorium VII. qui Monarchiam utramque temporalem & spiritualem usurpavit. 3. ἀκμὴ, à seculo decimo usque ad decimi sexti initium, quo intervallo dominationem utramque flagitiosè exercuit, profligatâ doctrinâ puriori, à Gregorio VII. seu anno Christi 1073. ad Leonem X. seu annum 1517. quo. 4. in παρακμὴν incidit, & decrescere cœpit, ac vires paulatim amittere per Reformationem, donec conficiatur Spiritu oris Christi, & destruatur in illustri ejus adventu.

CONTROVERSIA.

Papa Rom. est Antichristus.

An Papa sit Romanus Antichristus ille magnus?

Affirm. cont. Pontif.

Quamvis *Antichristi* nomen sit alioquin commune, & omnibus hæreticis tribuatur. 1. Joh. 2. 18. *Pueruli, ultimum tempus adest, & sicut audivistis, Antichristum venturum, etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse.* Et. 1. Joh. 4. 3. *Quicunque Spiritus non profitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est, sed hic est ille Spiritus Anti-Christi, quem audistis venturum fuisse, & qui jam nunc in mundo est*, per hæreses sc. subnascentes. Attamen sumitur κατ' ἐξοχὴν pro insigni quodam nebulone & Christi adversario, qui describitur suis coloribus. 2. Thess. 2. 4. ceu *opponens sese & efferens supra quicquid dicitur Deus aut Numen, adeò, ut in templo Dei sedeat tanquam Deus, præ se ferens se esse Deum.* Apoc. 13. 11. *Vide aliam bestiam ascendentem è terra, habentem cornua duo similia agni, sed loquebatur ut draco.* Veteres, quorum tempore Mysterium iniquitatis adhuc latenter operabatur, nondum rerum eventu facem vaticiniis præferente, multa de Antichristo sunt ariolati à veritate aliena; quæ corradentes Pontificii, Antichristum fingunt hominem singularem & unicum, ortum ex tribu Dan, qui se pro Judæorum Messia venditans, spatio trium annorum cum dimidio templum Hierosolymitanum instaurabit, universum orbem subiget, Henochum & Eliam redivivos trucidabit, totum Christianismum evertet, seipsum in templo restaurato proponet ado-

1. Joh. 2. 18.

1. Joh. 4. 3.

2. Thess. 2. 4.

Apoc. 13. 11.

adorandum, ac tandem à Christo in monte oliveti, ex quo paraturus sit ascensionem in cœlum, occiderur.

Quamobrem ut Judæi olim annisi sunt impedire, ne Jesus pro vero Christo agnosceretur, multis Pseudo Christis in illius locum substitutis, ita Pontificii, ne agnoscatur Anti-Christus apud se, non tantum has fabulas de futuro Antichristo propinant popello, sed etiam subinde referunt Antichristum jam Babylone recens esse natum, eumque describunt ad ideam *Armilli* Judæorum, & variis clarum prodigiis; quod semel factum seculo superiori, & hoc nostro bis aut ter contigit.

Sed quicquid hîc delirent Pontificii, quicquid etiam Papæ supparasitaturus Grotius somniârit vigilans in loco Pauli de Caligula & Simone Mago, in Epistola Johannis de Barchocheba, in Apocalypsi de Trajano, Appollonio & Domitiano, tantùm eo fine, ne Antichristus vel coram videatur, vel in posterum metuatur, tamen constans est omnium Reformatorum & Protestantium fides, Antichristum illum magnum, Paulo & Joanni descriptum, esse Papam Romanum, cujus ideò communio deseri oportuit, quod non pauci in Papatu ante tempora Reformationis agnoverunt, & nos ex magna argumentorum messe multa ad pauca hæc reducimus

ARGUMENTA.

1. Antichristus debuit esse oppositus Christo, revera *contrarie*; tum in doctrina, tum in vita; quod quàm bene conveniat Papæ, ex utriusque instituta comparatione cuivis facilè patebit; sed tamen sub specie oppositionis *relativæ*, hoc est vicariatûs; ut ille demùm sit ἀντιχείσος, qui ἀντὶ χριστοῦ se esse profitetur, atque hoc prætextu omnem Christi authoritatem ad se rapiens, uti Papa Caput, fundamentum, sponsus Ecclesiæ, etiam secluso Christo, ejusque Doctor & Legislator infallibilis vult haberi. Nec enim palam, uti volunt Pontificii, debuit Antichristus se pro Christo gerere, (nam distinguendi sunt Pseudo-Christi ab Antichristo) sed Christum impugnare sub religionis Christianæ prætextu, quandoquidem erat sessurus in Templo Dei. 2. Thess. 2. 4. & agni cornua ostentaturus. Apoc. 13. 11. ac Mysterii nomen fronti suo inscriptum

habiturus. Apoc. 18. 5. i. e. mysteriorum & religionis prætextu grassaturus.

2. Debuit sedere in templo Dei, non sanè Hierosolymitano, vel restituendo sub finem mundi, ut Papani nugantur, quod nunquam futurum. Dan. 9. 26. 27. nec si fieret, templum Dei ullo modo dici posset, vel adhuc stante tempore Pauli, ut finxit Grotius, cùm illo tempore revelari impius iste nec potuerit, nec debuerit. Sed mystico Ecclesiæ, non tam in *sensu composito*, sic ut tale maneat, sed in *sensu diviso*, sic ut fieret ex domo Dei spelunca latronum. Matth. 21. 13. Templum enim Dei quod Antichristus occupat tale dicitur, non quòd tale revera maneat ab ipso occupatum, sed quòd & tale antea esset, & tale ex sua professione deberet remanere; prout Jerusalem madens sanguine Prophetarum & ipsius Christi, dicitur tamen
Matth. 27. 53. *Civitas sancta.* Matth. 27. 53.

3. Nec solùm erat sessurus in Ecclesia Dei, sed etiam sessurus in templum & Ecclesiam Dei, hoc est, (quod facit Papa) omnia quæ de Christi Ecclesia dicta sunt, sibi tributurus, & omnem Ecclesiæ authoritatem ad se rapturus, ac illam exerciturus non ex urbe Hierosolymorum,
Apoc. 14. 8. sed ex ἑπταλόφῳ Babylone; qua Romam intelligi. Apoc. 14. 8. *Cecidit Babylon, urbs illa magna, quia vinum excandescentiæ fornicationis suæ potandum præbuit omnibus gentibus,*
Apoc. 17. 1. & seq. & Apoc. 17. 1. & seq. ubi fusiùs describitur meretrix illa magna *sedens super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, insidens bestiæ coccinæ, amicta purpura & cocco, ebria sanguine martyrum*, &c. non Ethnicam, & qualis erat ante fidem admissam, sed qualis futura erat post fidem acceptam & abnegatam sub Antichristo, etiam agnoscunt aliquot Jesuitæ.

4. Quin etiam illa elogia coccineæ meretricis & matris fornicationum, quæ spiritualiter Sodoma & Ægyptus dicatur, ac bestiæ sanguine martyrum inebriatæ Apoc. 11. 8. 13. 15. 17. 4. 6. Romæ optimè conveniunt; ut Papæ ejus capiti, illa hominis peccati, filii perditionis, sese opponentis & efferentis supra quicquid dicitur Deus aut
2. Thess. 2. 3. 4. 8. Numen, scelerati, sive iniqui 2. Thess. 2. 3. 4. 8. uti ex impietate, sævitia, impuritate, sceleribus Pontificum & Curiæ Romanæ, quam *colluviem scelerum* dixit Mantuanus, liquidè constat. Est verò Papa ἄνομος & exlex, qui omnina judi-

judicare & à nemine judicari gloriatur, ac putat sibi omnia & in omnes licere; à nemine redarguendus, etsi catervatim secum innumerabiles populos in gehennam abduceret.

5. Papæ quoque convenit & numerus 666. quem in nomine λατεῖνος, Irenæus & alii observarunt; & character bestiæ; Apoc. 13. 16. 17. 18. qui in variis tesseris communionis Pontificiæ, ac nominatim Confirmationis imaginario Sacramento, signo crucis, rasura & chrismate Sacrificulorum, consistit. Tum omnis Papæ authoritas, *simulachrum* est prioris bestiæ, & ita Imperii Romani prisci refert effigiem, ut illud in Curia Romana revivisce videatur.

6. Ipse etiam Papa se effert supra omne Numen, id est. 1. Supra id quod perperam in communione Romana colitur & adoratur. Ipse enim sibi tribuit Apotheoseôn jura, & major Divis debet esse qui eos facit; & Deus ejus Maozim sive Missaticus, jumento vehitur ex Ceremoniali, dum ipse humeris hominum sublimis effertur. 2. Supra omnes Reges & Principes, qui & Dii & σεβαστοὶ dicuntur etiam in Scriptura. 3. Supra ipsummet verum Deum, dum seipsum Altari impositum proponit adorandum, multiplicem idololatriam instituit & propugnat, Scripturarum θεοπνευστῶν authoritatem omnem ex sua suspendit, calicem Eucharistiæ Laicis denegat, sibi tribuit facultatem dispensandi contra jus divinum, &c. Imò se gerit pro Deo & nomine & re; sæpius enim Dei nomen & Divina ipsiusque Christi attributa sibi tribuit. Gloriatur se omnem potestatem consecutum in cœlo & in terra, Scripturæ Sacræ esse interpretem infallibilem, &c.

7. Antichristus se ostentaturus erat variis miraculis mendacii. 2. Thess. 2. 9. tum mendacibus in se, tum ad mendacium firmandum ordinatis; adeo ut gloriam Miraculorum Ecclesiæ suæ notis annumeret, & per excommunicationes suas, ignem cœlitùs elicere glorietur. Apoc. 13. 13.

OBJECTIONES.

1. *Elias sub finem mundi ex paradiso redibit ad pugnandum cum Antichristo, & ad ipsum trucidandum, ut innuitur. Malach.* 4. 5. R. Quod Malachias de Elia dicit, in Malach. 4. 5.

Johanne Baptista impletum esse constat ex Luc. 1. 17. & Christus ipse testatur. Matth. 11. 14. *Si vultis credere, ipse est Elias qui venturus erat.* Marc. 9. 13. *dico vobis: Elias ille jam venit, & fecerunt ei quæcunque voluerunt.* Judæi credebant Eliam mittendum fuisse, priusquam regnum suum Messias auspicaretur; fatetur Christus, id quidem verum esse, sed factum jam fuisse testatur.

Inst. 1. *Malachias loquitur de ultimo adventu, quia vocat illum diem domini magnum & horribilem.* R. 1. Vox הנורא non significat tantùm horribilem, sed etiam reverendum. 2. Adventus Christi primus ita dicitur, quia *magnus est sanctis, horribilis peccatoribus*, ut ait Hieron. Nam cùm Judæi Christum venientem respuissent, ille terram eorum excidio percussit, ex oraculo Prophetæ Malac. 4. 6. Atque respectu hujus judicii & excidii, quod Christi adventum erat subsecuturum, adventus ipse Christi ut terribilis describitur. Malac. 3. 2. & à Joh. Baptista Matth. 3. 10.

Matth. 17. 11. Inst. 2. *Elias dicitur venturus. Matth.* 17. 11. R. Hoc non ita intelligendum est, quasi adhuc venturus esset, sed quia juxta Malachiam olim venturus erat, & restituturus omnia; ut Matth. 11. 3. Joh. Bapt. per discipulos suos Christum interrogat; *Tune es qui venturus erat?* non quasi tunc Christus adhuc venturus fuisset, sed quia juxta Prophetias venturus erat.

Apoc. 11. 3. 2. *Bini testes, i. e. Enochus & Elias Apoc.* 11. 3. *nondum venerunt.* R. Per binos testes non intelliguntur Enoch & Elias, quia semel immortalitate donati ulterius morti obnoxii non sunt, ut vel neci possint tradi ab Antichristo, vel resurrectione opus habeant: sed ad Verbi Præcones, qui Reformationem præcesserunt, & viam illi aperuerunt, qui aptè dicuntur *bestiæ sese opponere, occidi, habere cadavera, non sepeliri, revivíscere* in successoribus, qui bini dicuntur sive propter paucitatem, numero certo pro incerto posito, sive, quia ut plurimùm Deus ad Ecclesiam suam instaurandam binos & binos emisit, ut Mosem & Aaronem; Eliam & Elisæum; Zorobabelem & Josuam in V. T. & in Novo Discipuli bini & bini mittuntur ad prædicandum. Marc. 6. 7. in Reformatione excitavit Johannem Hussum & Hieronymum Pragensem in Bohemia, Zuinglium & Oecolampadium in Helvetia, Luthe-

Lutherum & Melanchthonem in Germania, Calvinum & Farellum in Gallia.

3. *Antichristus debet esse unica persona.* R. non numericè unica, sed una *successivè & repræsentativè*, prout Monarchiæ dicuntur uni subesse: Et sicut ὁ κατέχων apud Paulum Imperatorem Romanum denotat in communi; 2. Thess. 2. 7. sic Papam in communi denotat ὁ ἄνομος: Et ea tribuuntur Antichristo in Scriptura, imò ab ipsis Pontificiis, quæ non nisi pluribus seculis, nedum ab unico homine aut triennii spatio, peragi possunt.

Inst. *Si venerit alius in nomine suo. Joh. 5. v. 43.* R. *Alius* non de una tantùm persona, sed de omnibus ita venientibus dicitur: ut Joh. 4. v. 37. *Alius est qui seminat, alius qui metit.* 2. Uni Christo plures possunt opponi. Joh. 5. 43.

4. *Sedes Antichristi erit in urbe, in qua Christus crucifixus est. Apoc. 11. 8.* R. Habetur *spiritualiter* crucifixus est, quod fit ubique, ubi ejus doctrina supprimitur. Apoc. 11. 8.

5. *Reformati committunt crimen læsæ majestatis Principum Christianorum qui cum Papa communicant, dum hunc faciunt Antichristum.* R. Neg. Nam 1. Papa dicitur à nobis Antichristus non animo conviciandi, sed tantùm ut conscientiarum nostrarum sensum exprimamus, & causam nostræ secessionis ab illius communione in timore Domini reddamus. 2. Tantum abest, ut Reges & Principes Christiani debeant id ægrè in nobis ferre, ut è contrario nostrum illis sic approbemus obsequium, quatenus nempe ipsorum independentiam propugnamus, & diademata quæ gestant à subjectione Papali vindicamus. 3. Imò nec omnes communionis Romanæ homines Antichristianos statuimus: tum, quia inter seductos & seductores merito distinguendum; tum quia plurimi sunt in ea communione, qui τὰ βάθη τοῦ σατανᾶ Apoc. 2. 24. non noverunt, & Papam considerant tanquam Episcopum primæ sedis, non verò tanquam Ecclesiæ Monarcham infallibilem, & totius orbis in temporalibus & spiritualibus Dominum, suspiciunt. Quin quotquot è Pontificiis detrectant Papæ vel infallibilitatem in fide, vel suprematum in Reges agnoscere, & eum subjiciunt Concilio, eo ipso huic Antichristianismo tacitè renunciant.

6. *Neminem debemus damnare. At, hac ratione damnantur*

nantur personæ Pontificum. R. Non personas hîc consideramus, sed munus ac dignitatem; de Papatu loquimur, non de Papis, quos Deo & suæ conscientiæ relinquimus. Quamquam & hîc ex confessione Marcellini II. non videntis quî Papa posset servari, declaratione Adriani VI. nullum supplicium majus hosti expostcentis, quàm ut Papa fieret, agnitione Pii V. se cùm esset religiosus bene sperâsse de sua salute, Cardinalem creatum extimuisse, sed factum Pontificem penè desperare, Papas αὐτοκατακρίτους facilè esset demonstrare: Nec mollius expectari debet à nobis de Pontificibus judicium, quàm Bellarminus tulisse fertur de Sixto V. *Quantum sapio, quantum capio, quantum intelligo, descendit ad inferos.*

XVI. Ministri Ecclesiæ *ordinarii* in V. T. erant, Sacerdos primus, Sacerdotes, Levitæ, Scribæ: *extraordinarii*, Apostoli & Prophetæ. 1. Cor. 12. v. 28.

XVII. In N. T. *ordinarii* sunt: Pastores, Seniores, Diaconi: *extraordinarii*, Apostoli & Prophetæ. 1. Cor. 12. v. 28.

XVIII. Quadruplex est potestas Ecclesiæ. 1. Vocandi pastores. 2. Prædicandi verbum Dei. 3. Administrandi Sacramenta. 4. Exercendi disciplinam.

XIX. Vocatio autem statuitur duplex. 1. *Interna*, quâ Deus alicui animum, & requisita dona largitur. 2. *Externa*, ad quam pertinet. 1. Electio Ecclesiæ. 2. Examinatio. 3. Confirmatio.

CONTROVERSIA. I.

Necesse est dari Ministerium publicum.

An necesse sit dari ministerium publicum, & vocationem ad illud in Ecclesia? Affirm. cont. Fanaticos & Enthusiastas.

Non quæritur. 1. De *utilitate* ministerii, vel de ejus *dignitate*: sed de *Necessitate*, an necesse fuerit in Ecclesia tale aliquod munus institui? quod Adversarii negant; Nos affirmamus. Nec quæritur 2. De *necessitate absolutâ & simplici*; Non enim negamus Deum potuisse, si voluisset, homines immediatè per se absque hominum ministerio convertere & salvare. Sed de *necessitate hypothetica*, relatè ad ipsam Dei εὐδοκίαν & Decretum, quam asserimus contra hodiernos Enthusiastas &

Svvenck-

Swenkfeldianos, aliosque id genus fanaticos, qui solos affiatus divinos, & ἐνθουσιασμοὺς jactant.

ARGUMENTA.

1. Expressa Dei institutio, qui tum in Veteri tum in Novo Testamento Ministros sacros partim ordinarios, partim extraordinarios vocavit. Eò pertinet vocatio Apostolorum. Matth. 28. 19. 20. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. &c.* Quod Apostolus confirmat. Eph. 4. 11. *Christus*, inquit, *in cœlum evectus, quosdam dedit Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores, ad coagmentationem Sanctorum, ad opus Ministerii, & ædificationem Corporis Christi, donec perveniamus omnes ad unitatem fidei*, &c. Matth. 28. 19. 20. Eph. 4. 11.

2. Consilium Dei per prædicationem Evangelii homines ad salutem vocandi, hoc evincit. Cùm enim *homo animalis non capiat ea quæ sunt Dei.* 1. Cor. 2. 14. opus habuit doctrinâ & institutione, quæ non aliunde quàm ex Verbi Ministerio haberi potuit. Nam, *postquam in Sapientia Dei, mundus non cognovit Deum per sapientiam, placuit Deo salvos facere credentes per stultitiam prædicationis.* 1. Cor. 1. 21. Unde alibi necessitatem prædicationis ex isto Dei concilio arcessit. Rom. 10. 14. 15. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt, quomodo credent in eum, de quo non audiverunt, quomodo prædicabunt nisi mittantur? fides ergo ex auditu, auditus verò ex verbo Dei.* 1. Cor. 1. 21. Rom. 10. 14. 15.

3. Natura ministerii hoc postulat, quia Pastores sunt Legati. 2. Cor. 5. 10. œconomi & Dispensatores mysteriorum in domo Dei. 1. Cor. 4. 1. milites Christi. 2. Tim. 2. 3. operarii in agro Domini. At hæc officia omnia vel à Principe, vel à Patre-familiâs, vel ab Imperatore, vel à Domino messis & vineæ vocationem requirunt.

4. Deus ἀυτοκλήτους damnat, & graviter in eos invehitur, tanquam Pseudo-Prophetas & deceptores. Jerem. 23. 21. *Non misi Prophetas, & ipsi cucurrerunt, non loquutus sum ad ipsos, & ipsi prophetarunt.* Et v. 32. *Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui seduxerunt populum meum in mendacio suo, cùm ego nec misissem eos, nec mandâssem eis.* Et quotquot in Ecclesia docent Jer. 23. 21. v. 32.

non vocati nec missi, dicuntur venire *in suo nomine*, non
Joh. 5. 43. autem Christi. Joh. 5. 43. qui propterea *furum* & *latronum* no-
Joh. 10. 8. men merentur, non verorum Pastorum Joh. 10. 8.
Heb. 5. 4. 5. Ex Heb. 5. 4. *Nemo sibi sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo sicut Aaron; sic & Christus non seipsum glorificavit, sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu*, &c.

6. A praxi Ecclesiæ, & ab Exemplis. Quia nemo munus Sacrum sine vocatione susceptit: Patet in Sacerdotibus, Prophetis, Christo, & Apostolis. Unde subinde ad vocationem suam provocant Prophetæ. Jesaj. 6. v. 8. *Audivi vocem Domini, dicentis: Quem missurus sum? & quis iturus est nobis? cui dixi: En ego, mitte me.* Jer. 1. 4. *Fuit verbum Jehovæ ad me.* Christus. Luc. 4. 18. Ex Jesaj. 61. 1. 2. *Spiritus Domini super me, propterea quòd unxit me, ut evangelizem pauperibus, misit me, ut medear contritis corde*, &c. Joh. 20. 21. *Sicut misit me Pater, itu ego mitto vos.* Apostolus. Rom. 1. 1. dicit se separatum ad prædicandum Evangelium, &c. Et qui in docendi munere ipsis successerunt,
Act. 14. 23. non sine solenni vocatione id aggressi sunt. Act. 14. 23. *Paulus & Barnabas cùm constituissent per singulas Ecclesias*
1. Tim. 4. 14. *Presbyteros, & orâssent cum jejunio, commendârunt eos Domino.* Et. 1. Tim. 4. 14. *Gratia* dicitur *data* Timotheo *per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij*, &c.

OBJECTIONES.

1. *Docere est opus charitatis. E. cuilibet licet.* R. Aliud est docere ex charitate, & vocatione generali Christianorum, quod omnibus competit sine peculiari vocatione; aliud verò publicè & ex authoritate, quod solis legitimè vocatis competit. Sic opus bonum in se non bene factum facienti cedit in malum, ut arcæ sustentatio ab Uza.

2. *Opus bonum à quolibet indiscriminatim debet præstari.* R. Neg. Magistratum gerere est bonum opus; nec tamen licet cuiquam illud sine vocatione speciali exercere. Legationem obire est bonum opus, nemo tamen dixerit hoc ab omnibus posse & debere sine vocatione suscipi.

3. *Charitas quamvis arripit Evangelij propagandi ansam.* R. Alia est ratio perturbatæ, vel constituendæ Ecclesiæ; alia constitutæ, & bene ordinatæ. In prima charitas quamvis arripit occasionem. In altera verò, prospiciendum est, ut omnia decenter fiant, & ex ordine. 1. Cor. 14. 40.

1. Tim. 3. 1. 4. *Quivis Episcopatum desiderare potest.* 1. *Tim.* 3. 1. R.

Per

Per τὸ ὀρέγεσθαι & ἐπιθυμεῖν, non intelligit Apostolus ministerii sacri proprio arbitrio sine vocatione susceptam administrationem: Sed ordinatum & pium illud desiderium, quo quis Ecclesiæ operam sponte addicit, & notatur vocatio interna, quæ non excludit externam.

5. *Omnes Christiani possunt & debent laudes Dei celebrare, hostias spirituales Deo offerre, & se invicem hortari ac consolari. Eph.* 5. 19. *Col.* 4. 16. 1. *Thess.* 4. 18. R. Tamen non sequitur, speciale mandatum non requiri ad opus publicum Ministerii verbi, & Sacrorum administrationem, quæ non licet ἀκλήτοις tractare.

6. *Dispersi illi, de quibus Act.* 8. 4. *agitur, à morte Stephani Evangelium prædicârunt.* R. Hi non fuerunt absolute destituti vocatione, quia potuerunt esse inter ipsos vel Evangelistæ, vel Presbyteri & Diaconi, ut Philippus. Act. 21. 8. Adde, quòd agebatur de Ecclesia constituenda, non constitutâ. Act. 8. 4.

7. *Familia Stephanæ sese in ministerium Sanctis addixit,* 1. *Cor.* 16. 15. R. Aliud est se accingere ad ministrandum necessitatibus Sanctorum, quod h. l. dicitur de domo Stephanæ & Fortunati, primitiis Achajæ; aliud, se ordinare in Presbyteros, ut aliis verbum prædicarent, & Sacramenta administrarent. Quòd si hoc ad ministerium Verbi extenditur, innuitur eos ultrò operam suam ex charitate obtulisse, legitimè tamen vocatos, vel se segregâsse certo voto ac proposito ad hoc sacrum munus, non exclusâ tamen vocatione legitimâ. 1. Cor. 16. 15.

8. *Fideles dicuntur* θεοδίδακτοι, *Jesaj.* 54. 13. *& Joh.* 6. 45. *Et Deus ex fœdere gratiæ debuit Legem inscribere cordibus fidelium, ne deinceps opus habeant ut quisquam eos doceat. Jer.* 31. 34. *Unctione sacrâ eos omnia docente.* 1. *Joh.* 2. 20. 27. R. Hoc non intelligendum est simpliciter & absolutè, ad excludendam necessitatem ministerii Evangelici; aliâs frustra Johannes ad fideles scriberet, & frustra dati essent Apostoli, Pastores & Doctores: Sed dicta ista intelligenda sunt comparatè & secundùm quid, de cognitione N. Test. quæ longè amplior debuit esse cognitione Veteris. Jes. 54. 13. Joh. 6. 45. Jer. 31. 34. 1. Joh. 2. 20. 27.

9. *Spiritus nos ducit in omnem veritatem. Joh.* 16. 13. R. Non immediatè, per enthusiasmos, sed per media ab ipso ordinata, verbi sc. præconium, & hominum studium.

CONTROVERSIA II.

An vocatio ordinaria semper sit necessaria?

An vocatio ad ministerium ordinaria semper sit necessaria? Neg. c. Pontif.

Non quæritur; An non obstante vocationis ordinariæ defectu, liceat cuivis in omni casu & in omni tempore, & in Ecclesiæ statu constituto & bene ordinato, Verbum publicè prædicare, & alias partes muneris sacri peragere, quod fieri ritè non posse supra evicimus contra Fanaticos & Enthusiastas. Sed, an in casu necessitatis ineluctabilis, & in statu Ecclesiæ perturbato & corrupto, nulli liceat partes ullas muneris sacri obire, nisi iis, qui ordinariè vocati sunt, & missionem à Rectoribus Ecclesiæ habuerunt; Quod negamus, Pontif. asserunt.

Talem enim vocationis & missionis ordinariæ necessitatem esse pertendunt; ut si fortè talis casus daretur, ut si Ecclesia aliqua visibilis cum ministerio publico esset hæresi & idololatriâ corrupta, quæ veros fideles ex sinu suo ejiceret, satius esset pios illos manere sine Pastoribus & cultu externo, quàm usurpare jus creandi Pastores, & dandi illis potestatem verbum prædicandi, & Sacramenta administrandi, ut loquitur author Libri de Præjud. c. 5. Unde ex Vocationis & missionis defectu Reformatores nostros tanquam Schismaticos & Usurpatores damnare solent. Nos verò sic censemus: Licèt vocatio ordinaria necessaria sit in Ecclesia constituta; non ita tamen esse necessariam in constituenda & corrupta, quin fideles possint partes illas obire ex vocatione extraordinaria, quæ talis sit, si non quoad munus & doctrinam, saltem quoad actum vocandi & ordinem receptum; si non ex authoritate publicâ & quoad ritum solennem; at ex charitate privata à Deo singulis imposita ex vocatione generali.

ARGUMENTA.

1. Quum munus publicum, quod ad errores profligandos inservire debet, vel nondum est constitutum, vel si jam constitutum est, ita corruptum, ut loco veritatis mendacium doceat; tunc quivis in eo rerum statu, non modò curare debet ea quæ sunt salutis propriæ, retinendo veritatem agnitam, & generosè abjiciendo errores receptos, sed & omni studio ea quæ pertinent ad salutem proximi pro-

promovere; planè, sicut licet cuivis domestico claves sumere, & portas claudere latronibus, si in domo ostiarius lethargo oppressus fuerit; ubi grassatur incendium, quis dubitat omnium esse aquam afferre ad illud restinguendum, cessantibus præsertim iis, ad quos hæc cura pertinebat? Sic milites hostem in se irruentem videntes, duce suo stertente, vel proditoriè cum hoste colludente, non otiosi manebunt, & expectabunt mandatum Ducis, sed ipsi de propulsando hoste consilia agitabunt, ne officio suo desint? Quum res ipsa vocat, quid opus est vocem externam petere?

2. Non rarò contigit, ut in casu necessitatis, & quum actum est vel de Ecclesia constituenda, vel de ea restauranda, non pauci sine vocatione ordinaria munus sacrum obiverunt. Eò pertinet, quod dicitur. Act. 8. 4. de illis, qui Act. 8. 4.
post mortem Stephani, huc illuc vento persecutionis dispersi, Evangelium prædicârunt, quod in specie de quibusdam Cypriis & Cyreniis dicitur. Act. 11. 20. 21. qui Act. 11. 20. 21.
Antiochiam profecti evangelizârunt Græcis, & manus Domini dicitur fuisse cum ipsis, ita ut magnus numerus credidit, & conversus fuerit ad Dominum. cap. 18. 3. Apollos Cap. 12. 3.
edoctus viam Domini ab Aquila & Priscilla publicè convincebat Judæos, demonstrando ex Scripturis, Jesum esse Christum. v. 25. 26. Plura habet id genus historia Ecclesiastica. Huc facit quod Theodo. & Sozomen. referunt de Ædesio & Frumentio juvenibus: qui in Indias delati Evangelium prædicârunt, nec tantùm Regem & Reginam ad fidem Christi adduxerunt, sed cœtus etiam publicos instituerunt. Et de fœmina captiva, quæ Iberos ad Christum convertit, adductâ primò ad fidem Reginâ, mox per Reginam Rege, qui totius gentis conversionem quærens, factus fuit suæ gentis Apostolus. Sic Theodoretus refert lib. 4. c. 14. fideles Samosatenses desertos à Pastoribus, Pastoris munus obisse. Et cap. 24. Aphraatem Laïcum Monachum, quales tum erant, tempore Arianæ hæreseos egressum, ut fideles adversus pestiferam illam luem præmuniret, &c. Si hodie fideles in remotissimas orbis plagas tempestate delati, per naufragium in littus exponantur inter populos barbaros, ac illic manere cogantur, sine ulla spe redeundi: annon ex lege charitatis fidem Christi paganos docere deberent? Ita, si fortè contingat,

in

in graviſſima alicujus Eccleſiæ vel Provinciæ perſecutione, ut paſtores omnes vel prorſus tollantur, vel ita diſſipentur, ut non poſſint facilè colligi, aut aliunde alii Paſtores haberi; An in eo caſu conſultius erit populum fidelem manere ſine cultu externo, & ſic pati lucem Euangelii intercidere; quàm ut liceat privatum aliquem de corpore ſuo idoneum eligere & conſtituere, à quo paſcatur & doceatur, quamvis ordo receptus obſervari non poſſit?

OBJECTIONES.

1. *Lata porta aperitur confuſioni, & quibusvis turbonibus, ſi vocatio externa deſit.* R. Neg. Quia is turbator dicitur, qui ordinem poſſibilem negligit, ſed non is, qui ordinem toto animo cupit, at eum conſequi propter ſummam rerum perturbationem non poteſt. Turbo ille dicendus, qui ordinem bene conſtitutum temerè & ſine ratione negligit; non verò is, qui ineluctabili neceſſitate coactus eſt eum omittere.

2. *Schiſmaticus ille eſt, qui ſine conſenſu ſocietatis à doctrina & cultu in illa ſocietate recepto recedit.* R. Neg. Quia vera unio non ſita eſt in erroribus & falſis cultibus, quantumvis communibus & longo uſu receptis, quia iſta ſocietatem vaſtant, non conſervant.

CONTROVERSIA III.

Vocatio primorum Reformatorum.

An primi Reformatores, Lutherus, Calvinus, & alii, habuerint legitimam vocationem? Aff. cont. Pontif.

Perperam ſupponunt Adverſarii, miſſionem eſſe titulum, ex quo nobis adſcripſimus jus immutandi Eccleſiam; nam non alium titulum habuimus, quàm veritatem doctrinæ. Et, dum Pontificii Reformationem à Majoribus noſtris inſtitutam ut illegitimam, & ſine vocatione ſuſceptam damnant, agendi rationem Phariſæorum imitantur, qui in vocationem Chriſti inquirentes inquiunt: *Quâ authoritate iſta facis, & quis tibi dedit iſtam authoritatem.* Matth. 21. v. 23.

Nos Reformatores noſtros ſpectandos dicimus in duplici ordine: Primus eſt eorum, qui vocati ſunt & ordinati in Eccleſia Romana: Secundus eorum, qui à cœtibus fide-

fidelium sine pastoribus vocati sunt. Utrorumque vocationem probamus sequentibus

ARGUM.

1. Quod attinet ad eos, qui vocati & ordinati sunt in Ecclesia Romana, non potest illis denegari vocatio legitima, nisi velint Pontificii fateri, se destitui vocatione legitimâ. Nam vel illorum vocatio est legitima, vel non: Si est legitima, non possunt illam culpare in Nostris: Si non est legitima, malè ejus defectum Nostris objiciunt.

Exc. 1. Exc. 1. *Exciderunt vocatione suâ, impugnando doctrinam receptam in Ecclesia Romana.* R. Tantum abest, ut ideo possint dici excidisse vocatione suâ, ut contrà eam ad verum & legitimum ejus finem retulerint. Non fuit quidem intentio eorum qui eos ordinaverant, ut doctrinæ receptæ se opponerent; sed attendendum illis fuit ad Christi mandatum, & ad munerum suorum primævam obligationem & naturam. Nimirum distinguendi sunt accuratè. 1. Duo fines qui hîc occurrunt; est *primarius* Dei authoris vocationis, & muneris ipsius; alius *secundarius*, & minus principalis hominum vocantium; Certum est, eos non respexisse ad finem hominum, qui erat tueri & propagare doctrinam papalem; sed respexerunt ad finem primarium muneris ipsius, & Dei vocantis, qui fuit veritatem docere, & animas Christo lucrari. 2. Vocatio alia est, quæ institutione suâ falsa est & illegitima omni modo, quæ tendit primariò ad impietatis & idololatriæ propagationem; alia quæ institutione quidem suâ sancta est & justa, sed abusu hominum corrupta degeneravit, & ab ipsis ad erroris propagationem dirigitur. Prima absolutè rejicienda: Sed altera corrigenda est & repurganda. Talis autem est Episcoporum & Presbyterorum vocatio in Ecclesia Romana, quæ quoad institutionem Dei bona fuit, sed quoad abusum hominum mala facta est: Unde resecatio errorum & corruptelarum ab hominibus invectarum, non potuit esse vocationis abrogatio, sed correctio & restitutio. Eò enim semper tendere debuit, ut vocatus religiosè & sanctè ex Dei instituto munus suum obiret, ad veritatem indagandam, amplectendam, docendam, errorem profligandum, & salutem gregis procurandam.

Exc. 2. Exc. 2. *Excommunicati sunt Reformatores ab Ecclesia Romana. E. exciderunt vocatione quam acceperant.* R. Neg. conseq.

conseq. Nam quia excommunicatio illa injusta fuit, non potuit illis auferre jus suum; ut non ideo Apostoli vocationem suam amiserunt, quia excommunicati sunt à Synedrio Judaico; Nec Episcopi Orthodoxi, qui ab Arianis excommunicabantur, maximè, cùm ex Hypothesi Pontificiorum ordo imprimat characterem indelebilem.

Exc. 3. Exc. 3. *Si vera vocatio in Ecclesia Romana fuit. E. agnoscitis Ecclesiam Romanam fuisse veram Ecclesiam.* R. Neg. Nam non statim, ubi est vocatio vera, ibi est Ecclesia vera; quia ad veritatem vocationis sufficit professio Christianismi, quæ in Ecclesia falsa & hæretica potest dari. Nec magis potest ex vocatione colligi veritas Ecclesiæ, quàm ex baptismo, quem verum esse posse, etiam in Ecclesia hæretica constat. Ita missio potest esse inter eos: qui vera Ecclesia non sunt, sed Ecclesiæ aliquid retinent, quia missio non oritur ab Ecclesia, ut fonte & principio, sed à Deo per homines, etiam malos; ut nihil refert ad efficaciam sementis ac plantationis, utrum lotis manibus, an sordidis id fiat, modò bonum sit semen, & terra fertilis. Sic in Ecclesia Judaica Idololatrica manebat tamen vocatio.

2. Eadem est ratio illorum, qui licèt non vocati ab Ecclesia Romana, hoc opus susceperunt: Nam vocationem Dei apud eos interceßisse, colligitur. 1. Ex *necessitate*; Nam in statu ineluctabilis necessitatis constituti fuerunt Reformatores: Ecclesiam enim Romanam corruptelis exitialibus innumeris laborantem videbant, quas profiteri non poterant sine præsenti salutis discrimine; nec ulla Reformatio expectanda fuit à Rectoribus Ecclesiæ: Accedit ipsius Dei mandatum, exeundi ex Babylone. Apoc. 18. & secedendi à communione errantium. 2. Cor. 6. 16. 17. 2. Ex *Charactere vocationis* illis impresso: qui constitit non modò in puritate doctrinæ, & vitæ innocentiâ, sed etiam in *donis* extraordinariis, quibus servos suos ornabat, & arcano impulsu, heroicoque motu, quo eos excitavit ad tantum opus suscipiendum. 3. *Ex successu mirabili*, quem Deus dedit illorum laboribus, quo factum est, ut tantum opus non modò cœperint, sed promoverint & perfecerint.

OBJECTIONES.

1. *Omnis vocatio extraordinaria miraculis debet confirmari. At vocatio primorum Reformatorum ita non fuit confirma-*

firmata. R. Neg. anteced. Nam & varii Prophetæ, & Johannes Baptista, qui fuerunt extraordinariè vocati, nulla fecerunt miracula. 2. Ea tantùm vocatio debet miraculis confirmari, quæ talis dicitur ratione novæ doctrinæ, vel novi muneris, qualis fuit vocatio Mosis & Apostolorum, quia veterem cultum antiquabant, & novum instituebant. Sed ubi eadem doctrina, quæ antea tradita fuit, retinetur & repurgatur, non opus est miraculis, quia eadem miracula, quibus ante confirmata fuit, ad ejus confirmationem adhuc faciunt; Talis autem fuit vocatio Reformatorum, qui novam doctrinam non afferebant, sed doctrinam Christi, hominum erroribus corruptam repurgabant.

2. *Si vocatio quam habuerunt Reformatores vestri, bona fuit, cur ergo reordinantur illi, qui nunc ex Papatu ad vos veniunt?* R. Hæc reordinatio non evincit, vocationem eorum fuisse nullam; sed tantùm, fuisse corruptam & vitiatam, quæ ideo repurgari debet. 2. Nec si talis vocatio sufficere potuit ad Ecclesiam reformandam, quia alia haberi non potuit; sufficere debet in Ecclesia jam reformatâ. 3. Reordinatio ista non tam est nova ordinatio absolutè, quàm reformatio & repurgatio prioris. 4. Adde, quòd ingrediendo in novam societatem, à qua debebant pendere, æquum fuit ab ea mandatum & missionem recipere, 5. Cùm ordinatio non sit Sacramentum, nec in ejus iteratione quicquam sit damni, imò non parum faciat ad ædificationem Ecclesiæ, nihil obstat eam iterari, nec secunda consecratio derogat prioris validitati, imò eam confirmat in iis quæ bona sunt, cujus exemplum habetur. Act. 13. 2. 3. ubi Paulo & Barnabæ jam vocatis imponuntur denuò manus.

3. *Reformatores similes fuerunt Donatistis & Novatianis.* R. Neg. Nam illi sine necessitate, & temerè secessionem fecerunt ab Ecclesia, propter facta personalia. Cùm nostri gravissimis de Causis doctrinæ ipsius corruptionem spectantibus, reformationi manum adhibuerint.

XX. Vocatio Reformatorum potest dici *ordinaria* & *extraordinaria* diverso respectu. *Ordinaria* fuit. 1. ratione *muneris*, quia ministerium non fuit novum & extraordinarium, qualis erat Apostolatus; sed idem illud munus ordinarium, quod à Christo & Apostolis institutum est,

Vocatio Reformatorum vel ordinaria est,

vel extraordinaria, diverso respectu.

est, & quod durare debet usque ad consummationem seculi. 2. ratione *doctrinæ*, quia non novam doctrinam proponere debuerunt, sed eandem, quæ ab Apostolis jam prædicata fuerat, nec novam Ecclesiam erigere, sed corruptam reformare. 3. ratione *juris perpetui* quod fidelibus competit veritatem profitendi, & errores rejiciendi. 4. ratione *materialis*, & quoad functiones ordinarias ministerii, nim. verbi prædicationem & sacramentorum administrationem. Sed *extraordinaria* bene dicitur ratione *modi* & *rituum*, qui observari solebant, quia non facta fuit modo ordinario, & in Ecclesia Romana usitato, sed præter ordinem & ritus receptos, propter casum summæ necessitatis. 2. Ratione *exercitii*, quia, licèt Reformatio fuerit functio ordinaria muneris sui, ad quam non opus habebant novo ullo jure, vel novo ministerio; cùm teneatur quilibet Pastor reformare gregem suum, quoties opus est: Quia tamen non quotidie hoc fieri solet; in hoc opere fuit aliquid extraordinarii, quatenus populi eguerunt auxilio extraordinario & insolito ad repurgandam doctrinam & cultum a corruptelis adhærentibus. Cùm ergo juxta varias κρίσεις rectè possit dici vocatio ista & ordinaria, & extraordinaria, mirum non debet videri, si diversimodè loquantur Nostri; nonnulli ordinariam vocando, alii extraordinariam, diverso respectu, veritate eadem manente.

CONTROVERSIA. I.

Identitas Presbyteri cum Episcopo.

An Episcopi sint juris divini, i. e. an Christus instituerit, ut pastor aliquis potestatem habeat in alias Ecclesias, & Ecclesiarum Rectores, ejusque solius sit vocare pastores, administrare Sacramenta, exercere disciplinam?

Neg. c. Pontif. & alios.

Quæstio hæc nobis intercedit non modò cum Pontificiis, qui affirmativam ut Hierachiæ suæ fundamentum tuentur, sed & cum variis Protestantibus: Licèt verò magnum sit inter eos & Pontificios discrimen, quoad tyrannidem Antichristianam, quam isti in conscientias erigunt, à qua illi sunt alieniissimi. In eo tamen utrique conveniunt; quòd Episcopos jure divino Presbyteris, quoad potestatem ordinis & jurisdictionis superiores esse statuant.

Non

Non autem quæritur. 1. De Presbyteris, quales nunc dicuntur apud Pontificios, qui hoc nomine intelligunt Sacerdotes Missaticos, qui sacrificandi & Deo offerendi in sacrificium ἱλαστικὸν Christi Corpus potestatem sibi collatam esse jactant. Sed de iis, qui ab Apostolis constituti in Ecclesiis particularibus potestate prædicandi verbum & administrandi Sacramenta, & Ecclesiam cui præpositi erant, regendi, instructi erant. Horum verò denominatio potuit fieri ab Apostolis allusivè, ad morem Vet. Test. ubi Judices qui in singulis civitatibus constituebantur, vocabantur זקנים *Seniores*, quia homines provectæ ætatis solent esse graves & prudentes, quales decet esse judices. Viri autem Synedrii magni vocabantur זקני העם πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ in Novo Test. Ita qui ab Apostolis constituebantur ad Ecclesiæ curam, dicti sunt πρεσβύτεροι, non tantùm propter ætatem, quòd ex seniorum numero communiter eligerentur, sed & præcipuè honoris & muneris causâ, quòd illi in Ecclesia habebantur tanquam ejus Rectores & Judices.

Nec quæritur. 2. De *distinctione ordinis* seu *politia* inter plures ejusdem Ecclesiæ Ministros, ut unus cæteris præsit, & in sacris Conventibus præsideat, sive Episcopi, sive Superintendentis titulo. Hoc enim commodè fieri posse non negamus. Sed de *distinctione potestatis*, tam quoad *gradum ordinis*, ex quo Episcopus sit superior munere & dignitate, Presbyter inferior, quam quoad *jurisdictionem*, ex qua hic illius imperio sit obnoxius, quam qui à Nobis dissident obtendunt: Nos neg.

Non quær. 3. de *jure Ecclesiastico*, quod arcessatur ex antiqua consuetudine, quæ non multum post Apostolorum tempora cœpit invalescere Notum enim est, Apostolicam praxim fuisse, ut quibus in locis memorabilem hominum multitudinem converterant, mox Prsbyterium seu Synedrium Ecclesiasticum & Presbyterorum cœtum ex fidelium suffragiis & consensu Ecclesiæ ordinarent, ad Ecclesias constitutas regendas. Unde Paulus: Act. 14. 23. postquam plures in Asia Ecclesias constituit, dicitur Act. 14. 23. χειροτονήσαι πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, i. e. plures Presbyteros in singulis Ecclesiis, ex quibus constabat Presbyterium, ordinâsse. Quia verò in omni cœtu ordo requiritur, ideo inter Presbyteros dabatur primus aliquis, qui

cœtui præesset: Sed *primatus* iste fuit tantùm *ordinis* & *honoris*, non *authoritatis* & *jurisdictionis*. Decedente verò primo Collegii Presbytero, secundus succedebat, & secundo tertius, pro ratione cooptationis: Quæ succedendi ratio per aliquod tempus mansit, donec mutata fuerit sub finem seculi secundi: Tum enim primus Synedrii factus est per reliquorum Presbyterorum electionem, & concessa est illi aliqua Potestas in Sympresbyteros, quæ sensim per gradus crevit, partim Doctorum ambitione, partim Ecclesiarum ipsarum consensu, quibus visa est hæc regendæ Ecclesiæ ratio commodior ad vitanda dissidia; Partim Presbyterorum indignitate & desidiâ, quia cœperunt Presbyteri indigni inveniri ad Primatum tenendum, immutata est ratio, prospiciente Concilio, ut non ordo, sed meritum faceret Episcopum. Qualiscunque autem mutationis istius fuerit causa, certum est, primatum illum, qui per electionem conferebatur, non alium ab initio fuisse à præcedente, ordinis puta & honoris tantùm; nisi quòd Episcopi nomen singulariter tributum est Præsidi electo; nomen verò Presbyteri penes reliquos remansit: qui ita cœtum moderabatur, ut nihil inconsulto Presbyterio agere deberet; Et si ordinandus erat Presbyter, non solus id poterat, sed cum eo adesse debebant Presbyteri, qui manus suas juxta manum Episcopi in eo consecrando tenerent. Deinde Episcopus ita ordinabat Presbyteros, ut Presbyteris etiam liceret Presbyteros & Diaconos ordinare. Sed postea tractu temporis crescente Episcopi authoritate, factum ut ad eum solum potestas ordinandi traducta fuerit. Et sic ordo superior factus est. Sed ita, ut Episcopi omnes inter se æquales essent. Postea primatum tenuerunt, qui primæ Urbis in unaquaque Provincia sedem haberent, qui ideo *Metropolitani* seu *Archiepiscopi* dicti, quorum erat Synodos provinciales convocare, & iis præsidere, & recens electos Episcopos confirmare. Iis etiam nomen *Patriarcharum* in principio commune fuit, quasi πατριεῶν ἄρχοντες, *gentis unius Primates*. Sed postea, cùm à Constantino plures Provinciæ in unam diœcesim redigerentur, distinctio facta est sedium Patriarchalium à Metropolitanis, dum inter plures eodem honore primatûs affectos, aliquis adhuc primus constitueretur. Et ita supra Metropolitanos superiores facti sunt *Patriarchæ*, seu Primates, *Exarchi Diœcesium*

cesium dicti. Sic per varios gradus ventum est ab infimo ad supremum Sacerdotalis potentiæ fastigium. Ex primo Presbytero factus est Episcopus; Ex primo Episcopo Metropoliano Patriarcha: Ex primo denique Patriarcha ille, qui nunc dicitur Papa. De hac consuetudine, paulatim invectâ non quæritur: sed de *jure divino*, quòd in institutione Christi & praxi Apostolorum fundetur, quod negamus.

ARGUMENTA.

1. Hierarchia Papalis nullum fundamentum habet in Dei verbo: Nec quoad vocem, quæ est ἀντίγραφος contraria vocibus διακονίας, δουλείας, &c. quibus ministerium describitur. Nec quoad rem, voce significatam, quæ alienissima est à natura ministerii, & severè interdicitur. Luc. 22. 25. 26. *Reges Gentium dominantur eis*, &c. *Vos autem non sic*, &c. 1. Pet. 5. 3. *Non ut dominantes cleris*, &c. Luc. 22. 25. 26 1. Pet. 5. 3.

2. Quia Episcopus & Presbyter passim in Scriptura pro uno eodemque sumuntur. E. g. Act. 20. 28. Paulus evocatis ad se Presbyteris Ephesinis, ut ipsis valediceret, eos omnes Episcoporum nomine insignit. *Attendite*, inquit, *vobis & toti gregi, super quem Dominus vos constituit* Episcopos. Phil. 1. 1. Apostolus salutat omnes Sanctos Philippis degentes, unà cum Episcopis & Diaconis, nullâ Presbyterorum factâ mentione. Sic 1. Tim. 3. 2. loquitur de variis virtutibus Episcopi, nullâ factâ mentione Presbyteri, quod non omisisset, si existimâsset, distincta esse munera, cùm non minùs necesse sit nôsse qualitates Presbyteri, ac Episcopi. Confirmatur ex Tit 1. 5. 7. ubi postquam dixit, se Titum reliquisse in Creta, ut istic constitueret πρεσβυτέρους κατὰ πόλιν, docet quales debeant esse illi Presbyteri, addens. *Oportet autem Episcopum esse irreprehensibilem*, quod sine ratione diceretur, nisi ex ejus sententia iidem, quos Presbyteros antea vocaverat, essent etiam Episcopi. Act. 20. 28. Phil. 1. 1. 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 5. 7.

3. Quia nulla legitur Episcopi seorsim à Presbytero ordinatio in Scriptura, quod Apostoli non omisissent procul dubio, si credidissent munus esse distinctum, & dignius Presbyteratu.

4. Quia Paulus recensens varios ordines ministeriorum in Ecclesia, mentionem nullam facit Episcopatûs: quod sanè munus non debuit omitti, siquidem constituere debuit

præcipuum gradum ministerii Ecclesiastici, à Presbyteratu distinctum.

5. Quia tam Presbyteri quàm Episcopi idem jus acceperunt à Christo ligandi & solvendi, retinendi & remittendi peccata per usum clavium. Matth. 18. 18. Joh. 20. 21. 22. & ejusdem legationis honorem, & idem reconciliationis ministerium gerunt. 2. Cor. 5. 18. 19. 20. quod dici non posset, si duo ista munera essent essentialiter & jure divino diversa.

OBJECTIONES.

1. *Apostoli, quibus successerunt Episcopi; erant supra 70. discipulos.* R. 1. Gratis supponitur, Episcopos successisse Apostolis, & Presbyteros septuaginta Discipulis; Nam Apostolis nemo succedere potuit in munere Apostolico quà tali, quod fuit extraordinarium ac temporale; Quoad munus verò ordinarium docendi Ecclesiam, non Episcopi tantùm, sed & Presbyteri, i. e. omnes Pastores illis succedunt. 2. Quamvis ordinis Apostolici gradus eminens fuerit, tamen in missione prima illis & 70. Discipulis paria jura data sunt. 3. Si nonnulli ex Patribus dicunt Presbyteros succedere 70. Discipulis non significant, jure divino eam graduum inæqualitatem esse constitutam, sed ita loquuntur post mutationem jam factam.

2. *Timotheus & Titus erant Episcopi.* R. Illi non sunt spectandi ut Pastores ordinarii, sed ut Evangelistæ. 2. Tim. 4. 5. ministri sc. extraordinarii, qui vicariam operam præstabant Apostolis, & qui ad tempus eò mittebantur ad componenda reliqua, quæ Paulus non poterat disponere propter temporis brevitatem: Sed nulli Ecclesiæ & Diœcesi specialiter erant addicti, ut Episcopi Diœcesiani: Paulus nunquam eos vocat Episcopos: Nec si ita nominantur in Epistolarum subscriptionibus, sequitur ideo tales revera fuisse, quia fatentur Viri Docti, tales subscriptiones non esse Canonicas.

3. *Timotheus judex constituitur ab Apostolo Presbyterorum.* 1. *Tim.* 5. 19. quando Paulus ait: *Accusationem non esse suscipiendam contra Presbyterum, nisi sub duobus testibus.* R. Exinde non sequitur, Timotheum ut Episcopum superiorem Presbyterorum supponi. 1. Quia Timotheus h. l. spectatur non ut Episcopus ac minister ordinarius, sed ut Evangelista, qui Apostolicâ & infallibili

1. Tim. 5. 19.

autho-

authoritate erat instructus. 2. Quia licèt spectaretur ut Episcopus, supponitur, inferiores tantùm à superioribus judicari; At quis nescit, æquales ab æqualibus sæpe judicari? Quod potissimùm in judicio Ecclesiastico obtinet, cujus potestas est penes Presbyterium, non modò in inferiores, sed etiam in æquales, ut collegas. Quod E. apud Timotheum accusatio institui debuit, non inde fiebat, quod solus esset judex Presbyterorum, sed quia primus in Collegio, à quo judicium fieri debuit. 3. ὁ πρεσβύτερος hic propriè non est nomen officii, sed ætatis, quo opponitur τῷ νεωτέρῳ, juniori.

4. *Cùm plures essent pastores, tamen uni, ut angelo scriptum est. Apoc. 2. & 3.* R. Angeli Ecclesiarum h. l. non debent sumi *individualiter*, sed *collectivè*, non pro singulari aliquo Episcopo, sed pro toto Presbyterio: Non enim novum est, nomen singulare collectivè sumi. Sic collegium Sacerdotum, quorum erat populum docere, *angeli Jehovæ* nomine insignitur. Malac. 2. 7. sic *Angelus Jehovæ* dicitur *castra metari circa fideles*, i. e. legiones angelorum. Sic nomen filii Dei sumitur collectivè, pro populo Israëlitico. Exod. 4. 23. & Hos. 11. 1. Ita autem hic sumendam esse vocem angeli, patet: Quia Christus dicitur scribere ad Ecclesias, & v. 7. cap. primi jubetur Johannes mittere ad septem Ecclesias, & cap. 2. & 3. *qui habet aures, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.* v. 10. alloquitur collectivè totam Ecclesiam, vel saltem Presbyterium: *Ecce, futurum est, ut conjiciat diabolus aliquos ex vobis in carcerem.* sic v. 24. *Vobis autem dico & reliquis*, i. e. Ecclesiæ membris. Malac. 2. 7.

CONTROVERSIA II.

An Potestas eligendi Pastores & ministros Ecclesiæ sit penes Episcopum aliquem, an verò penes Ecclesiam? Neg. prius, Affirm. post. contr. Pontif. Jus vocationis competit Ecclesiæ.

Pontificii, qui volunt Episcopum distingui à Presbytero jure divino, non modò Ecclesiam omni jure vocandi Pastores spoliant, sed & Presbyteros ipsos, adeòque jus illud ad solos Episcopos successione non interruptâ descendentes transferunt, præcipuè autem ad Pontificem

Romanum, ceu Episcopum œcumenicum totius Ecclesiæ. Fons erroris est falsa idea, quam sibi fingunt vocationis, dum eam concipiunt tanquam aliquod Sacramentum, quod vocant ordinis: Unde statim opinio oritur populum non posse conferre Sacramentum. Deinde volunt Sacramentum illud characterem indelebilem imprimere, qui sit qualitas physica inhærens menti Pastoris. Tertiò pertendunt, Christum & Apostolos Sacramentum hoc deposuisse in manus Episcoporum, ut à nemine, nisi ab ipsis dispensetur, quo fundamento diruto, cætera corruunt.

Nos non negamus, Pastores & Episcopos jus & electionis & vocationis habere, illudque exercere posse; sed illud exercent non à se, *primariò*, & *originaliter*, sed *secundariò*, & *derivativè* ab Ecclesia; non proprio nomine, sed nomine Ecclesiæ, quæ illis hanc authoritatem concessit. Pertinet igitur jus vocationis ad Ecclesiam *originaliter* & *radicaliter*; exercetur verò à Rectoribus nomine Ecclesiæ, ut officiarii Regii non suo nomine, sed Regis, judices & Magistratus instituunt; Et in Republica potestas creandi magistratum residet in copore communitatis, quæ Rempubl. constituit, & inauguratio fit nomine communitatis ab eo, qui ad id delegatus est. Porrò, ut in Ecclesia tres sunt ordines, Politicus, Ecclesiasticus, & œconomicus, sive Prebyterium, magistratus & populus, ex quibus omnibus velut ex membris Ecclesia constat, nullus status Ecclesiæ ab hoc opere simpliciter est excludendus, sed singulis suæ partes sunt relinquendæ. Licèt verò forma vocationis & electionis variet quoad speciem pro ratione locorum, & personarum, & regiminis tam politici quàm Ecclesiastici modo, in genere tamen dici potest, *Presbytero* competere *formaliter*, quoad examen, electionem & ordinationem; *Magistratui eminenter*, quoad approbationem, confirmationem, & applicationem ad munus; *Populo* verò *virtualiter*, quoad consensum, & ultroneam admissionem: Atque ita Ecclesiæ corpori manet semper proprium jus vocationis.

ARGUMENTA.

Matth. 18. 17. 1. Claves regni cœlorum, quæ in se complectuntur jus vocationis, traditæ sunt toti Ecclesiæ. Matth. 18. 17.

Quòd

Quòd si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ, quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus, &c. Fateor, Ecclesiam hoc jus exercere per Rectores suos, sed in eo Pastores exercent jus quod competit Corpori, tanquam illud repræsentantes.

2. Ad corpus illud jus vocationis pertinet, ad quod pertinet jus ministerii, propter quod à Deo institutum est, quod consensum suum debet conferre, & quod obligatur ad illud habendum ad conservationem fidei & pietatis. At tale corpus non sunt soli Pastores & Episcopi, sed tota Ecclesia.

3. Authoritas & jus actionis ad superiorem, non ad inferiorem pertinet; At Ecclesia est superior Pastoribus, non Pastores Ecclesiâ: Ecclesia non est Pastorum, sed Pastores Ecclesiæ; unde Pastores dicuntur servi & ministri Ecclesiæ. *Servi vestri sumus propter Christum.* 2. Cor. 4. 5. 2. Cor. 4. 5.

4. Ad illum pertinet jus vocandi, cujus est discernere Doctores à seductoribus; probare sanam doctrinam, vocem Christi ἀρχιποιμένος à voce Pseud-Apostolorum distinguere, & alienum non sequi, anathematizare eos; qui aliud Euangelium prædicant: At hoc Ecclesiæ toti competit, ex vi præcepti divini. Matth. 7. 15. *Cavete à Pseudo-Prophetis.* Matth. 7. 15. Joh. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, alienum non sequuntur.* 1. Joh. 4. 1. *Probate spiritus, an sint ex Deo.* Gal. 1. 8. *Si quis vos evangelizaverit præter id quod vobis evangelizatum est, anathema sit.* Joh. 10. 27. 1. Joh. 4. 1. Gal. 1. 8.

5. Ex praxi Apostolica. Quia Ecclesia primitiva Apostolica hunc vocandi ordinem observavit, ut non fieret sine Ecclesiæ consensu. Act. 1. 23. tota Ecclesia duos eligit, qui sortem subeant Apostolatûs, & sorte jactâ in Matthiam, additus est communi consensu numero Apostolorum. Cap. 6. 3. 5. 6. tota piorum multitudo septem Diaconos eligit, qui impositione manuum confirmantur per Apostolos. Cap. 14. 23. Apostoli oppidatim constituunt Presbyteros, per populi χειροτονίαν, sive liberis ejusdem suffragiis, voce deductâ à more Græcorum, qui extensis manibus suffragia ferebant. Licèt verò verbum χειροτονεῖν nonnunquam latiùs sumatur, pro qualibet creatione & electione; Non potest tamen eo sensu hîc usurpari. 1. Quia χειροτονία distinguenda est à Act. 1. 23. Cap. 6. 3. 5. 6. Cap. 14. 23. χειροθεσία & χειροθεσία

χειροθεσία, seu ordinatione, quæ fit per manuum impositionem. Illa fit à populo, ista à Pastoribus. 2. Quia de ordinatione agitur in verbis sequentibus, quando additur, *eos precantes commendâsse Deo*, quod non fiebat sine manuum impositione. Act. 6. 6. & 13. 3.

6. Jus vocandi Pastores vindicant Ecclesiæ, Decreta veterum Conciliorum, nominatim Nicæni, Carthaginensis III. & IV. Nannetensis, Toletani, Sardicensis. Eò pertinent rescripta varia Pontificum, Nicolai, Leonis, Gelasii, Stephani, Pelagii, &c. Item quod legitur in Veteri Pontificali, ubi laudatur Patrum institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt consulatur & populus. Quod ita manifestum est, ut Passius Valentinus Canonicus, qui interfuit Concilio Tridentino, suaserit Concilio, ut corrigeret illud, & expungat loca, quæ ejus rei mentionem faciant.

OBJECTIONES.

1. *Christus Apostolos suos sine ullo consensu & suffragio multitudinis misit.* R. Non sequitur, idem jus competere Episcopis, seorsim ab Ecclesia, quia longè differt potestas Christi absoluta, à potestate limitata & dependente hominum.

2. *Oves non possunt eligere Pastorem.* R. Oves brutæ & ἄλογοι id non possunt sed bene spirituales & λογικοί. Alias Pontifex non posset ex hypothesi adversariorum eligi à Cardinalibus, quia ipsi quoque sunt ejus oves. Et in politia subditi, qui oves dicuntur, non possent subinde Reges & magistratus suos eligere.

3. *Apostoli huc & illuc miserunt Pastores sine consensu Ecclesiæ.* R. Aliud est vocare Pastorem ad Ecclesiam constituendam, & ad populos infideles convertendos, aliud ad Ecclesiam jam constitutam, & populos conversos. Priori respectu poterant mitti Pastores ab Apostolis sine consensu populi, saltem antecedente; sed posteriori, de quo nunc quæritur, dicimus, Apostolos in vocatione Pastorum suffragia Ecclesiæ non omisisse, ut ex dictis patet.

4. *Titus jubetur oppidatim constituere Presbyteros.* Tit. 1, 5. Tit. 1. 5. R. Sed secundùm Ecclesiæ Apostolicæ consuetu-

suetudinem, & omnibus quæ decebant, observatis, quod clausula addita, *uti tibi præcepi*, satis docet. 2. Agitur potius de Ecclesia constituenda, quàm constitutâ, quia debuit τὰ λείποντα ἐπιδιορθῶσαι.

5. *Canones Apostolici & Synodales turbæ & populo interdicunt electionem Pastorum.* R. 1. Illi Canones sunt humanæ authoritatis. 2. Illis opponimus Concilia superius memorata. 3. Canones illi consensum populi ab electione non simpliciter excludunt, sed hoc tantùm cavent, ne vel populus jure suo abutatur, vel sibi soli, excluso Presbyterio potestatem eligendi rapiat, vel modum agendi Presbyterio insolenter præscribat, vel turbulenter & confusè in hoc sancto negotio procedat.

6. *Quomodo laici, qui non sunt ministri, possunt facere ministros, siquidem nemo dare potest quod non habet.* R. Nemo dare potest quod non habet omninò. At Ecclesia, seu corpus fidelium, licèt non habeat ministerium quoad exercitium, nimirum ut ejus partes impleat, prædicando, & Sacramenta administrando; habet tamen quoad jus, & potestatem collationis.

CONTROVERSIA III.

An vita monastica Sancta sit, seu, an non tantùm licitum, verùm etiam opus singularis sanctitatis sit, sese à consortio hominum segregare, atque ad cœlibatum, & distinctum vestitum obligare? Neg. cont. Pontif. Vita monastica.

ARGUMENTA.

1. Deus id nusquam mandavit: Non potest ergo esse bonum opus. Præscripta enim sunt ex præceptis & doctrinis hominum, quæ *rationem* quidem *habent sapientiæ in cultu voluntario, & submissione animi, in eo, quod corpori non parcant; nec tamen ullius sunt pretii, quum ad ea spectent, quibus farcitur caro.* Col. 2. 22. 23. Col. 2. 22. 23.

2. Non licet homini è mundo exire, seu consortium hominum planè fugere. 1. Cor. 5. 10. 1. Cor. 5. 10.

3. Illi enim homines proximum non amant, neque eum ædificare studeant, contra 1. Thess. 5. v. 11. *Adhortamini alii alios, & ædificate singuli singulos.* 1. Thes. 5. 11.

4. Illi homines sanctitatem statuunt in rebus ridiculis, ut, coronâ tonsâ, singulari forma vestium, ficta paupertate voluntaria, cibo & potu, contra Rom. 14. v. 17. *Non enim est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium per Spiritum Sanctum.*

Rom. 14. 17.

5. Abjiciunt sese in multas tentationes, & laqueos Diaboli, quæ vita solitaria afferre soler.

OBJECTIONES.

1. *Elias in monte Carmel vitam degit valde austeram*, &c. *Similiter Elisæus*, &c. *Ergo.* R. Elias & Elisæus Prophetæ fuerunt, vitamque instituerunt juxta vocationem ac functionem suam extraordinariam, & ratione temporum istorum corruptissimorum; Sed mons Carmel non fuit omninò desertus, aut habitatoribus destitutus, Joh. 12. 22. 15. 55. 1. Sam. 25. 2. &c. Ac porrò nihil in illis de instituto monastico.

2. *Johannes Baptista vestitu, victu, loco habitationis, Monachatum, aut vitam Anachoreticam præ se tulit.* R. Iste extraordinarius Dei minister, & Christi præcursor, frugaliter admodùm vixit, sed nec de ejus voto cœlibatûs, nec de spontanea paupertate, nec de cœca erga ullum hominem obedientia quicquam legitur. Neque vixit in monasterio, nec in deserto, pluribus incolis destituto. Vid. Luc. 1. 80.

3 *Naziræi*, &c. R. Nec illi fuerunt obligati ad cœlibatum &c. Sed ad observationes quasdam cæremoniales, œconomiæ V. T. convenientes, & ab ipso Deo præscriptas. Num. 6. 2-21.

Jer. 35. 2. &c.

4. *Rechabitæ.* Jer. 35. 2. &c. R. Etiam isti non ex religione speciali, sed ex Patris sui præscripto, singularia quædam observârunt; at nec cœlibes vixerunt, nec omni possessione propriâ destituti.

1. Tim. 5. 12.

5. 1. *Tim. 5. v. 12. Quæ cùm nubere volunt, fidem primam abnegârunt.* R. i. e. Religionem Christianam, quia ad Judaismum redibant.

CONTROVERSIA. IV.

Seniores regentes non docentes.

An institutum divinum sit, ut in Ecclesia sint seniores regentes, non docentes? Affirm. cont. Remonst. & Pontif.

ARGU-

ARGUMENTA.

1. Seniores tantùm regentes à docentibus simul & regentibus clarè distinguuntur. 1. Tim. 5. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentor, maxime qui laborant in sermone & doctrina.* 1. Cor. 12. 28. *Alios constituit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, deinde constituit Potestates, deinde dona sanationum, opitulationes, gubernationes,* &c. — 1. Tim. 5. 17. — 1. Cor. 12. 28.

2. Ex illis, & pastoribus constituuntur Synedria.

3. Etiam pars Synodi fuerunt. Act. 15. 2.

OBJECTIONES.

1. *Sunt Laici.* R. Discrimen inter Laicos & Clericos figmentum Papale est.

2. *Debent esse διδάκλικοι, & apti ad invigilandum Ecclesiæ.* Act. 20. 28. R. Sunt suo modo, ad monendum sc. & regendum, etiamsi non ad concionandum.

Bona Ecclesiastica.

XXI. Quoad bona Ecclesiastica certum est, jam tempore Christi eorum initium fuisse, per oblationes pias fidelium, & fœminarum imprimis, quorum nomina Luc. 8. commemorantur, quarum pecuniarum administratio Judæ commissa fuit, quæ debebant cedere partim in usum Christi & Apostolorum, partim in usum pauperum, ut Joh. 12. exponitur. Post Christi ascensionem prima Christianorum Ecclesia Hierosolymis collecta, partim charitatis testandæ causâ, partim ut hostium injuriis esset minùs opportuna, & ad fugam expeditior, facultates suas in commune ærarium congessit, divioribus tenuiorum egestatem etiam agrorum suorum dispendio sublevantibus. Act. 2. & 4. cap.

Non tamen constat inter Scriptores, quo tempore Ecclesia agros & latifundia primùm possidere cœperit. Certum est, jam ante Constantinum Ecclesias fundos & prædia obtinuisse, imprimis Romanam amplissimis oblationibus fuisse ditatam, quæ etiam aliis Ecclesiis sublevandis sufficerent. Sed profusæ largitiones Constantini demùm seculo invaluerunt; Quippe hic Imperator erepta à Decessoribus suis restituit Ecclesiis, & vectigalium, tributorum, & publici frumenti partem illis admensus est, & luculentissima ex aureis & argenteis idolorum statuis conflatis donaria obtulit. Sed quoad donationem urbis Romæ, cum Occidentis imperio, quæ illi vulgò tribuitur, falsam

falsam esse, jam pridem probatum est à viris doctis in ipso Papatu, *Petro de Vineis*, *Dante*, *Marsilio Patavino*, *Cusano*, *Valla*, *Othone Frisingensi*, *Volaterrano*, *Nauclero*, imò & ipso *Ænea Sylvio*. Pipino ergo potius quàm Constantino hoc quicquid est doni, tribuendum videtur, quamvis nec ille tam multa profuderit, quàm vulgo persuasum est. Longè propiùs vero, Papas, cùm ardente intestinis bellis Italiâ, oppida ac ditiones non paucas vi ac fraude insedissent, modò hujus vel illius donationem aucupatos fuisse.

Crescente postea superstitione, vulgus nullum esse tam atrox flagitium credidit, quod ejusmodi donariis expiari non posset; nullis deinceps aggeribus reprimi potuit exundantium largitionum impetus, quo tandem obruta ac pessundata fuit Ecclesia, & spirituale ejus decus in profanæ Monarchiæ splendorem ac luxum degeneravit, nimisque verè dictum, *Religionem peperisse divitias, sed filiam devorâsse matrem.*

CONTROVERSIA.

Ministris Ecclesiæ suum debetur stipendium.

An ministris, seu Pastoribus Ecclesiæ suum debeatur stipendium? Affirm. contr. Anabaptist.

Quæstio hæc mota fuit antehac ab Anabaptistis, qui putarunt, gratis prædicandum esse Evangelium, vel à ditioribus, vel etiam à pauperioribus, qui proprio labore victum & amictum sibi procurant, ad Pauli exemplum, qui σκηνοποιητικὴν exercebat, & propriis manibus laborabat. 1. Cor. 4. 12. Ideoque ministros Reformatos non esse veros ministros censebant, sed mercenarios. Nos statuimus, ministrum ex ministerio vivere posse & debere; ita tamen ut in casu necessitatis, cùm sc. nec ab Ecclesia, nec ab aliis sustentari potest, Evangelium ἀδάπανον præstare possit.

ARGUMENTA.

1. Cor. 9. 4. 5. 6.

1. Ex loco Pauli 1. Cor. 9. 4. 5. usque ad 19. ubi Paulus nostram sententiam probat variis argumentis: primum petitur ab Apostolis. v. 5. 6. *Nonne potestatem habemus, ut & reliqui Apostoli, ducendi uxorem sororem? An solus ego & Barnabas potestatem non habemus non operandi?*

randi? Secundum ab analogia militis, agricolæ, paſtoris, quibus ſtipendia deberi naturalis æquitas & ratio dictat. v. 7. Tertium ex præſcripto legis circa bovem triturantem, à minori ad majus, quia bovi trituranti non eſt os obligandum. Deut. 25. 4. Quantò minùs Eccleſiæ miniſtri privandi ſunt fructu laboris ſui? Quartum ex comparatione imparium, operis & mercedis. v. 11. Qui ſpiritualia ſeminant, debent colligere corporalia. Quintum ex ordine divinitùs inſtituto, tam in Veteri, quàm Novo Teſt. v. 13. *Nonne ſcitis, quòd qui ſacris operantur, de ſacrificiis comedunt.* v. 7.

2. Ex mandato Chriſti, Matth. 10. 10. & Luc. 10. 7. ubi mittens Apoſtolos ad prædicandum Evangelium in Judæa, vetat, ne quicquam in via portent, ne cibum quidem, ſed vult eos illorum expenſis vivere, ad quos mittebantur. Cujus rei rationem reddit, nempe, quòd operarius dignus ſit alimento & mercede ſua. Matth. 10. 10. Luc. 10. 7.

3. Miniſtri V. T. ſua habuerunt ſtipendia, quibus cedebant ordinariò ſacrificia, decimæ, primitiæ, & alia id genus, præter urbes quasdam & agros ſuburbicarios. Num. 18. v. 8. 9. 10. 11. 12. & cap. 35.

4. Ab exemplo Chriſti & Apoſtolorum. Chriſtus à mulieribus ἐκ ὑπαρχόντων accepit. Luc. 8. 3. ut & Paulus à Philippenſibus. Phil. 4. 10. 15. 16. Et 2. Cor. 11. 8. dicit ſe ὀψώνιον accepiſſe ab aliis Eccleſiis ad Corinthiorum miniſterium exequendum, ut poſſet ipſis gratis Evangelium prædicare, ad declinandam ſc. invidiam turpis lucri, quâ eum gravare conabantur Pſeudo-Apoſtoli.

5. Non exſolvere ſtipendia miniſtris numeratur inter graviſſima peccata, cui Deus pœnas minatur, & contrarium facientibus benedictionem ſuam promittit. Malac. 3. 8. 10. 12. Nehem. 13. 10. 11. Gal. 6. 6. 7. *Deus non irridetur*, inquit Apoſt. *quod quiſque ſeverit homo, hoc metet.*

6. Alias ſequeretur, in electione miniſtrorum ſpectandas eſſe qualitates & prærogativas carnis, illosque præferendos, qui de ſuo poſſent ſuſtentari, quo fieret, ut ſæpenumero optimi in electione prærereundi eſſent.

OBJECTIONES.

1. *Matth. 10. v. 8. Gratis accepiſtis, gratis date.* R. Ibi non agitur de verbi prædicatione, ſed de chariſmatis Matth. 10. 8.

&

& donis miraculosis sanationum & virtutum, pro quibus vetatur precium accipi.

Mich. 3. 11. 2. *Mich.* 3. 11. *Reprehenduntur Sacerdotes, qui in mercede docebant, & Prophetæ, qui in pecunia divinabant.* R. Illi fuerunt ejusmodi, qui ob pecuniam falsa docebant, & placentia loquebantur: sed inde legitimus usus stipendiorum non tollitur.

Act. 20. 33. 2. Thess. 3. 8. 9. 3. *Apostoli nolebant stipendium. Act.* 20. 33. 2. *Thess.* 3. 8. 9. R. Aliud est, non habere jus exigendi stipendium; aliud nolle eo uti certis de causis: Paulus posterius fecit; sed nec sibi nec aliis Ministris regulam facit, quam constanter sequi debeant, siquidem alibi jure suo usus legitur.

CONTROVERSIA. II.

Clerici subjecti sunt magistratui.

An personæ Ecclesiasticæ etiam magistratui subjecti sint, idque 1. *In obsequendo mandatis.* 2. *In solvendis tributis.* 3. *In judicio si peccent?*

Affirm. contr. Pont.

Licèt concedamus, Ministros Ecclesiæ non subjectos esse Magistratui, quoad officium Ecclesiasticum; siquidem magistratus nec potest nec debet illis præscribere aliam formam docendi, errores & peccata arguendi, Sacramenta administrandi, quàm eam, quæ verbo Dei est præscripta; imò magistratus in istis tanquam membrum Ecclesiæ, se habet ut ovis ad pastorem. Licèt etiam agnoscamus, ministris non esse imponenda onera personalia, qualia sunt esse militem, vigilem, &c. Tamen eos subjicimus quoad *officium politicum*, seu causas politicas, quæ τὰ ἐιωπικὰ, & externam Reip. pacem ac tranquillitatem spectant. Nec illos eximimus ab *oneribus realibus*, quoad bona quæ possident, non tam respectu bonorum Sacrorum & Ecclesiasticorum, quam *secularium*, quæ ab ipsis per emtionem, hæreditatem, jura matrimoniorum, & alia media sunt acquisita, ex quibus solvendum est magistratui quod debetur.

ARGUMENTA.

Rom. 13. 1. 1. Ex generali obedientiæ & subjectionis mandato, quod ad omnes sine exceptione extenditur. Rom. 13. 1. *Omnis anima Potestatibus ὑπερεχούσαις sit subdita.* 1. Petr. 2. 13.

13. *Subjecti estote omni humanæ ordinationi.* Tit. 3. 1. *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse.* 1. Pet. 2. 13. Tim. 3. 1.

Exc. ad loc. Rom. 13. *Locus intelligendus de anima quæ potest subjici. Sed potestas non potest potestati subjici, atque adeo nec Ministri, qui potestatem habent.* R. Potestas non potest potestati subjici in eodem ordine; sed nihil obstat eos, qui habent potestatem spiritualem, in ordine Ecclesiastico & in foro conscientiæ, quoad spiritualia, subjici in ordine politico, & quoad temporalia, potestati politicæ.

2. Ab exemplo Sacerdotum V. T. qui subditi fuerunt Magistratui politico; At, juxta Confessionem Bellarmini propos. 5. nunc idem sunt Clerici quod olim Sacerdotes. Moses præficitur Aaroni in Deum. Exod. 4. 15. & in peccatum prolapsum corrigit. Exod. 32. 21. Levitæ non solùm Aaroni, sed & Mosi, qui Princeps civilis fuit totius populi, fuerunt subjecti. Sic David ordines & officia Levitarum constituit. 1. Chron. 23. & seq. Cap. Salomon Abjatharem seditionis reum loco movit. 1. Reg. 2. Josaphat Sacerdotibus mandat reformationem cultûs publici. 2. Chron. 17. Joasus Jojadæ Pontificis negligentiam coarguit. 2. Reg. 12. Ezechias Religionem à Sacerdotibus corruptam vindicavit. 2. Chron. 29. 30. 31. Josias ossa Sacerdotum super altaria combussit, & templum repurgavit. 2. Reg. 22. 23.

3. A Christi exemplo, qui tum in personalibus, tum in realibus magistratui se subjecit. Quoad personam, patet ex Joh. 19. 11. ubi Christus Pilati in se Potestatem agnoscit: *Non haberes*, inquit, *potestatem ullam super me, nisi tibi data esset desuper.* Exc. *Subjectio ista à Christo præstita facti, non juris est.* R. Etiam juris; nam Scriptura testatur Christum, ut ex muliere factum, sic & legi obnoxium fuisse. Gal. 4. 4. At hæc lex hominem magistratui subjicit. Confirmatur idem argumentum ex censu sive tributo Quæstoribus persoluto. Matth. 17. 27. 1. Joh. 19. 11. Exc. Matth. 17. 27.

Exc. *Christus solvit tributum, quia voluit, non quia debuit.* R. Ita voluit Christus solvere tributum, ut simul quoque voluerit debere solvere, & debuerit in statu exinanitionis in quo versabatur, ut debuit circumcidi, baptizari, Pilato subjici, mori; ita debuit tributum solvere. Exc.

4. A-

Act. 25. 10. Exc.

4. A Pauli facto, qui à synedrio Hierosolymitano appellat ad Cæsarem. Act. 25. 10. Exc. *Clerici subjecti fuerunt Principibus Ethnicis, sed non Christianis.* R. Sic deterior esset conditio Principum Christianorum quàm Ethnicorum; at Evangelium non abolet politias, ut Bellarm. loquitur. Unde ipse Bell. in recognitione operum Clericos eximit à potestate Principum non tantùm Christianorum, sed etiam Ethnicorum; sc. hac ratione gratiam voluit inire apud Sixtum V. qui ità ægrè tulerat quòd dixerat, Pontifices olim de jure Cæsari in Causis civilibus fuisse subjectos, ut animus esset libros ejus omnes censoriâ virgulâ notare.

5. A Clericorum statu. Qui sunt cives & partes Reipubl. quique ideo debent esse vel Magistratus, vel subditi; siquidem duæ sunt partes integrantes Reipubl. Cùm ergo non sint in numero Magistratus, debent esse in numero subditorum, quia Respublica non est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica.

6. Historiæ testantur, Imperatores Christianos sæpius judicasse & deposuisse Pontifices. Constantius in exilium Liberium misit, Justinianus Sylverium, Otho I. Johannem XXII. deposuit, & Leonem VIII. substituit. Henricus III. Gregorium VI. & Clementem II. ordinari jussit. &c.

OBJECTIONES.

1. *Pastor ab Ovibus, Pater à filiis judicari non debet.* R. Non est absurdum, unum eundemque hominem ovem esse in ordine Ecclesiastico, & quoad spiritualia, & Pastorem in ordine politico, & quoad temporalia. Ut ergo in iis, quæ ad Christi regnum spectant, Principes ministris tanquam legatis Christi subjici par est: Ita in iis, quæ ad terrenam vitam pertinent, eos Principis jussa capessere necesse est. Sic in navali classe Navarchus obtemperat Nauclero in illis, quæ navis regimen spectant; Nauclerus verò eidem subest in iis, quæ ad Navarchi munus & potestatem pertinent.

2. *Potestas Politica & Ecclesiastica ministrorum sunt collaterales. E. hæc illi non subjicitur.* R. Neg. antec. Nam collateralitas obtinet inter æquas Potestates; at potestas ministrorum, quæ est ministerialis tantùm, longè

gè subsidit infra potestatem politicam, quæ est architectonica & principalis.

3. *Exemptio data est sacerdotibus Ægyptiis à Josepho. Gen.* 47. *Artaxerxes vetat Sacerdotibus, reliquisque Templi Ministris tributum imponi. Esd.* 7. 24. *Idem probant Imperatorum constitutiones.* R. Aliud est ministros sacros gaudere privilegiis quibusdam sibi à Principibus concessis; aliud immunitatem omnimodam habere de jure divino. Prius probant exempla allata, sed non posterius; nec ex exemplis quibusdam particularibus potest colligi jus perpetuum & universale. Esdræ 7. 24.

4. *Principes clericos Episcopis subjecerunt.* R. Hoc pietatis studio factum, quia delicta Ecclesiasticorum non sine infirmorum scandalo, & religionis detrimento, à Ministris ordinariis, maximè si infideles, & Ecclesiæ infesti essent, cognosci poterant; sed quatenus immunitas ista perpetuâ lege sancita fuit, & simpliciter & absolute obtinuit, quod ad tempus tantùm, & κατὰ τὸ valere debuit, hoc superstitioni Principum, & ambitioni Episcoporum tribuendum est.

5. *Per istam subjectionem vilescit ordo Ecclesiasticus.* R. Neg. Subjectio enim in politicis & temporalibus non aufert authoritatem in spiritualibus. Restitit liberè summus Sacerdos Oziæ Regi thuribulum arripienti, licèt in politicis illi esset subjectus.

6. *Clerici legibus civilibus tenentur tantùm directivè, non coactivè.* R. Hæc mera illusio: Qualis enim est illa legi subjectio, si cogi ad obsequium non possumus? Nervus legis est pœnæ sanctio, quæ si infligi non possit, inanis est Lex. Inanis est obligatio sine potestate cogendi in superiore, & necessitate parendi in inferiore, sub sanctione pœnæ.

7. *Liberi Regum liberi sunt. Matth.* 17. 26. R. Reges liberos suos eximunt, quòd si Clericos facere velint liberos, etiam sunto. Matth. 17. 26.

XXII. Conventus Ecclesiastici duo sunt. 1. *Minores*, seu synedria unius cujusque Ecclesiæ. 2. *Majores*, seu plurium Ecclesiarum Conventus in classe, seu synodo; quæ in verbo Dei non distinguuntur.

XXIII. Concilia sunt extraordinarii conventus plurium Ecclesiarum ejusdem Provinciæ, vel Nationis & Concilia.

Regni, simul junctarum, quæ dicta sunt *Concilia Provincialia*, & *Nationalia*, aut etiam plurium simul Nationum, qualia fuêre olim; quæ *œcumenica* vel universalia dicebantur, non quòd ex toto orbe absolutè, sed ex toto Rom. Imperio, quod vocabatur πᾶσα οἰκουμένη. Luc. 2. 1. convocarentur, & Episcopis constarent tam Orientalibus, quàm Occidentalibus.

Necessitas Conciliorum.

XXIV. Licèt Concilia non sint simpliciter & absolutè necessaria ad esse Ecclesiæ, valde tamen sunt utilia. 1. Ad veritatis conservationem contra hæreses. 2. Ad pacis & ἑνώσεως confirmationem, contra schismata, & anarchiam. 3. Ad libertatis Christianæ defensionem adversus ambitiosos conatus eorum, qui ad tyrannidem grassantur.

CONTROVERSIA.

Papæ non convenit indicere Concilia, iisque præesse.

An proprium sit Pontificis Romani indicere, & cogere concilia, iis præesse, & authoritatem ipsis conferre infallibilem in dogmatis fidei & Religionis? Neg. cont. Pontif.

Quoad *indictionem* Conciliorum, jus ejus ad Ecclesiam pertinere statuimus: Quia verò convocatio ista non potest fieri, nisi ex authoritate, ad eos censenda est pertinere magis propriè, qui præcipua sunt Ecclesiæ membra, qui sunt nutricii & custodes utriusque tabulæ, penes quos est jurisdictio & imperium, & potestas coactiva, quales sunt Reges & Magistratus, si verò Magistratus fuerit à fide alienus, Ecclesia sibi non deesse debet, sed convocationis jure & authoritate, quam Deus illi commisit, uti potest. Quoad *præsidentiam*, duplex munus distinguendum est, Politicum, & Ecclesiasticum. Politici præsidis partes sunt, Concilium cogere, coactum tueri, & tum externam vim, tum internam ἀπαξίαν prohibere, decreta legitimè facta sua quoque authoritate sancire. Ecclesiastici verò, quæstiones in Concilium mittere, disceptationem moderari, sententias rogare, & decreta per Notarios in acta referre, & similia. Quoad *authoritatem*, non aliam ratione materiæ infallibilitatem in iis agnoscimus, nisi quatenus cum Verbo Dei scripto consentiunt eorum Canones & Decreta. De cætero ratione efficientis humana

mana & fallibilia esse pertendimus, quæ nullam à Pontif. Rom. ἀναμφιστησίαν habere possunt.

ARGUMENTA.

Papa non habet hoc jus quoad *indictionem* & *convocationem* Conciliorum. Nam

1. Hanc potestatem nec accepit à Christo, quia nullum ejus extat in Scriptura vestigium: Nec ab Imperatore, à quo solitus fuit petere Concilii indictionem, ut Leo I. epist 9. & 24. ad Theodosium: Imò Episcopis antiquitùs per Leges civiles, ne convenire quidem licuit, nisi de consensu Imperatoris. Nec ex se potuit habere, quia nemo sibi sumit hunc honorem. Heb. 5. 4.

2. Quia est actus potestatis civilis & coactivæ, quæ non cadit in ordinem Ecclesiasticum, qualia sunt, locum, tempus & modum Conventuum definire & præscribere, securitatem advenis præstare, sumtus suppeditare, mandare Episcopis ut conveniant, pœnas in contumaces statuere, & sim.

3. Exemplis. V. & N. T. constat, conventuum Sacrorum indictionem pertinuisse ad Reges & Magistratus fideles. Patet exemplo Josuæ. 23. 24. Davidis. 2. Sam. 6. 1. Chron. 28. Salomonis. 1. Reg. 8. Josaphati. 2. Chron. 29. Ezechiæ. 2. Chron. 29. Josiæ. 2. Reg. 23. Et sub Novo Test. exemplo Constantini Magni in Concilio Nicæno, Theodosii I. in Constantinopolitano, Theodosiii II. in Ephesino, Martiani in Chalcedonensi, Justiniani in Constantinopolitano II. &c.

Eadem ratio est *Præsidentiæ*. Nam ordinem agendi sancire, insolentiam coërcere, & totum Conventum authoritate sua moderari, non minus sunt actus potestatis civilis & coactivæ, quàm quæ ad Concilii indictionem pertinent.

Quoad *authoritatem infallibilem*, non potest dici conferri Conciliis à Pontifice, quia non potest dare quod non habet. Et Concilia nullam authoritatem habent, nisi quando & quatenus Decreta eorum cum verbo Dei consentiunt: Cùm enim Ecclesiam in terris militantem repræsentent κατ' ἐπιπολὴν, non magis extra omnem sive in doctrina, sive in moribus errandi aleam posita sunt, quàm ipsa Ecclesia: Cujus cùm nullum hîc sit membrum ἀναμφίστητον, absurdum est toti corpori ἀναμφιστησίαν tribuere.

Authoritas ergò Conciliorum longè subsidit infra authoritatem Scripturæ, nec ulteriùs eorum decisiones obligant in conscientia, nisi quatenus constat, eas esse conformes Dei verbo: Unde judicium illis competit in rebus fidei non authoritativum & infallibile ac supremum, sed subalternum & ministeriale, obligativum quoad ordinem exernum communionis Ecclesiasticæ, quodque magni debet esse ponderis apud pios omnes, sed non quoad fidem & conscientiam, nisi in quantum concordant cum Scriptura, quæ sola potest conscientiam obligare.

Concilium Tridentinum rejicitur.

XXV. Nulla verò Concilia, si sint infallibilia planè, etiam legitimè indicta & habita, multò minus ad finem nos obligant illegitimorum Papisticorum Conciliorum constitutiones, & nominatim *Tridentini Conciliabuli* Decreta, quod nec indicentis Papæ, nec membrorum ejus juratorum mancipiorum, & veritatis declaratorum hostium, nec normæ traditionis sc. & dictaturæ Papalis, nec loci minùs tuti, nec initii in nomine Sanctorum potiùs quàm Christi susceptì, nec progressûs in interdicta causæ controversæ ex scriptis cognitione & agendi modo omni à *Paulo Soavi* curatè notato, nec decretorum partim ambiguorum, partim ridiculorum, partim impiorum ratione, à nobis admitti potest, nec admissum etiam à Regibus & Principibus potentissimis fuit seculo superiori.

CONTROVERSIA.

Independentium error de Ecclesia.

An quælibet Ecclesia major esse non debeat, quàm ut in uno loco ad audiendum Dei verbum convenire possit? Neg. cont. Independent.

ARGUMENTA.

1. Quia Ecclesiæ Apostolicæ, ut Hierosolymitana, Corinthiaca, &c. quæ constabant aliquot millibus hominum, in uno loco pastorem audire non poterant, & tamen una erat Ecclesia. Multis verò millibus constitisse, colligitur ex Act. 4. 4. ubi dicitur, numerum fidelium fuisse quinquies millæ.

2. Unitas Synedrii, non externa loci capacitas unam facit Ecclesiam.

3. Ita Ecclesiæ sub cruce, si unum habeant Synedrium, unam faciunt Ecclesiam, etsi variis in locis convenire cogantur.

4. Alio-

4. Alioqui, quò major esset vox concionatoris, eò magis augeri deberet Ecclesia, & minui, quò minor esset.

5. Neque numero semel completo Ecclesiæ quisquam addi posset.

OBJECTIONES.

Act. 2. 44. &c.

1. *Act.* 2. *v.* 44. &c. *Ecclesiæ dicuntur convenisse ἐπὶ τὸ αὐτό.* R. Hoc personarum unitatem & conjunctionem, non loci identitatem notat, i. e. ἅμα, *simul*, ὁμοθυμαδὸν, ut יחד quum de conventu agitur, non notat respectum personarum ad locum, sed inter se invicem.

2. *Obest ædificationi Ecclesiæ, quia membra convenire non possunt ad communionem Sanctorum.* R. Ideò plures statuuntur ministri, non tamen plures Ecclesiæ.

CONTROVERSIA.

Majores conventus sunt juris divini.

An majores illi conventus sint juris divini? Aff. contra Socin. Remonst. & Episcopales.

ARGUMENTA.

1. Probatur ab exemplis. Act. 1. & 15.

2. Ita in V. T. habuerunt sua Synedria & Synagogas.

3. Est hoc juris naturæ, ut quæ singuli absolvere non possunt, id agant plures.

OBJECTIO.

Omnis Ecclesia habet omnem suam potestatem in se. R. Ea per Classem non tollitur, sed conjungitur cum potestate plurium Ecclesiarum ad determinandum ea, quæ Ecclesias in communi concernunt.

De Potestate Ecclesiæ.

XXVI. In doctrina de Potestate Ecclesiæ Spirituali in *excessu* peccant Pontificii, qui potestatem istam in dominatum ac tyrannidem intolerandam in conscientias convertunt. In *defectu* Erastiani & Libertini, qui nullam potestatem spiritualem Ecclesiæ datam agnoscunt, & omnem potestatem Ecclesiasticam ceu Antichristianam rejiciunt. Orthodoxi medium tenentes, potestatem & authoritatem Ecclesiæ distinctam à politica, datam esse agnoscunt, sed quæ sit tantùm ministerialis & subalterna, non suprema & αὐτοκρατορικὴ; Et, ut meritò abolitam esse fatentur potestatem tyrannicam Papatûs humanitùs intro-

introductam; ita ordinem Ecclesiasticum divinitùs sanctum, ex verbo Dei retinendum esse contra ἀνυξίων Anabaptistarum & Libertinorum censent. Cujus potestatis tres partes constituunt. 1. Δογματικὸν, *Dogmaticam*, quæ versatur circa dogmata fidei & prædicationem Verbi, & Sacramentorum administrationem. 2. Διατακτικὸν, *Ordinantem*, quæ occupatur circa Leges & constitutiones Ecclesiasticas, & regimen Ecclesiæ ex illis. 3. Δικαστικὸν, *judicialem* & *disciplinarem*, quæ respicit disciplinæ exercitium, & complectitur tum jus censurâ notandi peccatores, & eos excommunicandi, sive excommunicatione minori per suspensionem à communione Sacrorum, sive majori, per exclusionem ab Ecclesia; tum jus, ita excommunicatos positâ pœnitentiâ reconciliandi.

XXVII. Dari talem potestatem in Ecclesia, probatur. 1. A *clavibus*, quæ datæ sunt Ecclesiæ, ita ut potestatem habeat claudendi & aperiendi cœlum, ligandi & solvendi peccatores, remittendi & retinendi peccata. Matth. 16. 19. 20. & 18. 18. Joh. 20. 21. 22. 2. A *natura Societatis*. Quia nulla societas potest integra manere, sine aliquo ordine & regimine; regimen verò non potest subsistere sine aliqua potestate, ad bona disponenda, & mala eliminanda. 3. A *natura muneris*. Quia munus omne dicit potestatem. Et cuicunque munus aliquod committitur, ei datur jus & potestas agendi secundùm illud munus. 4. Quia tituli, quibus Pastores insigniuntur, hanc potestatem notant, quum vocantur προεστῶτες 1. Tim. 5. 17. προϊστάμενοι. 1. Thess. 5. 12. ἡγέμενοι. Heb. 13. 7. 17. ἐπίσκοποι. Act. 20. 28. οἰκονόμοι 1. Cor. 4. 1. 2. Tit. 1. 17. κυβερνήσεις. 1. Cor. 12. 28. qui omnes tituli authoritatem & potestatem aliquam in eos, qui ipsorum curæ commissi sunt, involvunt. 5. Paulus hanc potestatem astruit. 2. Cor. 10. 8. *Nam si amplius*

2. Cor. 10. 8. *etiam quippiam glorier de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus ad ædificationem, & non ad destructionem vestri, non pudefiam:* Ubi non tantùm loquitur de potestate Evangelium annunciandi, sed & de potestate disciplinam exer-

2. Cor. 3. 10. cendi, ut liquet ex v. 4. 5. 6. Sic 2. Cor. 13. 10. *Propterea hæc absens scribo, ne præsens præcisâ severitate utar ex authoritate, quam dedit mihi Dominus ad ædificationem.* 6. Quia talis potestatis exercitium non semel occurrit, ut in Concilio Hierosolymitano, Act. 15. quod Ecclesia non modò convo-

convocavit ex potestate sibi concessâ, sed etiam multifariam potestatem istam exeruit in ipsa decisione, tam *dogmaticam*, veritatem controversam dererminando, & errorem rejiciendo, quàm *diatacticam*, Gentibus mandando, ut à quibusdam pacis & ædificationis ergò abstineant. Et *judicialem*, Schismatis & erroris istius authores notando, & pro mendacibus, ac animarum subversoribus habendo. v. 24. Idem patet ex praxi Apostolica erga incestuosum Corinthium. 1. Cor. 5. 3. 4. 5. Et ex praxi Ecclesiæ primitivæ, quæ subinde & Synodos congregavit, & varia decreta & sanctiones fecit, tàm circa doctrinam, quàm circa disciplinam. 7. Quia Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur. 1. Cor. 14. 32. nim. quoad examen doctrinæ, & quoad correptionem & censuram. Huc facit, quod Paulus prohibet. 1. Tim. 5. 19. Accusationem suscipere adversus Presbyterum, nisi sub duobus vel tribus testibus. Ubi clarè elucet regimen, & regiminis potestas; nam accusationes recipere sub duobus vel tribus testibus, est actus potestatis.

1. Cor. 14. 32.

1. Tim. 5. 19.

XXVIII. Potestas autem Ecclesiastica differt à Politica. 1. Quoad *Originem*. Potestas Politica à Deo Creatore, & mundi Rectore instituta est: Sed Ecclesiastica à Jesu Christo, supremo Capite Ecclesiæ. 2. Quoad *subjectum*. Potestas Politica potest esse penes Ethnicos, & extraneos à fœdere; sed non Ecclesiastica. Illa à fœminis exerceri potest, ista non item. 3. Quoad *formam*; Potestas Politica est δεσποτικὴ & αὐτοκρατορικὴ, quæ dominium & imperium importat: Sed Ecclesiastica est ὑπηρετικὴ, οἰκονομικὴ & ἀφηγουμενικὴ, quæ in solo ministerio consistit. 4. Quoad *finem*. Nam finis principalis Magistratus politici quà talis est gloria Dei Creatoris & Rectoris mundi; subordinatus pax & tranquillitas publica. Sed finis summus Ministerii est non solùm gloria Creatoris, sed etiam gloria Christi mediatoris & Ecclesiæ suæ; subalternus pax & salus Ecclesiæ. 5. Quoad *Objectum*: Potestas Politica habet pro objecto res, actiones, & personas, quæ & quatenus ad vitam animalem, & simbiosim politicam, seu hominem externum pertinent; sed Ecclesiastica pro objecto habet res, personas & actiones sacras, qua tales, quatenus ordinantur ad unionem cum Deo in Christo, & ad salutem æternam. 6. Quoad *effecta*.

Potestas Ecclesiastica quomodo differat à Politica?

Ut Magistratus versatur circa objectum modo Politico, & finem habet politicum, habet etiam effectus homogeneos, sc. politicos, leges civiles, pœnas civiles, & per hæc media pacem & tranquillitatem civilem. Sed potestas Ecclesiastica, ut occupatur circa objectum spirituale, modo spirituali, & in finem spiritualem, effectus etiam habet spirituales, quales sunt; Determinatio Controversiarum fidei, Canonum circa εὐπαξίαν constitutio, clavium dispensatio, &c. 7. Quoad *modum*. Potestas politica mundana est & naturalis, hominem tantùm externum attingens: sed Ecclesiastica spiritualis est, hominem internum, & conscientiam spectans.

CONTROVERSIA.

An Magistratui competat jus regendi Ecclesiam.

An magistratui competat jus regendi Ecclesiam?

Neg. cont. Politicos.

Pseudo-Politici & Libertini volunt, potestatem Ecclesiasticam esse formaliter & specificè civilem & secularem, & eam esse penes Magistratum, tanquam primum & proprium subjectum δεκτικὸν, à quo derivetur in Pastores. Nos potestatem Ecclesiasticam specie à politica distinctam statuimus sequentibus.

ARGUM.

1. Quia sic datæ fuissent Magistratui quà tali claves regni cœlorum, quod nusquam legitur, nec de Ethnicis Magistratibus dici potest.

2. Sic nullo jure Apostoli, & qui eos secuti sunt, potuissent potestatem istam Ecclesiasticam exercere, quam Christus Magistratibus quà talibus donaverat.

3. Sic confunderetur Ecclesia cum Republica.

4. Sic Ecclesia nec esset Ecclesia, nec ullam potestatem Ecclesiasticam ad ædificationem regni Christi, & salutem hominum absolutè necessariam haberet, nisi dependenter à Magistratu, & quum magistratus est in Ecclesia. At Ecclesia non desinit esse Ecclesia, & potestatem illam Ecclesiasticam habere, etiam quum Magistratus est extra Ecclesiam.

5. Sequeretur aliquam in Ecclesia esse potestatem αὐτοκρατορικὴν, & aliquem in terris vocari posse Magistrum præter Christum, contra Matth. 23. 8.

6. Sic ministri non amplius erunt diacriticè ministri Christi

Christi in Ecclesia, & opere Christi; sed ministri hominum, aut deputati & vicarii Magistratûs.

7. Sequeretur, ab ipso Magistratu omnem Potestatem Ecclesiasticam per se obiri posse; quod enim quis per alium, tanquam ministrum aut Delegatum exequitur, per se exequi potest; quod absurdum.

8. Ecclesia est Regnum Cœlorum, non de hoc mundo, in quam proinde Magistratus, seu Domini hujus mundi, intrinsecam, directam, & οἰκείαν potestatem non habent.

OBJECTIONES.

1. *Ergo datur imperium in imperio.* R. Neg. Nam Potestas Ecclesiastica non potest præjudicium creare Politicæ; quia sunt Potestates toto genere diversæ; non magis, quàm per potestatem patriam & maritalem fit præjudicium politicæ, quia sunt in alio ordine.

2. *Magistratus habet potestatem circa Sacra.* R. Sed illa potestas non abrogare debet potestatem, quæ competit rectoribus Ecclesiæ, quia, etsi versentur circa idem objectum materialiter, non tamen idem est formaliter: Potestas magistratûs est externa, Pastorum interna; illa coactiva & corporalis, armata potestate gladii; ista verò spiritualis, coërcens & convincens armis spiritualibus; illa dominium includit, ista tantùm ministerium; illa objectivè tantùm & impropriè dicitur Ecclesiastica, ista formaliter & propriè.

3. *Aliàs tyrannis Papistica obtruditur.* R. Neutiquam, quia ut doctrina nostra dat potestatem mandandi Pastoribus; ita fidelibus tribuit facultatem omnia probandi, & quod bonum est retinendi. 1. Thess. 5. 21. & rejicit cœcam Papistarum obedientiam. Igitur propter rei abusum non est tollendus ejus usus: Nec, si fugienda est tyrannis Pontificia, ideo in aliud extremum confusionis & anarchiæ Anabaptisticæ transeundum est, sed medium tenendum.

4. *Potestati Politicæ omnes aliæ Potestates sunt subordinatæ.* R. Subordinatio est duplex alia *per se*, seu quà est spiritualis, quam negamus in Sacris, & concedimus in civilibus; alia *per accidens*, seu quà est corporalis & secularis, vel rei aut actione seculari conjuncta, quam in Sacris agnoscimus.

De Potestate circa Dogmata, Symbola, Confessiones.

XXIX. Potestas Ecclesiæ circa dogmata non consistit in eo, ut Ecclesia verbo authoritatem conciliet, vel ut nova fidei dogmata condat, vel ut Scripturam αὐτοπροσώπως & infallibiliter pro lubitu interpretetur, vel ut judex sit controversiarum supremus; de quibus jam antea diximus. Sed consistit. 1. In custodia & interpretatione Scripturæ. 2. In judicio, quod de Doctrina facere debet Ecclesia, & in *Symbolis* ac *Confessionibus*, quas condere debet ad doctrinæ conservationem, & communionis Ecclesiasticæ vinculum. Quarum authoritas magna quidem in Ecclesiis esse debet, sed quæ subsidit tamen infra authoritatem Scripturæ; Et sunt ad summum *Normæ secundariæ*, non veritatis, sed *doctrinæ* in aliqua Ecclesia receptæ, quoniam ex illis quid cum Ecclesiæ doctrina conveniat, quidve ab ea discrepet, perspici potest, & dijudicari. Sunt igitur obligativæ in foro *communionis externæ*, non in *foro interno conscientiæ*, nisi in quantum deprehenduntur convenire cum verbo Dei. Unde patet, *in excessu* hîc peccare, qui tales Confessiones pro ipsius Veritatis norma habent, & Verbo Dei æquiparant: *In defectu* verò, qui Confessionum nullam, vel perexiguam authoritatem agnoscunt, quales sunt Neutrales & Libertini, Heterodoxi & Hæretici.

Symbolum Apostolicum.

Eadem ratio *Symbolorum*, & in specie Symboli Apostolici, quod ab initio Christianismi conditum est, non quòd ab Apostolis ipsis in Regulam fidei compositum sit, singulis articulum unum ut Symbolam suam conferentibus; Sed quia ex Scriptis Apostolorum collectum est, in compendium doctrinæ ab ipsis traditæ. Hoc, inquam, Symbolum, quanquam quoad materiam sit divinum, desumtum puta ex S. literis, forma tamen est humanum scriptum tantùm, atque adeò humanæ tantùm authoritatis, non verò divinæ & αὐτοπίστου.

CONTROVERSIA.

Ecclesiæ non competit potestas propriè legislatoria.

An Ecclesiæ competat potestas Legislatoria propriè dicta Leges ferendi, quæ conscientiam per se obligent? Neg. contr. Pont.

Accuratè distinguendæ sunt Leges propriè dictæ, quæ fiunt cum jurisdictione, & *Canones*, seu *Constitutiones*, quæ ad

ad directionem meram pertinent. Leges essentiam cultûs divini sanciunt, & ad Deum solum pertinet eas dare: Constitutiones dirigunt hominem in praxi cultûs, ordinem & modum cultûs præscribendo. Leges per se & directè obligant conscientiam, & earum violatio reatum inducit. Sed constitutiones tantùm indirectè & mediatè in casu scandali & contemtûs: Unde reatus, qui ex earum violatione oritur, non est propriè propter constitutionis violationem, sed propter neglectum authoritatis, quam Deus ordinavit, & propter scandalum datum. In Legibus ferendis ministri sunt tantùm Præcones & Legati, qui promulgant Leges Principis; Sed in constitutionibus sunt Directores cultûs externi in rebus, quæ ad εὐταξίαν petinent. Ecclesiam constitutiones tales sancire posse, concedimus, Leges negamus.

ARGUMENTA.

1. Quia *unus est Legislator*. Jac. 4. 12. Supremus sc. & ἀνυπεύθυνος, qui jus habet in conscientiam, ut qui potest servare & perdere, non corpus modo, sed & animam. Luc. 12. 5. Pastores verò meri sunt mandatarii & præcones, qui jus nullum habent Leges condendi vel mutandi. Nec hîc locum habere potest ratio Legislatorum Politicorum, qui subordinantur Deo supremo Legislatori: Quia longè alia est ratio Magistratûs Politici, qui potestatem habet in corpora & bona hominum, & qui contentus est obedientiâ externâ, quique adeò de hisce disponere potest, quàm ministerii Ecclesiastici, quod versatur circa fidem, pietatem, Dei cultum, & conscientiam, in quam nullus homo imperium habet. Jac. 4. 12. Exc.

2. Legi divinæ non licet quicquam addere. Deut. 4. 2. Ut suprà Loc. de Scriptura vidimus.

3. Omnia mandata humana prohibentur. Jes. 29. Matth. 15. 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ nihil sunt, quàm mandata hominum.* Exc. *Mandata Ecclesiæ non sunt mandata humana, sed quodammodo divina, sive quoad inspirationem, sive quoad authoritatem divinam, à qua proficiscuntur.* R. Neg. Quia mandata hominum, quæ à Christo hîc rejiciuntur, erant mandata Seniorum & Rectorum Ecclesiæ Judaicæ, qui se à Deo vocatos & missos, & à Spiritu S. inspiratos profitebantur. Matth. 15. 9. Exc.

4. Quia Pastores sunt Judices subalterni ad Legem alligati,

ligati, qui non debent transilire authoritatis sibi concessæ limites, nec ultra mandata Principis quicquam afferre. Hinc Christus mittens Apostolos, expresè illis injungit, ut doceant gentes servare quæ præceperat ipsis. Matth. 28. 19. 20.

Gal. 5. 1. 1 Cor. 7. 23.

5. Quia fideles semel liberati à Christo, non debent sub jugum servitutis reduci, vel fieri servi hominum. Gal. 5. 1. 1. Cor. 7. 23. At libertas Christiana, dum nos subjicit Christo, eo ipso nos eximit à quolibet alio jugo, & ab aliis omnibus legibus, quæ à Christo non sunt datæ.

OBJECTIO.

Legibus debetur obedientia propter conscientiam. R. Aliud est, Leges obligare conscientiam per se & immediatè; aliud Legibus deberi obedientiam propter conscientiam. Leges divinæ solæ obligant conscientiam per se, quia solus Deus imperium habet in conscientiam. Sed Legibus humanis, sive Politicis sive Ecclesiasticis, debetur obedientia propter conscientiam, quæ jubet nos obtemperare Deo Magistratum & Ministerium instituenti. Eæ leges conscientiam obligant, quarum imperium propriè & per se est in conscientiam; sed quæ observantur propter conscientiam, nituntur alienâ authoritate, i. e. alterius Legis.

De Canonibus Ecclesiæ.

XXX. Licèt verò Pastoribus non competat potestas νομοθετικὴ propriè dicta, seu jus condendarum Legum, quæ conscientiam obligent; Habent tamen potestatem condendorum Canonum & Constitutionum Ecclesiasticarum ad εὐταξίαν & decorum, quæ versantur non circa ipsam doctrinam fidei & cultûs, sed circa adiaphora & libera, ut sunt tempus, locus, forma ac norma precum, concionum, administrationis Sacramentorum, jejuniorum, eleemosynarum, &c. Et tales constitutiones, licèt magnam in Ecclesia habeant authoritatem, & servandæ sint ad boni ordinis conservationem, non obligant tamen extra casum scandali & contemtûs, & in earum transgressione peccatum nullum esse potest nisi indirectè, i. e. non propter rei ipsius usurpationem, ut in homicidio, fornicatione, sed propter aliud, si sit ex contemtu authoritatis legitimæ; si cum neglectu fraternæ ædificationis, si ex impietate & licentia, si denique non observatur illud Pauli. 1 Cor. 14. 40. ut omnia ordine & decenter fiant in domo Dei.

XXXI. Ecclesia primitiva duplici jure utebatur, *Divino*, i. e. Codice S. Scripturæ, & *Canonico*, i. e. Codice Canonum à S. Patribus & Conciliis constitutorum; Unde in Conciliis duo illi Codices in medio consessûs poni solebant. Et hoc est genuinum illud antiquum *jus*, & Corpus Canonicum, quod Ecclesiasticâ & Imperatoriâ potestate sancitum fuit in Imperio. Cui Corpus Canonicum Papale, solâ usurpatione, absque authoritate Ecclesiarum & Imperii, imò & contra eam paulatim obtrusum est. Ubi etiam tenendum, Constitutionum Apostolicarum libros 8. sub Clementis nomine, nec non Canones Apostolorum juxta Virorum Doctiss. judicium supposititicios esse, & Seculo demùm V. collectos ex variorum Conciliorum Canonibus, ut vult Dallæus. Jus Canonicum.

CONTROVERSIA. I.

An ministris Sacris competat Potestas spiritualis peccatores contumaces & scandalosos excommunicandi? Aff. contra Erastum, & ejus Sequaces.

De Excommunicatione.

Disciplinæ Ecclesiasticæ Exercitium consistit in potestate spirituali, quâ peccatores publici & scandalosi post privatas & publicas Ecclesiæ monitiones neglectas & rejectas, per Ministros sacros ex Presbyterii ordine & authoritate à signis divinæ gratiæ arcentur; & si in eadem contumacia perseverent, tandem coram tota Ecclesia in nomine Dei ab Ecclesiæ communione excluſi esse pronunciantur, tantisper dum per veram resipiscentiam Deo & Ecclesiæ reconcilientur. Quæ disciplina exercetur, tum, ne cum Dei contumelia inter Christianos nominentur, qui turpem ac flagitiosam vitam agunt, ac si sancta ejus Ecclesia foret improborum & sceleratorum hominum conjuratio, tum, ne continuâ malorum consuetudine boni corrumpantur, tum, ut peccatores confusi expergefiant sensu ferulæ, qui indulgentiâ obstinatiores futuri erant.

Interim de hac Excommunicatione in anteceſſum observandæ sunt sequentes regulæ.

a. Disciplina ista semper talem severitatem exerere debet, quæ cum Spiritu mansuetudinis conjuncta sit; Quippe, ubi pœnitentiæ suæ testimonium Ecclesiæ dat peccator, & scandalum, quantum in se est, obliterat, non est ultra

ultra urgendus. Unde non potest probari immodica veterum austeritas, qui peccatori pœnitentiam solemnem, & privationem à sacra communione, nunc in septem, nunc in quatuor annos, nunc in totam vitam indicebant.

b. Ista Excommunicatio non debet extendi ad societatem Politicam, & officia charitativa & moralia simpliciter, aut aliâs ex nostra vocatione in statu œconomico aut politico debita & necessaria, ut vellent Pontificii; quasi prohiberentur uxores maritis, liberi parentibus, servi Dominis, subditi Principibus excommunicatis præstare officia, ad quæ jure naturæ obligantur. Nec enim excommunicatio potest abrumpere vincula naturalia & moralia, quibus inter se homines tenentur: sed hæc separatio tantùm extendi debet ad illas conversationis partes, quæ conniventiam vel approbationem viderentur inferre.

c. Ejectio ista ab Ecclesia, licèt quoad statum externum notet realem separationem à Communione externa Ecclesiæ, & usu sacrorum, sed non perpetuam: Tamen quoad internum non est realis expulsio ex Corpore mystico Christi; nam qui semel in illud Corpus est cooptatus, nunquam potest ab eo ejici. Sed comminatio tantùm, seu declaratio demeriti intrinseci culpæ, quòd sc. talis peccator impœnitens & contumax mereatur ejici ex illa Societate. Ut Pater, quum filium contumacem è domo sua ejicit, nondum tamen eum planè exhæredavit, imò sæpe hoc medio utitur ad eum ad resipiscentiam reducendum.

d. Non omnes Ecclesiæ Reformatæ usum Excommunicationis receperunt, non quod eam injustam censeant, sed quia existimant, sub Christianis Principibus non esse adeò necessariam, & Magistratu Christiano ritè officio suo fungente, Ecclesiam posse eâ tutò carere; Interim ejus usum in aliis Ecclesiis non improbant. Sed alii longiùs progressi sunt, & illam ut illicitam & injustam damnârunt, qualis fuit *Tho. Erastus*, qui varias contentiones Heidelbergæ excitavit hac de causa; Quem secutus *L. Molinæus*, Ven. Viri, Petri Molinæi filius. Contra hos posteriores afferri possunt sequentia

ARGUMENTA.

1. Hoc est jus naturale omnium societatum bene ordinatarum, ut separare de suo grege possint homines incom-

commodos & noxios, ſuique cœtûs maculas, probra, & carcinomata. Quòd ſi hoc aliis Societatibus conceditur, longè potiùs Eccleſiæ competere debet, quæ & ſanctior eſt, & ordinatior.

2. Eò pertinet, quod toties de Exciſione animæ ex populo habetur apud Moſen, quàm ad excommunicationem referendam eſſe potius, quam ad judicium aliquod θανάτου, vel mortem æternam, viri doctiſſimi judicant. Nec dubium eſt, quin apud Judæos excommunicatio locum habuerit, ut patet ex loco Ezræ. 10. 8. *Quisquis non venturus eſſet intra triduum ex conſilio principum ac ſeniorum, anathema erunt omnes facultates ejus, ipſe verò ſeparabitur à congregatione deportatæ multitudinis.* Hinc toties in Evangelio mentio fit τῆ ἀφορισμοῦ, & de iis, qui ἀποσυναγωγοὶ fiebant ſequendo Chriſtum. Ubi obſervandum, quòd Chriſtus, qui tam acriter carpit ſcrupuloſam Phariſæorum religionem in decimandis oleribus, & in purgandis vaſis, ne verbum quidem de iſta conſuetudine fecerit: Quod ſatis aperte innuit, hunc ritum illi non improbatum fuiſſe, ſi modò ritè exerceretur. Ezr. 10. 8.

3. Chriſtus iſtum ordinem præſcripſit per traditionem clavium Regni cœlorum factam Petro, & in ejus perſona toti Eccleſiæ; quibus illud non reſeratur tantùm, ſed & claditur, ne profanis eò aditus ſit, & per poteſtatem *ligandi* & *ſolvendi* eidem conceſſam. Matth. 16. 19. Exc. *Ligatio & ſolutio notat remiſſionem & retentionem peccatorum, quæ fit per verbi prædicationem.* R. Unius poſitio non eſt excluſio alterius, imò hæc ſe invicem comitantur, ligatio & ſolutio *generalis*, quæ fit per prædicationem, per quam in genere promittitur venia pœnitentibus, & annunciatur pœna immorigeris, & *ſpecialis*, quæ pertinet ad exercitium diſciplinæ, per quam huic & illi pœnitenti applicantur promiſſiones gratiæ, & huic & illi peccatori contumaci denunciatur retentio peccatorum, & excluſio à regno cœlorum. Matt. 16. 19. Exc.

4. Confirmatur ex Matth. 18. 17. ubi Chriſtus vult fratrem offendentem, qui noluerit acquieſcere piis fratris læſi monitionibus, deferendum eſſe ad Eccleſiam, ſeu Presbyterium, & ſi noluerit illam audire, à nobis habendum eſſe pro Ethnico & publicano, alluſivè ad Synagogæ proceſſum, quos enim à ſua communione excludebat, Matth. 18. 17.

bat, velut Ethnicos & Publicanos habendos esse pronunciabat, i. e. alienos à fœdere & populo Dei. Exc. *Data quidem est illa potestas Ecclesiæ, sed quamdiu fuit sub cruce, & Imperatoribus Christianis caruit.* R. Gratis hoc supponitur, quia ordo in Ecclesia à Christo constitutus, non debuit esse temporalis, sed perpetuus; ut perpetuo usu postea fuit confirmatus, tam sub Imperatoribus Christianis, quàm sub Paganis.

Exc.

5. Patet ex pœna exercita in incestuosum Corinthium. 1. Cor. 5. 3. ubi *incestuosus traditur Satanæ ad exitium carnis, ut spiritus servetur in die Domini Jesu.* Ubi varia occurrunt argumenta. 1. Quia Apostolus objurgat Corinthios v. 2. quòd non luxerint, ut tolleretur talis peccator è medio ipsorum; non sanè per pœnam capitalem, quasi vellet tribuere Presbyterio jus Magistratûs proprium, sed per excommunicationem, per quam tollitur peccator è medio cœtûs, & quia Ecclesia, cùm aliquem à suo consortio erat exclusura, lugentium sumebat habitum, ut ait Origenes. 2. vers. 13 præscribit ipsis, ut scelestum è medio sui tollant; quod utique facere non potuisset, nisi agnovisset, hoc esse jus Ecclesiæ, flagitiosos excommunione sua ejicere. 3. Quia pœnam istam describit per expurgationem fermenti. v. 7. ut enim fermentum debebat ejici ex domo ad celebrationem Paschatis; ita impius incestuosus, qui instar fermenti poterat totam massam, i. e. Ecclesiam inficere, debebat ejici ex Ecclesia. 4. Quia *traditio Satanæ* non aliò melius potest trahi quàm ad Excommunicationem: Ratio locutionis petitur ex eo, quòd qui extra Ecclesiam ejectus est, & per hoc privatus bonis Ecclesiæ propriis, qualia sunt Orationes, Sacramenta, Conciones publicæ, cura pastoralis, & specialis Dei protectio, expositus relinquitur tyrannidi & tentationibus Diaboli, qui regnat extra Ecclesiam.

1. Cor. 5. 3.

Exc. 1. Exc. 1. *Si Satanæ tradere est extra Ecclesiam ejicere, extra quam nulla est salus, non dixisset Paulus, se hoc facere, ut Spiritus salvus sit in die Domini.* R. Quidni verò? Nam ejectus extra Ecclesiam censetur traditus Satanæ non tanquam apud Satanam permansurus, sed ut resipiscat.

Exc. 2. Exc. 2. *Traditio Satanæ de miraculosa hominis incestuosi traditione ad excruciandum & interficiendum intelligenda est, quomodo factum à Petro, circa Ananiam & Saphiram,*

& à

& à Paulo in Bar-Jesum. R. At, Paulum de ordinario Ecclesiæ officio, non verò de miraculo simpliciter loqui multa ostendunt. 1. Reprehendit Corinthios, quòd ipsum non sustulerint de medio sui. v. 2. at non reprehenderet eos, de non edito miraculo, quod donum erat particulare Apostolorum, non omnium. 2. Ad hunc tollendum requiritur solennis consensus & conventus Ecclesiæ; at quid consensu & conventu Ecclesiæ opus fuit ad miraculum præstandum? 3. Finis istius pœnæ ostendit non posse intelligi de morte ipsi miraculosè inflicta, tum quia constat incestuosum traditioni illi supervixisse; tum, quia traditur Satanæ, ut Spiritus salvus fiat, i. e. ut in hac vita resipiscat, & tandem servetur. Quod confirmatur ex loco parallelo 1. Tim. 1. 20. ubi Hymenæum & Alexandrum Paulus dicitur tradidisse Satanæ, ut *discerent non blasphemare*, i. e. hac pœnâ affecti à blasphemia desisterent per seriam resipiscentiam.

6. Huc possunt referri loca sequentia; quòd Apostolus ait. 1. Cor. 4. 21. de virga, quam in Corinthos exercere poterat: *Quid vultis? Cum virga veniam ad vos, an in charitate?* Rom. 16. 17. *Precor vos, fratres, ut observetis dissidiorum & offendiculorum authores, contra doctrinam quam vos didicistis, & declinetis ab iis.* Et 2. Thess. 3. 14. 15. *Si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate, & ne commercium habete cum eo, ut erubescat.* Et Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem repelle.* 2. Joh. 10. 11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipite eum in domum, nec ave ei dicite.* Quò pertinet illud Christi Matth. 7. 6. ubi vetat sanctum dare canibus.

1. Cor. 4. 21.
Rom. 16. 17.
2. Thes. 3. 14. 15.
Tit. 3. 10.
2. Joh. 10. 11.
Matth. 7. 6.

7. Ex Praxi Veteris Ecclesiæ, quæ peccatores publicos à sacrorum communione removere solebat, donec publicè resipuerint. Inde quatuor pœnitentiæ gradus observabant. 1. Erat κλαυσις seu *fletus*, ad oratorii seu templi januam, ubi peccator consistens fideles ingredientes orabat cum lacrymis, ut pro se precarentur. 2. ἀκρόασις *auditio* Verbi divini, in porticu oratorii, unde erat illi discedendum quamprimùm preces incipiebant, quibus interesse illi nefas erat. 3. ὑπόπτωσις, *prostratio*, intra Templi portam, ubi cum Catechumenis consistebat, & cum ipsis egredi tenebatur. 4. σύστασις *consistentia*, quum

jus habebat inter ipsos fideles consistendi; quam tandem sequebatur μέθεξις, seu participatio Sacramentorum. Quæ disciplina tam rigidè fuit exercita, ut Principes quoque se ad eam ferendam subjicerent. Sic Theodosius, quum ab Ambrosio ob cædem Thessalonicæ perpetratam jure communionis privatus esset, stravit omne quo circumdatus erat, insigne regium, deflevit in Ecclesia publicè peccatum suum, gemitu & lacrymis oravit veniam.

OBJECTIONES.

1. *Christus Iudam non expulit.* R. Causa erat, quia Judas adhuc erat occultus proditor & hypocrita: Nemo autem debet arceri à cœna, nisi propter peccatum publicum & scandalosum, quod ideoneis testibus sit probatum, & cujus peccator publicâ authoritate sit convictus & damnatus.

2. *A verbo nemo debet arceri. E. nec à Sacramentis.* R. Neg. Conseq. Nam verbum ad omnes, etiam ad impios dirigitur, quia est medium conversionis. Sed Sacramenta destinantur tantùm fidelibus, quia sigilla sunt fœderis, quæ obsignare debent gratiam fœderatis. Verbum destinatur ad dandam fidem & pœnitentiam: Sacramenta verò ad utramque confirmandam. Verbum ad incredulos dirigitur, ut fideles reddantur: Sacramenta dantur, quia creduntur fideles. Verbum non facit vinculum societatis inter eos quibus prædicatur. Sacramenta dantur ut vincula nostræ unionis. E. non possunt ritè dari iis, qui vincula societatis abruperunt.

3. *Paulus neminem expressè excluſit à Sacra cœna. Cap.* 10. *&* 11. 1. *ad Corinthios.* R. Paulus relinquit hoc officium Synedrio Ecclesiastico, contentus regulam præscripsisse: Satis tamen docet, quomodo cum peccatoribus scandalosis sit agendum, cùm ait non posse quemquam participem esse mensæ Domini & mensæ Dæmoniorum.

4. *Zizania relinquenda sunt usque ad messem.* R. Christus in parabola de Zizaniis agit de hypocritis occultis, quos facile non est secernere à fidelibus veris, nec tam de Magistratûs aut Pastoris officio disserit, quàm fidelium ipsorum, quos hortatur, ne animis deficiant, quia malos secum ferre cogantur. Non negare vult Christus, Pastores incumbere debere purgandæ Ecclesiæ: Sed ubi omnes in commune operas mutuas contulerint, nec tamen penitus purge-

purgetur Ecclesia, non abjiciendum ministerium, vel in usitata asperitate totam Ecclesiam perturbandam. Ita similitudo ista de universali Ecclesiæ repurgatione nunquam ante ultimum diem futura, particulares evulsiones sive à Magistratu, sive ab Ecclesiastico judicio factas non prohibet.

5. *Christus neminem expressè arcuit abusu Sacramentorum.* R. Satis tamen hoc designavit, quum vetat quemquam accedere ad altare, nisi priùs reconciliârit se fratri; quum prohibet Sanctum dari canibus; quum fratres contumaces & rebelles voci Ecclesiæ vult haberi pro Ethnicis & Publicanis; quum eum qui caret veste nuptiali ejici vult. Vel quis putârit Christum, quum cœnam institueret, quæ nostræ est cum ipso mysticæ communionis tessera, voluisse quenquàm aliter, quàm dignè ad mensam suam accedere?

6. *Johannes Baptista Sadducæos & Pharisæos ad baptismum suum accedentes non ejecit.* R. Causa nulla erat eos ejiciendi, ut qui venirent cum peccatorum confessione. Matth. 3. 6. nec essent ab aliis excommunicati, nec ipse potestatem haberet eos excommunicandi, etsi fuissent excommunicatione digni. Fecit ergo quod muneris erat sui, quum accedentes quosvis hortatus est ad resipiscentiam, cum oblatione remissionis peccatorum in Christo.

7. *Hæc excommunicatio præjudicat authoritati Magistratûs.* R. Neg. Nam correptio Ecclesiastica & politica punitio multifariam differunt; hæc ad πρωνείαν, illa verò ad παιδείαν potissimùm pertinet. Illa animi salutem & conversionem, ista corporis pœnam respicit.

8. *Homines hodie non habent specialem revelationem Spiritûs S.* R. Non opus est ad decernendam excommunicationem speciali revelatione Spiritûs S. sufficit ut ex verbo Dei, & potestate sibi in eo concessa agant Pastores. Nam ut de jure, quas ob causas exercenda sit ex verbo Dei, constat; ita de facto ex ideoneis testimoniis liquet, de scandalis admissis ab Ecclesia corripiendis.

CONTROVERSIA II.

An censura Ecclesiastica, præsertim summa, sit penes totum populum Ecclesiasticum? Neg. c. Anab. & Independentes. Censura Ecclesiastica.

ARGUMENTA.

non est penes totum populum.

1. Populus constitutus non est ut sint Episcopi, Rectores. 1. Cor. 12. 29. E. nec quidquam facere possunt quod est reginis.

2. Populo non sunt datæ claves regni. Matth. 16. v. 19.

3. Populus non habet potestatem dandi Sacramenta: E. nec negandi.

4. Mandatum est ut dicamus Ecclesiæ, seu Synedrio, & Ecclesia censuram exerceat. Matth. 18. 17.

5. Tum etiam mulieres deberent regere Ecclesiam.

OBJECTIONES.

Matth. 18. 17.

1. *Matth.* 18. *v.* 17. *Dic Ecclesiæ.* R. Non toto populo, mulieribus & pueris; sed Synedrio.

Act. 15. 22.

2. *Placuit Apostolis, Presbyteris, & toti Ecclesiæ. Act.* 15. 22. R. i. e. Apostolis, Presbyteris docentibus, & seniorib. tantùm regentibus.

1. Cor. 5. 4.

3. 1. *Cor.* 5. 4. *Cùm vos congregati eritis.* R. Qui constituitis Synedrium.

Politicum Ecclesiæ Regimen.

XXXII. Circa Politicum Ecclesiæ Regimen alii peccant *in excessu*, qui potestatem omnem Ecclesiasticam Magistratui vindicant: Alii *in defectu*, qui ab omni rerum Ecclesiasticarum curâ eum removent, & nihil cognitionis, nihilque judicii circa Religionem, sed solam executionem illi relinquunt. Orthodoxi inter duo extrema medium tenentes, statuunt, magistratum pium & fidelem non posse ab omni Religionis curâ excludi; sed certis limitibus hoc jus circumscribendum esse, ne Ecclesiastici & Politici ordinis munia confundantur. Nam. 1. Magistratui commissa est custodia legis divinæ; ideo Deus præcipit Regi, ut Legem legat omnibus diebus vitæ suæ, & illius verba

Deut. 17. 18. Jos. 1. 8. 2. Reg. 11. 22.

custodiat. Deut. 17. 18. Jos. 1. 8. Unde Joasο in solenni inauguratione liber Legis à Jojada datur, ut intelligat custodiam illius sibi esse commendatam. 2. Reg. 11. 22. Confirmatur idem mandatum ex aliis locis, ubi jubentur Reges & Principes erudiri, servire Domino in timore, & osculari filium. Pf. 2. 10. Ubi dicuntur venturi ad Christum, & se incurvaturi ipsi. Pf. 72. 10. 11. In id constituti, ut tranquillam vitam agamus in omni pietate. 1. Tim. 2. 2. 2. Ideo magistratus vocantur nutricii Ecclesiæ. Jesaj. 49. 23. Et 60. 40. Dii, sc. ut vicarii Dei gloriam ejus promovendo.

Pf. 2. 10.

1. Tim. 2. 2. Es. 49. 23. & 60. 40.

Pasto-

Pastores. Jesaj. 44. 28. non quòd ventrem tantùm pascant, sed etiam curent, ut subditi deducantur ad salutifera pascua verbi Dei. Patres 1. Sam. 12. 15. qui non tantùm de victu corporali, sed & spirituali prospicere debent. 3. Magistratus Reipubl. & subditorum bonum debet procurare, inter quæ religio summum est. 4. Exemplis Mosis, Legem promulgantis; Aaronem inaugurantis, &c. Josuæ, Levitis imperantis, arcam circumferri jubentis, &c. Davidis, arcam è domo Obed-Edom in suam reduci curantis, officia Levitarum distribuentis. 1. Chron. 15. 16. & 23. 4. Salomonis, templum extruentis, 1. Reg. 6. illudque sanctificantis. 1. Reg. 6. Asæ, altaria, statuas idololatricas evertentis. 1. Reg. 15. 12. 15. 2. Chron. 14. 4. Josaphati, Reformationem procurantis. 2. Chron. 19. Joasi, Templum restaurantis. 2. Reg. 12. 4. Ezechiæ, excelsa dissipantis, serpentem æneum confringentis. 2. Reg. 18. reformationem cultus instituentis. 2. Paral. 29. Josiæ, librum Legis ab Hiskia Sacerdote repertum publicantis. 2. Reg. 23. 2. Chr. 24. Pascha celebrantis, & Sacerdotes ad officium suum hortantis. Cap. 35. Quibus addi possunt exempla piorum Imperatorum, Constantini M. Theodosii utriusque, Arcadii & Honorii, Valentiniani, Martiani, Justiniani, & aliorum, qui pietatem suam in cura Religionis passim testatam fecerunt, ut ex Hist. Eccles. patet.

XXXIII. Jus verò Magistratûs circa Sacra est limitatum. Nam. 1. Non licet Magistratui novos fidei articulos condere, aut novos cultus instituere. 2. Verbum prædicare, & Sacramenta administrare. 3. Disciplinam Ecclesiasticam exercere. 4. Ministris præscribere formam prædicationis, vel administrationis Sacramentorum. 5. In dijudicandis & constituendis rebus Ecclesiasticis nec potest nec debet quicquam inconsultis & inauditis Pastoribus præcipere. Contrà debet. 1. Sacram Doctrinam, & purum Dei cultum ex verbi divini præscripto in Republ. constituere, constitutum conservare, collapsum restaurare. 2. Ecclesiam protegere, hæreticos, turbatores coërcere, gloriam Dei promovere. 3. Ministerium Verbi & Sacramentorum juxta Verbum Dei, ubi non est, procurare, ubi est, reverenter habere, alere, tueri, ac Scholas fovere. 4. Providere, ut quisque ministrorum officium suum faciat. 5. Efficere, ut solennes formulæ & constitutiones Ecclesiasticæ,

Jus Magistratus in Scara, in quo consistat

sticæ, secundùm Scripturæ normam legitimo ordine sanciantur, & semel sancitæ illibatæ conserventur. 6. Conventus Ecclesiasticos cum authoritate constituere, Synodos convocare, moderari, confirmare & tueri.

An Magistratus ad fidem cogere possit subditos?

XXXIV. Quamvis verò Magistratus debeat esse de suorum subditorum salute solicitus, & nihil omittere ex iis quæ penes ipsum sunt, ad eam procurandam. Tamen ad fidem cogere subditos non potest, quòd Pontificii faciunt: Longè enim alia Spiritus S. est doctrina, qui, ut nullâ aliâ ipe quàm bonorum cœlestium homines ad fidem attrahi docet; ita nullo alio metu, quàm judiciorum Dei, & inferorum, ad pietatem excitari vult. *Scientes terrorem Domini, inducimus homines ad fidem.* 2. Cor. 5. 10. Unde nihil unquam tale vel præceptum est à Christo, vel exemplo suo comprobatum. Nam *arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, destruentes ratiocinia, & omnem sublimitatem, & captivantes omnem intellectum ad obedientiam Christi.* 2. Cor. 10. 4. 5. Dominium enim in conscientiam nemo sibi assumere potest præter Deum. *Non dominamur*, inquit Paulus, *fidei vestræ.* 2. Cor. 1. 24. Unde irritus est hujus coactionis successus; nam per eam animi vel magis abalienantur, vel hypocritæ fiunt; nec potest esse sincerum quod coactum. Hinc Vetus Ecclesia persecutionem passa est, sed non excitavit; vicit Paganismum, ut Paganismus illam vicerat; sed nunquam illi par pari reddidit: Non usa est authoritate Constantinorum & Theodosiorum ad cogendos ad fidem infideles, ut Pagani usi erant gladiis Neronum, Maximiniorum, Deciorum, Diocletianorum ad terram sanguine Christianorum tingendam.

2. Cor. 10, 4. 5.

2. Cor. 1. 24.

An hæretici sint puniendi?

XXXV. Quær. An hæretici sint puniendi? R. Pontificii in aliud extremum vergunt, & ferro ac igni persequendos censent, quotquot in hæresin cecidisse judicantur, quam ex dissensu à fide sua metiuntur, ut ita Principes ad Reformatorum lanienas eò acrius excitent. Sed circa hanc quæstionem multiplex cautio adhibenda est, ne vel præposterâ severitate, vel nimiâ lenitate peccetur. Distingui enim accuratè oportet inter *seductos & seductores*; inter eos qui leviùs, & qui graviùs ac obstinatiùs errant. Illi leniter erudiendi; isti acrius coërcendi. Inter eos, qui unum aut alterum fidei articulum impetunt, & eos, qui præci-

præcipua Christianismi fundamenta evertunt: Inter eos, qui ex ignorantia peccant, & errores privatim & penes se servant, Et eos, qui quoscunque possunt erroribus suis inficiunt; Et imprimis hæresiarchas, blasphemos, factiosos, pacis publicæ perturbatores, qui errores capitales quos fovent, non modò pertinaciter defendunt, sed & quavis occasione contra omnia monita & interdicta spargunt, infandis blasphemiis cœlum & terram polluendo, & qui eo prætextu turbas ac seditiones in Repub. movent. Contra istos enim severius agendum esse, nemo dubitare potest. Rursus distinguenda est multitudo gentis, quæ errore aliquo inficitur, à singularibus individuis, quæ familiam ducere, & sectam sibi superstitem moliuntur. Distinguendi etiam sunt illi, cum quibus nullum adhuc pactum Magistratus iniit, & in cujus proinde arbitrio positum est eos tolerare vel expellere, ab iis, qui sub fide publica Pactorum & Edictorum vivunt. Illis enim nihil debetur: Sed istis pacta semel sancita observanda sunt. Tandem discrimen adhiberi debet inter hæreticos, qui omnium Christianorum consensu tales judicantur, & ex Dei verbo legitimè sunt convicti, quales sunt Athei, Deistæ, Epicuræi, Sociniani, &c. Et eos, qui à nonnullis ex præjudicatis opinionibus tales habentur; Licèt nec unquam de erroribus suis legitimè convicti fuerint.

His positis tribus Propositionibus sententiam nostram exponimus.

1. Licet Magistratibus hæreticos contumaces & præfractos, qui sanari non possunt, & qui pacem Ecclesiæ factionibus suis lacerant, coërcere, & aliqua etiam pœna plectere. Cùm enim custodes sint utriusque tabulæ, & cura Religionis ad ipsos pertineat, prospicere debent, ne quid ipsa detrimenti patiatur. Eò spectant leges à Mose latæ; sc. ut Propheta falsa somnians morte plectatur. Deut. 13. 4. Ut qui execratur nomen Jehovæ, lapidetur. Levit. 24. 16. Et exempla Mosis, ac piorum Regum, in V. T. qui Religionem repurgare, falsos Prophetas, hæreticos ac idololatras coërcere, & pœnis variis afficere non dubitârunt. Deut. 13. 4. Lev. 24. 16.

Obj. *Magistratus non habet potestatem in animam, in qua hæresis latet.* R. Habet tamen in linguam, ut in manus, & non minus potest plectere hæreticum, quàm furem vel

latronem, quia Societatem inficit, cujus curam habere debet Magistratus.

2. Non licet in quosvis errantes & hæreticos supplicio capitali animadvertere. Hoc enim repugnaret Spiritui Christianismi, qui homines ad fidem verbo allicit, non ferro cogit: Hinc Christus Apostolis petentibus ut ignis è cœlo eliceretur ad perdendos Samaritanos. *Nescitis*, inquit, Luc. 9. 54. *quo Spiritu ducamini; Filius enim hominis non venit ad perdendas animas, sed ad eas servandas.* Luc. 9. 54. Præterea hoc viam præcludit conversioni & saluti hominum: Dum enim errantes vitæ usurâ fruuntur, datur semper locus pœnitentiæ, quæ per mortem præripitur. Et hîc est character Antichristi, qui persecutionibus & sanguine debuit illustris esse. Apoc. 11. 7. Bestia quæ ex Abysso ascendit, dicitur *bellum illatura Sanctis*, & eos superatura. Cap. 13. 14. *Faciet eos occidi, quicunque non adoraverint imaginem bestiæ.* Eodem spectat, quod de meretrice Babylonica dicitur: Eam esse *ebriam ex sanguine martyrum.* Cap. 17. 6,

Obj. *Elias quadringentos Bahalis Prophetas occidi curavit: Petrus Ananiam & Saphiram morti addixit: Paulus Elymam magum excæcavit.* R. Hæc sunt exempla planè extraordinaria, ad conciliandam Prophetæ Domini, & Apostolis authoritatem; sed hinc nulla Magistratui regula præscribitur.

3. Hæresiarchas factiosos & blasphemos, ἀνιάτους, venenum suum contra interdicta sæpius iterata, & fidem datam spargere non desinentes, & Rempubl. ac Ecclesiam turbantes, morte plecti posse censemus. Sed ita, ut non eò deveniatur, nisi tentatis inutiliter omnibus aliis mediis lenibus, ad eos sanandos, & ad meliorem mentem revocandos. Cùm enim pœna crescere debeat pro gravitate criminis, ac blasphemia criminum omnium maximum sit, maximo etiam plectendum supplicio. Huc accedit Dei authoritas, qui leges varias capitales tulit in Apostatas, Pseudo-Prophetas, Idololatras, blasphemos, &c. de quibus antea. Quamvis enim non negemus, eas habuisse aliquid peculiare pro politiæ Mosaicæ rigidioris ratione: Certum est tamen duo inde ritè colligi. Primò, quum defectio à Religione, quæ Verbo Dei constituta est, & solicitatio ad defectionem per civilem Magistratum puniatur,

tur, eadem scelera inulta manere non debere, sed nunc etiam esse punienda. Deinde, cùm nulla afferri possit ratio, cur Dei majestas, & Ecclesiæ ac Reipubl. salus minoris apud nos ponderis esse debeat, quàm olim apud Judæos fuerit, Christianos eodem studio tueri debêre veram Religionem, ac Judæos. Possunt huc etiam afferri varia Exempla severitatis in idololatras, blasphemos, &c, Mosis, adversus idololatras. Exod. 32. Josiæ, Sacerdotes Bahaliticos interficientis. 2. Reg. 10. &c. Licèt enim ibi aliquid fuerit extraordinarii, exinde tamen colligitur, talia crimina hanc pœnam mereri, & justè à Deo decerni potuisse. Eò etiam respexerunt Leges variæ ab Imperatoribus latæ adversus Manichæos, Donatistas, Apollinaristas, Eutychianos, quarum aliæ ad pœnam exilii & deportationis, infamiæ, & privationis bonorum, aliæ ad pœnam capitalem eos addicebant.

Obj. *Sic arma porriguntur Pontificiis.* R. Quàm falsum hoc sit ex cautionibus supra allatis, abundè liquet.

Ecclesia Romana non est vera Ecclesia.

XXXVI. Ex omnibus quæ hucusque diximus, abundè constat, Ecclesiam Romanam hodiernam non esse veram Ecclesiam, tum, quia impingit in fundamentum, tum, quia doctrina ejus dubia est, & adversatur certitudini salutis, & paci conscientiæ, est inimica pietati & bonis moribus, per prohibitionem matrimonii, vota monastica, confessionem auricularem, depositionem Regum, absolutionem subditorum à juramento fidelitatis, &c. Quæ omnia quàm vera sint ex toto hoc compendio liquet: Unde meritò ex Babylone ista mystica exire jubemur. Apoc. 18. 4. Per quam Babylonem Romam designari, ipsi adversarii non diffitentur; sed Romæ Papali, non Ethnicæ convenire varia probant: ut, quòd inebriatura esse Gentes & Reges terræ poculo aureo fornicationum suarum. Apoc. 17. 2. & cap. 18. 3. quòd cum ea scortaturi essent, quòd mercaturam & quæstum animarum exercitura esset. Apoc. 18. 13. quòd in fronte nomen *mysterii* inscriptum gerat. Apoc. 17. 5. quòd cornua agni gerere debeat, & os habere Draconis. C. 13. 11. &c. quæ ita sunt perspicua, ut vix applicatione egeant: Præsertim si addamus, miratum fuisse Joannem admiratione magnâ, cùm videret illam cap. 17. 6. Nulla quippe admirationis causa erat, Ethnicam Romam videre Idola colentem, vel Sanctos persequentem,

Apoc. 18. 4.

tem. Sed cùm Romam, omnium Ecclesiarum matrem sibi repræsentatam intelligeret, id non sine ratione miratus est.

Ecclesia Reformata est vera Ecclesia.

XXXVII. His omnibus si jam opponamus doctrinam Ecclesiæ Reformatæ, eam veram esse Ecclesiam clarè patebit. Quæ verò *præjudicia* Pontificii contra Religionem nostram fingunt, ut sunt: *Crimen Schismatis*; *Novitas Reformationis*; *Defectus vocationis & missionis*; *Dissidia*, *Reformatorum vita*, *violentia*, *confusio*; *Independentismus*; *Fanatismus & Libertinismus*. Hæc, inquam omnia præcipua jam sunt refutata, ut longiori deductione opus non sit.

LOCUS XVII.

DE

SACRAMENTIS.

I.

Sacramentum quid?

Sacramentum est Signum & Sigillum divinum, & visibile invisibilis gratiæ.

Vox sacramenti.

II. Quamvis Vox Sacramenti Libris Veteris & Novi Testamenti sit incognita, utpote Latina; Ita tamen usus ejus invaluit in Ecclesia, ut si quis ab illa superstitiosè abstineret, ut fit à *Socinianis*, qui hac ratione non tam vocem, quàm ipsam Sacramentorum naturam petunt; eum præposterè Religiosum esse putemus. Unde Pontificii Luthero, & Lutherani nobis injuriam faciunt, quum nobis impingunt, quòd ab hac voce abhorreamus.

III. *Sacramentum* deducitur à *Sacrando*, i. e. consecrando, & initiando, & priscis linguæ Latinæ authoribus duo significat. 1. *Pecuniam*, sive pignus à litigantibus apud Pontifices in loco sacro depositum, quo multabatur is, qui causâ ceciderat, in pœnam injustæ litigationis. 2. *Juramentum*, quod nonnisi invocato sacro quodam Numine concipiebatur. Peculiariter verò adhibetur ad notandum

tandum juramentum militare, quo milites astringebantur Magistratui, se omnia, quæ Imperator præceperat, strenuè facturos, nec signa militaria deserturos. A re militari ad Sacros usus translatum est vocabulum à Scriptoribus Ecclesiasticis, & usurpatum est ad quodlibet mysterium significandum: Strictiùs pro sacro Signo vel Symbolo externo sumitur, quod aliud sensui, aliud menti exhibet. Tandem in eo constitit, ut significaret signum & sigillum fœderis in Christo à Deo in Ecclesia institutum. Huic voci apud Græcos respondet vox μυστήριον, ἀπὸ τοῦ μύειν, *sacris initiare*; Quæ vox in Scriptura nunquam usurpatur pro Sacramento, prout hæc vox strictè sumitur pro signis fœderis gratiæ: Quamvis de cætero vocem illam non repudiemus, quia Sacramenta revera sunt rei arcanæ seu gratiæ invisibilis signa, quæ arcanam significationem habent, & latente mysterio sese potissimùm commendant. Vox mysterii.

IV. Scriptura rectiùs vocat *signa fœderis*. Gen. 9. 12. 13. & 17. 11. *Signa* & *sigilla* justitiæ fidei. Rom. 4. 11. & *signa* simpliciter. Exod. 12. 13. ὑπόδειγμα. Heb. 8. 5. 9. & 23. ἀντίτυπα. 1. Pet. 3. 21. in Vet. Test. nomen אות occurrit. Gen. 17. Exod. 31. Ezech. 20. quod signum notat, & Sacramentis Veteribus applicatur. Synonyma Sacramenti.

V. *Efficiens* Sacramentorum est solus Deus; Cujus enim est promittere & dare gratiam, ejus etiam est eam obsignare. *Materia* est vel externa, vel interna. *Externa* est signum ac sigillum, sive elementum externum, unà cum ritibus. *Interna* est fœdus gratiæ, seu promissio Evangelii, de remissione peccatorum, regeneratione Spiritûs, & vita æternâ, per & propter Christum, quæ res signata appellatur. *Forma* est rei signatæ per signum, sive promissionis Evangelii per verbum ac ritus tum declaratio, ut facilius, ac pleniusque intelligatur, tum obsignatio, ut firmiùs credatur, idque virtute Spiritûs S. per ea efficacis in legitimo usu. Unde pendet Phraseologia Sacramentalis, quâ nomen aut proprietas rei signatæ per Metonymiam Scripturæ usitatam signo tribuitur. *Finis* est gloria Dei, & ædificatio Ecclesiæ ad salutem, quæ est in Christo. Item, confirmatio fœderis gratiæ, & ut Sacramenta sint publicæ professionis & divini cultûs tesseræ. Sacramentorum efficiens, materia, forma, finis.

VI. *Requisita* Sacramenti propriè dicti sunt. 1. *Elemen-*

Requisita Sacramenti.

mentum externum & visibile cum ritu, seu materia terrena & corporea, quæ habet rationem signi. 2. *Res cœlestis*, & spiritualis, quæ in promissione gratiæ continetur, & habet rationem signati. 3. *Institutio divina*, eaque immediata, ut sit Sacramentum. 4. *Status & ordinarius ejus usus* in Ecclesia.

Quare Deus Sacramenta instituerit?

VII. Deus instituit Sacramenta. 1. Ut imbecillitati nostræ consuleret. 2. Obviam iret diffidentiæ & incredulitati nostræ. 3. Ut virtus & efficacia gratiæ fortius insinuaretur animis nostris.

Origo Sacramentorum.

VIII. Origo Sacramentorum repetenda est ab origine fœderum, quorum sunt sigilla: Ut enim in fœderibus, quæ contrahuntur inter homines, mos fuit usitatus fœderum tabulas sigillis utrinque communire: Ita Deus fœdus cum homine contrahens, Sacramenta quædam velut totidem sigilla addere voluit ad ejus confirmationem, non quidem à parte sui, sed à parte nostri.

Discrimen eorum à verbo.

IX. Multiplex est relatio Verbi & Sacramentorum, quâ tum inter se conveniunt, tum à se invicem discrepant. Conveniunt in authore Deo, in fundamento Christo, in fine sc. salute, in modo receptionis, fide, in objecto, gratiâ Dei salutari. Sed differunt. 1. Ratione *necessitatis*; Verbum absolutè est necessarium; Sacramenta tantùm ex hypothesi. 2. Ratione *modi*; Verbum est audibile, Sacramenta visibilia, verbum generat fidem, Sacramenta eam confirmant. 3. Ratione *objecti* ad quod diriguntur, Verbum ad omnes extenditur, fideles & infideles; Sacramenta ad solos fœderatos pertinent, Verbum in communi promissiones Dei offert, Sacramenta sigillatim unicuique illa ritè recipienti eas obsignant. 4. Ratione *effectus*; adultis verbum prodest sine Sacramento; Sacramenta non juvant sine verbo, sed cum eo potentius movent propter imagines sensibiles, & analogiam quam habent cum rebus spiritualibus.

Necessitas Sacramentorum.

X. Sacramenta necessaria sunt non necessitate *medii*; Licèt enim sint media ad salutem, à Deo institura, non ideo habent necessitatem medii, sine quo salus non possit obtineri; Quamvis enim Deus varia media adhibeat attemperata nostro captui, quibus salutem nostram promovet, potest tamen etiam sine illis mediis externis opus

suum

ſuum in Electis peragere: Ita, ut non omnia media ſtatim habeant neceſſitatem medii, ut ſine illis ſalus nequeat obtineri; ſed tantùm illa, quæ per ſe ſalutem ipſam attingunt, & operantur, qualia ſunt verbum & Spiritus. Sunt ergo neceſſaria neceſſitate *præcepti*, ex Dei mandato, quia uſum eorum nobis præſcribere voluit, ut utilem ad fidei noſtræ confirmationem. Unde duo extrema ſedulò declinanda. 1. *Pontificiorum*, qui abſolutam neceſſitatem Sacramentorum urgent. 2. *Sociniauorum*, qui eorum neceſſitatem etiam hypotheticam tollunt, quaſi poſſimus tutò & ſine ſalutis præjudicio illis carere, quum licèt iis uti.

XI. Signa Sacramentalia non ſunt. 1. *Naturalia*, ut fumus ignis, aurora ſolis orientis, &c. 2. Non ſigna ex inſtituto humano, ſed divino. 3. Non ſigna tantùm θεσῇ, quæ pendent ex ſolo inſtitutionis placito, ut iris, funiculus purpureus; ſed quæ talia ſunt etiam κατ' ἀναλογίαν, quum vel à proprietate oritur ratio ſignificandi, vel propter ſimilitudinem. 4. Non ſigna merè *theoretica*, quæ nihil aliud faciunt, quàm rem repræſentare & ſignificare. Sed *practica*, quæ non tantùm ſignificant, ſed & obſignant, & reipſa exhibent, ut clavis traditio habet ſignificationem practicam immiſſionis in poſſeſſionem, eamque obſignat & exhibet. 5. Non ſunt ſigna νοητὰ, ut imagines in mente, ſignum Jonæ, &c. Sed αἰσθητὰ, quæ ſenſus afficiunt. 6. Non ſigna *audibilia*, ſed *viſibilia*, quod contra Pontificos ſtatuimus, qui volunt ſufficere, ut Sacramentum aliquo ſenſu percipiatur, inprimis auditu, ut fictitiis ſuis Sacramentis faveant. Nam omne Sacramentum debet conſtare rebus tanquam materiâ, & verbo tanquam forma, unde Auguſtin. *Accedat verbum ad elementum, & fiet Sacramentum.* At, nullum objectum audibile conſtat rebus & verbis; aliâs nullum eſſet diſcrimen inter verbum & Sacramentum. Adhæc, ſi verba eſſent ſigna Sacramentalia, talia eſſent, vel quà ſonant, vel quà ſignant: Non quà ſonant, quia ſic nullam ſimilitudinem haberent; non quà ſignant, quia ſignificatio mentem afficit, non ſenſum. 7. Non ſunt ſigna tantùm μνημονευτικὰ præteritorum, quale ſignum fuit acervus lapidum in Jordane: ſed σημαντικὰ futurorum, ut iris, vellus Gedeonis, rubus ardens, & προφητικὰ ſeu παρεκτικὰ præſentium, obſignativa & exhi-

Signa Sacramentalia qualia?

exhibitiva, quæ rem quam indicant, reapse dari, quantum id fieri potest, demonstrant & obsignant. 8. Non signa *formalia*, quæ notant speciem ipsam à facultate cognoscente, cui signum proponitur, receptam; sed *instrumentalia*, quæ seipsa sensibus, & rem à se diversam intellectui repræsentant, & suo modo præsentem faciunt, quia Deus iis utitur ut organis & instrumentis ad gratiam nobis suo modo offerendam conferendam.

An genus Sacramenti sit actio?

XII. Huc pertinet quæstio quæ hîc movetur à Lutheranis, qui pertendunt, genus Sacramenti esse potius actionem quàm signum. Resp. Sacramenta sunt signa, sed certis ritibus, cæremoniis & actionibus vestita & administrata. Sic signum materialiter consideratum, seu in esse suo materiali non est Sacramentum, sed formaliter & reduplicativè quà signum, quod non potest esse in actu exercito, nisi cum actionibus quibusdam; nam ipsa substantia simpliciter non est fundamentum relationis, sed substantia certis ritibus dispensata.

Unio Sacramentalis qualis?

XIII. *Unio Sacramentalis* signi cum signato nec est *physica*, qualis est materiæ & formæ, subjecti & accidentis, nec *localis*, per contactum & indistantiam, nec *spiritualis*, ut ipsis signis vis justificandi immediatè instilletur, quod contra Pontificios & Lutheranos observandum, sed tota est χτικὴ, & *relativa*, seu *moralis*, qualis est inter arrham & rem quæ arrhâ significatur. Nam. 1. Quale est Sacramentum, talis debet esse unio Sacramentalis, quæ est ejus forma. At Sacramentum merè est relativum, utpote cujus formalis ratio in significatione consistit. 2. Unio illa talis debet esse, quæ conveniat omnibus Sacramentis. At Sacramentis Vet. Test. non potest convenire alia unio quàm relativa. 3. Si alia foret unio quàm χτικὴ, ministri ipsam quoque rem significatam exhiberent, & recipientes signum etiam rem significatam reciperent, quod absurdum.

XIV. Unio tamen illa ita est moralis & relativa, ut sit etiam suo sensu *realis* in usu legitimo, non quidem signi & signati per indistantiam, sed respectu communicantis, qui utriusque simul fit particeps, quò pertinent phrases, *complantari Christo in baptismo*. Rom. 6. *eum induere*. Gal. 3. 27. *manducare Christum*, *& bibere ejus sanguinem*, & aliæ Theologorum, qui unionem illam & participationem Christi

Christi in Cœna dicunt fieri substantialiter & corporaliter, ubi illi termini partim opponuntur τῷ φαντασικῶς & *imaginarie*, partim declarant, fideles ipsius substantiæ Christi fieri participes, quatenus cum ipso debent verè & realiter uniri.

Præsentia Sacramentalis.

XV. Ex hac unionis realitate fluit *præsentia*; per quam legitimè utentibus unà cum signis etiam fiunt præsentes res significatæ, non corporaliter & localiter, quasi res signatæ cum signis indistanter cohæreant; sed *relativa* & *moralis*, quatenus res significatæ præsentes sunt per sua signa, quorum natura est, ut aliud faciant in mentem venire, adeoque rem præ sensibus seu mente sistant. Et *realis*, per quam res signatæ legitimè utentibus fiunt præsentes, nimirum Christus se totum amplectendum dat fidelibus, quæ est præsentia fidei.

XVI. Licèt verò præsentia ista spiritualis non fiat nisi mediante fide; non sequitur, ut falsò Adversarii nobis objiciunt, esse tantùm imaginariam & φαντασικὴν, per quam non tam Christus, quàm ipsius φάντασμα, seu imago ejus nobis fiat præsens. Quia res spirituales non minùs reales sunt & veræ, corporeis; imò, quò perfectiores sunt, eò perfectiorem debent habere præsentiæ modum. Aliâs unio nostri cum Christo, quæ per fidem fit. Eph. 3. 17. merè esset phantastica, quod vel cogitare impium.

CONTROVERSIA I.

Sacramenta non tantùm sunt signa, sed etiam sigilla.

An Sacramenta non tantùm sint signa, & umbræ gratiæ divinæ, verùm etiam sigilla gratiam obsignantia? Affirm. c. Socin. Anab. & Pontif.

Sociniani fatentur quidem, Sacramenta esse signa distinctiva, seu tesseras & notas professionis, quibus distinguamur ab infidelibus, sed negant posse dici sigilla gratiæ Dei de remissione peccatorum, & regeneratione. *Pontificy* negant etiam Sacramenta habere vim obsignativam, & esse sigilla promissionum divinarum. Orthodoxi non negant esse signa distinctiva Christianorum, & tesseras professionis; sed negant contra Socinianos, ad id restringenda esse; sed præter hunc usum minùs principalem censent primarium esse, ut sint sigilla gratiæ Dei, quæ voluit verbo

verbo promissionis adjungerè, ut diplomatibus principum sigilla adjunguntur, ad eorum certiorationem.

ARGUMENTA.

1. Circumcisio vocatur σημεῖον καὶ σφραγὶς, *signum & sigillum justitiæ fidei.* Rom. 4. 11. Cùm verò eadem sit ratio circumcisionis & cæterorum Sacramentorum, rectè ab illa ad alia argumentamur. Exc. *Hoc de solo Abrahamo dicitur.* R. Etiam ad alios pertinet, tum, quia Abraham hîc consideratur ut Pater credentium; tum, quia justitia fidei & promissiones gratiæ, quarum est sigillum, sunt communes omnibus, non propriè Abrahamo.

Rom. 4. 11.

Exc.

2. Eodem modo se habent Sacramenta ad promissiones gratiæ, quomodo alia signa ac sigilla addita pomissioni; quæ eam obsignârunt, & magis testatam reddiderunt; Uti iris se habuit ad promissionem de diluvio non amplius immittendo, non ad memoriam tantùm juvandam de diluvio præterito, ut vellet Bellarm. sed ad fidem confirmandam de diluvio non amplius futuro. Gen. 9. 11. 12. Vellus Gedeonis ad liberationem futuram Israëlis. Jud. 6. 37. & sim. At ista signa se habuerunt non tantùm significativè, sed & obsignativè ad promissiones Dei.

3. Signis dantur nomina, proprietates, & effecta signati, cujus prædicationis causa alia dari nequit, nisi obsignationis ratio.

4. Sacramenta sunt signa fœderis, ea verò non possunt esse, nisi ad fœderis confirmationem, & ratificationem promissionum.

OBJECTIONES.

1. *Obsignare est verbi & Spiritûs S.* R. Non tamen sequitur, hoc Sacramentis non posse competere, quia ista sunt subordinata non opposita. Effectus communis est utrique causæ, sed modus efficiendi diversus. Spiritus est sigillum internum, quod ex naturâ suâ obsignat, sed Sacramenta sunt sigilla externa, quæ obsignant tantùm ex instituto. Spiritus ut Causa principalis & efficax, quæ utitur Verbo & Sacramentis tanquam instrumentis.

2. *Nihil majus & efficacius est verbo Dei in se. E. non potest confirmari per Sacramenta.* R. Potest confirmari, si non respectu Dei, tamen respectu nostri; Verbum in se non confirmatur per Sacramenta, sed nos usu Sacramentorum confirmamur de promissionibus, quæ licèt in se sint

se sint certissimæ, sæpe tamen à nobis in dubium vocantur. Dicuntur ergo sigilla, non quòd certitudo verbi ex eis pendeat, sed quia Deus per ea promissiones per se non dubias fortiùs imprimit.

3. *Si Sacramenta sint sigilla, sequitur, falsam sæpe esse eorum obsignationem, respectu sc. hypocritarum & incredulorum.* R. Non ideo magis falsa est obsignatio Sacramentorum, quàm verbi prædicatio, quæ ad hypocritas etiam dirigitur; nam hoc non fit absolutè, sed conditionatè, & suppositâ fide recipientis, & in usu legitimo. Aliâs nulla est obsignatio non positâ conditione. Aliud est ergo Sacramenta obsignare gratiam in actu signato, ex institutione Dei, aliud in actu exercito, respectu hominis recipientis; hypocritis & incredulis Sacramenta nihil obsignant, propter defectum conditionis requisitæ; Sed non desinunt ex ordine Dei in actu signato talem vim habere. Aliâs, si hoc valeret, nec Evangelium salutaris gratiæ esset testimonium, nec Christus vitæ author, cùm illud multis sit odor mortis ad mortem, & iste multis sit lapis offensionis & petra scandali.

4. *Si Sacramenta obsignant promissiones Dei, necesse est, ut sint notiora ipsis promissionibus.* R. Non in se, sed tantùm respectu nostri; verbum enim sigillis obsignatum notius & certius est respectu nostri, quàm solum verbum; quemadmodùm diploma cui sigillum appositum est, notius est & certius illo, quod eo caret.

5. *Si Sacramenta confirmant promissiones, tum id faciunt vel quia docent promissiones esse divinas, vel quia magis credimus Sacramentis quàm promissionibus.* R. Sacramenta non ideo dicuntur confirmare promissiones, sed ut magis credamus utrisque, nempe promissionibus & Sacramentis simul; Ut duo vincula uno sunt fortiora, & duo testes certiores uno: Sic longè plus valent ad confirmationem fidei promissionis obligatio, & Sacramentorum oppigneratio, quàm alterutra seorsim.

6. *Infantes fidem non habent. E. nihil illis obsignari potest.* R. Spiritum S. habent, & obsignatur iis, quòd Deus ipsorum Deus esse velit.

7. *Fides prærequiritur ad usum Sacramenti. E. non confirmatur per Sacramentum.* R. Neg. Conseq. Ut visus requiritur ad usum conspicillorum, & tamen per illa con-

firmatur; ita fides, quæ percipit Sacramenta, potest per illa crescere & augeri.

CONTROVERSIA II.

An verbum Sacramentale sit verbum prædicatum & concionale; an verò consecratorium, quod sit operativum? Prius affirm. post. neg. cont. Pontif.

Verbum Sacramentale non est operativum.

Ad Sacramenti constitutionem necessarium est *verbum institutionis*, quod constat mandato & promissione. Hoc vocamus *verbum Sacramentale* seu *concionale & prædicatum*, non tam quia pro Concione docetur & prædicatur, quàm quia clarâ & altâ voce proponitur in Sacramenti institutione, ad fidelium adstantium informationem. Quod probè tenendum, quia pleraque adversariorum argumenta peccant ignoratione Elenchi; quasi per verbum concionale intelligeremus concionem publicam Ministri explicantis locum aliquem Scripturæ in cœtu Ecclesiastico.

Pontificii verbum Sacramentale nolunt esse Concionale seu prædicatum, sed consecratorium & operativum, quod arcanam quandam vim inspiret & infundat elementis, ut fiant Sacramenta, & quod mortuo potiùs Elemento sit destinatum, quàm hominibus; quodque non altâ voce ad circumstantes instituendos proferri debeat, sed clam sit insusurrandum. Quò sensu rejicimus tale verbum consecratorium.

Non autem quæritur: An detur aliquod verbum Sacramentale consecratorium? quod non negamus, sed, an ita sit consecratorium, ut sit etiam operativum? quod negamus. Non, an verbum aliquod proferendum sit super signa? sed, an sit verbum quod altâ & intelligibili voce sit prædicandum, ut ab iis intelligatur, quibus Sacramentum est administrandum, vel ea ratione concionatorium dici possit? An verò positum sit in certa quadam formula, quæ communicaturos non ædificat, sed Elementa consecret vi quadam indirâ ipsis verbis, quæ verba sunt super elementis submissâ voce demurmuranda? Pontif. prius negant, posterius affirmant. Nos contra.

ARGUMENTA.

1. Verbi Sacramentalis usus est in significando; verba enim sunt signa rerum. E. altâ voce est prædicandum. Cùm enim

enim Verbum Sacramentale sit verbum institutionis ipsius Sacramenti, quod constat mandato & promissione: patet ejus usum positum esse in significando, mandatum enim Sacramenti administrationem præcipit, & promissio ejusdem declarat dignitatem & efficaciam. Declarare autem nemo potest per verba non significantia, qualia sunt quæ insusurrantur sine sensu & intelligentia.

2. Verbum Sacramentale ad omnes fideles pertinet; & omnibus fidelibus proponitur. E. non est insusurrandum clam super elementa, sed prædicandum ad omnium ædificationem.

3. Nullum signum institutum, qualia sunt Sacramenta, potest esse absque verbo prædicato; quia signa instituta ex se sunt indeterminata ad significandum, determinantur autem per verba quibus instituuntur. At verba non intellecta nihil determinant. Unde nulla Sacramenta olim habuerunt verba sine sensu demurmurata, sed clarâ & intelligibili voce prolata, patet ex Circumcisione & Paschate, & aliis, quæ non caruerunt verbo prædicato, quod finem, propter quem instituebantur, declarabat.

4. Quia Verbum Sacramentale à Christo palàm est prædicatum; cùm ad Apostolos sermonem dirigeret. E. ab iisdem omnibus fidelibus est prædicandum.

5. Verbum Sacramentale est verbum fidei, continet enim promissionem, quæ est verbum fidei. E. prædicandum est, siquidem fides est ex auditu.

OBJECTIONES.

1. *Aliquando suscipiens non est Capax eruditionis per prædicationem, ut infans.* R. Licèt non sit capax actu præsenti, tamen capax est facultate futura, sine qua non esset procul dubio ad Sacramentum admittendus. Et hoc postremum capacitatis genus inducit prædicationis necessitatem, nam si non prædicaretur, nemo unquam esset capax, siquidem quod non prædicatur, nihil significat. Prædicatio ergo fit in pædobaptismo in instructionem tum præsentem totius Ecclesiæ, quæ actu audit & intelligit, tum futuram ipsius infantis qui baptizatur. Nec absurdum, ut aliquid hoc vel illo tempore dicatur, quod nonnisi aliquanto post tempore intelligitur, ut Apostoli multa audiverunt à Christo utiliter, quæ aliquanto post tempore intellexerunt.

2. *Quid si suscipiens sit eruditus?* R. Verbo tamen eget prædicato, quod est necessarium non tantùm ad suscipientis eruditionem, sed etiam ad Sacramenti institutionem.

CONTROVERSIA. III.

De intentione ministri in Sacramentis.

An efficacia Sacramentorum pendeat ab intentione & dignitate ministri? Neg. c. Pont.

Concilium Trident. Sess. 6. Can. 11. ex Decretis Eugenii IV. ad Armenos in Conc. Florent. statuit: *Ad Essentiam & efficaciam Sacramenti necessariam esse intentionem ministri, saltèm faciendi id quod facit Ecclesia.* Circa naturam verò istius intentionis mirè sunt perplexi Pontificii, aliis actualem, aliis habitualem, aliis virtualem, i. e. talem statuentibus, quâ quis intentionem quidem baptizandi non habet actu præsenti, ob evagationem mentis, sed ante habuit, & aptus est habere; aliis alia dubia hîc moventibus.

Nos quidem facilè concedimus, in ministro requiri intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, si illa phrasis intelligatur ex *debito ministrantis*; debet enim quilibet minister Sacramentum administrans intentionem habere faciendi id quod facit Ecclesia ex instituto Christi; debet intentus esse ad ea quæ ipsi agenda sunt, debet voluntatem habere faciendi omnes actus Sacramentales, quâ intentione si destituatur, graviter peccat. Sed si supra dicta phrasis intelligatur *ex necessitate Sacramenti*, quo intentio statuitur necessaria ad integritatem, efficaciam & validitatem Sacramenti, ita ut in Sacramenti administratione, posito quòd nihil desit præter intentionem internam ministri, ex illius intentionis defectu Sacramentum sit irritum. Hoc, inquam, sensu, negamus.

ARGUMENTA.

1. Peccatum personale unius, quale est defectus intentionis ministri, non potest obesse alteri, qui illi non communicat. Obesset autem, si ex defectu illius intentionis Sacramentum esset irritum.

2. Eadem est ratio Sacramenti, quæ verbi prædicati, cùm utrumque sit organum Dei, & illud quidem verbum visibile, hoc verò audibile. At verbi prædicati efficacia non pendet ab intentione ministri, sed à virtute ipsa ver-

Phil. 1. 16. 17. bum comitante. Unde Phil. 1. 16. 17. Paulus ostendit nihil inter-

intereſſe, ſive ex animo, ſive ex contentione prædicetur Evangelium, dummodò prædicetur, innuens, peccata iſta prædicantium non obeſſe auditoribus, illud cum fidei obedientia amplectentibus.

3. Quia actio Sacramentalis non ſecundùm intentionem principalis agentis, nim. Dei proficeret, ſed ſecundùm intentionem cauſæ inferioris; & ſic potiores eſſent partes miniſtri, quàm Dei.

4. Defectus probitatis, & peccatum mortale, ut loquuntur, Can. 12. in miniſtro non impedit, quò minùs verum Sacramentum conficiatur. E. nec defectus intentionis, quæ improbitas maxima eſt, & peccatum mortale, id impediet. Nam quod de genere dicitur, etiam de ſpecie affirmatur.

5. Sic nulla dabitur certitudo de Sacramentorum effectu ſalutari, & ſic tollitur omnis vera conſolatio, quæ ex uſu eorum expectatur; Et nemo ſciet, num ſit verè baptizatus, citra extraordinariam revelationem, quia nemo mortalium poteſt infallibiliter certus eſſe de veritate iſtius intentionis; quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui eſt in ipſo? 1. Cor. 2. 11.

6. Eadem intentionis neceſſitas totum Papatum dubium reddit: Hac enim ratione neſcitur, num Sacerdos vel Epiſcopus, qui Sacramenta adminiſtrant, fuerint ritè baptizati & ordinati; unde infinitæ Sacramentorum nullitates eveniunt. Ad hæc præſentiſſimum inde oritur idololatriæ periculum, in adoratione ſc. hoſtiæ cùm ob intentionis defectum nemo ſcire poteſt, num panis transſubſtantiatus ſit in corpus Chriſti, adeóque adorabitur id, quod nec Deus eſt, nec quidquam habet divini.

7. Adeò abfuit Antiquitas à Pontificio dogmate, ut Alexander Epiſcopus Alexandrinus ratum voluerit haberi baptiſmum ab Athanaſio puero, aliis pueris per ludicram imitationem illius, quod fieri quotidie videbat in Eccleſia, adminiſtratum. Licèt verò hoc non approbemus, inde tamen colligimus, non credidiſſe, intentionem eſſe neceſſariam.

OBJECTIONES.

1. *Requiritur aliquid ad indifferentiam formæ verborum, quæ alio ſignificatu & à pſittaco quoque adhiberi poſſent, determinandam.* R. Verba omnia ſimul juncta, adhibita-

que ex voluntate Domini à ministro, juxta ritum, circa hominem petentem baptismum, satis sunt determinata, nec possunt per intentionem latentem utique discriminari.

2. *Ministri sunt instrumenta ratione utentia, ut judices in sententia lata.* R. 1. Eadem ratione evinceretur, Ministri prædicationem sine ejus intentione auditori esse inutilem, quod falsum, ut supra vidimus. 2. Servi sunt Dominorum suorum rationalia instrumenta; nec tamen herus attendit quo animo, & qua intentione exequantur mandata sua, dum constat, mandata sua verè impleri. 3. Simile à judicibus Politicis à Rege constitutis petitum, est dissimile: Rex enim dominium aliquod confert circa actiones ab ipsis exercendas, at ministri sunt tantùm dispensatores earum rerum, quarum dominium penes solum Christum est: Deficiente ergo ministri intentione, non deest intentio Christi Domini, qui per ministrum ipse præsens baptizat & Eucharistiam confert. 4. Distinguendæ sunt personæ agentes; aliæ sunt principales, quæ agunt & loquuntur à se, & tunc requiritur intentio relata ad executionem ejus quod mandatur, vel sunt minùs principales quæ loquuntur ab alio, ut quum Præco aut interpres mandata Principis denunciat, verba suam vim habent à Principe etiam sine intentione causæ instrumentalis. Intentio requiritur in causa primaria, non instrumentis. Ita vis practica Sacramentorum non pendet ex intentione dicentis, sed ex intentione instituentis.

3. *Si intentio Ministri non est necessaria ad integritatem Sacramenti, sequitur Patrem in balneo lavantem filium, additis his verbis:* Ego te lavo in nomine Dei Patris, &c. *vel Sacerdotem in mensa legentem Evangelium recitando ista verba;* Hoc est corpus meum, *verum Sacramentum efficere.* R. Neg. Conseq. Quia Baptismus talis & Eucharistia verum Sacramentum non est, non quia deficit intententio operativa administrantium, sed quia non observatur institutio Christi, juxta quam Sacramenta à ministro ritè vocato, in cœtu publico solenniter & debitâ reverentiâ administrari debent.

XVII. Distinguntur Sacramenta in V. & N. Test. *Illa* Christum venturum; *Ista* exhibitum testificantia.

Sacramenta V. Test.

XVIII. Sacramenta Vet. Test. præcipua fuerunt Circumcisio & Paschæ, sive agnus Paschalis.

XIX. Cir-

XIX. *Circumcisio* erat, quâ amputatione præputii in masculis cooptatio in fœdus gratiæ, nec non amputatio peccatorum per sanguinem & spiritum Christi venturi, Israëlitis olim adumbrata confirmataque fuit. Circumcisio.

XX. *Pascha* erat, quo agni mactatione ac manducatione Israëlitis adultis utriusque sexûs liberatio ex Ægypto, præcipuè tamen redemptio per Christum, tanquam victimam, ejusque communio significabatur & obsignabatur. Pascha.

CONTROVERSIA.

An Sacramenta Vet. Test. tantùm umbræ fuerint Sacramentorum Nov. Test. non verò sigilla gratiæ? Neg. cont. Pontif. Differentia Sacramentorum V. & Nov. Test.

Pontificii, ut eò magis extollant efficaciam Sacramentorum Novi Testamenti, & sic authoritatem majorem Ministris Sacris concilient, deprimunt Sacramenta Veteris; ut ista fuerint tantùm umbræ & figuræ gratiæ, quam Sacramenta Novi conferant & efficiant. Hinc Bellarm. pertendit, aboleri differentiam Sacramentorum V. & N. Test. nisi ista efficiant, quod illa significabant. Nos verò docemus, eandem efficaciam quoad rem Sacramentorum Veterum & Novorum fuisse, licèt diversa sit quoad modum & gradum.

ARGUMENTA.

1. Quia Paulus 1. Cor. 10. 1. 2. 3. 4. Veteribus Baptismum & Cœnam nostram suo modo tribuit, non utique ratione signorum, sed ratione rei significatæ, quia id Veteribus nubes & transitus per mare significabant & obsignabant, quod nobis Baptismus, & manna, & aqua ex Petra, quod nobis Eucharistia. Unde dicuntur comedisse eandem escam spiritualem, & bibisse ex eodem potu spirituali, bibisse enim ex petra quæ eos sequebatur, Petram autem fuisse Christum. 1. Cor. 10, 1. 2. &c.

Exc. 1. *Sacramenta ista non fuerunt ordinaria, sed extraordinaria, quæ ad breve tempus durare debuerunt.* R. Non minùs valet argumentum, imò firmius est. Nam si eadem efficacia tribuitur illis, quæ ad tempus fuerunt instituta, quæ novis; multò magis tribuenda erit ordinariis, tamdiu duraturis, quamdiu Vet. Ecclesiæ œconomia. Exc. 1.

Exc. 2. *Hæc non fuerunt Sacramenta, quia fuerunt communia brutis.* R. Sic Baptismus Christi & Eunuchi non Exc. 2.

fuiſſet Sacramentum, quia bruta etiam ex aquis Jordanis bibere poterant. Sed diſtingue uſum communem ſignorum, ſecundùm quem ſunt res purè naturales, quibus beſtiæ uti poſſunt, & peculiarem ſeu ſacrum, ſecundùm quem hæc ſunt Sacramenta. Ita manna & aqua ſecundùm uſum communem potuerunt communia eſſe brutis, ſed non quoad ſacrum, de quo hic agitur.

Exc. 3. Exc. 3. *Cibus & potus iſte ſpiritualis dicitur non propter effectum, ſed propter cauſam, quia utrumque miraculoſe operâ Angelorum productum fuit, unde manna vocatur panis Angelorum.* R. Imò conſtat ita vocari effectu, ſeu Chriſti ſignificatione, dum additur, *Petram fuiſſe Chriſtum*, non Chriſtum ex Petra rivos eduxiſſe, ſed ipſam Petram fuiſſe Chriſtum, quod aliter dici nequit, quàm *ſpiritualiter & ſignificativè.*

Exc. 4. Exc. 4. *Si cibus ſpiritualis dicitur, quia eſt ſpiritualiter intellectus, tum juſti tantùm eum manducaturi fuiſſent, contra Paulum, qui Patres omnes, etiam eos, qui Deo non ſunt probati, eundem cibum manducâſſe aſſerit.* R. Aliud eſt, cibum eſſe ſpiritualiter intellectum, aliud ſpiritualiter intelligendum. Cibus quidem ſpiritualis dicitur, quia fuit ſpiritualiter intelligendus ex Dei inſtitutione, ſed non ſtatim, quaſi ſpiritualiter ab omnibus intellectus fuerit.

Exc 5. Exc. 5. *Paulus non dicit, Iſraëlitas nobiſcum eandem eſcam ſpiritualem manducâſſe, ſed ſecum & inter ſe.* R. 1. Scopus Apoſtoli repugnat, qui eſt oſtendere, Corinthios non debere contemnere judicia Dei fiduciâ externorum ſymbolorum, exemplo Iſraëlitarum, qui, quamvis nobis fuerint pares quoad ſalutis teſſeras, eademque quoad rem ſignificatam nobiſcum Sacramenta habuerint, non effugere potuerunt Dei judicia; quod argumentum planè nullum eſſet, niſi collatio inſtitueretur inter Sacramenta Vetera & Nova. 2. Verba hanc gloſſam non poſſunt pati, tum, quia baptiſmi nomen datur tranſitui per mare, quod ſine ratione fieret, niſi quoad rem ſignatam convenirent, & mannæ & aquæ ex Petra nomen Chriſti, qui eſt res ſignificata Euchariſtiæ.

2. Quia Circumciſio non figuravit tantùm gratiam, ſed in legitimo uſu contulit. Gen. 17. 7. Rom. 4. 11. ubi vocatur ſigillum juſtitiæ fidei. Sigillum autem in rei poſſeſſionem mittit. Adde, quòd Circumciſio dicitur fœdus

Gen. 17. 7. Rom. 4. 11.

Dei,

Dei, in quo Deus pollicetur, se fore Deum Abrahami & seminis ejus, quod utique infert communicationem gratiæ salutaris, & complectitur specialem Dei amorem, quo Electos prosequitur. Jam quæ ratio fuit Circumcisionis, eadem est cœterorum Vet. Test. Sacramentorum.

3. Quia datur permutatio nominum inter Sacramenta Vet. & Novi Test. quæ promiscuè tribuuntur fidelibus utriusque Testamenti: Nam, ut Baptismus & Eucharistia Veteribus tribuitur, ut antea visum, ex 1 Cor. 10. 2. 3. 4. Ita nobis Circumcisio & Pascha. 1. Cor. 5. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova massa*, &c. *Etenim Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus.* Col. 2. 11. *In quo etiam circumcisi estis, circumcisione quæ fit sine manibus, corpore peccatis carnis exuto per Circumsionem Christi.* 1. Cor. 5. 7. Col. 2. 11.

OBJECTIONES.

1. *Sacramenta Vet. Test. umbræ & typi dicuntur. Heb.* 10. v. 1. R. Ita fuerunt umbræ & typi rerum futurarum, in sua χίζῃ Legali, ut Corpus etiam ipsum, nim. Christum cum suis beneficiis suo modo exhibuerint in χίζῃ Evangelica. 2. Dicuntur umbræ, non respectu Sacramentorum nostrorum, sed respectu Christi, qui est veritas omnium typorum. Heb. 10. v. 1.

2. *Debilia sunt rudimenta mundi.* Gal. 4. v. 9. R. Ita vocantur partim quando spectantur in se simpliciter ratione signorum oppositè ad rem signatam, partim respectu abrogationis, post ortum Solis Justitiæ, partim respectu abusûs hominum, qui iis gratiam, quæ morti Christi & Spiritui S. adscribenda erat, alligabant. Gal. 4. v. 9.

3. *Circumcisio sine manibus facta opponitur circumcisioni manibus factæ, ut conferens gratiam.* R. Per circumcisionem non manibus factam non intelligitur Baptismus, qui manibus fit, sed regeneratio, seu circumcisio cordis.

4. 1. *Pet.* 3. 21. *Baptismus dicitur antitypus.* R. Non Sacramentorum V. T. sed signum conveniens cum eo, quod in arca contigit. 1. Pet. 3 21.

5. *Prophetæ improbant Sacramenta V. T.* Jes. 1. v. 11. R. Non: Sed abusum Sacramentorum. Jesa. 1. 11.

XXI. Inter Sacramenta Vet. & Novi Test. multiplex est convenientia & differentia. Utrobique est eadem causa efficiens, nim. Deus. Eadem res significata, Christus cum suis beneficiis. Idem instrumentum applicationis, fides. Idem Differentia Sacramentorum V. & N. T

Idem verbum mandati & promissionis, quamvis non eædem utrobique voces. Idem finis, & effectus, & modus operandi, significatio nim. & obsignatio. Differunt verò in variis. 1. *Signis* & ritibus externis. 2. *Numero*, vetera fuerunt plura ordinaria & extraordinaria; Nova pauciora, augustiora & præstantiora. 3. *Facilitate* utendi, quâ nova superant vetera. 4. *Significationis modo*, illa Christum venturum respiciebant, ista exhibitum. 5. *Amplitudine objecti*; Illa solos Abrahami posteros obstringebant, ista ad omnes gentes pertinent. 6. *Duratione*; illa ad adventum usque Christi durare debuerunt, ista ad finem seculorum. 7. *Claritate* & *perspicuitate*, non tam ex signorum materia, quàm ex verbi adjuncti institutione, quod longè clarius est in Novo Test. quàm fuerat in Vet. 8. *Efficaciæ mensura & gradu*, qui longè major in Sacramentis novis, quàm veteribus, non in collatione & efficientiâ rei singificatæ, sed in ejus certiori obsignatione.

XXII. Opus Sacramentorum est. 1. Significare. 2. Promissiones obsignare. 3. Atque ita fidem confirmare.

CONTROVERSIA.

Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato.

An Sacramenta N. T. non tantùm sint signa & sigilla, verùm etiam causa justificationis, & gratiam conferant ex opere operato? Neg. cont. Pont.

Circa quæstionem de *Efficacia Sacramentorum* peccant *in Defectu Sociniani*, qui statuunt, Sacramenta esse tantùm notas externas professionis, quibus ab aliis discernimur; ad quos accedunt illi, qui Sacramenta nuda esse signa volunt, & meras figuras, quæ fidem tantùm excitent & alant, per repræsentationem objecti, non verò per efficacem obsignationem & exhibitionem in usu legitimo, quæ sententia perperam nobis affingitur à Pontificiis & Lutheranis. In *Excessu* peccant illi omnes, qui Sacramentis tribuunt quòd sint vehicula & vascula gratiam continentia, vel qui illas faciunt causas gratiæ reales & minus principales, quales sunt illi ex *Lutheranis*, qui Sacramenta volunt esse ὀχήματα, seu canales gratiæ, & media physica, seu causas reales & instrumentales, per quas exhibeantur & conferantur beneficia morte Christi parta. Sed præcipuè *Pontificii*, qui pertendunt, Sacramenta N. T. esse causas physicas, veras & proprias, quæ gratiam efficiant & conferant ex

opere

opere operato, i. e. vi externæ actionis, sine ullo motu, devotione, pietate, fide, aut quavis alia præparatione recipientis. Distinguunt enim inter eas actiones, quibus pietas excitatur, & quæ gratiam pariant ex *opere operantis*, i. e. non ex ipsius operis, sed ex operantis viribus & devotione, & eas, quæ gratiam procurent ex *opere operato*, i. e. non ex operantis vel opus recipientis devotione, sed operis ipsius virtute, cujusmodi volunt esse Sacramenta. Licèt autem inter Pontif. alii aliter istam efficaciam explicent, omnes tamen in eo conveniunt, Sacramenta gratiam continere, ejusque vehicula esse, eamque, ubi legitimè administrata sunt, actu operari, & proximè, immediatè, atque ex opere operato conferre asserunt, semper, & omnibus *non ponentibus obicem peccati mortalis*, ut Concil. Trid. loquitur.

Opus operatum quid?

Sententia nostra est: Sacramenta non operari gratiam physicè & ex opere operato, quasi vim inditam & inhærentem sibi haberent gratiam conferendi & efficiendi, sed tantùm moraliter & hyperphysicè, quatenus sunt signa & sigilla, quæ in usu legitimo gratiam obsignant & exhibent fidelibus, Deo per Spiritûs S. virtutem verè præstante & implente in fidelibus quicquid signis promittit & figurat. Duplex ergo Sacramentis juxta nos tribuitur efficacia. Alia *moralis* & *objectiva*, per quam Sacramenta nostræ menti illud objectum cui significando & obsignando sunt destinata, sistunt præsens, per quam rationem fides vel excitatur vel confirmatur, & illâ mediante spes & sanctificatio augentur. Alia verò *pactionalis*, quâ Deus obsignando per Sacramenta promissionem seu fœdus suum, res ipsas promissas animæ fideli exhibet, vel etiam istarum jam exhitarum majorem sensum & perceptionem, & per utrumque majores operationes producit. Negamus verò Sacramenta N. Test. esse veras, proprias & immediatas causas justificationis, quæ insitâ ipsis signis efficaciâ sanctitatem & justitiam efficiant & conferant omnibus recipientibus solam Sacramenti externam actionem, dummodò non ponant obicem peccati mortalis.

Sacramentorum qualis efficacia?

ARGUMENTA.

1. Sacramenta sunt signa & sigilla: Eorum verò indoles est, ut nihil in se contineant, vel inhærente virtute conferant,

ferant, sed gratiam vel jam collatam, vel post conferendam significent & obsignent.

2. Sacramenta gratiam justificationis & regenerationis præsupponunt, aut præexigunt. E. non conferunt vi sibi insita. Deus enim Sacramenta non vult administrari adultis promiscuè, sed iis, qui antè instituti credunt, & per fidem participes sunt gratiæ, nec infantibus infidelium promiscuè, sed infantibus fidelium.

3. Verbum non confert gratiam per ullam vim insitam sono, vel literis, sed per solam virtutem Spiritûs, qui ipsum comitatur. Eadem autem hîc est ratio Verbi & Sacramentorum, & eodem modo gratiam conferunt, quatenus ambo sunt media externa, quibus Deus utitur ad conferendam nobis gratiam.

4. Si Sacramenta physicè gratiam in se continerent, & insitâ virtute conferrent, gratia esset alligata Sacramentis, quod sine absurditate dici non potest. 1. Quia Deus est agens liberrimum. 2. Quia conferre gratiam insitâ virtute solius est Dei. 3. Quia sine Sacramentis multi salvantur, ut latro in cruce, & cum iis multi damnantur, ut Judas, Simon Magus.

5. Nullum corporale vi suâ potest efficere aliquid spirituale, vel agere in animam. At Sacramenti actio externa est quid corporeum, quod vi suâ non potest efficere gratiam, quæ spiritualis est.

1. Pet. 3. 21. 6. Si Sacramentorum signa efficerent id quod significant, vi aliquâ sibi inhærente, in baptismo ablutio sordium carnis salvaret baptizatum, contra Petrum. Epist. 1. c. 3. v. 21. *Cui rei nunc respondens exemplar Baptismi nos quoque servat, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ*, &c. Ubi expresè docet, salutem baptismo externo non adscribendam esse, sed interno, ait enim, baptismum qui nos salvat non esse *depositionem sordium carnis*, i. e. baptismum externum aquæ, sed *interrogationem bonæ conscientiæ apud Deum*, qui enim internè purus est, & sanguine Christi mundatus, ille bonâ conscientiâ & filiali παῤῥησίᾳ respondet Spiritui interroganti, & vicissim Deum interrogat, & ab eo petit necessaria cum certissima fiducia exauditionis.

Exc. Exc. *Petrus non confert inter se Baptismum internum & externum, sed baptismata Iudaica, & baptismum Christianorum.*

rum. R. Neg. Nam scopus Apostoli non fuit docere Christianos non salvari baptismis Judaicis, quia nulla erat ratio cur id inculcaret, cùm nullus vel affirmaret vel suspicaretur Christianos Judaicis lotionibus salvari.

OBJECTIONES.

1. *Sacramenta dicuntur remittere peccata. Act.* 2. 38. *purificare. Eph.* 5. 26. *regenerare. Tit.* 3. 5. R. Hoc non præstant propriâ, immediatâ & internâ vi, ut patet ex 1. Pet. 3. 21. Sed *sacramentaliter* & *impropriè*, quia sunt signa efficacia, quibus ea beneficia significantur & obsigantur, & in legitimo usu exhibentur. Act. 2. 38. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5.

2. *Sacramenta conferunt quod promittitur.* R. Hoc faciunt *objectivè* & *moraliter*, fidem excitando ad amplectendam gratiam, & eandem obsignando, non *effectivè*, qualitatem aliquam de novo producendo, educendo, vel imprimendo.

3. *Sacramenta sunt signa practica.* R. Non quòd verè & propriè ac immediatè attingant effectum, inditâ aliquâ virtute, sed quia ad eorum præsentiam in usu legitimo Deus certò operatur ad rem ipsam exhibendam.

4. *Qui baptizatus fuerit salvus erit.* Marc. 16. 16. R. Additur *qui crediderit & baptizatus fuerit.* Et bene observanda est oppositio: Nam non dicitur: qui non crediderit, & non baptizatus fuerit, damnabitur, sed simplic. *qui non crediderit*, ut innuatur, defectum fidei solius, non verò baptismi damnare, atque adeò vim vivificam non baptismo externo, sed gratiæ internæ, quæ operatur fidem tribuendam esse. Marc. 16. 16.

5. 1. *Pet.* 3. 21. *Petrus confert arcam, in qua salvatus est Noachus, cum baptismo, & dicit baptismum nos quoque salvare.* R. 1. Similitudo non est in omnibus, sed in quibusdam tantùm, nim. ut arca efficaciter servavit Noachum è diluvio; ita etiam baptismus. Sed non quemadmodum arca salvavit physicè, & sine institutione divina, ita & Baptismus. 2. ἐπερώτημα à Petro addita disertè docet, se non loqui de Baptismo externo. 1. Pet. 3. 21.

6. *Sacramenta adhibentur infantibus, quibus tanquam non intelligentibus non possunt esse sigilla ac signa. E. sunt causæ veræ, propriæ, quæ sanctitatem efficiunt.* R. Neg. conf. Nam & circumcisio administrabatur infantibus, quæ tamen ex sententia ipsorum Pontif. non poterat gratiam

tiam conferre ex opere operato, quia hæc juxta ipsos est prærogativa Sacramentorum Novi Test.

Sacramenta N. T.

XXIII. Sacramenta N. T. tantùm duo sunt: Baptismus, & Sacra Cœna.

CONTROVERSIA. I.

Quinque falsa Sacramenta Pontif.

An tantùm duo sint Sacramenta Novi Test. Baptismus & Cœna? Affirm. *An verò septem?* Neg. cont. Pontif.

Pontificii præter Baptismum & Cœnam quinque alia excogitârunt Sacramenta: *Confirmationem, pœnitentiam, ordinem, matrimonium, & extremam unctionem.* Non autem quæritur de Sacramento *latè sumto*, pro mysterio, vel symbolo, aut typo qualicunque rei spiritualis. Sic enim omne signum sacrum est Sacramentum, ut loquitur Aug. Sed agitur de Sacramento *strictè* sumto, pro visibili signo & sigillo fœderis gratuiti, quo sensu duo tantùm esse Sacramenta contra Pontif. asserimus, & ea quæ nobis obtrudunt non esse vera Sacramenta pertendimus; quod ex singulorum consideratione patebit.

De Confirmatione.

De Confirmatione.

Pontificii Confirmationem dicunt esse Unctionem Chrismatis in fronte baptizati adhibitam ab Episcopo in formam crucis, cum ista verborum formula: *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris*, &c. Nos verò loco theatricæ illius scenæ dicimus rectè observari posse Sanctum Veteris Ecclesiæ morem, ut nempe baptizati in doctrina catecheticâ sedulò instituantur, cùm ad rationis & discretionis ætatem pervenerint. Deinde ut Episcopo vel Pastori offerantur, ut rationem reddant sui profectûs, & ratas habeant promissiones ipsorum nomine dum baptizarentur à Parentibus & Susceptoribus factas; Ut ab Episcopo & Pastore conceptis precibus & cum benedictione dimittantur, & ad usum Eucharistiæ cum reliquis adultis fidelibus admittantur. Sed hoc quicquid est Ceremoniæ, Sacramentum esse negamus.

ARGUMENTA.

1. Non habet institutionem divinam.

2. Non elementum, sive materiam externam & signum divinitùs ordinatum. Nusquam enim Christus mandavit bapti-

baptizatos sacro chrismate notari in fronte, additis verbis: *Signo te signo crucis*, &c. inflictâ simul alapâ ad roborandam fidem. Et non melius quidam substituunt loco chrismatis *manuum impositionem*, cujus ritus nunquam est à Christo mandatus, nec ut actus Ministri, & ritus communis, imò temporarius, potest esse visibile & determinatum signum Sacramenti alicujus.

3. *Verbum promissionis* gratiæ de regeneratione Spiritûs & remissione peccatorum, quod testificetur & obsignet, nullum edi potest ex toto N. Test.

4. Formula Confirmationis his verbis concepta: *Signo te signo crucis*, &c. prorsus aliena est, tum quia Chrisma hoc externum non est chrisma salutis, tum quia qui ungit eo chrismate externo, non potest ungere Spiritu Sancto.

5. Derogat Baptismo, quia juxta doctrinam Pontificiorum per illam confirmationem donatur Spiritus S. ad robur Christianum, qui tantùm detur in baptismo ad remissionem peccatorum. Quasi Baptismo non obsignetur nobis gratia Sp. S. corroborans æquè ac sanctificans, & non ungamur in ipso in Prophetas, Sacerdotes & Reges, ad pugnandum cum Diabolo & mundo. Sequitur enim baptismum non efficere nos planè Christianos, cùm tamen jam ante baptizati in nomine Patris, Filii & Sp. S. in communionem ejus admissi simus, & per Baptismum Christo inseramur, & ipsi nomen demus.

OBJECTIONES.

1. *Apostoli adhibuerunt manuum impositionem ad impetrandum Spiritum S. Act.* 8. 15. & 19. 6. R. Cùm id factum constet in visibili dispensatione Spiritûs S. pro Ecclesiæ nascentis conditione, & quidem ex promisso speciali, clarum est ritum extraordinarium, eoque temporarium solùm fuisse, cujus usus unà cum aliis miraculis desiit. Act. 8. 15. & 19. 6.

2. 1. *Joh.* 2. 20. *Unctionem habetis.* R. Non intelligitur unctio materialis, sed spiritualis & mystica, & salutaris, per collationem donorum Spiritûs S. quô confirmamur in gratia Dei, & signamur usque ad diem redemptionis. 1. Joh. 2. 20.

De Pœnitentia.

De Pœnitentia.

Pontificii Pœnitentiam considerant vel ut virtutem, vel ut Sacramentum, quod institutum sit in remedium peccatorum, quæ admittuntur post Baptismum, ideo pœnitentiam

tentiam vocant *secundam tabulam*, quæ post naufragium peccati à baptizatis admissi supersit. 2. Pœnitentiam distinguunt in externam & internam. *Internam* esse dicunt solam mentis conversionem, quam fatentur non esse Sacramentum. *Externam* esse, quæ forinsecus se prodit, mœrore, confessione, lacrymis, aliisque signis externis. 3. Pœnitentiam istam Sacramenti materiam & formam habere: Illam quidem in tribus actibus pœnitentis, *contritione* cordis, *confessione* oris, *satisfactione* operis; istam in *absolutione* Sacerdotis, quæ fiat per actum judicialem, quo ab ipso velut à judice sententia remissionis peccatorum renuncietur. Nos quidem statuimus veram & salutarem pœnitentiam tribus actibus constare. 1. *Contritione*, seu tristitiâ secundùm Deum, ex timore filiali, amore virtutis, & detestatione peccati ortâ. 2. In *confessione*, quæ fit apud Deum in foro conscientiæ, & consistit tum in *accusatione nostri*, tum in *condemnatione*, tum in *deprecatione pœnarum*. 3. *Emendationis propositio*, & novæ vitæ studio. Sed Pœnitentiam Sacramentum esse negamus.

ARGUMENTA.

1. Quia in pœnitentia nullum reperitur signum Sacramentale. Omne enim signum Sacramentale debet esse visibile, ut contradistinguatur verbo, quod hîc non datur.

2. Quia nulla datur promissio Sacramentalis signo annexa; Nam promissio gratiæ quæ fit pœnitentibus aut est simplex in Verbo Evangelii, aut insuper annexa tum Sacramento baptismi, qui dicitur resipiscentiæ, tum etiam S. Cœnæ, quæ in remissionem peccatorum dispensatur.

3. Quia Pœnitentia non fuit Sacramentum sub V. Test. ut agnoscunt adversarii. E. nec sub Novo, quia par est utriusque ratio in essentialibus; aliàs secùs reconciliati fuissent Patres V. Test. quàm Fideles Novi.

4. Tres actus pœnitentis non possunt esse materia istius Sacramenti. Non *contritio cordis*, quia sensibilis non est. Non *confessio oris*, quæ potest esse fallax & mendax, & quæ solis verbis exprimitur. Non *satisfactio operis*, quæ cùm absolutionem, adeoque & perfectionem Sacramenti sequatur, ad istius essentiam pertinere non potest.

5. *Absolutio Sacerdotalis* verbis conceptis, non potest esse forma Sacramenti, tum, quia de illa nihil habetur vel in Scriptura, vel in praxi Apostolorum, tum, quia ipsimet

de

de illa forma disceptant, tum, quia illa absolutio non tam est solutio, quàm ligatio, propter mulctas & pœnas quæ imponuntur, tum, quia absolutio vel remissio peccatorum nequit esse forma istorum actuum, qui sunt in pœnitente, tum, quia absolutio illa judicialis est solius Dei, & incommunicabilis ulli Creaturæ.

OBJECTIO.

Conveniunt cum iis quæ postea de confessione auriculari adducentur.

De extrema Unctione.

De extrema unctione.

Extrema Unctio à Pontif. confertur iis, qui in extremo vitæ periculo sunt constituti, eum in finem, ut peccatorum, si quæ adhuc sunt expianda, reliquiæ abstergantur, morbi leniùs ferantur, tentationibus Satanæ faciliùs resistatur, & sanitas corporis interdum etiam restituatur. Ejus materiam volunt esse oleum ab Episcopo consecratum, formam positam esse in hac verborum formula: *Per sanctam istam Unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum, auditum, &c.* Personam conferentem dicunt esse solum Sacerdotem, suscipientem solum baptizatum eumque jam confessum, absolutum, & de vita periclitantem, ab hac enim arcentur excommunicati. Partes corporis septem ungendas designant, oculos, aures, nares, os, manus, renes & pedes, quinque quidem priores, quia in iis est sedes quinque sensuum, renes verò propter concupiscentiam, pedes denique propter executionem, aut vim progressivam. Nos unctionem quandam infirmorum, vigente miraculorum dono, ab Apostolis usitatam fuisse hunc in finem, ut externo hoc signo valetudo corporis restitueretur laborantibus, agnoscimus. Sed vel institutam, vel insinuatam, vel commendatam eam esse Ecclesiæ, ut sit ordinarium N. T. Sacramentum ad producendum effectus illos supra memoratos, negamus.

ARGUMENTA.

1. Nullibi extat in Scriptura Sacramenti istius institutio. Non habet elementum à Deo mandatum, vel verbum promissionis de gratia spirituali, cùm unctio Apostolica duntaxat ad recuperandam valetudinem comparata fuerit. Nec fuit ritus ordinarius & perpetuus in Ecclesia, sed charisma extraordinarium ætate Apostolorum

symbolicè adhibitum, exinde verò usurpari desitum cessantibus miraculis.

2. Quia nec materia, nec forma, nec ritus istius Sacramenti verbo definita sunt. Non *materia*, quia verbum Dei nusquam meminit sanationis per oleum ex olivis confectum ab Episcopo consecratum. Non *forma*, de qua ipsi adversarii mirè diffident, an certâ verborum formulâ recitari debeat enunciativè, an deprecativè, an optativè. At veri Sacramenti forma non in oratione, & verborum flexu, sed in similitudine externi signi & rei signatæ consistit. Non *ritus ungendi*, in oculis, auribus, naribus, &c. de quo altum in Scriptura silentium.

3. Non necesse fuit Sacramentum speciale instituere pro morientibus, quia fructus Baptismi & Cœnæ ad totam vitam usque ad mortem extendendus est; hinc Deus morienti Stephano adfuit sine ullo speciali Sacramento.

OBJECTIONES.

Marc. 6. 13. 1. *Marc. 6. 13. Apostoli ungebant multos ægrotos, & sanabant eos.* R. Hæc unctio non favet Pontificiis. 1. Quia illa unctio relata fuit ad curationem morbi corporalis, Sacramenta autem pertinent ad curationem animæ. 2. Apostoli promiscuè quosvis ægrotos curârunt, Sacramentum autem istud non confertur nisi extremè laborantibus. 3. Apostoli sine discrimine baptizatos & non baptizatos inungebant: at Ecclesia Rom non inungit nisi baptizatos. 4. Unctio illa Apostolica fuit miraculosa, & pertinuit ad curationem morborum, ideo conjungitur cum potestate prædicandi Evangelium, & ejiciendi dæmonas. Ergo mandatum fuit singulare & temporarium, eos solùm spectans, qui donum miraculosum sanationum acceperant.

Jac. 5. 14. 15. 2. *Jac. 5. 14. 15. Infirmatur aliquis inter vos? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini.* R. Eadem describitur Unctio quæ apud Marcum describitur; & unctio ista Apostolica à Pontificia multùm differt, quia illa ad corporis sanationem referebatur, ista verò non item. Jacobus inungi jubet quosvis ἀσθενοῦντας, at Papistæ non inungunt nisi moribundos: Jacobus induci jubet plures Presbyteros, Papistæ non adhibent nisi unum Sacerdotem: Unctio Jacobi pro fine habuit absoluto curationem morbi, conditionato verò remissionem peccatorum, quæ non tribuitur propriè unctioni, sed

sed orationi fidei. Sed Papistica invertit hunc ordinem, & alium insuper finem fingit, ut æger spirituali auxilio muniatur adversus metum mortis. Denique hîc habetur mandatum unctionis & signum, sed temporarium utrumque, quod durare tantisper, dum Charisma sanationum in Ecclesia cessaret.

De Ordinibus.

De Ordinibus.

Ordinem Pontificii vocant gradum eminentem in Ecclesia, & eos vulgò faciunt septem, quatuor minores, *Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, & Acolythorum.* Tres majores, *Hypodiaconorum, Diaconorum, & Presbyterorum.* Octavum addunt nonnulli, puta Ordinem *Episcoporum.* Singulis his ordinibus proprios assignant ritus, propriamque materiam & formam, & distincta munia. Nos agnoscimus à Christo institutos Ordines, non tantùm Apostolorum, Prophetarum & Evangelistarum, qui pridem desiêre. Sed etiam Pastorum, Doctorum, Presbyterorum & Diaconorum, quos in politia nostra Ecclesiastica retinemus. Sed negamus hos Ordines institutos in hunc finem, ut sint Sacramenta Novi Test.

ARGUMENTA.

1. Quia nullum est Signum & Elementum corporale. Impositio enim manuum non est elementum, sed actio.

2. Omne Sacramentum Novi Test. habet promissionem gratiæ justificantis: sed ordines nullam talem habent. Nec contrarium probatur ex 1. Tim. 4. 14. ubi donum dicitur datum Timotheo per impositionem manuum; quia non agitur de gratia Sacramentali, sed de gratia officii, seu Ministerii Ecclesiastici, & donorum ad illud munus exercendum necessariorum. 1. Tim. 4. 14.

3. Omne Sacramentum est specie unum. Sed ordinis numerantur vel septem species.

De Matrimonio.

De Matrimonio.

Quintum falsum Sacramentum Pontif. est *Matrimonium*, sed & hoc Sacramentum esse negamus.

ARGUMENTA.

1. Desiderantur omnia requisita Sacramenti. 1. Institutio divina, cùm matrimonium non in Sacramentum, sed ad generis humani propagationem institutum sit. 2. Elementum, quod sit signum Sacramentale à Christo ordina-

dinatum. 3. Verbum promissionis gratiæ matrimonio peculiariter annexum, ut per illud confirmetur & applicetur. Verum quidem est, matrimonium habere promissionem alicujus gratiæ, sed non quicquid talem promissionem habet, est Sacramentum; aliàs eleemosyna & oratio essent Sacramenta; Et, promissio gratiæ annexa matrimonio temporalis est de semine suscipiendo, non Sacramentalis. 4. Usus ordinarius & perpetuus in sola Ecclesia N. T cùm matrimonium infidelibus & fidelibus sit commune.

2. Matrimonium nullam habet materiam Sacramentalem; Nam illa nec est consensus mutuus, ut quidam volunt, nec personæ contrahentes, ut alii. Nam, quoad prius, materia Sacramenti debet esse aliquid visibile externum, talis verò non est consensus. Quoad posterius, sequeretur materiam Sacramenti, & recipientem illud, idem esse, quod absurdum.

3. Matrimonium non est instrumentum quo applicetur gratia justificans, quia deberet esse omnibus commune. Nec per matrimonium confertur gratia justificationis.

OBJECTIO.

Eph. 5. 32. *Eph. 5. 32. Matrimonium vocatur Sacramentum.* R. 1. Vox mysterii malè per Sacramentum redditur. 2. Perperam detorquetur ad matrimonium humanum, quod intelligendum est de Christi cum Ecclesia Conjugio mystico.

CONTROVERSIA II.

Non datur Character indelebilis in Sacramentis.

An in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordine imprimatur Character in anima, i. e. signum spirituale & indelebile?

Neg. cont. Pontif.

Pontificii docent characterem esse signum impressum, sive in animæ substantia, sive in ejus potentiis, vi & efficaciâ trium Sacramentorum, Baptismi, Confirmationis & Ordinis; Et hanc volunt esse causam, propter quam hæc tria Sacramenta non sunt iteranda, quòd nempe imprimant Characterem indelebilem; De cujus Characteris natura ipsi Scholastici disputant. Nos tale commentum rejicimus, & dicimus: Fideles duplex habere sigillum, internum unum, nim. Spiritum S. quo obsignantur in diem redemptionis. Eph. 4. 29. alterum externum, nim. baptis-

mum,

mum, quo distinguimur à Turcis, Judæis, & aliis Infidelibus, sed nullum alium Characterem agnoscimus.

ARGUMENTA.

1. Omnis Sacramenti efficacia est ab ejus institutione. At Character ille indelebilis non est ab institutione ullius Sacramenti: Institutio enim complectitur tantùm signum externum, & rem significatam: Character verò iste ad neutrum pertinet; non ad signum, quia illud est externum, incurrens in sensus: Character verò iste fingitur imprimi in anima: Non ad rem significatam, quæ est gratia; at ad gratiam pertinere characterem istum Pontificii negant, quia manet in damnatis, cùm sit indelebilis.

2. Character iste nos non potest discernere nec apud Deum, qui tanquam καρδιογνώστης tali charactere non indiget, neç apud homines in hac vita, quia dicitur spiritualis, qui in sensus non incurrit, nec in futura, quia in ea nec damnati nec glorificati hac discretione indigebunt.

3. Sacramentorum eadem est operatio, eadem efficacia, saltem quoad speciem. At Eucharistia secundùm illos nullum characterem imprimit.

4. Nulla est talis Characteris utilitas, nam quiçquid ipsi tribuitur, vel ad gratiam sanctificantem pertinet, ut aptos nos redderet ad cultum Dei, & configuraret Christo, vel ad ipsum Sacramentum externum, ut discerneret nos ab aliis Sacramentis. Adde, quòd hoc non minùs aliis competit Sacramentis. Denique cùm Character ille inveniatur in impiis, non potest dici nos configurare Christo, nisi velimus impios esse conformes Christo.

OBJECTIONES.

1. *Circumcisio reliquit aliquod resecti præputii cauterium. E. in baptismo debet aliquis character imprimi in anima.* R. Neg. Conseq. Non enim necesse est, ut baptismus respondeat Circumcisioni per omnia, sufficit, ut aliqualis detur similitudo: Nec baptismus Circumcisioni respondet ut res significata signo, sed ut novus typus respondens Veteri.

2. Scriptura non docet, illam cicatricem habuisse ullam significationem, & si quid significavit, significavit non characterem Pontificiorum, sed potiùs signaculum Spiritûs quo Fideles distinguuntur ab Infidelibus; vel sim-

pliciter ritum externum baptismi, quo distinguuntur Christiani à non Christianis.

2. *Servi Dei sigillo signandi dicuntur in frontibus. Apoc.* Apoc. 7. 3. 7. 3. R. Per sigillum hoc non potest intelligi character Sacramentalis, qui communis est piis & impiis, sed est partim sigillum internum, nempe Spiritus adoptionis, partim externum, nim. professio nominis Dei, quâ ab infidelibus discernuntur. Et nihil aliud vult Sp. S. quàm certam ipsorum per Dei providentiam custodiam designare, alludendo ad morem hominum, qui notam aliquam imprimunt conspicuam rebus illis quas custodire, & à communibus secernere cupiunt.

Jes. 66. 19. 3. *Iesaias cap. 66. 19. dicit; Gentes venturas & visuras gloriam suam, & Deum positurum in iis signum.* R. Non potest intelligi character animi intus latens; Sed fidei Christianæ professio & prædicatio intelligitur, quæ est instar vexilli ad quod homines debent concurrere, ut congregentur sub Christo.

4. *Causa cur Baptismus non iteretur, Sacra verò Cœna sæpe repetatur, est, quòd Baptismus characterem imprimat, Eucharistia verò non.* R. Hæc non est Causa, sed quia Baptismus est introitus in Ecclesiam, & signum admissionis in fœdus, quod non iterandum est; Eucharistia verò Sacramentum est nutritionis spiritualis, ad quam sæpe recurrendum.

5. *Quòd baptismus non datur iis, qui postquam defecerunt à fide Christiana ad eam redeunt, ideo fit, quòd Baptismus characterem indelebilem imprimat.* R. Non, sed quia vis baptismi semel collati, & promissio Dei in eo manet, quem Deus decrevit ad pœnitentiam revocare.

Fundamenta numeri binarii Sacramentorum.

XXIV. Fundamenta numeri binarii Sacramentorum sunt. 1. *Christi institutio*, quia nulla alia leguntur à Christo instituta, præter Baptismum & Cœnam. 2. *Natura Sacramentorum*, quia solis illis competunt attributa essentialia ad Sacramenti constitutionem, antea nominata. 3. *Pauli testimonium*, qui duorum istorum tantùm meminit, sive comparatè ad Sacramenta extraordinaria Israëlitarum in deserto. 1. Cor. 10. 1. 2. 3. sive relatè ad rem significatam. 1. Cor. 12. 13. 4. *Analogia Sacramentorum ordinariorum* V. T. qualia duo tantùm fuerunt, Circumcisio & Pascha, illa Baptismo, ista verò Cœnæ respondet. 5. *Necessitas*

ceſſitas gratiæ, quæ requiritur ad vitam ſpiritualem, & quam Deus vult per Sacramenta nobis obſignare: Duo enim neceſſaria ſunt, primò ut vita nobis detur, deinde ut data conſervetur & alatur. Nativitas Baptiſmo, nutritio verò Cœna adumbratur. Hinc ille *Sacramentum initiationis*, & lavacrum regenerationis dicitur. Iſta verò *Sacramentum Confirmationis & nutritionis.*

Baptiſmus eſt Sacramentum.

XXV. Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis, quo per aſperſionem & ablutionem aquæ, omnibus ac ſingulis Dei fœderatis declaratur & obſignatur interna ablutio à peccatis, per Sanguinem ac Spiritum Chriſti.

Baptiſmi Etymon.

XXVI. Baptiſmus vox eſt origine Græca, quæ à verbo βάπτω deducitur, quod eſt *tingere & imbuere*, βαπτίζειν, *intingere & immergere*. Quia verò ferè aliquid mergi & tingi ſolet ut lavetur, & qui immerguntur ſolent ablui, hinc factum, ut τὸ βαπτίζειν apud Græcos per metalepſim uſurpetur pro *lavare*.

Homonymia

XXVII. Baptiſmus ſæpe ponitur pro *afflictione* & calamitate; ut, quando Chriſtus dicit ad matrem filiorum Zebedæi: *Poteſtis baptizari baptiſmo quo ego baptizor*? Matth. 20. 22. Sic Chriſtus. Luc. 12. 50. *Baptiſmo oportet me baptizari, & quomodo conſtringor, uſque quo hoc perficiatur*? Et non pauci intelligi volunt baptiſmum ὑπὲρ νεκρῶν, *pro mortuis*, de quo Paulus. 1. Cor. 15. 29. relatè ad violentas martyrum aut confeſſorum perpeſſiones, *pro mortuis*, ſeu pro fide Reſurrectionis mortuorum, vel *propter mortuos*, ſeu propter ſpem de mortuis, vel propter mortuum, nim. Jeſum, per enallagen numeri. Licèt alii malint baptiſmi vocem propriè ſumere, & referre vel ad baptiſmum vicarium, vel ad baptiſmum clinicorum, qui obtinebat inter Veteres. Aliquando vox *Baptiſmi* ſumitur pro miraculoſa donorum Spiritûs S. effuſione. Matth. 3. 11. *Ille baptizabit vos Spiritu S.* Sic Act. 1. 5. &c.

Matth. 20. 22. Luc. 12. 50.

1. Cor. 15. 29.

Baptiſmus fluminis, flaminis, ſanguinis.

XXVIII. Ex iſta homonymia oritur diſtinctio triplicis Baptiſmi apud Veteres, *fluminis*, qui Sacramentum aquæ deſignat, *flaminis*, pro Spiritûs S. effuſione, *ſanguinis*, denotans martyrium eorum, qui baptiſmo nondum percepto pro fide Chriſti decertantes ad ſanguinis uſque profuſionem reſiſtebant. Diſtinctio ferenda, ſi æquivocationem ſolvat, non toleranda, ſi baptiſmum in ſpecies di-

vidat, quia non est divisio rei in suas species, sed tantùm distinctio nominis æquivoci in sua æquivocata.

Baptismus internus & externus.

XXIX. Melius Baptismus distinguitur in *externum* aquæ, visibilem, qui fit ab homine, & *internum* ac invisibilem Spiritûs, qui fit à Deo, quicquid opponant hic Lutherani. Expressè enim hæc distinctio traditur à Johanne Baptista: Matth. 3. 11. *Ego quidem vos baptizo aquâ, sed ille vos baptizabit Spiritu S. & igne,* & confirmatur à Christo. Act. 1. 5. Ita Petrus apertè distinguit baptismum, quo sordes corporis abluuntur externè, ab eo qui consistit internè in stipulatione bonæ conscientiæ. 1. Pet. 3. 21.

Baptismi efficiens, materia, forma, finis.

XXX. Baptismi causa *efficiens* Principalis est Christus Dominus. Instrumentalis verò minister legitimè vocatus. *Materia externa* aqua, *interna*, seu res significata Christus cum suis beneficiis. *Forma externa* partim in actione, partim in verbis consistit. Actio est aspersio aquæ, quæ loco immersionis usurpatur: Verbum, quo Baptismus administrandus est, institutione Christi, imprimis autem formalibus illis: *Baptizo te in nomine Patris, Filii, Spiritûs S.* comprehenditur. *Forma interna* in analogia aspersionis & remissionis peccatorum, nec non regenerationis seu sanctificationis consistit. *Finis primarius* à parte Dei obsignatio fœderis gratiæ & beneficiorum ejus, unionis nostræ cum Christo, & quæ ex ea fluit, remissionis peccatorum, seu justificationis, & regenerationis per Spiritum S. A parte nostri verò obligatio ad colendum verum Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. in cujus communionem recipimur tanquam filii Patris, membra Christi, & Templa Spiritus S. *Secundarius* est testificatio externa obedientiæ Deo à nobis præstandæ; discretio Ecclesiæ à profanis Gentibus, & symbolum communionis Sanctorum inter se.

Aspersio in Baptismo ritè adhibetur.

XXXI. Licèt olim in locis calidioribus immersio adhibebatur, tamen nunc, in locis præsertim frigidioribus aspersio rectè adhibetur. Nam. 1. Licèt immersio locum habuerit *ordinariè*, tamen etiam aliquando sine dubio aspersio usurpata fuit, sc. ubi magna fuit credentium multitudo, ut quum uno die ter mille baptizati sunt. Act. 2. 41. item, quum domatim administrabatur baptismus; &, si in primitiva Ecclesia Clinici & ægroti baptizabantur, quibus casibus

casibus immersio incommoda, vel impossibilis fuit. 2. Vox βαπτισμῶ & verbum βαπτίζεσθαι non tantùm de immersione dicuntur, sed & de aspersione, ut Marc. 7. 4. *Iudæi non edunt ex foro reduces, nisi laverint se*, ἐαν μὴ βαπτίσωνται. 3. Quia res significata baptismi nomine aspersionis designatur. 1. Pet. 1. 1. *Per obedientiam & aspersionem sanguinis Jesu Christi.* Heb. 10. 22. *Aspersione purgatis cordibus à conscientia mala.* 4. Aspersio sufficit ad analogiam. 5. Quia sub V. T. dabantur variæ lotiones & ῥαντισμοὶ, tam aquæ quàm sanguinis, ad quas Christus respicit in institutione baptismi; unde sanguis Christi, qui est res significata, vocatur sanguis ῥαντισμῶ. Heb. 12. 24. 6. Quia aspersio longè commodior est, tum ad prospiciendum sanitati baptizatorum, quæ detrimentum poterat pati ex immersione in locis istis frigidioribus, maximè in tenellis infantibus, tum ut parcatur pudori, qui in adultis ex totius corporis nudatione oriri poterat, cujus causâ legimus olim abhibitas fuisse Diaconissas mulieribus nudandis. Num verò trina aspersio, vel unica usurpari debeat, de eo cum nemine contentiosè litigandum censemus, cùm nullo præcepto expresè sancitus sit numerus.

Cur Christus signum Baptismi, & non aliud instituerit?

XXXII. Quær. Quare Christus Sacramentum istud initiationis baptismo voluerit constare potiùs, quàm alio quodam signo? Et unde ritus ille originem duxerit? Resp. Hoc petitum est ex usu communi Judæorum, apud quos usitati fuerunt varii Baptismi, præsertim verò respectu eorum, qui ab Ethnicismo transibant ad Iudaïsmum, vel qui Doctoribus in disciplinam se dabant; Quæ causa fuit, ut hæc baptizandi cæremonia à Johanne & Christo institura, nemini mira visa fuerit, quia nihil notius & usitatius erat inter ipsos.

CONTROVERSIA I.

An Baptismus sit res à Deo Christianis præscripta & mandata, non verò ritus indifferens?

Baptismus non est tantùm ritus temporarius, sed usûs perpetui.

Aff. cont. Socin.

Ut Sociniani negant Sacramenta esse signa & sigilla fœderis, sed tantùm tesseras professionis, ita nolunt Baptismum esse mandatum à Christo, ut esset usûs perpetui in Ecclesia, sed tantum ritum temporarium, discriminantem fideles ab infidelibus, qui ad tempus solùm durârit,

vel durare debuerit, non mandatum à Christo, sed ab Apostolis absque mandato usurpatum. Nos contrà Baptismum censemus esse Sacramentum divinitùs institutum, & ab Apostolis ex mandato Christi administratum, ut esset perpetui usûs in Ecclesia ad obsignationem remissionis peccatorum & regenerationis.

ARGUMENTA.

Matth. 28. 19. Exc. 1. De eo Christi expressum mandatum extat. Matth. 28. 19. *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eas*, &c. Exc. *Hoc mandatum respexit Ecclesiam tantùm constituendam, non constitutam.* R. Hoc falsum esse, patet. 1. Ex promissione, quam Christus addit de præsentia sua usque ad consummationem Seculi cum iis qui docere & baptizare debuerunt. 2. Quia munus docendi omnes Gentes non includitur in persona Apostolorum, sed extenditur ad omnes Pastores, qui usque ad finem debuerunt ministerio Evangelii fungi. 3. Necessitas baptismi non est temporalis, sed perpetua, tam in Ecclesia constituta, quàm constituenda, nim. ingressus in Ecclesiam, & obsignatio fœderis, quod ad omnes omnium seculorum fideles pertinet.

2. Quia est ordinatus in usum Ecclesiæ omnium seculorum. 1. Ut medium ordinarium Ecclesiæ colligendæ & conservandæ. 2. Præceptus est Ecclesiæ, non ex una, sed ex omnibus Gentibus collectæ. 3. Unitas Ecclesiæ non minus ponitur in unitate baptismi, quàm in unitate fidei. Eph. 4. 4. Baptismus succesſit Circumcisioni. E. ut ista semper locum habere debuit in populo usque ad adventum primum Christi, ita & iste usque ad secundum durare debet.

3. Eadem debet esse ratio utriusque Sacramenti, quia par est utrobique mysticæ gratiæ tellificatio & obsignatio. At Cœna durare bebet usque ad adventum Christi. 1. Cor. 11. 23. E. & Baptismus.

4. Finis & effecta Baptismi non modò ad conversos ex infidelibus, sed etiam natos ex fidelibus, & eandem Christi fidem semper professos pertinentia. Ut sunt communio cum Christo. Rom. 6. 3. 4. *An ignoratis, nos, quotquot baptizati sumus in Christum, in mortem ejus esse baptizatos? Consepulti igitur sumus ei per baptismum in mortem*, &c. Gal. 3. 27. *Quicunque in Christum baptizati fuistis, Christo fuistis induti.* Remissio peccatorum. Act. 22. 16. *Surgens bapti-*

baptizator, & abluitor à peccatis tuis. Regeneratio Spiritûs. Tit. 3. 5. *lavacrum regenerationis.* Et vita æterna. Marc. 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur.*

OBJECTIONES.

1. *Apoſtoli & 70. diſcipuli baptizati non ſunt.* R. Duo fuerunt genera diſcipulorum Chriſti, unum eorum, qui ex Schola Johannis tranſierunt ad Chriſtum, ab illo jam antè baptizati. Joh. 1. & 3. alterum eorum, quos ipſe Chriſtus allegit in ſuorum cœtum, quos ab Apoſtolis ipſius baptizatos fuiſſe Johannes ſaltem in genere teſtatur. Cap. 4. 1. 2. quando dicit; *Jeſum quidem non baptizâſſe, ſed diſcipulos ejus.* Et Paulus Rom. 6. 4. in genere dicit: *Conſepulti ſumus ei per baptiſmum in mortem.* Et 1. Cor. 12. 13. *Etenim nos per unum Spiritum in unum Corpus baptizati ſumus.*

2. *Paulus non erat miſſus ad baptizandum.* 1. Cor. 1. 17. R. Hoc non abſolutè intelligendum, ſiquidem v. 14. dicit, quòd Criſpum & Gajum, & v. 16. Stephanæ familiam baptizaverit. Sed comparatè, i. e. primò & præcipuè ad evangelizandum, quia hoc neceſſarium erat præ aliis ad fundandam Eccleſiam. 1. Cor. 1. 17.

3. *Diſciplina Chriſti eſt ſpiritualis.* Rom. 12. 1. R. Tamen non ſequitur eam non admittere ritus externos. 1. Quia eſt cultus λογικὸς non excluſivè ad omnem ritum externum, ſed ſecundùm quid, oppoſitè ad cultum Leviticum, conſtantem victimis brutis & ἀλόγοις. 2. Diſciplina Chriſti directa eſt ad hominem internum perficiendum, ſed ita, ut ad hoc opus promovendum adhibeat etiam media externa. 3. Eſt ſpiritualis ſecundùm internam virtutem, ſed ſecundùm externam diſpenſationem captui humano accommodata. Rom. 12. 1.

4. *Baptiſmus ex inſtitutione Chriſti eſt eorum qui docendi ſunt. E. adminiſtrandus fuit ſolis infidelibus.* R. 1. Neg. Conſeq. Quia Chriſtus conjungit inſtitutionem cum Baptiſmo, pro conditione illius temporis, quo collectio Eccleſiæ maxima parte fiebat ex Judæis & Gentibus infidelibus. 2. Non docentur ſolum infideles ut fideles fiant, ſed etiam fideles tam adulti, quàm juniores, ut in fide proficiant & perſeverent, & ſe Chriſti diſcipulos ipſo opere magis magisque declarent.

CON-

CONTROVERSIA II.

Necessitas baptismi non est absoluta.

An Baptismus adeò sit necessarius, ut omnis non baptizatus perire debeat? Neg. contrà Pontif.

Ut Sociniani in Defectu circa necessitatem Baptismi peccant, ita Pontificii in excessu pro necessitate absoluta Baptismi pugnant, quam talem esse volunt, ut excludant è regno cœlorum, quotquot Baptismo privati sint, etsi nullâ suâ culpâ, nec præcepti divini contemtu id contigerit. Fatendum tamen, non omnes esse tam rigidos, sed exceptiones quasdam admittere. Primò necessitatem istam post mortem Christi & à die Pentecostes tantùm locum habuisse. Deinde aquæ baptismum per votum aut per martyrium posse suppleri. Nostra verò sententia est, Baptismum quidem necessarium esse ex divina institutione in medium externum salutis, per quod Deus sit efficax in usu legitimo, ita ut qui eum contemnit, gravis criminis reus sit, & in pœnam æternam incurrat. Sed non ita necessarium absolutè credimus, ut qui eo privatus sit, nullâ propriâ culpâ, à Regno cœlorum excludendus sit statim, nec sine eo salus obtineri possit.

ARGUMENTA.

1. Sine baptismo non pauci servantur, ut latro conversus in cruce; & multi baptizati pereunt, ut Simon Magus, & omnes hypocritæ ac reprobi, qui sunt in Ecclesia visibili.

2. Dei gratia non est alligata signis.

3. Non est æqualis necessitas baptismi ad salutem, ac fidei; sine fide quidem absolutè nemo servari potest, sed non pariter sine baptismo. Patet ex Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: Sed qui non crediderit, damnabitur.* Cur non dicit: Qui non crediderit, & non baptizatus fuerit, sed tantùm qui non crediderit, nisi quia diversa est Baptismi & fidei ratio in negotio salutis?

Marc. 16. 16.

4. Circumcisio non fuit absolutè necessaria. E. nec Baptismus; quia non debet esse durior conditio Christianorum quàm Judæorum, cùm vivant sub suaviori œconomia. Non fuisse autem Circumsionem absolutè necessariam patet, quia per quadringenta annos quibus Israëlitæ fuerunt in deserto, caruerunt circumcisione, nec tamen

qui

qui mortui sunt sine ea, periisse censendi sunt. Sic non debuit circumcisio fieri ante octavum diem, ante quem dubitari non potest, quin multi obierint. Exc. *Incircumcisi exscindendi fuerunt.* Gen. 17. 14. R. Hoc dicitur de contemtu, non de involuntaria privatione; agitur ibi de adulto, circumsionem suam contemnente, quia agitur de eo qui violat fœdus, non de infante, qui nullâ suâ culpâ baptismo privatur. Exc. Gen. 17. 14.

5. Illi, ad quos pertinet res significata baptismi, nim. promissiones Dei ante baptismum, non possunt excludi à Regno cœlorum propter privationem signi. At ad infantes fidelium pertinent promissiones, ex Act. 2. 38. Ergo.

6. Aliâs filius portaret iniquitatem Patris sui, vel illius, cujus culpâ baptismo privatus est. Ezech. 18. 20.

7. Inde sequeretur, certitudinem salutis à voluntate obstetricis, aut Judæi, aut Pagani, aut Sacerdotis suspendi. Nam si placet obstetrici morienti conferre baptismum, servabitur, sin minùs, puer peribit in æternùm.

8. Si nemo habet gratiam ante baptismum, ante baptismum nemo amatur. At amor Dei non modò præcedit nativitatem, ex Rom. 9. 12. sed etiam omne tempus, quia est ab æterno. At si nemo quem Deus diligit potest perire, non possunt damnari infantes, quos Deus ab æterno & ab utero dilexit, licèt sine baptismo moriantur.

9. Si absolutè baptismus est necessarius ad salutem, nemo sanctificari poterit ante baptismum, quia sanctitas necessariò connexa est cum salute. At multi sanctificati leguntur ab utero, & de liberis Christianorum dicit Paulus, eos esse sanctos. 1. Cor. 7. 14.

OBJECTIONES.

1. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non ingredietur in regnum cœlorum.* Joh. 3. 5. R. Aqua h. l. non notat baptismum, sed Spiritum S. & per *aquam & Spiritum* designatur *lavacrum spirituale*, seu aqua spiritualis, vel spiritus lavans & mundans corda, per figuram profanis & S. Scriptoribus usitatissimam, quæ Græcis dicitur ἐν διὰ δυοῖν, quum de duobus Substantivis alterum adjectivè exponendum est, ut: quando Johannes Baptista dicit, *Christum baptizaturum Spiritu & igne*, i. e. Spiritu igneo, seu inflammante corda. Matth. 3. 11. Sic Matth 4. 6. *in regione & umbra mortis*, i. e. in regione umbræ mortis. Act. 14. 13. Sacerdos Joh 3. 5.

dos Jovis adduxit *tauros & coronas*, i. e. tauros coronatos, & Apoc. 20. 10. *Stagnum ignis & sulphuris* ponitur pro stagno ignis sulphurei. Hæc Explicatio fundatur sequentibus rationibus. 1. quia Spiritus S. per aquam passim designatur. Jes. 43. 18. *effundam aquas super sitientem*, &c. Ezech. 36. 25. *Aspergam vos aquis mundis, ut mundemini.* Zach. 13. 1. *Illa die erit fons apertus domui Davidis*, &c. Joh. 4. 14. *Quisquis bibit ex aqua illa, non sitiet in æternum.* 2. Scopus Christi fuit Nicodemo, qui tanquam Pharisæus propriæ justitiæ opinione turgebat, & cultum Dei carnalibus cæremoniis & lotionibus metiebatur, demere fastum suum, docendo eum non posse servari, nisi totus innovetur, & declarando, verum medium salutis obtinendæ non aliud esse, quàm gratiam spiritualem, quæ non est elementi externi, à quo potiùs Nicodemum voluit avocare, sed solius Spiritûs S. quod patet ex v. 3. ubi solius nativitatis ἄνωθεν fit mentio, & ex v. 6. 7. ubi solius Spriritûs S. itidem meminit Christus, & τὸ ἄνωθεν explicatur per *nasci ex Spiritu.* Confirmatur. ex v. 8. ubi collatio fit nativitatis istius novæ cum flatu venti, quod simile non est aptum ad designandam ablutionem corporalem, quia agit de operatione occultâ, quæ est aptissima ad exprimendum vim arcanam Spiritûs S. afflantis corda. 3. Non est verisimile Christum, qui Nicodemum in rudimentis Religionis instituit, initium voluisse facere à Baptismi Sacramento, quod nondum instituerat. 4. Non accusâssèt Nicodemum ignorantiæ, quæ non fuisset culpabilis, si de baptismo Christus fuisset locutus, utpote nondum instituto. 5. Ageret Christus de baptismo in præsenti, qui tamen non cœpit esse necessarius, nisi post mortem Christi, juxta adversarios. 6. Sequeretur Spiritum & aquam ejusdem esse necessitatis, adeoque neminem absque baptismo posse salvari, quod ipsi Pontificii negant, qui volunt Baptismum vel voto vel martyrio posse suppleri.

Jes. 43. 18. Ezech. 36 25 Zach. 13. 1. Joh. 4. 14.

2. *Baptismus habet necessitatem medii.* R. Media illa sunt interna, quæ necessariam ex se habent cum fine connexionem, ut finis sine illis obtineri non possit, qualis est fides, pœnitentia, justificatio & regeneratio respectu salutis. Alia verò media externa, quæ non per se connectuntur cum fine, sed quæ illi subserviunt tantùm ex ordine

ordine Dei, non tamen tanta necessitate, quin aliquando sine ipsis finis possit obtineri. Talia sunt Sacramenta, quæ ideo rectè dicuntur non absolutè necessaria, quæ habeant necessitatem medii interni & strictè ita dicti, sed tantùm secundùm quid, ex vi præcepti divini, & institutionis ejus.

CONTROVERSIA. III.

Baptismus laicorum & mulierum est illicitus.

An Baptismus Laicorum & mulierum ullo in casu licitus sit? Neg. cont. Pontif.

Quæstio necessaria est propter Pontif. qui *Laicorum*, imò & *Mulierum baptismum* tuentur. Docent quidem non licere Laicis publicè & solenniter baptizare, nec etiam privatim præsente Sacerdote, aut iis etiam absentibus extra casum necessitatis. Sed in periculo mortis cuilibet Laico sive baptizato, sive non baptizato, pertendunt licere baptizare, si modò ritum nôrit, imò & fœminis hanc potestatem concedunt, qui error fluit ex alio de absoluta baptismi necessitate. Nos verò baptismum Laicorum, cujuscunque sint sexûs, nullum esse pertendimus; nec à quoquam ritè administrari posse censemus, nisi à Pastore legitimè vocato, sive in casu necessitatis, sive extra eum.

ARGUMENTA.

1. Iis solis competit jus baptizandi, quibus datum est à Christo jus Evangelium prædicandi, siquidem hæc duo tanquam partes ministerii publici sese comitantur, & indivulso nexu conjuncta sunt. At Christus solis Apostolis & legitimis eorum successoribus hoc jus dedit. Matth. 28. 19. 20. Unde mulieres non debent in Ecclesia docere, 1. Tim. 2. 12. sed silere. 1. Cor. 14. 34. Matth 28. 19. 20. 1. Tim. 2. 12.

2. Nemo tractare sigilla Principis potest, nisi qui speciali ratione hoc muneris obtinet. At Sacramenta sunt sigilla Regis Regum. E.

3. Quia non magis licet privato aut fœminæ baptizare, quàm Eucharistiam dare.

4. Baptismus laicorum & mulierum nititur erroneo fundamento de absoluta necessitate baptismi.

OBJECTIONES.

1. *Zippora filium circuncidit.* Exod. 4. 25. R. 1. Legibus non exemplis vivendum, nec exemplum hoc in imitationem trahi debet, non modò quia extraordinarium & singu- Exod. 4. 25.

singulare, sed etiam quia petitum a fœmina invita, indignabunda, vix animi compote. v. 12. 2. Alia ratio est Circumcisionis, alia Baptismi, illa potuit a privatis administrari, & nihil peculiare illi tribuitur: Sed jus baptizandi iis tantùm tribuitur, qui jus habent docendi. 3. Non valet consequentia ab eo quod factum est ante constitutionem politiæ Judaicæ, ad id quod factum est postea; aliàs dicendum esset intermissionem Circumcisionis in deserto debuisse tolerari in Canaan, quod absurdum. 4. Præsente marito Prophetâ hoc fecit. At Pontif. non concedunt mulieribus, præsentibus Sacerdotibus, baptizare. 5. Nec si Deus propterea placatus est Mosi, sequitur statim per omnia factum hoc Deo placuisse, quia Deus placatur ex sua misericordia, non ex operum nostrorum dignitate & merito, potuit Deo probari res, sed non modus rei.

2. *Multi privati baptizârunt: ut Philippus, qui fuit Diaconus, Ananias, & alii, qui ex jussu Apostolorum Baptismum administrârunt*, R. 1. Philippus non tantùm fuit Diaconus, sed & Evangelista. Act. 21. 8. Ananias fuit ex 70. Discipulis; Pastor Ecclesiæ Damascenæ, qui fecit hoc jussu Domini, ad quem propterea ablegatur Paulus. 2. Qui Apostolorum jussu & authoritate baptismum administrârunt, pro privatis habendi non sunt; nec enim deesse potuit vocatio ei, qui authoribus Apostolis aliquid fecit.

An Baptismus ab hæreticis administratus sit legitimus?

XXXIII. Quær. An Baptismus ab hæreticis administratus sit legitimus? Resp. Quæstio jam olim agitata fuit tempore Cypriani & Stephani Episcopi Rom. Ille cum Coëpiscopis suis Afris baptizatos à quibusvis hæreticis rebaptizari voluit; Iste verò nullum ex ipsis rebaptizandum censuit. Sed distinctione quæstio solvitur. Alii enim sunt hæretici, qui substantiam baptismi corrumpunt, & formam institutionis omittunt vel mutant, quales olim erant Ariani, qui Personarum Trinitatem in Essentiæ unitate negabant, & hodie sunt Sociniani. Alii qui substantialia retinendo, & veram doctrinam de S. S. Trinitate, quæ in formula baptismi continetur, tuendo, in aliis doctrinæ Capitibus errant, ut olim Novatiani & Donatistæ, & hodie Pontificii & Arminiani. Quoad priores, censemus baptismum ab illis administratum nullum esse, quia formam essentialem baptismi, ad quem pertinet Trinitatis invocatio, planè corrumpunt; ea de causa rejectus fuit olim in

Con-

Concilio Nicæno Baptismus Arianorum. Sed aliqua hic rursus distinctio adhiberi debet; Nam vel solus minister illâ hæresi infectus est, vel cum eo tota Ecclesia; *Si posterius*, negamus verum esse baptismum; *Si prius*, baptismum ratum esse credimus, quia Sacramentum est peculium Ecclesiæ, quod Ecclesiæ nomine dispensatur, & in ejus fide, ideo occultus error ministri baptismi integritati nihil detrahit, modò essentialia observentur. Si verò hæretici fundamentalia baptismi, quæ ejus essentiam constituunt, retinent, nec formam mutant aut corrumpunt, baptismum à talibus administratum ratum esse statuimus, licèt in variis capitibus circa fidem errent, & eorum baptismus in accidentalibus variis peregrinis ritibus sit coinquinatus.

An liceat petere baptismum ab hæretico?

XXXIV. Quær. An ejusmodi Baptismum petere vel suscipere liceat in aliquo casu? Respondetur cum distinctione. Ab hæreticis primi ordinis, qui fundamenta Christianismi & baptismi convellunt, in nullo casu esse petendum, quia nullus baptismus verus inter eos esse potest. Sed quoad alios, qui essentiam baptismi retinent, sed in aliis errant exitialiter, sive quoad dogmata, sive quoad cultum, licèt baptismum eorum iterandum non censeamus, non putamus tamen sine vitio peti vel suscipi posse; quia receptio ejusmodi baptismi ostendit communionem nostri cum illis, & participationem eorum erroribus, & quia scandalo sumus infirmioribus.

CONTROVERSIA.

Identitas baptismi Johannis cùm Baptismo Christi.

An Baptismus Iohannis fuerit ejusdem dignitatis & efficaciæ cum Baptismo Apostolorum? Aff. cont. Pontif. & Soc.

Nos, licèt fateamur aliquod discrimen statuendum esse inter baptismum Johannis & Christi, accidentale, respectu circumstantiarum & graduum, ratione modi patefactionis & mensuræ donorum, tamen negamus, discrimen esse substantiale & specificum, ratione essentiæ & rei ipsius.

ARGUMENTA.

1. Uterque Baptismus convenit in Essentialibus, & in omnibus causis; *Efficiente* Deo, qui baptismum eum instituit. Ioh. 1. 33. *Qui misit me ut baptizarem aquâ, dixit mihi*, &c. *Materia* tum *externâ*, videl. elemento aquæ. Matth. 3. 11. *Ego baptizo vos aquâ*; tum *internâ*, nim. promis-

missione gratiæ de remissione peccatorum & regeneratione. Luc. 3. 3. *Johannes prædicavit Baptismum respiscentiæ ad remissionem peccatorum. Formâ*, quæ est tam testificatio & obsignatio promissionis per aquam, & ablutionis ritum, tum promissionis ipsius cum elemento hoc ejusque ritu copulatio, ex loco citato. Luc. 3. 3. *Fine*, qui est confirmatio baptizatorum de gratia Dei, & eorum segregatio ab infidelibus, & in cœtum Ecclesiæ receptio. Petrus dixit: *Respiscite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Act. 2. 38.

2. Identitas effecti arguit identitatem causæ. At baptismi Johannis eadem fuerunt effecta, ac baptismi Christi, puta, respiscentia; unde baptismus Iohannis dicitur baptismus respiscentiæ. Marc. 1. 4. remissio peccatorum. Luc. 3. 3. antea citato, fides in Christum. Act. 19. 4. *Johannes baptizavit baptismo respiscentiæ, dicens, ut in eum, qui venturus erat post ipsum, crederent*, h. e. in Iesum Christum.

3. Baptismus Christi non alius debet esse à baptismo fidelium, tum quia Christus est Caput & fideles membra, tum quia usum & Sacramentum Baptismi nostri in suo sanctificare debuit, tum quia baptismus est symbolum unitatis fidelium in uno corpore mystico, non modò inter se, sed etiam cum Christo capite, tum quia circumcisio ejus eadem fuit cum populi Judaici circumcisione.

Exc. Exc. *Non potest dici Christus baptizatus suo baptismo, tum, quia Christus baptizatus esset nomine suo, tum, quia Christo non potest tribui remissio peccatorum, & lavacrum regenerationis, quod confertur in Baptismo suo.* R. 1. Nihil obstat Christum hominem respectu naturæ humanæ baptizatum esse in nomine suo quà Deum. 2. Licèt Christus non susceperit baptismum ad obsignandam remissionem peccatorum & regenerationem pro se, tamen suscipere debuit ut Sponsor noster ad baptismum in se consecrandum, ut eam nobis obsignaret: Baptismum æquè ac Circumcisionem debuit suscipere, ut tam Veterum quàm N. Sacramentorum vim, & sanctificationem à se uno, tanquam utriusque fœderis fundamento, utriusque populi Servatore pendere doceret. Tandem addendum, eadem difficultate urgeri Johannis baptismum, in quo hæc beneficia etiam obsignantur.

Inst. Inst. *Contumeliosum est Christo, si eundem nobiscum baptismum*

tismum accepisse statuatur, quia non decet Imperatorem militiæ suæ characterem accipere, sed aliis imprimere. R. Quasi verò turpe sit Duci non solum præcepto, sed etiam exemplo aliis præire. Quasi honorificentius sit, Imperatorem servi, quam suum ipsius characterem gestare?

4. Non minor debuit esse vis & efficacia Johannis baptismi, quàm verbi ab ipso prædicati; cùm inter verbum & Sacramenta perpetua sit χάρις: At verbum à Johanne prædicatum fuit gratia spiritualis per Christum conferenda, & principium Evangelii. Marc. 1. 1. Unde Johannes dicitur *corda filiorum Israël convertisse ad Dominum Deum ipsorum.* Luc. 1. 17. Exc. *A doctrina ad Sacramenta non valet consequentia, quia hæretici possunt habere vera Sacramenta, qui non habent veram doctrinam.* R. Neg. Nam Sacramenta hæreticorum non possunt esse vera, nisi quatenus veram doctrinam baptismi in essentialibus retinent. Exc.

5. Baptismus Johannis est Baptismus Evangelii, seu Novi Test. nam principium Evangelii disertè ponitur in ministerio Johannis. Marc. 1. 1. & baptismus Johannis testabatur de Christo jam exhibito. Act. 19. 4. 5. ubi dicitur non tantùm jussisse ad se accedentes credere Christum venturum, ut vellent Sociniani, sed *credere in Christum* εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν, ἵνα πιστεύωσιν. Invitabat ad fidem, non in futuro, sed in præsenti, etsi objectum ejus esset futurum, quomodo Patres fide præsenti credebant in Christum venturum. *Et, omnes Prophetæ & Lex debuerunt durare usque ad Johannem.* Matth. 11. 12. & in ipso cessare. At baptismus N. T est unus. Eph. 4. 5.

OBJECTIONES.

1. *Cur ergo vocatur Baptismus Johannis?* Non quasi primarius ejus author fuisset: Sed quatenus fuit primus ejus administer. Sed hoc non obstat, quò minùs ejus institutio fuerit divina.

2. *Ego vos baptizo aquâ, sed Christus vos baptizabit Spiritu S. Matth.* 3. 11. R. Non distinguuntur h. l. baptismi, sed baptizantes, & discernuntur personæ in ordine causarum efficientium, & principalis statuitur Christus, author gratiæ, ministerialis verò Johannes, per cujus ministerium Christus in largitione Spiritûs liberè fuit efficax. 2. Constat verbum baptizandi diversimodè usurpari, Johanni quidem Matth. 3. 11.

propriè tribui, Christo verò Metaphoricè, de effusione visibili Spritûs S. factâ die Pentecostes, ut Christus ipse exponit. Act. 1. 4. *Baptizabimi Spiritu, non post multos dies.*

3. *Johannes non baptizavit in nomine Patris, Filii, & Spiritûs S.* R. Si invocatio Trinitatis expressa non fuit in baptismo Johannis, fuit tamen implicita ex fide in Christum, quàm præcipiebat, quæ involvit necessariò Trinitatem. 2. Si referâtis cœlis tota Trinitas sensibiliter se patefecit in baptismo Christi, fides & cultus Trinitatis non potest dici abfuisse à Johannes baptismo. 3. Si baptismus Johannis fuit à Deo Patre, Filio, & Spiritu S. non dubium, quin etiam Johannis baptizârit in nomine, i. e. confessione & invocatione Trinitatis. Nec enim potuit in alius nomine baptizare, quam illius, qui misit eum ad baptizandum.

Act. 19. 4. 5. 4. *Discipuli Ephesini rebaptizati sunt à Paulo, qui antea baptizati fuerant baptismo Johannis. Act.* 19. 4. 5. R. Neg. Verba enim. v. 5. ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν non sunt verba Lucæ narrantis, quid sit consecutum Pauli sermonem ad ipsos, sed potiùs confirmatio orationis Paulinæ ad illos Ephesios, quâ docet illos, qui baptismum acceperant à Johanne, fuisse baptizatos in nomine Christi, atque adeò non opus habuisse novo baptismo. Ita inducitur Paulus loquens. *Iohannes quidem baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo, ut in eum qui veniebat post ipsum crederent,* ἀκούσαντες δὲ, pro οἱ δὲ ἀκούσαντες; *qui verò illum audiverunt,* (Johannem scil.) *baptizati fuerunt in nomine Iesu,* (nempe ab ipso Johanne.) Hæc ergo oratio Paulina instituit illos ad quos dirigitur de Baptismo, quem acceperant, nullo autem modo docet, illos fuisse rebaptizatos. Ita optimè exponi posse locum patet ex vi particularum μὲν & δὲ, quæ quamvis sæpe sint expletivæ, & solæ adhibeantur; tamen nunquam concurrunt in oratione, quin sint adversativæ. Nisi ergo velimus decerpere orationem Paulinam, debemus fateri, verba hæc ἀκούσαντες δὲ, non esse verba Lucæ, sed Pauli alloquentis ipsos Ephesios. Lucas verba Pauli continuat v. 6. & cum v. 3. & 4. per conjunctionem καὶ connectit, narrans videl. Paulum audito, quòd à Johanne baptizati sint, manus iis imposuisse.

5. *Inter multos illos qui in die Pentecostes ab Apostolis fuerunt baptizati, sine dubio multi fuerunt antea à Iohanne bapti-*

baptizati. R. Hoc gratis supponitur. 1. quia non omnes & singuli Judæi à Johanne fuerunt baptizati, sed plures tantùm. 2. Inter millia illa baptizatorum ab Apostolis, Act. 2. multi confluxerunt ex omni natione sub cœlo, quos nemo dixerita Johanne baptizatos.

XXXV. Formula Baptismi paucis omnia complectitur, quæ hoc Sacramento nobis obsignantur, quæ ad tria possunt referri, scil. *institutionem Dei*, *promissionem gratiæ*, & *stipulationem officii fidelis*. Cùm E. Pastor dicit: *Ego te baptizo*, idem est ac si diceret: Ego nomine Dei declaro, quòd hæc aqua, quâ te abluo, symbolum est tuæ in Dei fœdus & ejus Ecclesiam admissionis: Quòd Pater te acceptat in Filium, Filius in membrum Corporis sui & fratrem; & Spiritus S. in hospitem, apud quem habitare velit in æternum; & vicissim tuæ in Deum Trinum officii stipulationis, ut cultu & obsequio Patrem, Filium, & Spiritum S. adores, & te totum adorandæ Trinitati in perpetuum consecres. Formula Baptismi quid importet?

CONTROVERSIA.

An formula baptismi à Christo præscripta in administratione ejus, observanda sit? Aff. cont. Pont. & Fanaticos. Formula Baptismi à Christo præscripta est observanda.

Quæstio necessaria est tum propter *Pontificios*, qui negant formulam à Christo esse præscriptam, sed tantùm ex traditione haberi; quòd certa verborum formula adhibeatur. Tum propter *Fanaticos*, qui formulam ordinariam aversantur, quia videatur illi magica quædam vis adscribi. Contra utrosque adhibemus sequentia

ARGUMENTA.

Contra illos, præscriptam esse formulam à Christo, & traditam Ecclesiæ, patet.

1. Ex Matth. 28. 19. ubi scopus Christi fuit tradere ritum servandum in hoc Sacramento, ut non tantùm doceret quid sit faciendum, sed etiam quomodo faciendum, quod in præscriptione ritûs est necessarium.

2. Ecclesia, quæ tali formulâ usa fuit ab antiquo, non potuit eam ex seipsa adhibere, quia nequit Sacramentum constituere, fatentibus adversariis. E. ab ordine Christi & praxi Apostolorum illam recepit & adhibuit.

3. A pari, quia in institutione aliorum Sacramentorum tam Vet. quàm N. T. formulâ conceptâ usus est Deus, quæ proinde baptismo denegari nequit.

Contra istos formulam istam retinendam esse probatur.

1. Quia continet verbum promissionis baptismo proprium & essentiale, quod partem essentialem Sacramenti facit.

2. Quia formula S. Cœnæ à Christo tradita exactè est observanda, unde ab Evangelistis & Paulo iisdem verbis repetitur.

3. Ab objecto & fine: Illud est Trinitas in baptismo distinctè proposita, hic fides Trinitatis, ad quam per Baptismum obligamur.

4. A praxi, quia constat formulam illam antiquitùs semper observatam, & sic obviam itum fuisse variis corruptelis Arianorum.

OBJECTIO.

Apostoli non leguntur baptizâsse cum hac formula, imò dicuntur baptizâsse tantùm in nomine Christi. Act. 2. 38. *&* 8. 16. *vel in Christum. Rom.* 6. 3. R. 1. Quoniam Apostoli ex mandato Christi baptizârunt, dubitari non debet, quin ad præscriptum Christi se composuerint, nec probabile est in disertis magistri verbis quicquam illos immutasse. 2. Loca allata non docent quâ formâ baptizârint, sed optimè referuntur vel ad *Causam efficientem*, ut sit sensus, Christi jussu & authoritate baptizâsse; vel *ad finalem*, i. e. in ejus fidem & doctrinam, ut Israëlitæ dicuntur baptizati in Mosen, i. e. in ejus doctrinam. 1. Cor. 10. 2. Adde, quòd *in Nomen Christi baptizare* Synecdochicè, dicitur, & totum Trinitatem includit.

Quænam formula, Græcorum aut Latinorum sit melior?

XXXVI. Quær. de formula Græcorum & Latinorum, quarum illa in tertia persona exprimitur, *Baptizetur servus Domini*, &c. Ista verò in prima; *Baptizo te*, utra sit præferenda? Resp. Licèt indifferens hoc videatur, quia utrobique essentia verborum retinetur, commodior tamen videtur posterior, tam quoad Ministrum baptizantem, quàm quoad baptizatos. Quoad illum, quia sic clariùs ostenditur authoritas, quæ illi à Christo est concessa, cujus actum exerit in Sacramenti administratione. Quoad istos, quia Sacramenta applicanda sunt unicuique *in specie*.

XXXVII.

An in Ecclesia Romana retineatur vera doctrina de baptismo?

XXXVII. Quær. An in Ecclesia Rom. retineatur vera doctrina de Baptismo? R. Veritas doctrinæ de Baptismo spectatur vel quoad ejus *essentiam*, vel quoad ejus *accidentia*, seu ritus & cæremonias in illo adhibitas. Priori sensu agnoscimus singulari Dei providentiâ remanere in Ecclesia Rom. veram de Baptismo doctrinam, quia in ea retinetur materia veri baptismi, sc. aqua, formula à Christo præscripta, juxta quam administratur in Nomine Trinitatis; qua de causa baptismus in illa Ecclesia administratus ratus censetur, nec iteratur. Sed posteriori sensu negamus, quia fovet graves errores, qui corrumpunt veram baptismi doctrinam, inducendo opinionem operis operati, & physicæ efficientiæ, tum nimis extendendo vim baptismi, quasi peccatum omninò tollat, & nimis restringendo eam ad peccata antebaptismalia, cùm tamen fœdus baptismo obsignatum sit perpetuum. In praxi etiam peccat per linguæ peregrinæ usum, & ritus varios superstitiosos.

Ritus superstitiosi Pontificiorum circa baptismum.

XXXVIII. Ritus illi juxta Bellarm. sunt vel antecedentes, vel comitantes, vel sequentes baptismum. Antecedentes. 1. Signum crucis in fronte & pectore. 2. Exorcismus. 3. Exsufflatio. 4. Narium & aurium ex saliva contactus cum Ephata. 5. Salis gustatio. 6. Unctio ex oleo in pectore & scapulis. Concomitans unica est, sc. consecratio aquæ baptismalis. Consequentes tres sunt. 1. Unctio Chrismatis in vertice. 2. Cereus accensus, qui neophyto gestandus datur. 3. Vestis candidæ indumentum. Alia multa mittimus.

CONTROVERSIA.

An hoc omne bonum & sanctum sit? Neg. c. Pontif.

ARGUMENTA.

1. Quia istorum omnium nec vola nec vestigium occurrit in Scriptura.

2. Ex Christianismi simplicitate; Cùm enim cultus Ecclesiæ Christianæ sit spiritualis, & λογικὴ λατρεία. Rom. 12. 1. & in eo potissimùm à Iudaismo discrepet, quòd hic in totum signis & figuris occupabatur; nemo non judicat absurdum esse, ut ipse Ecclesiæ aditus tot rerum corporearum formis obumbratus occurrat.

3. A vetustissimorum Scriptorum silentio.

OBJECTIONES.

1. *Fideles Dæmonem expellere possunt.* Marc. 16. 17. R. Ut exorcismus vigente miraculorum dono, Energumenis rectè fuit adhibitus; ita non sine contumelia adhibetur infantibus fœderatorum, quasi Diaboli sint mancipia, quos tamen in fœdere suo censet Christus, & singulari benevolentia prosequitur. Matth. 19. 14.

2. *Etiam Reformati in administratione Baptismi multa addunt, de quibus nec præceptum datur, nec exemplum.* R. Hæc non sunt Sacramenti partes, neque iis mysterium affingitur, sed honestæ celebrationis circumstantiæ, Ecclesiasticæ prudentiæ, & libertati relictæ.

Baptismus Pontificiorum num iterandus?

XXXIX. Quær. An Baptismus Pontificiorum sit iterandus? R. Neg. 1. Quia essentia Baptismi in eo manet adhuc integra. 2. Quia vis & efficacia Baptismi non pendet à ministro errante, aut hæretico, sed a Christo. 3. Quia adhuc reliquiæ sunt Ecclesiæ in Papatu, & Deus nondum Ecclesiam illam plenè abdicavit: Baptismus autem est Ecclesiæ proprius, & ejus vice administratur, licet per ministros corruptissimos.

An Baptismus suscipi possit à Sacerdotibus Papisticis?

XL. Licèt verò semel factum baptismum istum iterandum non censeamus; Non putamus tamen posse Pædobaptismum peti vel suscipi à Sacerdotibus Papisticis sine peccato. 1. Quia sic approbari videntur errores Pontificiorum. 2. Quia qui hoc faciunt, profitentur communionem se velle colere cum Ecclesia idololatrica, siquidem non alius est finis Baptismi, quàm ut inserat Baptizatos Ecclesiæ, in qua suscipiunt Baptismum. 3. Quia sic approbatur Ministerium Antichristianum.

CONTROVERSIA. I.

Peccata non omninò tolluntur per Baptismum.

An Baptismus ita tollat peccata, ut non sint; an verò tantùm ut non regnent, & non imputentur? Prius neg. Post. affirm. cont. Pontif.

Pontificii docent: Non tantùm remitti, sed etiam tolli in baptismo peccatum, & quicquid in baptizando peccati rationem habet. Orthodoxi dicunt, baptismi oppositè sumti pro Elemento & ejus dispensatione, *efficaciam* esse *moralem*, ut antea expositum est: Sed spectati compositè pro signo & re significata, *efficaciam* esse *realem* respectu

spectu suscipientis, baptismum, quamvis illa non sit alligata ad momentum baptismi. Deinde agnoscunt in baptismo obsignationem duplicis gratiæ, tum justificationis, quâ tollitur peccatum quoad reatum, ut non imputetur, tum Sanctificationis, quâ imminuitur & corrigitur ejus macula, ne amplius in nobis dominetur in hac vita, non autem ut non sit absolutè, seu existat amplius in nobis.

Non ergo quæritur: An Baptismi efficacia extendatur tantùm ad id, ut non imputetur peccatum, non autem verè tollatur, quod nobis per calumniam affingit Bellarminus; quasi statuamus per Baptismum tantùm fieri ut peccatum non imputetur, nullo modo autem tollatur, quod falsum esse ex sententiæ nostræ declaratione jamjam allatâ patet. Sed, an ita plenè & perfectè tollatur, ut non imputetur, sed ut non sit amplius, quod illi vellent. Nos negamus, & dicimus, Baptismo tolli peccatum, ut non imputetur, aut dominetur, non etiam ut esse desinat, statuimusque ideò reatum quidem plenè tolli, sed maculam tantùm inchoatè & ex parte.

ARGUMENTA.

1. Baptismus non aliter peccatum tollit sacramentaliter & obsignativè, quàm gratia justificans, cujus est symbolum & sigillum. Sed gratia justificans tollit peccatum, ne imputetur nobis in pœnam quoad reatum, gratia verò sanctificans; non ut absolutè non sit amplius, sed tantùm ut non dominetur. E. Baptismus non aliter tollere debet.

2. Si baptismus tollit peccatum omninò, tam quoad reatum quàm quoad maculam, ut esse desinat; omnis baptizatus erit purus & expers omnis peccati, tam originalis quàm actualis: At hoc falsum esse Scriptura & experientia testatur.

3. Concupiscentia semper remanet in baptizatis, quæ peccatum est, ut suo loco est probatum ex Rom. 7. 7. E. peccatum non tollitur omninò per baptismum, ut non sit, sed, ut non imputetur aut dominetur.

OBJECTIONES.

1. *Purificamur lavacro aquæ. Eph.* 5. 26. R. Hoc intelligendum non physicè, sed sacramentaliter, non absolutè, respectu omnium baptizatorum, sed tantùm eorum qui credunt. 2. Mundatio illa juxta naturam rei intelli- Eph. 5. 26.

genda est, respectu quidem reatûs plena & perfecta, respectu verò maculæ inhærentis inchoata & successiva.

Col. 2. 11. 12.

2. *Eodem modo se habet baptismus ad peccatum, quomodo circumcisio ad præputium. Col. 2. 11. 12. At circumcisio verè amputavit præputium.* E. R. Eodem modo se habet baptismus ad peccatum, quomodo Circumcisio ad præputium cordis, non carnis, sic enim conferuntur inter se loc. cit. non tanquam signum & signatum, sed ut signa diversa, vetera & nova, eandem rem signatam diversis ritibus significantia: Ut ergo Circumcisio carnis non potuit tollere peccatum; ita nec baptismus, nisi significativè.

3. *Gratia Sanctificationis, quæ per Baptismum nobis obsignatur, non potest consistere cum peccato.* R. Non potest consistere cum peccato regnante; sed cum habitante manere nihil obstat, quomodo contraria in gradu remisso possunt in eodem subjecto subsistere; quo sensu Paulus ait, se *mente servire Legi Dei, sed carne Legi peccati.* Rom. 7. 23.

CONTROVERSIA II.

An Baptismus extendatur ad peccata futura?

An Baptismus tollat peccata præterita & præsentia tantùm, & futura pœnitentiæ relinquat? An verò se extendat ad peccata non solùm quæ ante, sed etiam quæ post baptismum committuntur?

Prius neg. Post. aff. contra Pontif.

Quæstio hæc respicit vim baptismi quoad peccata post baptismum, ad quæ nolunt Pontificii extendi Baptismum, sed ea Sacramento pœnitentiæ purganda relinqui. Nos verò per baptismum obsignari nobis statuimus remissionem non præteritorum duntaxat & præsentium, sed & futurorum peccatorum, ita tamen, ut pœnitentia non sacramentalis & illa quam fingunt, sed in Evangelio mandata, ac inprimis fides salvifica non excludatur, sed ut medium salutis nostræ divinitùs constitutum baptismo coordinetur.

ARGUMENTA.

1. Talis debet esse baptismus, quale est fœdus gratuitum, per cujus gratiam baptismus est efficax. Baptismus enim & fœdus ad se mutuò referuntur, ut signum & res significata. Sed fœdus gratuitum est perpetuum, extendens se ad remissionem etiam peccatorum futurorum. Unde ex-

de expresè vocatur fœdus perpetuum. Jes. 55. 3. Ier. 32. 39.

2. Scriptura nuspiam restringit baptismum ad certam speciem peccatorum, sed citra restrictionem ad omnia universè & indefinitè refert.

3. Eadem debet esse efficacia gratiæ Dei, meriti Christi, & baptismi, pro singulorum conditione. Sed gratia Dei & meritum Christi efficacia sunt ad delenda omnia peccata, tam futura, quàm præterita & præsentia.

4. Non minor est virtus Baptismi quàm Circumcisionis. At Circumcisionem valuisse etiam in futurum, patet ex Gen. 17. 11. 13. ubi dicitur signum fœderis perpetui. E. & baptismus valere potest.

OBJECTIO.

E. Peccata post baptismum commissa remittuntur solâ memoriâ baptismi, quod absurdum. R. Non intelligitur memoria nuda & theoretica baptismi semel suscepti, sed memoria practica partim pœnitentiæ, partim fidei.

XLI. Baptizari debent adulti ex Gentilibus, cùm Christo nomen dant, & infantes Christianorum. Quinam baptizandi?

CONTROVERSIA.

An Fidelium infantes sint baptizandi? Aff. contra Anab. Infantes Christianorum sunt baptizandi.

Controversia agit contra illos, qui usitatè *Anabaptistæ* vocantur ab iteratione baptismi, in iis qui semel tincti sunt, sive respectu infantium jam baptizatorum, sive respectu adultorum, qui ab una gentis suæ secta ad aliam transeunt, quos de novo tingunt, ut in cœtûs sui communionem recipiant. *Catabaptistæ* etiam dicti, à baptismi improbatione præcipuè in infantibus.

Non autem quæritur de quibusvis infantibus, etiam infidelium; Sed tantùm fœderatorum & Christianorum: Nam quoad illos, agnoscimus non posse nec debere baptizari, nisi prævià institutione, & in ætate adultâ, quum sc. rationem fidei reddere possunt. 2. Non agitur de absoluta necessitate baptismi, qualem asserunt Pontificii; sed de necessitate hypothetica præcepti, quam nos contra Anabapt. tuemur sequentib.

ARGUMEN.

1. Ex mandato Christi. Matth. 28. 19. 20. *Euntes, docete omnes* Mat. 28. 19. 20.

omnes gentes, baptizantes eos, &c. Ubi quidem Christus non κατὰ τὸ ῥητὸν jubet baptizari infantes, sed quoad sensum. Nam. 1. Præcipit omnes gentes baptizari. E. etiam infantes: Præceptum enim de genere includit omnes species. 2. Scopus Christi est docere & præscribere modum colligendi Ecclesiam in terris usque ad consummationem seculi; Ut verò Ecclesia constat tam ex infantibus, quàm ex adultis, ita modus ille ad utrosque spectat, pro cujusque conditione. 3. Ab antithesi; Nam *omnes gentes* opponuntur omnibus & solis Judæis, ut postulat discrimen Vet. & N. Test. ubi tam infantes quàm adulti circumcidebantur. E. à pari eadem debet esse ratio baptismi. 4. Ex facto Apostolorum, quo præcepti sensum declarârunt, dum familias integras, i. e. parentes cum liberis baptizârunt. Sic Lydia cum tota domo sua, item Commentariensis cum domo sua baptizati sunt ab Apostolis. Act. 16. 15. 33. Sic Crispus, præfectus Synagogæ. Act. 18. 8. Sic Paulus baptizavit Stephanæ familiam. 1. Cor. 1. 16.

Act. 16. 15. 33. c. 18. 8. 1. Cor. 1. 16.

Exc. *Christus loquitur de adultis, qui doceri possunt, non de infantibus, præmittit enim institutionem Baptismo.* R. 1. Quamvis Christus præmitteret institutionem baptismo, hoc referendum esset ad baptismum adultorum, de quo primò & præcipuè agebatur pro statu primævæ Ecclesiæ ex adultis constituendæ; At alia est ratio Ecclesiæ constituendæ, alia constitutæ. 2. Vox μαθητεύειν quâ Christus utitur, propriè non tam est docere per prædicationem, quàm *discipulos facere*, quod fit etiam administratione baptismi, qui est Sacramentum initiationis, & primus in Ecclesiam introitus. Hoc autem ita intelligendum esse probatur ex verbo διδάσκειν quod additur, quod videretur esse tautologicum, nisi τὸ μαθητεύειν ad aliud quid, quàm ad simplicem institutionem referendum esset.

Exc.

2. Ex fœdere. Ad quos pertinet fœdus Dei, ad eos etiam pertinent sigilla fœderis. At ad infantes pertinere fœdus patet ex clausula fœderis: *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.* Gen. 17. 7. *Vobis & liberis vestris facta est promissio.* Act. 2. 38. Licèt enim fœdus Dei primariò & præcipuè adultos respiciat, tamen infantes non sunt excludendi. 1. quia liberi sunt pars parentum, & ejusdem cum iis conditionis. 2. Inter homines pacta liberos contrahentium complectuntur. E. & in fœdere Dei. 3. Quia ad infan-

Gen. 17. 7. Act. 2. 38.

infantes pertinet res significata, puta remissio peccatorum, regeneratio, regnum cœlorum. E. etiam signum. Nam si quod majus est illis communicatur, quâ ratione posset illis denegari quod minus est; Sic argumentatur Petrus. Act. 10. 47. *An prohibendi sunt ab aqua, quibus datus est Spiritus?* Act. 10. 47.

Exc. *Hinc sequitur, infantibus quoque Cœnam esse administrandam, quia res significata ad eos pertinet.* R. Neg. quia licèt sit eadem utrobique res significata, tamen in modo significandi diversa est; in cœna obsignatur Christi gratia per modum cibi solidi, cujus infantes non sunt capaces, sed in baptismo per modum lavacri regenerationis, cujus infantes sunt capaces. Deinde cœna duplicem conditionem exigit, præcedentem in examine, concomitantem in commemoratione mortis Christi, quarum utraque præsupponit usum rationis; Neutra exigitur in baptismo, sic olim Pascha distinguebatur à Circumcisione, quòd ista infantibus, illud verò solis adultis præberetur. Exc.

3. Eadem est necessitas baptismi quæ Circumcisionis. At Circumcisio debuit administrari infantibus. E. Major probatur. 1. Quia baptismus subrogatus est Circumcisioni, ex Col. 2. 11. 12. ubi Circumsionem in baptismo reperit Paulus. 2. A fine utriusque; Circumcisio erat Sacramentum initiationis, ut reciperentur in fœdus: Idem est baptismus. 3. A re significata utriusque, quod est Circumsio interna cordis, & gratia regenerationis. 4. Gratia Dei non imminuta est in N. T. sed potiùs ampliata. Si quid ergo obstat puerilis ætas in baptismo propter defectum rationis, idem in Circumsione fuit impedimentum. Quòd si non frustra Dei beneficia jam tum per Circumcisionem oblata fuerunt, cur non idem de baptismo censebitur? Exc. *Non rectè procedit argumentum, quia variæ sunt differentiæ inter Circumcisionem & Baptismum.* R. Analogia utriusque Sacramenti attendi debet non in omnibus, sed in conditionibus principalibus ad confirmationem fœderis gratuiti relatis, & in N. T. declaratis, nim. quòd utrumque Sacramentum fuerit signum fœderis, symbolum initiationis, ac tessera professionis, quâ olim Judæi à Gentilibus, & hodie Christiani ab infidelibus distinguuntur. Exc.

4. Quia

4. Quia ad infantes pertinet Regnum cœlorum ex de-
Matth. 19. 13. claratione Christi. Matth. 19. 13. *Oblati sunt Christo pueruli, ut manus eis imponeret, & oraret. Cùm verò repellerent eos discipuli, Christus dixit: Sinite parvulos ad me venire, & nolite eos prohibere, quia talium est regnum cœlorum.* Confirmatur ex eo, quòd dicitur ἐναγκαλίσασθαι in ulnas recepisse, benedictione sua & precibus eos Deo commendâsse. Si verò adduci ad Christum infantes æquum est; Cur non & ad baptismum recipi, symbolum nostræ cum Christo communionis? Cur non in gremium reciperet Ecclesia, quos Christus in sinum suum excipit?

Exc. Exc. *Parvuli dicuntur humilitate, non ætate.* R. Neg. Nam illi intelliguntur, qui ad Christum afferebantur, & quos ulnis complectebatur, quales non erant infantes mysticè quoad humilitatem, sed propriè quoad ætatem ita dicti, qui ideo vocantur βρέφη: βρέφος autem est infans adhuc in cunis & tenellus, plerumque lactens.

5. Fidelium liberi sunt sancti, sanctitate nempe fœderali, i. e. Christiani, & ad Ecclesiam pertinentes. Ergo sunt baptizandi. Cùm enim habeant rem significatam, non pos-
1. Cor. 7. 14. sunt privari signis. *Mulier infidelis*, inquit Apostolus. 1. Cor. 7. 14. *sanctificatur in viro fideli, aliâs liberi vestri immundi essent, nunc verò sancti sunt.*

OBJECTIONES.

1. *Nullum habemus præceptum particulare de baptizandis infantibus.* R. Nullum datum est, quia discipulis notum erat infantes circumcidi. Suffecit ergo mandatum generale baptizandi omnes gentes, sub quo particulare continetur.

2. *Baptismus Christi anno demùm tricesimo factus est.*
Luc. 3. 23. Luc. 3. 23. R. Omnia facta Christi, quæ non pertinent ad doctrinam, non statim trahenda sunt ad imitationem, aliâs anno demùm 30. Baptismus suscipi deberet, quod non dicunt tamen adversarii. 2. Ratio peculiaris fuit, cur hoc tempus expectârit, non modò, quia anno præcedenti tantùm Johannis Baptismus institutus fuit, sed etiam propter typum Sacerdotum Leviticorum, qui licèt anno 25. reciperentur in Collegium Sacerdotale, tamen ante ann. 30. non admittebantur ad exercitium muneris sui. 3. Christus non indigens baptismo potuit sine periculo

illum

illum differre, sed nostri, qui in peccatis concepti & nati sumus, non eadem est ratio.

3. *Johannes neminem ad baptismum admittebat, nisi confitentem peccata sua.* R. Ibi agebatur de adultis baptizandis & ad Ecclesiam Christianam vocandis; sed non sequitur idem locum habere respectu infantium, qui jam sunt in Ecclesia.

4. *Signum frustra adhibetur non intelligenti.* R. Aliud est signum, cujus virtus à subjecti recipientis dispositione pendet, aliud cujus virtus pendet ab instituentis promissione. Prius signum frustra adhibetur non intelligenti; sed non posterius, quale est Baptismus & Circumcisio. 2. Aliud est *subjectum receptivum* signi, aliud ejus etiam *perceptivum*, illud infantes possunt esse, licèt non istud. 3. Signum frustra adhibetur non intelligenti, nec intellecturo, quod de infante dici nequit.

5. *Baptismus est Sacramentum pœnitentiæ.* R. Non quòd eam in omni tingendo prærequirat, sed quia ad ejus studium baptizatos obligat, sive in præsenti, quum sunt ejus capaces, sive in futuro.

6. *Sacramenta sine fide utentis dicuntur inanes Cæremoniæ.* R. Ratione adultorum, non ratione infantium, in quibus ad salutarem usum baptismi sufficit promissio, & gratia fœderis, quæ obsignatur à parte Dei, licèt nondum detur responsio & restipulatio à parte baptizati, ut patet in Circumcisione.

7. *Perfecta Christi Symbola nonnisi perfectis, aut perfectionis capacibus danda sunt.* R. Hæc argumentatio nititur falsâ hypothesi, quâ ilia quæ in baptismo sacramentaliter præbetur perfectio, perperam ad unicum illud momentum restringitur, cujus vis sese per totius vitæ curriculum & ad mortem usque protendit. Et stultè primo die quæritur perfectio in homine, ad quam baptismus totâ vita per continuos gradus nos invitat.

8. *Veteres Baptismum differebant in ætatem provectiorem, imò ad mortem usque.* R. 1. Decepti fuerunt communi illius temporis errore, post baptismum vitam ab omni lapsu immunem requiri, nec ullam delinquentibus expiationem aliam deinceps reliquam esse. Tamen Pædobatismum in usu fuisse constat ex continua praxi Ecclesiæ. Nec quarundam Ecclesiarum usus, vel quorundam

Con-

Conciliorum sanctio, qualis est Concilii Neocæsarienſis, debet opponi praxi totius antiquitatis.

Sacra Cœna quid?

XLII. Sacra Cœna est Sacramentum nutritionis, quo per panis fracti & vini effusi distributionem ac perceptionem, fidelibus adultis declaratur & obsignatur communio Corporis & Sanguinis Christi, tanquam cibi ac potûs spiritualis ad vitam æternam.

Nomina varia quibus solet exprimi.

XLIII. Variis autem nominibus tum in Scriptura, tum apud Veteres & Neotericos insignitur.

1. Cœna Dominica 1. Cor. 11. 20.

1. Scriptura vocat δεῖπνον κυριακὸν, *Cœnam Dominicam*; 1. Cor. 11. 20. *Cœna* quidem, etiamsi hîc litem nobis moveant Pontif. vocatur ratione Temporis, quia vesperi primùm instituta & celebrata, & Paschali Cœnæ substituta, unde ex v. 25. constat, Christum inter cœnandum Eucharistiam celebrâsse, dicitur enim accepisse poculum Sacramentale μετὰ τὸ δειπνῆσαι. *Dominica* verò dicitur à Domino, qui ejus author, materia, & finis est.

2. Εὐχαριστία & εὐλογία. 1. Cor. 10 16

2. Vocatur εὐλογία & εὐχαριστία à Paulo. 1 Cor. 10. 16. ubi poculum Sacramentale vocat τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὁ εὐλογοῦμεν. *Calix benedictionis cui benedicimus*, quia Christus accepto pane & vino dicitur εὐλογῆσαι & εὐχαριστῆσαι, unde tota actio dicta est εὐλογία & εὐχαριστία. Εὐλογία autem ista, seu *Benedictio* respicit tum Deum, cui gratiæ aguntur pro eximio in Christo beneficio, tum symbola, quæ benedicuntur, i. e. consecrantur & sanctificantur ad sacros usus. Εὐλογία autem aliquando pro tota Eucharistiæ actione sumitur, aliquando εὐλογίαι dicuntur singulæ hostiæ vel particulæ, quæ communicantibus porrigebantur; Sic etiam vocabant partes consecrati panis, quas moris erat in primitiva Ecclesia mittere ad alias parœcias, aut ad peregrinos advenas, declarandæ dilectionis & consensûs in fide ergò, quod postea mutatum fuit in Concilio Laodiceno.

1. Cor. 10. 21.

3. Τράπεζα Κυρίου, *mensa Domini*. 1. Cor. 10. 21. *Mensa* dicitur per metonymiam continentis pro contento, quia in mensâ celebrabatur, unde colligitur, ignota tunc adhuc fuisse altaria. Vocatur *mensa Domini*, quia Dominus author est, & cibus ipse. Opponitur *mensæ dæmoniorum*. quæ sternebatur in idoleio, ad convivia idololatrica Gentilium, in quibus carnes victimarum idolis, & sub illis dæmonibus immolatæ apponebantur.

4. Koi-

2. Κοινωνία, *communio*, ex Paulo. 1 Cor. 10. 16. 1 Propter unionem fidelium cum Christo & inter se, quæ in hoc Sacramento obsignatur. 2. Propter communionem ejus morti & beneficiis. 3. Quia omnibus fidelibus in commune olim in Synaxibus proponebatur.

4. Κοινωνία. 1. Cor. 10. 16.

5. Κλάσις ἄρτου, *fractio panis*. Act. 2. 42. & 20. 7. per synecdochen ex stylo Hebræorum, qui usitata locutione per panis fractionem notare solent convivium, *panem frangere cum aliquo*, ut Græci ab altera parte, nim. potu totam actionem convivii designare solent per τὸ συμπόσιον. Porrò *panis frangi* dicitur potiùs quàm scindi, quia Hebræi placentulis utebantur, quæ frangebantur potius, quam cultro scindebantur.

5 Fractio panis. Act. 2. 42. & 20. 7.

6. A Patribus vocatur etiam σωάξις, quia in publicis Ecclesiæ conventibus ordinariè hoc Sacramentum administratur.

6. σωάξις.

7. Λειτουργία, quia Ministerii sacri publici pars est non postrema. Λειτουργία in genere est opus aliquod publicum, λειτουργεῖν est publico operam præstare. Inde ex usu Ecclesiæ vox communis transfertur ad res divinas, & habet modò significationem latiorem de quocunque pietatis officio, ut Rom. 15. 27. λειτουργεῖν ἐν τοῖς σαρκικοῖς, *ministrare in rebus carnalibus*, i. e. subsidia pauperibus administrare. & 2. Cor. 9. 12. notatur beneficientia erga pauperes. Angustiori verò sensu sumitur in genere pro eo quod est sacram in Ecclesia functionem obire, quomodo sumitur Heb. 10. 11. de Sacerdotibus V. T. qui dicuntur λειτουργεῖν. Ita Christus vocatur λειτουργὸς τῶν ἁγίων. Heb. 8. 2. hoc sensu prædicatio Evangelii dicitur Paulo λειτουργία. Rom. 15. 16. Hinc λειτουργίαι apud Veteres dictæ sunt descriptiones quædam ordinis servandi in sacris celebrandi. In specie postea vox usurpata est ad notandum omne ministerium, quod circa S. Cœnam peragitur. Licèt verò hæc vox nonnunquam apud Veteres ad S. Cœnam referatur, perperam tamen Adversarii hinc argumentum petunt pro Sacrificio Missatico, quasi in Scriptura extaret. Act. 13. 2. Nam. 1. Nusquam in Scriptura vox λειτουργίας restringitur ad S. Cœnæ celebrationem, sed in genere ad ministerium S. refertur. 2. Verba Lucæ non agunt de Sacrificio, sed de Ministerio Evangelii, ad quod vocabant Barnabam & Paulum, & de jejunio ac precibus, quibus

7. λειτουργία.

eos ad id consecrabant. 3. Versio Vulgata habet, *ministrantibus illis Domino.*

8. Θυσία

8. Vocatur etiam Θυσία, non quod existimarent Veteres, esse aliquod Sacrificium ἱλαστικὸν, sed 1. quia in ea erat collatio & oblatio eleemosynarum, panis & vini, &c. quæ sunt spirituale sacrificium, ex quibus symbola ipsa in Eucharistiæ communione desumta fuerant, & eleemosynæ in pauperes collatæ. 2. quia est repræsentatio & commemoratio Sacrificii in cruce oblati. 3. quia est Sacrificium Eucharisticum laudis & benedictionis. 4. quia ex Stylo Veterum omnis actio religiosa, quâ aliquid Deo consecramus ad ejus gloriam & nostram salutem, sacrificium dicitur.

9. Agapæ.

2. Datur etiam ipsi nomen *Agapæ*. Agapæ erant convivia fraterna Ecclesiastici conventûs, quorum finis erat vel generalis, ut per illas foveretur inter Christianos mutua dilectio, vel specialis, ut inopes isto refrigerio juvarentur; quia verò conjungebatur cum iis celebratio S. Cœnæ, ideò nomen Agapæ cœnæ datum est. Primò quidem præcedebant Sacræ Cœnæ usum, ut constat ex 1. Cor. 11. 20. ubi Paulus abusum carpit, qui invaluerat apud Corinthios, quòd convivia illa non fuerint communia, sed quisque quod domo attulisset, privatim edebat, divitibus pauperes spernentibus. Sed insecutis temporibus Agapæ post Sacram Cœnam celebratæ sunt, & remansit nomen in usu Ecclesiastico, ut convivia quæ pauperibus & hospitibus reficiendis instruuntur, ἀγάπαι appellarentur. Cujus consuetudinis vestigia hodieque Græci servare dicuntur, qui die resurrectionis Dominicæ sacro, post sacram mysteriorum communionem, allatis in Ecclesiam epulis, communiter convivantur, & carmen solemne concinunt.

10. Mysterium.

10. Μυστήριον etiam sæpissimè usurpatur ad hoc Sacramentum designandum. Licèt enim in genere dicatur de omnibus Capitibus Religionis Christianæ, & in specie de Sacramentis, singulari tamen ratione de Cœna dicitur ob mysticam Corporis & Sanguinis Christi participationem, quæ captum nostrum longissimè superat.

Alia multa Epitheta, quæ Veteres S. Cœnæ dederunt, nunc mittimus.

Missa nomen

XLIV. Inter omnia quibus Latini Sacramentum hoc designârunt, præcipuum est nomen *Missæ*, quæ vox non He-

Hebraicæ originis est, à מס *tributum*, vel משתה *convivium*, ut nonnulli Missifici somniârunt, sed Latinæ originis, quia missa sive missio Catechumenorum fiebat antequam celebrarentur mysteria, & ubi peracta erant, ipsorum fidelium per hanc clausulam: *Ite, missa est.*

XLV. Causa *efficiens* S. Cœnæ principalis est Christus; ministeriales ministri legitimè vocati.

S. Cœnæ efficiens, materia, forma, finis.

XLVI. *Materia externa* seu signa sunt panis & vinum, seu poculum Domini.

XLVII. Usus autem est Christus pane, quia divinâ benedictione est omnium elementorum ad nutriendum & roborandum corpus efficacissimum, communissimum, maximè familiare, & ubivis obvium, facilè parabile, & minimè fastidiosum. Panis autem quo usus est, azymus fuit, non ex rei necessitate, sed ex accidenti circumstantiæ temporis, propter festum Paschatis, quo nec alio uti, nec alium habere fas erat per Legem. Exod. 12. 19. alias semper erat fermentatus tam in Judæa, quoties extra illud tempus celebrabatur cœna. Act. 2. 42. quam apud Gentes, quæ communi pane, non azymis utebantur; unde dicta est simpliciter *fractio panis*. Act. 20. 7. 1. Cor. 10. 16. & 11. 20. 21. Ut hîc perperam tam acris contentio super hoc Capite inter Græcos & Latinos orta sit, illis panis fermentati, istis verò azymorum necessitatem urgentibus, unde illis nomen *Fermentariorum*, istis verò *Azymitarum* inditum. Cùm res sit per se adiaphora, ut plerique ex Pontificiis agnoscunt. Licèt non diffiteamur convenientiorem nobis videri panis fermentati usum, tum quia magis facit ad scopum Christi, qui fuit adhibere panem communem & ordinarium, qui ubivis esset obvius; tum quia aptior est ad sustinendam analogiam sacramentalem, quæ posita est in significanda communione nostra cum Christo per similitudinem alimenti corporei; tum quia necessitas panis azymi pertinet ad cæremonias Judaicas, quæ sunt abrogatæ; tum quia in universa Vereri Ecclesia nulla vestigia apparent azymorum in Eucharistia usurpatorum ante nonum vel decimum Seculum; imò constat Symbola Eucharistica desumta fuisse olim ex oblationibus panis & vini factis à fidelibus, quæ procul dubio erant ex pane ordinario & fermentato.

Panis non debet esse azymus.

Vinum est comune, non aquâ dilutum.

XLVIII. *Vinum* commune instituitur, colore indifferens, aquâ non dilutum, quia simpliciter *genimen* seu *fructus vitis* appellatur. Matth. 26. 29. & Marc. 14. 25. ut hîc Pontificii sine ratione urgeant mixtionem aquæ cum vino, quæ licèt juxta illos non sit de integritate Sacramenti, sit tamen de ejus *congruitate*, nec omitti possit sine peccato mortali. Quamvis enim videatur indifferens, & clarum sit à Veteribus aquam vino admixtam fuisse, quia rarus est meri vini apud Orientales usus, tamen meritò reprehendendi sunt, quòd nullo præeunte verbo peccata mortalia fingant, & libertatem aliorum damnent.

XLIX. *Materia interna* est Christus cum tota satisfactione & merito suo.

L. *Forma* ejus *externa* in actionibus & verbis consistit. *Actiones* sunt panis fractio, vini effusio, utriusque signi distributio & perceptio, manu & ore facta. *Verbum* est tum tota institutio, διαθηκην, mandatum & promissionem complectens, tum inprimis promissio corporis & sanguinis Christi, adeoque ipsius Christi, omniumque ejus meritorum. *Forma interna* in analogia signi & signati consistit.

LI. *Finis* seu usus S. Cœnæ vel primarius est, vel secundarius. *Primarius* est confirmatio ejus fidei, quâ peccator resipiscens credit se cum Deo per mortem filii reconciliatum esse certò, ac proinde Mediatoris sui mortem gratissima mente commemorat & prædicat. *Secundarius* est confessio publica. 1. Peccatorum nostrorum, confitendo quòd de eorum numero simus, quibus absque hac innocentissima & pretiosissima morte pereundum fuisset. 2. Fidei nostræ, quatenus vel tacentes testificamur, nos in doctrina fidei sentire & profiteri idem cum iis, quibuscum S. Cœna nobis est eadem. 3. Christianæ & fraternæ charitatis, quâ fidelis omnes ejusdem Cœnæ participes complectitur.

CONTROVERSIA I.

Consecratio fit per benedictionem.

An in Eucharistia consecratio fiat pronunciatione verborum. Hoc enim est corpus meum? Neg. cont. Pontif.

Licèt circa consecrationem Symbolorum Eucharisticorum

rum diversissimæ sint Pontificiorum sententiæ, communior tamen apud ipsos sententia est: Pronunciatione tantùm illorum verborum, quæ formalia dicunt sive Sacramentalia, fieri consecrationem, & hactenus verba illa esse operativa & conversiva, vera instrumenta consecrationis, ita ut vim habeant tanquam instrumenta Dei. Nos verò negamus Consecrationem affigendam esse pronunciationi verborum Sacramentalium; Sed constituendam esse in tota actione Christi, & præcipuè in benedictione, quâ elementa ab usu communi & naturali transferuntur & evehuntur ad usum sacrum, quum dicitur Christus ab Evangelistis benedixisse & gratias egisse accepto pane.

ARGUMENTA.

1. Benedictio est Sanctificatio rerum super quas funditur. E. Christus benedicens pani & calici sine dubio panem & calicem sanctificavit, maximè, cùm Christus in Scriptura ante prolationem istorum verborum jam benedixisse & gratias egisse dicatur,

2. Consecratio fit per precationem, quâ gratia Dei invocatur super symbola ad eorum sanctificationem. At verba ista *hoc est corpus meum*, nullam habent precationis formam.

3. Non aliter fieri debet consecratio Symbolorum ad usum sacrum, quàm fit consecratio ciborum quotidie ad usum communem, siquidem utrobique datur sanctificatio rerum, quæ usibus humanis destinatæ sunt, licèt in dispari gradu. At consecratio & sanctificatio ista non aliter fit quam precibus & verbo, ex Paulo. 1. Tim. 4. 4.

4. Non potest censeri facta conversio, & consecratio, per quam Christi corpus præsens sistatur sub speciebus panis & vini; quia verba illa sunt historicè narrativa & declarativa rei quæ jam erat.

CONTROVERSIA II.

An verba, quæ vocant consecratoria, submissâ voce sint pronuncianda, ne à populo audiantur?

Consecratio debet fieri altâ voce.

Neg. cont. Pontif.

ARGUMENTA.

1. Christus, cujus actiones cynosura nostra esse debent, sic celebravit Eucharistiam, ut ab omnibus adstantibus audiren-

direntur omnia, & hæc ipsa quæ consecratoria appellant verba. Jussit enim accipere, edere, bibere. At, qui aliquid jubet, vult audiri & intelligi. Et Apostoli non potuissent verba Christi adscribere, nisi ea auribus percepissent.

2. Christus non ita instituit Sacramentum, ut sola actio esset visibilis & publica, verbum verò quod est præcipua pars Sacramenti, occultaretur & sepeliretur silentio.

3. Certitudo mutationis Symbolorum juxta adversarios pendet à certitudine consecrationis & pronunciationis verborum: *Hoc est corpus meum*: At in secreto murmure verba illa vel pronunciata esse, vel ritè pronunciata esse, quotusquisque certus & securus esse potest?

4. In Veteri Ecclesia incognitum fuit secretum illud murmur; olim enim plebs Sacerdoti verba recitanti succinuit *Amen*. Quomodo verò is, qui nec audivit, nec intellexit, *Amen* diceret?

OBJECTIO.

Secreta pronunciatio facit ad majorem reverentiam Sacramenti. R. Neg. Quia non vilescunt quæcunque publicantur, aliàs Evangelium, baptismus, &c. vilescere deberent.

CONTROVERSIA. III.

Hostiæ orbiculares rejiciuntur.

An utendum sit Hostiis orbicularibus, atque illæ in os hominum ingerendæ? Neg. cont. eosd. & Luth.

ARGUMENTA.

1. Christus sumsit panem communem, hæ verò formam panis non habent.

2. Frangi non possunt & communicantibus distribui.

2. Neque alere possunt.

OBJECTIONES.

1. *Melius deglutiuntur.* R. Panis edi, non deglutiri debet.

2. *Essentiam panis habent.* R. Nec materiam propriè, nec formam.

CON-

CONTROVERSIA. IV.

An ritus fractionis panis sit necessarius in administratione Cœnæ? Affirm. cont. Pont. & Luth.

Fractio panis est necessaria

Pontificii quidem non diffitentur, Christum fregisse panem, & frangi jussisse, imò necessariam dicunt esse illam fractionem; Unde Sacerdos ex universo numero hostiam unam seligit, quam in tres partes frangit: &c. Sed non quæritur de qualicunque panis fractione; Sed: An frangi debeat ad distributionem, ut singulis communicantibus particulæ panis istius fracti distribuantur? Quod Pontif. negant, nos affirmamus. *Lutherani τὸ* frangere nihil aliud volunt esse, quàm panem distribuere, & alteri dare; licèt non diffiteantur, Christum propriè fregisse panem, sed istam cæremoniam merè liberam esse & adiaphoram, carentem mandato, quam observare aut omittere pro arbitrio possit Ecclesia.

Orthodoxi fractionem retinent, quæ à Domino usurpata, & quæ tot panes, quot sufficiunt plebi ad communionem in varias dirimit particulas distribuendas in multos. Non esse adiaphoram cœremoniam censent, sed ex institutione Christi non minùs necessariam quàm acceptionem in manus, traditionem & communionem. Nec tamen de ea tam rigidè contendere volunt, ut nulla societas retineri possit cum iis qui omittunt, defectum istum rei non exiguæ nec dissimulandum putant, nec tolerandum, si tolli queat, adeoque reprehendendos esse qui hoc statuant, licèt non absolutè damnandos.

ARGUMENTA.

1. Christus panem fregit ex consensu omnium Evangelistarum, & Pauli, qui hoc singuli referunt; Quis verò affirmârit, Filium Dei in tam Sacra actione aliquid supervacaneum feciisse, aut Apostolos tantâ diligentiâ hoc retulisse, si res merè adiaphora fuit? Præsertim cùm Christus ritum istum præscribere voluerit, dicendo: *Hoc facite.* Exc. *Multæ aliæ circumstantiæ & actiones studiosè referuntur ab Evangelistis, & à Christo observatæ sunt, quæ in imitationem trahi non debent, ut, quòd cœnam vesperi & in diversorio celebraverit, quòd accumbens, non stans,* &c. R. Nemo non videt dissimilitudinem: Fractio panis ad cœnam Exc.

per se pertinet, circumstantiæ temporis, loci, posituræ cum eaconcurrunt peraccidens. Fractio imperata est divinitùs, illæ non. Fractio habet spiritualem significationem, illæ non item.

2. Illa fractio habet evidentem gratiæ Dei & beneficiorum ejus significationem, nim. fractionem Corporis Christi in cruce, & fructus salutares qui inde ad nos manant. Non quasi ossa Christi in cruce fracta sint, sed quia corpus ejus variis vulneribus laceratum, & anima à corpore separata fuit, ejusque cor laceratum & fractum est doloribus ac tormentis quæ in cruce pertulit. Unde Apostolus 1. Cor. 11. 24. referens verba institutionis, dicit Corpus Christi esse fractum, *quod pro nobis frangitur*, ut clariùs analogiam fractionis panis ad fractionem Corporis ostendat.

1. Cor. 11. 24.

3. Ex loco Pauli. 1. Cor. 10. 16. *Panis quem frangimus, nonne est communicatio Corporis Christi? Nam unus panis, unum corpus multi sumus, quia omnes de uno pane participamus.* Cùm verò Paulus profiteatur se nihil tradidisse in istius mysterii celebratione, quod non accepisset à Domino, quis dubitet panis fractionem, quam retinet, esse ex Christi præscripto?

1. Cor. 10. 16.

4. Ex praxi Ecclesiæ Apostolicæ, quæ fractionis ritum constanter retinuit; unde tota actio per fractionem panis solet describi. Hinc dicuntur Discipuli Act. 2. 42. *Perdurâsse in doctrina Apostolorum, & communicatione & fractione panis & precibus.* Et Act. 20. 7. dicuntur Christiani convenire primo die hebdomadis *ad frangendum panem.*

Act. 2. 42.

Act. 20. 7.

OBJECTIO.

Fractio panis designat ejus distributionem, ut Ies. 58. 7. partiri esurienti panem suum, est distribuere panem. R. Sed in hoc Sacramento hæc significatio locum non habet. 1. quia apertè distinguitur apud Evangelistas, *fregit panem*, & *dedit eum.* 2. Multi unius panis participes fiunt in cœna. 1. Cor. 10. 17. E. necessariò unus panis frangitur, ut inter multos distribuatur. Quòd verò Paulus, quum loquitur de pane fracto, mentionem non facit distributionis, non ideo fit, quòd pro uno eodemque duo ista sumat, sed quia subjungitur statim mandatum accipiendi, quod supponit datationem.

CONTROVERSIA V.

An in Ecclesia N. T. requirantur altaria, & cœna in altari administrari debeat? Neg. cont. Pontif. Altaria in N. T. nulla.

ARGUMENTA.

1. Altaria pertinet ad cæremonias V. T. quæ abrogatæ sunt.

2. Christus in mensa communi cœnam administravit.

3. In N. T. nullum est Sacrificium, ut postea probabitur. E. nullis altaribus opus est; quia altare sanctificat munus Matth. 23. 17.

OBJECTIONES.

1. *Jes.* 19. 18. 19. *prædicitur: Erectum iri altare Jehovæ in Ægypto, ita ut innotescat Jehova Ægyptiis, & colant sacrificio & munere.* Jes. 19. 18. 19

R. 1. Locus agit de Altari in singulari, non de altaribus, quæ magno numero occurrunt in Papatu. 2. Loquitur de hostiis & muneribus offerendis uni Deo à Gentilibus ad fidem conversis, quod non alio potest referri, quàm ad hostias spirituales à fidelibus offerendas sub Novo Test. Sic ex Stylo Prophetis familiari cultus spiritualis describitur terminis legalibus. Altare ergo non intelligitur materiale, sed *mysticum* & *spirituale* ad sacrificia spiritualia offerenda. Et sic nomine altaris velut signi totum ministerium & cultus Dei publicus denotatur, ut innuatur colendum esse ab Ægyptiis cultu N. Test. ut tunc colebatur à Judæis apud altare holocausti.

2. Heb. 13. 10. *Habemus altare.* Heb. 13. 10

R. Non intelligitur altare materiale & aspectabile, sed figuratum & mysticum, quod Vet. Test. altare & ritus legales adumbrârunt, Christus ipse, qui altare nostrum vocatur 1. propter *oblationem* corporis sui, relatè ad altare holocaustorum. 2. Ob *intercessionem* in cœlo, relatè ad altare suffituum. 3. Ob *commemorationem* in mensa relatè ad cibos victimarum in altari oblatarum. Non potest autem altare propriè dictum intelligi, pater. 1. Quia dicitur unum, ubi Pontificii innumera habent. 2. Non dicit Apost. altare in quo sacrificandum sit, sed ex quo sit manducandum. 3. Altare quod opponitur Judaico. E. non visibile & materiale, sed spirituale. Aliâs si præcisè urgetur vox altaris, etiam in cœlo saxeum erigendum erit, ex Apoc. 6. 9. & 8. 5. & 9. 13. & 14. 18.

CONTROVERSIA. VI.

Communio sub utraque specie,

An utrumque signum, adeoque etiam vinum omnibus fidelibus porrigi debeat? Aff. cont. Pontif.

Ardua hæc est quæstio de *Communione sub utraque specie.* Communio sub una specie panis, exclusis Laicis à communione vini, cœpit apud Papistas Seculo XIII. & stabilita sacrilegè Sec. XV. in Concilio Constantiensi.

Non autem quæritur: An communio sub utraque specie facta sit à Christo, quod non diffitentur adversarii. Sed, an debeat pariter fieri à fidelibus, ut non tantùm sit res indifferens & accidentalis, sed necessaria & Essentialis ad perfectionem Sacramenti? 2. Non quæritur: An fidelis ita obligetur ad communionem sub utraque specie, ut non possit ullo in casu sine peccato sub altera tantùm specie communicare? ut ita convertunt statum Controversiæ Pontif. Fatemur enim, si aliquod invictum impedimentum occurrat, quò alteram speciem sumere prohibeatur, talem commiseratione potiùs quàm reprehensione dignum esse. Sed, an possit jure interdici populo usus calicis; an verò teneatur Minister unicuique præbere symbola panis & vini? Et, an fidelis nullâ necessitate præpeditus utramque speciem participare debeat? Pontif. negant. Nos affirm.

ARGUMENTA.

1. Christus Eucharistiam instituit sub utroque Symbolo, dum Apostolis non modò panem dedit, sed & calicem, & omnes ex eo bibere jussit, ut magno consensu refertur ab Evangelistis omnibus, quod & confestim ab ipsis factum legitur ex ordine Christi. Exc. *Verba* bibite ex hoc omnes *dicuntur solis Apostolis.* R. Non, sed in eorum persona omnibus qui ad communionem accessuri sunt. 1. Quia Christus dirigit sermonem ad eos, quibus dixit *facite hoc.* At juxta Pontificios plerosque hæc verba ad omnes fideles diriguntur. 2. Idem dicendum esset de pane, quia solis Apostolis etiam dixit; accipite, edite. 3. Hæc dicta sunt Apostolis solis, sed non quâ Apostolis & administrantibus, quia Christus solus tunc fuit Minister, & sic excluderentur omnes alterius gradûs & ordinis quàm Apostoli, sed quâ communicantibus, quomodo debet similiter esse commune aliis omnibus fidelibus, & toti Ecclesiæ, quam

Exc.

quam Apostoli tunc repræsentabant. 4. Paulus, qui fidelis est interpres verborum Christi, refert hoc ad omnes communicantes: *Quisquis ederit hunc panem, & biberit hunc calicem*, &c.

2. Paulus 1. Cor. 11. 26. manducationem & bibitionem tanquam duas essentiales unius ejusdemque mysterii partes conjungit, quando dicit: *Quotiescunque manducaveritis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis.* Et v. 28. *Probet ergo quisque seipsum, & ita manducet hunc panem, & bibat hunc calicem.* Et Cap. 10. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi, panis quem frangimus, nonne est communio Corporis Christi?* Exc. *Paulus utitur disjunctivâ. v. 27. Quisquis manducaverit panem hunc, vel biberit hunc calicem; Unde patet hunc panem sine calice à nonnullis sumtum fuisse, vel sumi potuisse.* R. 1. Si ea esset disjunctivæ vis, æquè probarer aliquos sine pane bibisse ac sine potu edisse, quod tamen nolunt Pontificii. 2. Paulus disjunctivâ utitur, quia peccatum potest committi non tantùm in utriusque, sed etiam in alterius indigna sumtione. 3. Disjunctiva sæpe habet vim copulativæ, ut: Rom. 4. 12. *Non enim per Legem promissio Abrahæ*, aut *semini ejus*, i. e. tam Abrahamo quàm semini ejus, ut Paulus explicat. Gal. 3. 16. Sic 2. Cor. 13. 8. *Sive prophetiæ sive linguæ abrogabuntur*, i. e. & prophetiæ & linguæ. Matth. 5. 17. *Non veni solvere legem* aut *Prophetas*, i. e. nec legem nec Prophetas. Eph. 6. 8. *Quicquid fecerit boni reportabit homo à Domino*, sive *servus* sive *dominus*, i. e. Servus & Dominus. Nihil ergo obstat ex usu communi intelligi particulam istam copulativè.

1. Cor. 11. 26. v. 28. Cap. 10. v. 16. Exc.

3. Ex mandato Christi: *Hoc facite ad mei commemorationem.* Quod ad totam actionem referendum est, non modò ad consecrationem, sed & ad panis & vini sumtionem, ut hîc spectentur tam communicantes, quàm administrantes, qui jubentur facere idipsum quod Christus jussit: Isti quidem accipere, benedicere, frangere & dare; Illi verò panem & calicem sumtum edere & bibere. Unde Paulus non tantùm panis distributioni subjicit hæc verba cum Luca, sed etiam calicis porrectioni, quia eadem est ratio.

4. Ex fine Sacramenti. Quia hæc mutilatio Sacramenti impugnat finem duplicem propter quem Sacramentum

tum est institutum. Tum ut sit commemoratio mortis Christi, quæ non potest fieri sub una specie, sed duas necessariò postulat, quarum una ab altera sejuncta sit, ad designandam separationem sanguinis à Corpore. Tum ut sit symbolum integræ & plenæ nutritionis nostræ per Christum, quæ non esu tantùm, sed & potu absolvitur.

5. Non denegandum est signum à Christo institutum iis qui capaces sunt rei significatæ. At fideles omnes sunt capaces sanguinis, qui est res significata poculi. E. ad eos etiam debet pertinere usus calicis.

6. Praxis Ecclesiæ antiquæ universalis in hoc articulo ita palàm est constans, ut Leo M. Papa *Manichæos* per communionem sub una specie scripserit dignosci, & *Gelasius* rem eandem ut *grande sacrilegium* damnaverit.

7. Hinc multæ Principum querelæ de ablato calice, & postulata de ejus restitutione. Quantopere in Synodo Tridentina Germani, Galli, Bohemi, in id incubuerint, ut restitueretur Ecclesiæ communio sub utraque specie, ex historia satis liquet, ut & ex Catharinæ Mediceæ ad Pontificem epistolâ ad ann. D. 1561. Extant etiam Caroli IX. Regis, Catharinæ filii, eodem anno datæ ad Insulanum suum apud Papam Oratorem literæ, quibus idem petit. Quot & quanti etiam fuerint Germanorum labores & conatus à principio synodi usque ad finem, & post ipsius etiam exitum, quæ officia Ferdinandi, & Maximiliani Imp. & Alberti Ducis Bavariæ, & aliorum, ut communionem sub utraque specie impetrarent, sed irrito conatu & inani labore, ex historiis patet.

OBJECTIONES.

Act. 2. 42. & 20. 7.

1. *S. Cœna vocatur fractio panis.* Act. 2. 42. & 20. 7. R. Synecdochica est locutio, ut jam antea dictum, familiaris Hebræis, quâ ex parte designatur totum, ut quum dicitur Gen. 31. 54. de Josepho, quòd *panem comederit cum fratribus suis*, i. e. convivium agitaverit. Unde perperam colligeretur cibos tantùm illis appositos fuisse, non etiam potum.

Concomitantiæ figmentum.

2. *Hìc locum habet* Concomitantia, *quâ totus Christus continetur sub unâ specie, & æque sub una ac utraque recipi potest.* R. Hoc non juvat causam Pontificiorum. Nam. 1. Nititur falsâ hypothesi transubstantiationis panis in Corpus Christi. 2. Confundit *concomitantiam signorum*

cum

cum *concomitantiâ rei signatæ*. Agnoscimus quidem concomitantiam corporis & sanguinis in ipsa re significata, quatenus & naturali & personali unione hæc sunt connexa. Sed negamus propterea illam locum habere in signis significantibus, quia cùm sint ex instituto, talis debet esse conjunctio, qualis est à Christo instituta: Christus verò voluit duo esse signa, & duas significandi rationes, ut cum pane sumeretur corpus, cum vino sanguis, non verò cum pane per concomitantiam utrumque. 3. Aliud est sumere Christum spiritualiter, aliud verò sacramentaliter; qui sumit Corpus Christi spiritualiter, sumit etiam sanguinem, concedo, sed non qui sumit sacramentaliter, de qua sumtione hîc agitur. 4. Aliud est repræsentare Corpus Christi vivum, aliud mortuum. Quoad prius, ubi vivum corpus Christi significatur, ibi debet esse sanguis; sed non quoad posterius: At in cœna Christus exhibetur non ut vivus, sed ut mortuus, & corpus ejus ut fractum, & sanguis ut fusus & separatus à corpore. Licèt ergò Christus in esse absoluto non possit esse divisus, in esse tamen respectivo & sacramentali potest nobis proponi ut divisus, & mortuus, ut caro à sanguine est separata. 5. Ratio æquè militat contra Clericos, quàm contra Laicos, Nam si panis per concomitantiam trahit sanguinem, ne Sacerdos quidem opus habebit calice. 6. Justæ forent prædicationes istæ: *Panis est Sanguis; vinum est Corpus*; quod tamen nemo dixerit.

3. *In Veteri Ecclesia dabatur communio Laicorum, distincta à communione clericorum.* R. Communio ista Laicorum non significabat communionem sub una specie, sed communicandi ordinem & gradum, quoad personam, ut qui ante fuerat clericus, sive in clericorum nomenclatura, tunc in ordine laicorum esset, & cum laicis communicâret, quod pœnæ cujusdam, vel saltem imminutæ dignitatis & ministerii rationem habebat, ut privatus ministerio consecrandi Eucharistiam, contentus esset solâ communione. Alii volunt dictam fuisse communionem laicam à loco, quia laici orabant & communicabant extra cancellos per ministerium Archidiaconi, h. e. extra chorum, ut hodie loquuntur.

4 *Absiemi sub una specie tantùm communicant.* R. Paucorum exceptio insuperabilis involuntaria & invincibilis

bilis non debet regulam generalem evertere. Hac ratione sequeretur, verbum Dei nemini esse prædicandum, quia sunt surdi, qui non audiunt.

CONTROVERSIA VII.

Verba cœnæ impropriè intelligenda.

An verba cœnæ propriè & literaliter τὸ ῥητὸν, an verò tropicè & sacramentaliter sint intelligenda? Prius Neg. Post. affirm. cont. Pontif & Luth.

Sensus Scripturæ est vel Proprius seu literalis, vel Tropicus seu figuratus. *Proprius* est, quem verba fundunt in propria & nativa significatione sumta, & quatenus naturaliter de se invicem prædicantur. *Tropicus* est, quum verba à nativa significatione mutantur in aliam, & per tropum aliquem juncta de se invicem prædicantur, qui sensus à nonnullis dicitur etiam literalis, non immediatè, sed mediatè, quatenus ad verba propria revocatur, & in ea resolvitur ex intentione dicentis, & pro subjecti ipsius natura. Prior usitatè τὸ ῥητὸν, posterior ἡ διάνοια appellatur. Alterutrum verbis promissionis in cœna convenire certum est, sed quis sit disceptatur. Pontificii & Lutherani sensum proprium & literalem strictè ita dictum retinendum esse contendunt. Orthodoxi τῷ διάνοιαν, seu sensum tropicum & figuratum sequendum esse affirmant.

ARGUMENTA.

1. Ex verbis ipsis promissionis, ubi occurit. 1. *Subjectum*, pronomine demonstrativo *Hoc* expressum, quod ad panem necessariò referendum, quia est pronomen demonstrativum, quod demonstrat rem præsentem; jam verò nihil adhuc erat præsens quam substantia panis, quam acceperat, fregerat, discipulis porrigebat, &c. 2. *Prædicatum* enunciationis est *Corpus* Christi, non vivum, sed mortuum, seu brevi moriturum, *datum*, i. e. morti expositum, vel certò brevi exponendum pro nobis; & sanguis, non qui sit adhuc in venis, sed ut effusus & sparsus extra Corpus 3. Copula *est*, quæ subjectum cum prædicato non potest conjungere propriè, quia disparatum de disparato non potest prædicari propriè. At constat panem, qui demonstratur per *Hoc*, & Corpus Christi esse disparata, cùm nec substantia panis sit dicive possit substantia Corporis Christi,

sti, nec substantia poculi substantia sanguinis Christi, sed inter se numero, definitione, essentiâ, & adjunctis verè differant. Quod etiam confirmatur ex eo, quod Corpus non hîc intelligitur vivum, sed mortuum & crucifixum. Jam impossibile & contradictorium est, ut panis, vel alia quævis substantia sit propriè & sine figura Corpus Christi mortuum, eo tempore, quo Christus non est mortuus. Ad hæc, si panis dicitur propriè Corpus Christi, sequeretur omnia Christi attributa pani propriè convenire, ut nasci, mori, resurgere, &c. & omnia attributa panis Corpori, ut seri, meti, triturari, coqui, &c. sequeretur etiam, Christum, cùm de mensa panem sumeret & frangeret, corpus suum sumsisse & fregisse, & sanguinem fudisse antequam crucifixus esset, & nos jam Corpus Christi frangere & sanguinem fundere hodie postquam Christus resurrexit, & est in statu gloriæ, ubi amplius mori non potest. Sequitur ergo, hanc propositionem: *Hoc est Corpus meum; hic est sanguis meus*, esse tropicam & figuratam, qui modus loquendi in omnibus linguis est usitatissimus, quo signatum prædicatur de signo, & nomen illius isti datur. e. g. *Septem vaccæ* dicuntur *septem anni*. Gen. 41. 26. *Ossa* dicuntur *domus Israël*. Ezech. 37. 11. *Quatuor animalia sunt quatuor Reges, & decem cornua sunt decem Reges*. Dan. 7. 17. 23. 24. & 8. 20. 21. Sic Matth. 13. 38. 39. *Ager est mundus, bonum semen sunt filii Regni, inimicus est Diabolus, messis est finis mundi, messores sunt Angeli*, &c. Et Apoc. 1. 20. *Septem stellæ sunt septem Angeli, septem candelabra sunt septem Ecclesiæ*. Et cap. 17. 9. *Septem capita sunt septem montes, decem cornua sunt decem Reges*. v. 12. *Mulier quam vidisti est magna civitas*. v. 18. &c.

2. Scopus Christi, status discipulorum, & circumstantiæ totius institutionis idem evincunt. *Scopus Christi* fuit Sacramentum N. T. instituere, & ritui veteri novum subrogare. E. verba quoque sacramentaliter & tropicè intelligenda: Et, si cœna subrogari debuit Paschati, eadem loquendi ratio tropica, quæ in eo locum habuit, debuit etiam hîc retineri. *Circumstantiæ* sunt vel antecedentes, ut, quòd Corpus Christi mensæ accubuit; E. non potuit porrigi discipulis: Separavit panem & vinum in cœna; sed corporis & sanguinis nulla tum separatio facta est: Panem accepit è mensa, benedixit, fregit, & dedit discipulis: Nihil

hil hujus fecit aut dixit circa Corpus suum: Christus ipse comedit de pane & bibit de poculo, quis verò dixerit, eum suum ipsius corpus & sanguinem edisse & bibisse? Consequentes Circumstantiæ eodem respiciunt. Cœna instituta est in Christi absentis memoriam. E. panis & vinum debent esse symbola & memorialia Corporis & Sanguinis ipsius, & sic non possunt nisi tropicè dici corpus & sanguis Christi. Christus vult ut per S. Cœnæ celebrationem annuncietur mors ejus usque dum veniat; at nec annunciari mors ejus in cœna potest, nisi symbolicè, nec ille qui venturus est tantùm ultimo die potest propriè dici adesse in Symbolis, sed tantùm sacramentaliter. Huc pertinet consideratio *Discipulorum*, quos Christus alloquebatur, qui videbant Corpus Christi accumbentis mensæ, & panem tanquam res à se invicem separatas. Sciverunt insuper morem Domini, qui sæpiùs figuratè cum illis loquebatur; Unde figuratè etiam intelligebant verba Christi, aliâs, quomodo non turbati fuissent re tam prodigiosâ?

3. A natura & analogia Sacramentorum omnium Ver. & Novi Test. Et ad Sacramenta quidem Vet. Test. sive ordinaria fuerint, sive extraordinaria, in omnibus tropica prædicatio deprehenditur. *Circumcisio* dicitur *fœdus Dei.* Gen. 17. 10. i. e. Signum fœderis, Deo ipso interprete. v. 11. & Paulo. Rom. 4. 11. *Agnus* Paschalis dicitur *transitus Jehovæ*, Exod. 12. 11. i. e memoriale transitûs, tum angeli, tum populi ex ipsius Dei declaratione cap. 13. 9. *Petra* deserti dicitur *Christus.* 1. Cor. 10. 4. quia Christum spiritualiter significabat. *Sacrificia* & *purificationes* legales dicuntur *ablutiones* & *expiationes* peccati. Levit. 4. 31. & 14. 7. 8. i. e. typi, umbræ, & signa veræ illius expiationis per Christum futuræ. *Sabbathum pactum Jehovæ* appellatur i. e. signum pacti, ut Deus ipse exponit. Exod. 31. 13. 17. *Baptismus* vocatur *lavacrum regenerationis.* Tit. 3. 5. & ablutio peccatorum, quia est antitypus horum beneficiorum Christi. 1. Pet. 3. 21. Ex quibus à pari colligimus, cùm non possit nec debeat esse dispar ratio prædicationis in altero Sacramento, dari etiam sensum tropicum, & non proprium.

Gen. 17. 10. 11.
Exod. 12. 11.
1. Cor. 10. 4

4. Ex analogia articulorum fidei. Quia sensus tropicus solus est fidei analogus, proprius verò cum variis fidei articulis pugnat. 1. Cum articulo de veritate humanæ naturæ Christi, quia corpus multiplex formatum ex pane,

vel

vel sub eo latens incircumscriptè & indivisibiliter, non potest esse corpus quod Christus assumsit ex B. Virgine per Spiritum S. 2. Pugnat cùm articulo de unica morte & crucifixione Christi, quia si panis fractus & vinum effusum est propriè & literaliter Corpus Christi fractum, & sanguis effusus pro nobis, Christum mori necesse est quoties Cœna celebratur. 3. Pugnat cum ascensione ejus, quia si reliquit Corpore suo terram, & in cœlum translatus est, ejus corpus non potest esse panis, vel esse sub pane aut sub speciebus panis. 4. Pugnat cum ejus reditu ad judicium: Nam si Christus est panis cœnæ, & sub ejus substantia ac speciebus latet, jam est in mundo, nec amplius expectari debet, cùm tamen usus cœnæ nobis imperetur usque dum Christus veniat. 5. Pugnat cum communione Sanctorum, quæ debet extendi ad fideles utriusque Test. quod fieri tamen nequit, si communio corporis Christi carnalis est & propria.

5. A Regulis sermonis, quæ non patiuntur in hoc argumento sensum proprium. Tales sunt: e. g. Quando proprietas literæ involvit aliquid absurdi & contradictorii, confugiendum est necessariò ad sensum figuratum: Item: quando verba flagitium vel crimen imperant; quando litera tribuit res Deo & Christo indignas, ad figuram recurrendum est, & similia.

6. Huc possent afferri varia testimonia ex antiquitate; quò pertinet exemplum *Bertrami*, Presbyteri & Monachi doctissimi, qui circa annum 880. floruit, qui consultus à Carolo Calvo Rege Galliæ super quæstione quæ tunc agebatur: An panis & vinum in Eucharistia sint substantialiter Corpus & Sanguis Christi; An verò figura Corporis & Sanguinis Christi? Et an corpus Christi ore fidelium sumatur, an in mysterio? Respondit in erudito scripto de Corpore & Sanguine Christi, planè ex mente nostra, & sæpius inculcat, verba ista figuratè & sacramentaliter esse intelligenda. Ejusmodi fuit *Berengarius*, Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, Platinâ teste, vir sanctitate & doctrinâ insignis, circa medium undecimi Seculi, qui post Brunonem Ecclesiæ Andegavensis Episcopum errorem Paschasii quà voce, quà scriptis solidè oppugnavit. Licèt verò metu tormentorum & mortis ad palinodiam coactus sit, subscribendo Formulæ fidei ab Humberto Cardinali

conscriptæ, agnoscit tamen ipse hoc illi per vim extortum esse, teste Lanfranco ipso, ejus adversario, & scripto publicè edito palinodiam suam revocavit, testificans per vim à se extortam esse, ideoque Rom. sedem non esse sanctam, sed Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis, &c.

OBJECTIONES.

1. *Signo non potest dari nomen rei significatæ, nisi postquam præparati sunt animi ad locutionem percipiendam.* R. Quis non videt Christum sufficienter præparâsse animos Discipulorum ad locutionem figuratam intelligendam; tum ex iis quæ fecerat & dixerat in celebratione Paschatis, in qua hæc ipsa figura non semel occurit; Tum in iis quæ fecit & dixit in institutione Cœnæ, quòd enim accepit panem, benedixit, fregit, & distribuit, dicendo hoc est corpus meum, satis innuebat non posse aliter intelligi quàm figuratè.

2. *A proprietate verborum non est recedendum.* R. Ubi materia subjecta, scopus loquentis, antecedentia & consequentia eam requirunt aut ferunt. Sed nullum horum eam patitur in verbis cœnæ, ut ostendimus.

3. *In articulis fidei necesse est ut retineatur proprietas verborum.* R. Neg. Sufficit ut verba sint clara & perspicua, propriane sint an figurata parum refert: Quod vel ex articulis descensûs ad inferos, & sessionis ipsius ad dextram Patris constat: Ita authoritas Ecclesiæ per claves Regni cœlorum designatur, & mysterium nostræ cum Christo unionis sermone figurato passim exhibetur.

4. *Christus in institutione Sacramenti perspicuè loqui debuit. At verba figurata sunt obscura.* R. Christus debuit loqui perspicuè, sed tamen non propriè; potuisset quidem propriè loqui, sed noluit, partim quòd de Sacramento sacramentaliter loqui solitum est in Ecclesia, partim quòd omnes circumstantiæ sensum tropicum satis superque declararent. 2. Tantum abest, ut figuræ & tropi obscuritatem sermoni inferant, ut potius ad eum illudstrandum adhibeantur, unde vocantur *Lumina orationis.*

5. *Verba Testamenti debent esse propria, non figurata.* R. 1. Neg. Imò contrà in omnibus penè Testamentis quæ in Scriptura recitantur, figuratæ occurunt locutiones. In Testamento Jacobi. Gen. 49. Mosis. Deut. 33. 17. 20. Davidis. 2. Sam. 23. & 1. Reg. 2. 6. &c. 2. Cœna propriè non

non est Testamentum, sed ejus sigillum, in ea non declarat Christus supremam voluntatem suam, sed antea declaratam in verbo signat & confirmat.

Tropus in verbis cœnæ ubi locum habeat?

LII. Licèt diversæ sint Theologorum nostrorum sententiæ circa sedem tropi, an sit in copula, seu verbo *Est*, an verò in prædicato, differentia non est in reipsa, sed tantùm in explicationis modo, & res eodem redit, sive ponatur in prædicato, ut sit sensus: *Hoc est signum Corporis mei*, sive in copula: *Hoc significat Corpus meum*; ita facilis est conciliatio, quia copula refertur ad prædicatum tanquam ejus pars, sub quo vel actu continetur, quando Enunciatio est binaria, & nomine ac verbo absolvitur, vel potentiâ, quum ad illud refertur ut syncategorema. Si copula sumitur propriè & ὑπαρκτικῶς, prædicatum sumetur figuratè, si prædicatum sumitur propriè, copula sumenda erit figuratè pro *significat*.

CONTROVERSIA. I.

De Transsubstantiatione.

An substantia panis & vini in Sacra Cœna verbis illis, Hoc est corpus meum, *transmutetur in Substantiam Corporis & Sanguinis Christi?* Neg. cont. Pontif.

Non quæritur: An ulla fiat mutatio in pane & vino per consecrationem? Fatemur enim dari mutationem memorabilem, sed *moralem* & quoad *usum*, seu significationem, quatenus symbola ista ab usu communi & ordinario elevantur ad usum sacrum & mysticum. Sed quæritur de *mutatione quoad substantiam*; an fiat realis conversio substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi? An verum corpus Christi, verusque sanguis, substantialiter sint præsentia sub speciebus, seu accidentibus panis & vini, per Transsubstantiationem, quæ fiat vi verborum sacramentalium, ita ut desinant esse panis & vinum, & sint reipsa corpus & sanguis Christi; quod volunt Pontificii, nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Post consecrationem symbola esse propriè panem & vinum, non corpus & Sanguinem, sensus testantur ἀμφιμαδὸν, dum veri panis substantiam ex colore, figura, quantitate, gustu, & aliis accidentibus colligunt; nec unus vel

alter sensus hoc testatur, sed quatuor, visus, tactus, gustus, & olfactus inter se conveniunt, non circa objectum commune, sed proprium, non præcipitanter, sed attentè agendo, non in uno homine, sed in omnibus, non ex aliquo accidente tantùm panis & vini, sed ex omnibus simul junctis non semel & ad momentum, sed perpetuò & semper. Dicere verò sensus judicium ferre non posse, est dicere, nihil certi dari posse in rerum natura, de quo egimus Loc I.

2. Doctrina Transsubstantiationis pugnat cum sana ratione, quæ docet: Corpus unicum unum etiam locum occupare, nec posse simul esse in pluribus locis: Esse de natura corporis, ut habeat partes extra partes, & corpus non posse dari, quod non sit quantum & extensum, accidentia non posse esse sine subjecto, &c. Exc. *Ea quæ afferuntur de essentia Corporis & ejus proprietatibus, vera sunt in ordine naturæ, sed hîc agitur de eo quod Deus agit per omnipotentiam supra ordinem naturæ.* R. 1. Hîc non agitur de eo quod Deus potest, sed de eo quod vult. Potentia Dei non est regula fidei nostræ, sed ejus voluntas. 2. Omnipotentia se extendit ad omnia possibilia, sed non ad ea quæ sunt impossibilia, qualia sunt quæ contradictionem implicant; quæ impossibilitas non tam se tenet à parte Dei, quam à parte rei, quæ non potest fieri. Imò cum potentia extendatur tantùm ad res quæ fieri possunt, & contradictorium ac impossibile non sit aliquid, sed merum nihil, non potest cadere sub Dei potentiam. Nam licèt fateamur Deum posse operari supra ordinem naturæ, negamus tamen omnipotentiam ejus extendi ad ea quæ sunt contra naturam, & ordinem in ea positum, quia non potest mutare naturam rerum, & ordinem à se positum evertere.

Exc.

3. Fidei Testimonio: Præsertim ex locis, ubi symbola Eucharistica idem nomen retinent post consecrationem, quod habeant antea, puta nomen panis & vini; quod non fieret, si vi verborum consecrationis desinerent esse panis & vinum, & mutarentur in Corpus & Sanguinem Christi. Quod probatur 1. Ex verbis Evangelistarum, qui expresse ferunt Christum id dedisse Apostolis post consecrationem, quod ante eam acceperat & fregerat: Nihil autem aliud acceperat & fregerat quàm panem. 2. Christus vinum quod dabat bibendum, vocat fructum vitis. Matth. 26. 19. Marc. 14. 25. Paulus 1. Cor. 11. 26. 27. Sæpius id quod

1. Cor. 11. 26. 27.

Chri-

Christus Discipulis dedit vocat panem. v. 23. 26. 27. 28. quoties manducaveritis τὸν ἄρτον τοῦτον, *hunc panem*, v. 27. quisquis ederit hunc panem. v. 28. probet quisque seipsum, & sic edat ex pane, &c. Ita cap. 10. 16. Panis quem frangimus, nonne est communio Corporis Christi? Quod de pane post consecrationem debet intelligi, quia post eam tantùm potest esse communio corporis Christi.

Exc. *Corpus Christi vocatur panis, quia antea fuit panis, qui in substantiam Corporis conversus est, ut Eva dicitur os de ossibus Adami. Gen. 2. Homo vocatur terra & cinis. Gen. 3. quia ex terra formatus est. Et Exod. 7. Serpens in quem conversa est virga Aaronis, dicitur virga, quamvis tum, cùm devoravit, non amplius esset virga, sed serpens. Et sic sæpe Scriptura mutato statu nomen retinet antiquum, ut cæci videre dicuntur, & sani ambulare, i.e. qui tales fuerunt.* R. 1. Panem non posse poni pro corpore Christi colligitur ex eo, quòd Paulus loquitur de pane qui frangitur, & qui sit communio corporis Christi. At nec Corpus Christi potest dici frangi, quia non est passibile, nec communio corporis sui. 2. Cùm mutato statu retinetur aliquando nomen antiquum, hoc fit tantùm, ubi res quæ mutatur, manet semper quoad materiam, nam eadem materia seu res quæ fuit os Adami, facta est Eva, eadem quæ prius erat virga facta est serpens, &c. Sed hîc panis absolutè interit & esse desinit. 3. Homo vocatur cinis & terra, quia de terra formatum est corpus ejus; Sed corpus Christi non est formatum de materia panis. 4. Virga Aaronis in serpentem conversa non dicitur virga tantùm, quia prius virga fuerat, sed etiam, quia statim in pristinam formam erat reditura, & quia cum Moses scribebat hanc historiam erat revera virga, & non amplius serpens. Deinde in illa conversione non statuuntur accidentia sine subjecto, nec latuit serpens sub accidentibus virgæ, sed visus est serpens, & affecti sunt oculi, donec in pristinam formam redirer. Denique corpus Christi nunquam fuit panis, ut serpens fuit virga; & serpens in quem virga conversa est non præexistebat: Hîc verò volunt panem converti in corpus jam præexistens. Exc

4. Ex verbis sacramentalibus. *Hoc est Corpus meum.* Nam. 1. Pronomen *Hoc* non aliud notare potest, quàm panem, ejusque substantiam. 2. Christus non dicit: Hoc fi-

eri corpus & sanguinem, quod dicendum fuit ad conversionem designandam, sed simpliciter enunciat, quod jam erat, & verba declarant quid sit panis, non in quid mutetur. Nec ullum exemplum dari potest in quo verbum *Est* importet aliquam operationem, ut deberet hîc fieri. Deinde quia dici præsupponit esse, proinde propositio illa vera esse non potuit, nisi corpus jam fuerit, priusquam corpus diceretur. 3. Panis Substantia nec conversa fuit in corpus integrum, nec in fractum: Non in integrum, quia tale non est pro nobis datum; non in fractum, quia cùm Christus verba ista pronunciavit, corpus non fractum, sed integrum adhuc erat.

Exc. Exc. *Distinguendum inter significationem transitoriam & permanentem: In principio quidem pronunciationis verborum* τὸ Hoc *denotat panem, quem dabat Discipulis, sed in fine prolationis mutatâ derepente significatione, non significat panem ut in initio, sed Corpus ipsum Christi. Sic Deus potuit dicere mutando uxorem Lothi in statuam salis; Hoc est sal; & quum Moses mutavit aquas in sanguinem; Hic est sanguis. Et quum Christus mutavit aquam in vinum, poterat de aqua conversa in vinum dicere; hoc est vinum.* R. 1. Hoc commentum vanum est: Nam qua ratione nobis unquam probabunt adversarii, eandem vocem in eodem sermone positam & prolatam sine ulla mutatione duplicem & longè diversissimam significationem obtinere, unam in principio, aliam in fine Enunciationis; cujus rei Exemplum nullum afferri potest. 2. Quæ afferuntur Exempla, sunt fictitia: Verba enim ista: Hoc est sal, hic est sanguis, sunt merè declarativa rei, quæ jam erat, non conversiva unius substantiæ in aliam.

5. Figmentum hoc destruit essentiam Sacramenti, quæ elementi externi præsentiam, non annihilationem postulat. At Transsubstantiatio destruit *Signum* ejus, dum panis & vini substantiam abolet, relictis speciebus, quæ absque proprio subjecto spectra potius sunt fallacia, quàm rerum divinarum infallibilia testimonia. Evertit *signatum*, corpus Christi spoliando suâ quantitate & dimensionibus, & pro uno multiplex inducit. Abolet *Analogiam* sacramentalem, quia relationis sacramentalis fundamentum tollit, nam ubi signum in rem signatam convertitur, omnis inter illa similitudo desinit.

6. Trans-

6. Transsubstantiatio destruit naturam veræ conversionis. Nam in omni conversione tria requiruntur. 1. Ut res in quam alia convertitur semper de novo producatur. 2. Ut res quæ mutatur destruatur, nec amplius ejus proprietates & effecta deprehendantur. 3. Ut sit subjectum quod transeat ab una substantia in aliam. Sed hæc tria in Transsubstantiatione desunt. Primò, corpus Christi in quod panis supponitur converti, non potest dici produci, quia jam præexistebat. Secundò, panis non potest dici destrui, quia proprietates & effecta ejus adhuc deprehenduntur, qualia erant ante consecrationem. Tertiò nullum subjectum in hac conversione manet, non panis substantia, quia supponitur destrui & aboleri: Non accidentia panis, quia illa sunt in subjecto; sed non ipsum subjectum. Non corpus Christi, quia ex eorum hypothesi est terminus ad quem subjectum transit, quodque ideò differre debet à subjecto.

7. In Baptismo aqua non transsubstantiatur in sanguinem Christi. Ergo nec in cœna panis in corpus Christi. Anteced. conceditur à Pontificiis. Consequens probatur ex similitudine quæ est inter cœnam & Baptismum. 1. Utrumque est Sacramentum N. T. 2. Utrobique nobis proponitur arctissima nostri cum Christo communio. 3. Utrobique exhibetur remissio peccatorum in sanguine Christi. 4. Utrobique phrasi sacramentali nomen rei tribuitur signo; nam ut panis dicitur corpus Christi; ita baptismus lavacrum regenerationis. 5. Non est aliquid majus aut mirabilius nutriri in vitam æternam, quàm in ea regenerari.

8. Ex Discordia Adversariorum, qui inter se nondum convenire potuerunt, quo modo panis fiat corpus Christi. Hinc acres contentiones visæ sunt in ipsa Synodo Trid. hac de re inter Dominicanos & Franciscanos, quorum illi volebant *mutationem* corporis *productivam*, isti verò, uti loquebantur, *adductivam*, sed in instanti, quâ corpus Christi per consecrationem è cœlo adducatur in terram; non motu successivo, ut unum locum deserat, & alium acquirat, sed in momento, ut posteriorem locum acquirat, etsi priorem non amiserit. Sed utrique absurditatibus inextricabilibus sese involvebant, ut ipsimet agnoscunt, dum alii in alios insurgunt.

9. Dogma Transsubstantiationis recens & novitium est, cujus ad octavum Seculum usque nullum apud Veteres occurrit vestigium. Exinde purior doctrina circa Eucharistiam obscurari cæpit, per Iconolatras inter Græcos, qui in Concilio Nicæno 2. ann. C. 787. contra Orthodoxos unicâ Christi imagine in Ecclesiâ contentos, sacris nimirum Corporis & Sanguinis Christi in cœnâ Symbolis, affirmare cœperunt, non signa aut imaginem Dominici corporis, sed ipsum Christi corpus, ipsumque ejus sanguinem esse. Quod factum inprimis à *Joh Damasceno*, magno imaginum patrono circa medium Seculi octavi; qui insano imaginum zelo abreptus negandum sibi censuit panem Eucharistiæ esse typum seu figuram corporis Christi, sed panis quidem substantiam remanere semper, & non converti in corpus Christi, quo modo alienus fuit à Transsubstantiatione; sed commento absurdo statuit panem à verbo assumi, & arctissimè unum corpus cum Christo constituere; & ita rectè dici ipsummet Domini corpus Divinitate affectum. Apud Latinos quoque circa eadem tempora antiqua fides laborare cœpit; & in eodem de imaginibus certamine primùm circa hoc dogma erratum, iis, qui sub Carolo M. se imaginibus opponebant, imprudenter mystica S. Cœnæ Symbola, non imaginem & picturas, sed ipsum ejus corpus & sanguinem appellantibus, qui tamen verbis potiùs quàm sensu peccabant. Sed initio 9. Seculi, anno sc. 818. error apertius sese prodidit per *Paschasium Ratbertum*, Abbatem Corbejensem, in tractatu, de *Corpore & Sanguine Christi*, qui in Cœna ipsam Christi carnem & sanguinem adesse scripsit; cui se inter alios præcipuè opposuit *Bertramus* seu *Ratramus*, Monachus Doctissimus in eodem Corbejensi Monasterio, cui præerat Paschasius, qui jussu Caroli Calvi Regis librum de Corpore & Sanguine Domini contra Paschasium scripsit, ubi fidem Orthodoxam tuetur. Seculo verò decimo, quod Baronius ad ann. 900. *sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, & mali exundantis deformitate plumbeum* vocat, non parum invaluit error. Sed nec dum etiam veritas suis defensoribus caruit; Inter quos eminet Seculo undecimo *Berengarius*, de quo supra, qui multos discipulos in Gallia & Italia reliquit, quos exceperunt tandum Waldenses & Albigenses, qui fidem istam incorruptam ad Reformatio-

mationis tempora produxêre. Primus vocem Transsubstantiationis usurpâsse legitur *Stephanus*, Episcopus Augustodunensis, circa ann. 1130. postea retenta fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. anno Christi 1215. quod Transsubstantiationem in Cœna fieri asserit, *ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro*, quòd tamen obscuriùs dictum, adeò non persuasit Viros doctos de conversione substantiali, ut non pauci ex ipsis, & inter eos *Gerson* Cancellarius Parisiensis, & *Petrus de Alliaco* Cardinalis Cameracensis, eam vel in dubium vocârint, vel apertè negârint. Imò nec Eugenius IV. in Concilio Florentino anno Christi 1439. ubi quæstio ista iterum agitata est, obtinere potuit, ut novitium dogma ibi definiretur. Unde non ante Tridentinam Synodum definitam esse constat.

OBJECTIONES.

1. *Verba cœnæ sunt verba practica.* R. Verba practica bifariam dicuntur, quia operantur, vel mutando ac convertendo, vel significando & obsignando. Christi verba sunt practica posteriori modo, quia verè significant & obsignant quod enunciant ac prædicant; non verò priore, quia panis Christi corpus dicitur *esse*, non *fieri*, nec ullum ibi imperium vel mandatum Christi continetur. Quòd si mutatio & effectio urgetur, non est *physica* & *realis* quoad naturam, sed *moralis* & *mystica* quoad usum, quæ ostendit, non quonam transeant elementa per substantiæ mutationem, sed cui usui inserviant per Christi institutionem & sanctionem.

2. *Si non alia intercedit mutatio in Eucharistia, quàm moralis & relativa; sequitur figuras inanes & vacua signa in ea Credentibus exhiberi.* R. Neg. seq. Quia Elementa per benedictionem sanctificata, non sunt signa vacua, & inanes figuræ, nudè depingentes & repræsentantes gratiam, sed etiam sigilla eandem obsignantia, & pro natura relatorum divinitùs institutorum in legitimo usu exhibentia. Ut Testamentum, diploma, gleba, mittit in possessionem hæreditatis, rei donatæ, & fundi.

CONTROVERSIA. II.

An Christus præsens sit corporaliter in Eucharistia? Neg. cont. Pontif. & Luther. Consubstantiatio.

Pontificiorum sententiam superiori Quæstione proposuimus.

ſuimus. Quia verò Pontificia Transſubſtantiatio nimis cruda eſt, Lutherus novum præſentiæ modum propoſuit, incluſionem nim. corporis Chriſti in pane, & ſanguinis in vino, & coexiſtentiam panis & corporis, vini & ſanguinis Chriſti, qui *conſubſtantiatio* ſeu συνουσία dictus eſt; Unde in Confeſſione Auguſtana, Cæſari primùm exhibita Auguſtæ, ſcriptum fuit: *Corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpecie panis & vini adeſſe in Cœna Domini*, quâ phraſi uſus videtur Melanchthon deditâ operâ ad minuendum offenſam Cæſaris & Pontificiorum, ut faciliùs obtinere poſſent tolerantiam quam petebant. Quia verò nimis ad Pontificiorum ſententiam videbatur accedere; hinc illis omiſſis, in Confeſſionis editione ſimpliciter poſitum eſt, *Corpus & ſanguinem Chriſti verè adeſſe, & diſtribui in cœna Domini.* Juxta quam non pauci ex Noſtris non detrectârunt ſubſcribere confeſſioni iſti, ſi modò orthodoxè intelligeretur, & ex ſenſu authoris, quatenus corpus & ſanguis Chriſti dicuntur verè adeſſe, nim. ſpiritualiter oblata verbo promiſſionis, & fide percepta: Exinde in alia Confeſſionis recognitione Articulus iſte his verbis exprimitur: *De cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur Corpus & Sanguis Chriſti veſcentibus in cœna Domini.* Quæ ſententia recepta eſt hodie inter Lutheranos.

Non autem quæritur. 1. De præſentia Chriſti in genere; An Chriſtus ſit præſens in Euchariſtia, quod utrinque aſſeritur. Sed de *modo iſtius præſentiæ*, an ſit corporeus, & per ἀνθρωπείαν, an verò ſpiritualis? Pontif. & Lutherani prius ſtatuunt, Nos poſterius. 2. Non quæritur; An corpus Chriſti ſit præſens animo fidelium in Euchariſtia, & non uniatur arctè cum ipſis? Sed an uniatur cum ſignis Sacramentalibus, & præſens ſit localiter cum ipſis, quod vellent, Nos negamus. 3. Non quæritur de præſentia reali & ſubſtantiali quoad efficaciam & virtutem; Sic enim non diffitemur corpus Chriſti præſens eſſe in Sacramento, quatenus in uſu legitimo vim ſuam exerit in communicantes ex ordine Dei. Sed quæritur ex ſenſu Adverſariorum de præſentia reali per indiſtantiam. 4. Non quæritur: An neceſſaria ſit noſtri cum Chriſto communio ad ſalutem, quod agnoſcimus; & urgemus; ſed de modo & vinculo, quo iſta unio fieri debet? An corpus Chriſti debeat ingredi corpora noſtra per localem conjunctionem,

quod

quod illi vellent? an verò sufficiat hoc Spiritu Christi & fide fieri? ut asserimus. 5. Non quæritur de præsentia Symbolica & Sacramentali corporis Christi in signis; nec de præsentia spirituali & mystica in corde, utramque enim agnoscimus & tuemur; sed de *præsentia locali & indistantiæ* in Eucharistia, vel sub speciebus panis, ut volunt Transsubstantiatores; vel sub ipso pane, ut Consubstantiatores asserunt; Nos verò negamus. Denique, non quæritur: An detur manducatio corporis Christi, quam utrobique agnoscimus; Sed, an detur manducatio ejus oralis? Ut quæstio redeat ad hos teminos: An corpus Christi sit ita præsens in Eucharistia, ut non tantùm symbolicè dicatur esse in signis, & verè ac realiter, sed spiritualiter, cordibus fidelium communicetur & uniatur, sed etiam corporaliter & indistanter adsit in Sacramento, ut ore corporis recipi & manducari possit ac debeat? Quod pertendunt; Nos negamus.

ARGUMENTA.

1. Ex verbis institutionis, quæ præsentiam istam corporalem admittere nequeunt; tum quia Christi corpus in cœna nobis proponitur, & per signa sacramentalia repræsentatur ut mortuum, & sanguis ejus ut effusus extra venas, quo modo impossibile est Christi corpus hodie nobis præsens sisti corporaliter & ἀλογότως, cùm mori amplius non possit. Tum, quia Christus jubet *hoc facere in sui memoriam.* Luc. 22. 19. at memoria est tantùm rerum absentium & præteritarum, non præsentium. Luc. 22. 19.

2. Ex locis, in quibus agitur de discessu Christi ex hoc mundo, de ejus ascensione, & de reditu è cœlo. Talia loca sunt. Matth. 26. 11. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Joh. 17. 18. *Prodii à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.* Et cap. 16. 7. *Expedit vobis ut ego abeam, nisi enim abiero, Consolator non veniet ad vos.* Hinc alibi vetat nos Pseudoprophetarum miraculis credere, qui Christum vel in eremo ostendunt, vel ταμείοις includunt, atque ijs mendaciis fidem Christianam pascunt. Matth. 24. 26. 27. Huc pertinet, quòd dicitur ex hoc mundo migrâsse, & in cœlum ascendisse. Luc. 24. 51. & Act. 1. Et Act. 3. 21. *Quem oportet cœlos capere usque ad tempora restitutionis omnium.* Matth. 24. 30. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus,* &c. 1. Thess. Matth. 26. 11. Joh. 17. 18. Joh. 16. 7. Matth. 24. 26. 27. Luc. 24. 51. Matth. 24. 30.

1 Theff. 4. 16. 1. Theff. 4. 16. *Dominus cum voce Archangeli descendet è cælo.*
Col. 3. 1. Col. 3. 1. *Quærite quæ sursum, ubi Christus est ad dextram Patris.*

3. Ex impossibilitate istius præsentiæ; Quia everteret naturam & proprietatem veri corporis; quod ut quantum & extensum debet esse visibile & palpabile, locatum, impenetrabile, & circumscriptum, quod ita sit in uno loco, ut non possit esse in alio; ita habeat partes extra partes, ut nec illud corpus penetrare queat, nec ab alio corpore penetrari. Quod fieret tamen in corpore Christi, si esset præsens in Eucharistia ex mente Adversariorum.

Exc. Exempla quæ in contrarium afferuntur, huc non faciunt.
Joh. 20. 19. Christus potuit ingredi ad Discipulos τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *januis clausis.* Joh. 10. 19. i. e. eo tempore, quo januas occlusas habebant propter metum Judæorum, sed non διὰ θυρῶν, *per januas clausas.* Quod ad saxum sepulchri, dicendum, potuisse creaturam cedere ultrò creatori citrà penetrationem dimensionum, licèt Angelus Domini non amovisset saxum, ut factum dicitur. Matth. 28. 3. Christus dicitur factus ἄφαντος ἀπ' αὐτῶν, sc. Discipulis Emaunticis. Luc. 24. 31. non evanescendo, sed vel oculos Apostolorum cohibendo, ne se abeuntem viderent; vel se celerrimè ipsis subducendo; Christus dicitur cœlos ingressus. Heb. 4. 14. non per penetrationem corporum cœlestium, sed per eorum transitum, cœlis apertis ad ejus adventum.

Luc. 24. 31.

Heb. 4. 14.

4. Ex ejus inutilitate. Quia oralis manducationis nullus est usus, sed tantùm spiritualis, tum, quia talis debet esse manducatio, qualis est cibus; at cibus non est corporeus, sed spiritualis, tum, quia iste cibus animi non corporis debet esse nutrimentum, tum quia vita quæ sustentanda est, non est animalis & terrena, sed spiritualis & cœlestis, tum quia instrumentum manducationis non est os corporis, sed os fidei, tum quia adjuncta & effecta sunt spiritualia, non corporalia, quæ omnia ex cap. 6 Johannis confirmantur; unde varia argumenta petuntur pro manducatione spirituali contra Oralem & Capernaïticam. Quia agitur de manducatione, quæ dat vitam æternam v. 50. quæ unionem reciprocam Christi nobiscum, & nostri cum Christo, & quidem constantem ac perpetuam post se trahit v. 56. quæ necessaria est absolutè ad habendum vitam

Joh 6.

v. 50.

55. 56. &c.

tam. v. 53. de ea quæ respondet fami & siti spirituali, & quæ per fidem fit. v. 35. tandem de manducatione, quæ per Spiritum fieri debuit, *quia caro non prodest quicquam, sed Spiritus est qui vivificat.*

5. Ab Exemplo fidelium V. T. Manducatio & communio eadem debet esse inter fideles V. & N. Test. quia communio Sanctorum una & eadem est. At nulla data fuit manducatio oralis sub V. T. Christo nondum manifestato.

6. Ab absurdis, quæ oralem manducationem sequuntur. 1. Quòd Christi corpus sanctissimum in stomachum & ventriculum demittatur, mille sordium & impuritatum receptaculum. 2. Non modò piorum, sed etiam impiorum sit pabulum. 3. Non modò ab hominibus possit comedi, sed etiam à muribus, canibus, & aliis brutis vorari. 4. Christianos manducare Deum quem adorant, &c.

OBJECTIONES.

1. *Agnus Paschalis, Manna, Panes propositionis & sim. quæ fuerunt figuræ nostrorum Sacramentorum oraliter comesi sunt.* R. Hæc omnia non possunt dici figuræ nostrorum Sacramentorum, sed tantùm figuræ similes & correspondentes nostris, quæ eundem Christum & ejus beneficia nobis repræsentabant.

2. *Qui indigne manducat & bibit Sacramentum, fit reus Corporis & Sanguinis Christi.* 1. Cor. 11. 29. R. Non ex reali & corporali ejus præsentia, sed ex Symboli Sacri profanatione; ut Imperatorum majestas lædebatur, quando illorum statuæ evertebantur, & Rex offenditur, quando imago ejus vel Diploma discerpitur. Sic *non discernere Corpus Christi*, non notat carnem Christi pani inclusam, non discernere à pane communi, sed Symbola Sacra, quæ suam excellentiam habent à re significatâ, non æstimare, nec alio modo tractare, quàm vulgares cibos. 1. Cor. 11. 29.

3. *Aliâs verbum, Edite, duas distinctas manducationes designaret.* R. Eadem vox propria quidem & figurata esse nequit respectu ejusdem subjecti; sed respectu diversorum nihil obstat: Nec insolens est in Scriptura, vocem unam in una propositione diverso accipi significatu. Ut Gen. 13. 15. *Semini tuo daturus sum totam hanc regionem*; ubi voce *Seminis* carnales & spirituales posteri Abrahæ, & voce *regionis* tam cœlestis quàm terrena Canaan intelligitur.

4. *Si sine fide cœna nobis est inutilis, sequitur Christi in cœna præsentiam vel absentiam pendere à fide vel infidelitate sumentis.* R. Neg. conseq. Nam non definit quidem esse cœna Domini, ex Christi instituto, modò rite ex ejus verbo celebretur, etsi impius & incredulus ad eam accedat. Sed huic, qui indignè accedit, non est cœna Domini, sed cœnæ Dominicæ profanatio. Ad substantiam quidem Sacramenti non pertinet fides, quia nec materia ejus est, nec forma, & integrum est Sacramentum quoties administratur ex ordine Dei, sive accipiatur à fideli, sive non. Sed ad Sacramenti participationem & usum summè necessaria est, utpote sine qua nec res signata percipi, nec Sacramenti finis obtineri potest. Ita Sacramentum respectu Dei etiam sine fide Sacramentum est; sed respectu nostri sine fide nudum est & signum.

5. *Corpus Christi nobis verè adest præsens.* R. Inde tamen non sequitur, corporaliter nobis adesse præsens in terris. Nec si verè à nobis accipitur, oportet ut oraliter & corporaliter à nobis accipiatur. Quia aliud est *præsentiæ veritas*, aliud *perceptionis modus*. In cœlo quidem est corporaliter respectu existentiæ ipsius corporis, sed nihilominus est præsens animis nostris per fidem præsentiâ spirituali. Verè ergo Corpus Christi in cœlo præsens est corporaliter, & verè spiritualiter præsens est animis nostris, sive fidei nostræ, quâ à nobis percipitur. Et malè colligitur; si spiritualiter. E. non verè, quia nihil tam verè fit, quàm id quod fit à Spiritu. Hinc patet falsò nobis exprobrari, quòd negemus præsentiam Corporis & Sanguinis Christi; quia malè proceditur à negatione unius speciei ad negationem generis, à negatione præsentiæ corporalis ad negationem cujusvis veræ præsentiæ. Licèt enim Christi Corpus non sit localiter præsens in cœna, non definit esse verè præsens animo, mediante fide, tam in Verbo, quàm in Sacramentis.

1. Cor. 10. 16. 6. *Panis & vinum sunt communio Corporis & Sanguinis Christi.* 1. Cor. 10. 16. R. Ista communio non notat corporalem communicationem & exhibitionem corporis; sed consortium & societatem: Ita panis est communio corporis Christi, nim. id per quod communio corporis Christi obtinetur, vel signum & sigillum corporis Christi, non verò ejus vehiculum & receptaculum. Hoc ipsâ Textûs

tûs series probat, ubi vox κοινωνίας sæpius repetita, non aliud quàm societatem & consortium notat. Sic Judæi, hostias edendo, communionem habebant cum altari. v. 18 Gentiles cum Diabolo; qui tamen neque altare neque Diabolum edebant.

CONTROVERSIA. III

Sacrificium Missæ oppugnatur.

An in Sacramento Cœnæ Sacerdos sub specie panis & vini Corpus & Sanguinem Christi quotidie offerat in remissionem peccatorum tam viventium quàm mortuorum, atque hoc sit Sacrificium Missæ?

Neg. cont. Pontif.

Non quæritur: An Eucharistia possit impropriè & symbolicè vocari *Sacrificium Eucharisticum & mysticum*, ratione commemorationis, gratiarum actionis, repræsentationis, & applicationis? Hoc enim non ægre largimur adversariis. Sed, an sit verum, reale, externum, & propriè dictum Sacrificium hylasticum? Non ergo Controversiæ status in eo versatur, ut subdolè more suo Bellarminus in eo illum ponit; An actio illa sacra, in qua conficitur Eucharistia, multis præcedentibus & sequentibus precibus, sit Sacrificium? Sed utrum in Eucharistia detur verum Sacrificium, non Eucharisticum, internum & spirituale, laudis, gratiarum actionis, commemorationis; sed externum, corporale, & propitiatorium, in quo sub specie panis & vini Christus quotidie offeratur à Sacerdote Deo Patri in victimam pro peccatis viventium & mortuorum? Affirmant adversarii: Nos negamus, & statuimus: Nullum in Ecclesia Christiana dari Sacrificium verum, reale, & propriè dictum hylasticum, præter Sacrificium Christi semel in cruce oblatum, quod iterari nec posse nec debere censemus. Adeoque Sacrificium Missaticum tanquam Scripturæ Sacræ, & fidei Christianæ ex diametro repugnans, & Christo summè injurium & contumeliosum rejicimus & detestamur.

ARGUMENTA.

1. Ex ipsa Eucharistiæ institutione, quæ ex diametro tali Sacrificio opponitur. Christus in cœna non adstat altari, ut seipsum sacrificet, sed accumbit mensæ, ut panem & vinum benedictione sua sanctificet, non ut Patri offerret, sed ut Discipulis distribueret, ut acciperent, ederent, & bibe-

biberent, non ut adorarent aut immolarent. Jubet Apostolos idem facere in sui memoriam, adeoque in repræsentationem, obsignationem & applicationem Corporis in cruce fracti, & Sanguinis fusi, non verò ad expiationem, propitiationem & satisfactionem pro peccatis. Apostoli non aliud tradiderunt quàm quod acceperunt à Christo, non utique Sacrificium, sed Sacramentum, non ad immolandum, sed ad commemorandum, & mortem Christi annunciandam, usque quò venerit.

Antithesis Cœnæ Domini, & Missæ.

2. Hoc ulterius confirmatur ex antithesi Cœnæ Domini, & Missæ Papalis. In cœna Deus dat, fideles accipiunt: In Missa Sacerdos dat, Deus accipit. 2. In cœna Christus oblationis & mortis suæ monumentum & memoriam instituit. In Missa Christum Deo offert Sacerdos, & quidem in victimam pro peccatis. 3. Christus in cœna panem porrexit Discipulis dicens, accipite, edite, Patri verò nihil obtulit, nec seipsum immolavit. In Missa volunt Christum se offerre Patri in Sacrificium. 4. Christus dixit, *hoc facite*, i. e. comedite & bibite. Sed Pontificii, *hoc facite*, volunt significare, *hoc sacrificate*. 5. Christus jussit Discipulos capere & edere panem, quem ipsis porrigebat. Sed Sacerdos in Missis solitariis nihil dat populo, cumque nemo adsit, dicit tamen, accipite. 6. Cœna Christi absentis, & in cœlo ad dextram Dei sedentis est commemoratio; Missa ejusdem sub speciebus panis & vini immolatio est. 7. Cœna in solius Christi memoriam, & pro iis instituta est, qui mortem ejus annunciare possunt. Missa in Sanctorum memoriam, & pro mortuis celebratur, qui facere nequeunt quod Christus requirit.

3. Ex natura Sacramenti. Cœna Domini est Sacramentum. At idem Sacramentum & Sacrificium esse repugnat. Sacramentum enim tanquam pignus & sigillum gratiæ datur à Deo, & à fidelibus accipitur. Sacrificium contrà à fidelibus offertur, & datur Deo, atque ab ipso paternè acceptatur. Terminus à quo in Sacramento est Deus, ad quem homo. In Sacrificio contrà res habet.

4. Ex unitate Sacrificii Christi. Illa passim prædicatur ab Apostolo. Heb. 7. 26. *Talis nos decebat Pontifex, qui non opus haberet, ut Pontifices primò pro peccatis suis offerre, deinde pro peccatis populi, id enim fecit semel, cùm seipsum obtulit.* Et cap. 9. 27. *Non ut sæpe offerat seipsum, sicut Pontifex*

Heb. 7. 26.

Cap. 9. 27.

tifex ingreditur in Sacrarium quotannis, alioqui oportuisset ipsum sæpius passum fuisse à condito mundo. Sed semel in consummatione Seculorum ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius patefactus est; & statim addit: *Ut statutum est omnibus semel mori, & postea judicium: Ita & Christus semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret.* Et. v. 11. *Christus per proprium sanguinem ingressus est semel in Sanctuarium, æternam redemtionem nactus.* Et cap. 10. v. 10. *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi semel factam.* Et v. 12. *Unicâ oblatione semel factâ consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Heb. 10. v. 10. 12.

Exc. 1. *Distinguendum inter Sacrificium redemtionis & satisfactionis, & Sacrificium applicationis & Religionis.* 2. *Inter Sacrificium cruentum & incruentum.* 3. *Inter oblationem primitivam & primariam, ac secundariam & dependentem.* 4. *Inter Sacrificium immolationis & repræsentationis ac commemorationis.* R. Hæ distinctiones omnes sunt inanes. *Prima* est *Sacrificii redemptionis & applicationis.* Quæ 1. Est ἀσύστατος, quia applicatio & oblatio differunt, oblatio fit Deo, applicatio nobis, oblatio rem facit, applicatio supponit factam. Dicere ergo *Sacrificium applicationis* est oppositum apposito statuere. 2. Applicatio Sacrificii non magis potest fieri per Sacrificium, quam solutio debet applicari debitori per aliam solutionem; sicque datur progressus in infinitum, & deberet dari novum Sacrificium ad applicationem præcedentis. 3. Medium applicationis non est Sacrificium, quod Deo offertur; Sed tum à parte Dei verbum cum Sacramentis externè, & internè Spiritus S. à parte hominis verò fides. 4. Fidelibus V. T. non minùs ac nobis debuit applicari Sacrificium Christi ad salutem: Sed non potuit applicari per Sacrificium Missaticum. Cur ergo requiritur ut hodie millies offeratur quotidie ad istam applicationem? *Secunda* distinctio est *Sacrificii cruenti & incruenti*; Quæ est ἄγραφος & ἀντίγραφος, cùm Apostolus expressè testetur non posse dari remissionem peccati, atque adeò nec Sacrificium hylasticum, quô ea obtinetur χωρὶς αἱματεκχυσίας, *sine sanguinis fusione.* Heb. 7. 22. *Tertia* Distinctio est *oblationis primariæ & secundariæ, primitivæ & dependentis*: Sed etiam hæc nulla est. Nam ubi primaria oblatio sufficit ex ordine Dei, secundaria non requiritur. At Exc. 1.

unicâ oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur. Heb. 10. 14. Si perfectè consummavit fideles, & obtinuit quicquid obtineri potuit ad salutem, quid opus est aliâ oblatione ad eorum consummationem? 2. *Ubi est peccatorum remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato,* ex Paulo. Heb. 10. 18. At post oblationem primariam Christi datur remissio peccatorum. E. non potest nec debet dari locus oblationi secundariæ. Nam si locus illi dandus esset, fieret ad remissionem obtinendam, & propitiationem peccati faciendam. At hoc jam supponitur factum. *Quarta* Distinctio est *Sacrificii immolationis* in cruce, & *Repræsentationis ac commemorationis* in Missa. Sed 1. Repræsentatio rei non est res ipsa, differunt ut adjunctum & subjectum, illa præsens est, hæc præterita; illa rem factam supponit, hæc rem ipsam facit, ut imago rei differt à re ipsa. 2. Aliud est *commemoratio Sacrificii*, aliud *Sacrificium commemorationis.* Eucharistiæ prior appellatio competit, ut quæ instituta est ad commemorationem Christi, & annunciationem mortis ejus; Sed non ideo Sacrificium commemorationis potest dici, nisi impropriè & symbolicè, quia Sacrificium propriè dictum hylasticum non fit ad commemorationem expiationis acquisitæ, sed ad ejus acquisitionem. Ista ergo commemoratio fieri debet partim in meditatione verbi, in quo Christus exhibetur nobis ut crucifixus. Gal. 3. 1. partim in participatione Sacramenti, in quo recolimus memoriam mortis cruentæ Christi & Sacrificii in cruce oblati, quod in signis sacris nobis efficaciter repræsentatur.

Exc 2. Exc. 2. *Sacrificium Missæ substantiâ idem est cum Sacrificio crucis, ratione Sacerdotis offerentis, nim. Christi, & victimæ oblatæ, nim. Corporis ejus, sed modus tantùm est diversus, in cruce modus oblationis est cruentus, in Missa incruentus, sed qui repræsentat modum cruentum crucis.* R. 1. Si Missa idem est cum Sacrificio Christi, eundem Sacerdotem, eandem victimam, easdem illius actiones & passiones esse oportet: At hic contraria omnia. 2. Si idem est, aut hoc est continuatione Sacrificii in cruce cœpti, aut iteratione. Sed utroque modo imperfectionis insimulatur. Heb 7. 26. 27. & 9. 26. 3. Diversitas Sacrificii Crucis & Sacrificii Missatici multiplex est. 1. *Respectu Temporis,* Sacrificium crucis ante sexdecim Secula & amplius est oblatum

latum, sed Missaticum quotidie offertur; illud semel factum non potest iterari, hoc millies quotidie celebratur. 2. *Loci*, illud in Golgotha, hoc ubique, illud in cruce, hoc super altare. 3. *Valoris*, illud valoris & pretii infiniti, hoc verò finiti. 4. *Finis*, illud ad solvendum pretium redemtionis, hoc ad illud applicandum & repræsentandum. 5. *Essentiæ*, illud propriè consistit in morte & passione Christi, hoc verò in ejus commemoratione, quia Christus non moritur amplius. 6. *Hominum pro quibus offeruntur*, illud pro omnibus electis tam Veteris quàm Novi Test. hoc verò dicitur tantùm offerri pro fidelibus Novi. 7. *Sacerdotum offerentium*, in illo solus Christus, in isto Christo adduntur Sacerdotes vicarii. Illud Christus obtulit in terris in statu infirmitatis, hoc verò in cœlis quà gloriosus. 8. *Victimæ oblatæ*, in illo Christus oblatus sub propria specie, sed in isto sub specie aliena panis & vini; ibi oblatus est in esse suo naturali, hîc in esse sacramentali; illic passibilis fuit & mortalis, hîc dicitur immortalis & impassibilis, illic visibilis, hîc invisibilis, ibi occupabat spatium magnitudini corporis commensuratum, hîc dicitur esse in puncto indivisibiliter, ad modum spirituum; ut alia taceam.

5. Ex natura Sacrificii propitiatorii, quod requirit necessariò sanguinis fusionem, sine qua non datur remissio. Heb. 9. 22. Heb 9. 22.

6. Ex perfectione Sacrificii crucis. Quod perfectum est omnibus numeris & consummatum, non potest nec debet iterari, quia iteratio imperfectionis est argumentum, ut Apostolus probat ex Sacrificiis Leviticis. Heb. 10. 4. 5. quæ ideo iteranda erant, quia non poterant accedentes consummare, nec peccata omninò auferre. At Christus *unicâ oblatione in perpetuum consummavit sanctificatos*. Heb. 10. 14. Unde oblatione defunctus non mansit in terra, ut Sacerdotes Levitici, sed consedit ad dextram Patris in perpetuum, v. 11. 12. & nihil aliud expectat, quàm ut ponantur hostes sui scabellum pedum ejus. v. 13. 14. Hinc in cruce Christus clamat τετέλεσται. Joh. 19. ut innuat jamjam consummatum esse opus redemtionis, quod peragere debuit oblatione sui ipsius. Positâ verò istius Sacrificii perfectione tollitur Sacrificii Missatici necessitas. Heb. 10. 4. 5.

7. Ex natura veri Sacrificii externi & realis, quod de-

ſtructionem rei immolatæ poſtulat, ut ipſe Bellarm. agnoſcit. Sed in Sacrificio rei animatæ, non alia poteſt dari deſtructio præter mortem. Chriſtus verò in Sacramento nobis exhibetur non ad deſtructionem, ſed ad vivificationem, ut cibus cœleſtis, qui non perit, ſed manet in vitam æternam.

8. Innumeræ abſurditates & contradictionis hîc emergunt. 1. Sacrificium externum & viſibile, & tamen hoſtia ipſa non videtur. 2. Sanguis funditur, ut in omni Sacrificio requiritur, & Sanguis non funditur, quia incruentum eſſe docetur. 3. Corpus verum offerri dicitur Patri, & corpus non verum, inviſibile quippe, impalpabile, circumſcriptum & incxtenſum. 4. Idem ſtatuitur cum crucis Sacrificio, nec tamen eadem hoſtia, actio aut paſſio ibidem conſpicitur. 5. Deſtruitur res oblata, & non deſtruitur, quippe quæ non deſinit eſſe ſimpliciter, ſed tantùm ſub ſpeciebus. 6. Chriſtus ſemel oblatus, qui tamen identidem offertur, nec deſinit ante finem Seculi offerri. 7. Sacrificium infiniti valoris, quod tamen valorem nullum, niſi millies milliesque repetitum habet. 8. Chriſtus pro aliis ad auferenda eorum peccata ſe offerens, & tamen oblatus ab alio ad auferenda peccata jam ablata & remiſſa. 9. Chriſtus clamans in cruce conſummatum eſt, & tamen non conſummatum ante finem Seculi. Chriſtus Creator omnium, qui à ceatura ſua creatur. 10 Nec omitti debet res omnium maximè abſurda, quòd Sacrificium iſtud, licèt non offeratur Sanctis, offeratur tamen ſæpe in honorem Sanctorum Deo, ut expreſsè docet Synodus Trid. cap. 5. Cùm in verò cultu tria iſta ſemper conſiderentur, miniſter ſacrificii, victima oblata, & ille in cujus honorem offertur, ex omnium conſenſu victima ſemper habita fuit in gradu inferiori tanquam minùs præſtans, Miniſter ut præſtantior, ſed ille in cujus honorum Sacrificium offertur longè ſupra Sacrificium & Sacerdotem poſitus. Unde ſequitur Chriſtum, qui hic conſideratur tanquam victima, longè inferiorem eſſe Sanctis, in quorum honorem talis victima offertur. Rurſus cùm in omni Sacrificio Sacerdos fungatur officio ſupplicis, qui gratiam aliquam petit, & ille in cujus honorem fit oblatio, ut perſona, à qua petitur talis gratia, & victima medium, quo Sacerdos ſupplex gratiam impetrat ab eo, in cujus honorem oblatio fit; ſequitur Chriſtum Filium Dei Deumque benedi-

nedictum in æternum, ſupplicis officio fungi apud Sanctos, & offerre Deo corpus ſuum in honorem Sancti, ad obtinendam protectionem & interceſſionem ejus pro fidelibus, qui ſunt in terris.

OBJECTIONES.

1. *Melchiſedek obtulit panem & vinum.* R. Abrahamo in convivium, non Deo Sacrificium, de quo egimus ſupra, de Sacerdotio Chriſti.

2. *Agnus paſchalis typus erat cœnæ, & in eo erat Sacrificium.* R. Agnus Paſchalis non fuit figura Euchariſtiæ, ſed Chriſti, veri Agni Dei, qui tollit peccatum mundi. Joh. 1. 29. & qui eſt Paſcha noſtrum pro nobis immolatum. 1. Cor. 5. 7. cui os nullum fractum fuit. Joh. 19. 36. Et ſucceſſit Euchariſtia in locum agni Paſchalis non ut figuratum figuræ, aut Sacrificium Sacrificio, ſed ut figura alteri figuræ correſpondens, ut Sacramentum Sacramento, ut ritus novus veteri, prout multiplex occurrere poteſt inter utrumque analogia; non jam in ratione ſacrificali, & reſpectu immolationis, quæ locum hîc nullum amplius habere poteſt; ſed in κέσει Sacramentali, & reſpectu manducationis. Aliàs argumentum Adverſariorum poteſt in ipſos retorqueri, nam ſi figuratum figuræ debet reſpondere, ut agnus Paſchalis fuit Sacrificium cruentum, Euchariſtia talis eſſe debet; ut nihil de eo in craſtinum aſſervari debuit, ita nec de iſta.

3. *Malach.* 1. 11. *Propheta dicit; Ab ortu Solis ad occaſum uſque magnum fore Nomen Dei in Gentibus, & in omni loco oblationem mundam Nomini ejus offerendam eſſe.* R. Locus iſte de ſpirituali cultu Dei inter Gentes præconio Evangelii conſtituendo vaticinatur, ſermone cultui Legali accommodato, ut ſolenne eſt Prophetis & Apoſtolis. Hunc eſſe ſenſum Prophetæ multa evincunt. 1. Quia cultus N. T. oppoſitè ad Legalem nulla alia habet Sacrificia quàm Spiritualia, ad noſtram λογικὴν λατρείαν ſpectantia, in quibus offerendis pii omnes & fideles Sacerdotio funguntur. 1. Pet. 2. 5. 2. Eodem ſenſu debet ſumi hîc מנחה quod munus vel oblationem ſignificat, ac מקטר quod habetur in prima parte verſûs, quod *incenſum & ſuffimentum* ſignificat, quod allegoricè & myſticè intelligi de ſuffitu precum non diffitetur Cornelius à Lapide ex Pſalm. 141. 2. & Apoc. 5. 8. 3. Paulus diſertè ad hoc vaticinium Mal. 1. v. 11.

respicit, & ejus verba retinet. 1. Tim. 2. 8. ubi vult homines *orare in omni loco*, quod dixerat Malach. in omni loco suffimentum oblatum iri Domino, *& puras manus attollere ad Deum*, quod est revera *munus purum Deo offerre*. 4. Missa non potest dici *minha*, sive vox ista generaliter sumatur pro quolibet sacrificio etiam cruento, quod & mane & vesperi offerebatur, sive specificè pro oblatione ex simila, oleo & thure, quia nec Missa offertur vesperi, nec ex simila & oleo conficitur. 5. Quæ tria dicuntur de ista oblatione, nim. *novitas*, *mundities*, & *universalitas*, quæ non possunt competere Missæ. Non *Novitas*, quia juxta Adversarios tempore Melchisedeci jam obtinebat, & cultus Leviticus suas quoque oblationes panum, & libamina vini habuit. Non *Mundities*, tum quia species panis & vini munditiei moralis non sunt capaces, tum quia imaginarium hoc sacrificium quotidie offertur ab hominibus impurissimis. Non *Amplitudo*, quia Missa nec ubivis, nec quolibet tempore, nec à quibusvis offerri potest. Sed optimè conveniunt Sacrificiis Spiritualibus & mysticis, de quibus potest dici. 1. quòd sint *oblatio nova*, tum respectu Gentilium, tum, quia cultus Evangelicus majori cum claritate & efficacia institui debuit. 2. Quòd sint oblatio *munda*, si non absolutè & in se secundùm ἀκριβοδίκαιον Legis, tamen secundùm quid apud Deum in Christo, & secundùm ἐπιείκειαν Evangelicam. 3. Quod oblatio debeat fieri *ubique*, quia ubique Deus est colendus in Spiritu & veritate. Joh. 4. 23. oppositè ad cultum Legalem, qui Templo alligabatur.

4. *Patres sæpe utuntur vocabulis oblationis*, *victimæ*, *immolationis*, *Missæ*, *altaris*, *Sacrificii*, *Sacerdotum*. R. Non ad docendam Missam Pontificiam, sed 1. ut Christianæ Religionis decus & sacræ cœnæ mysterium extollerent, Judæis & Ethnicis, qui Christianis, quasi omni Sacrificio destitutis atheismum impingebant, unicum Christi Sacrificium, cujus memoria in Eucharistia celebratur, ostendentes. 2. Ratione precum, hymnorum, & aliorum pietatis exercitiorum, quæ Sacrificia sunt spiritualia. 3. Accedebant ad spiritualia illa Sacrificia post secundum à Christo Seculum dona & oblationes externæ panis & vini, & aliarum rerum, tum in Sacri epuli usum, tum in pauperum alimoniam. Postea paulatim obsolescente Veritatis do-

doctrina, & auctis superstitionis & ignorantiæ tenebris, locutiones figuratæ transiverunt in proprias, cœna in Sacrificium, Sacrificium spirituale in crassum & incruentum, Eucharisticum in hylasticum, Pastores in Sacerdotes, Mensæ in altaria, & Corporis Christi signa portentosâ μεταμορφώσει in ipsum Corpus Christi.

5. *Antichristus dicitur destructurus Sacrificium perpetuum.* Dan. 8. 11. R. Judæorum, ut explicatur Matth. 24. 15. adeoque non de Antichristo N. T. sed de hostibus Judæorum hoc dicitur. Dan. 8. v. 11.

CONTROVERSIA IV.

An Sacramentum cœnæ adorari debeat? Neg. cont. Pontif. De adoratione Eucharistiæ.

Pontificii subinde scribunt: Christum esse adorandum in Eucharistia, intelligunt verò ipsam Eucharistiam sive Sacramentum esse adorationis objectum, quomodo dicunt se adorare Deum in imaginibus, quatenus primò eas, deinde Deum per relationem in ipsis adorant, quod patet tum ex eorum praxi quotidiana, tum ex phrasibus, quibus utuntur, cùm dicunt passim adorare Sacramentum aut Eucharistiam. Nos verò, licèt suam reverentiam symbolis sacris deberi non diffiteamur, negamus adorationem, quæ summo Deo debetur, quæ à Pontificiis cultu latriæ solat designari, ipsis exhibendum esse: Et quamvis in una eademque Sacramenti celebratione simul semelque fiant, distincta tamen altera ab alteris, & inconfusa esse debere censemus, ne signa pro rebus ipsis accipiamus, sed signis quidem reverentiam, Christo verò soli adorationem tribuamus; ut in baptismo adultorum adoratio Christi cui initiantur, & reverentia erga aquam sacrum mysterii symbolum toto cœlo distincta manent; ita fatemur Christum ut Deum in secula benedictum, semper & ubique adorandum esse, adeoque in ipsa etiam Eucharistiæ celebratione, in qua anima fidelis debet in Christum tanquam unicum salutis & vitæ Principem pio & prono affectu ferri. Sed negamus propterea ipsum Sacramentum esse adorandum, imò cultum hunc tanquam detestandam idololatriam rejicimus.

ARGUMENTA.

1. Ex silentio Scripturæ, quia adoratio est actus fidei. Fides enim nititur mandato & promissione Dei: At

adoratio Eucharistiæ nec ullo mandato, nec ulla promissione nititur.

2. Ab Exemplo Apostolorum; quia nuspiam legimus Apostolos adorâsse Eucharistiam, quod non erant prætermissuri, si ea Christiani officii pars aliqua esset. Exc. *Apostoli mente semper & corde adorârunt Christum, licet non externo Corporis motu.* R. Quæstio nostra non est de adoratione interna Christi, cujus necessitatem omnes agnoscimus, sed de adoratione externa Sacramenti, quod nec tum nec unquam leguntur adorâsse Apostoli. Cultum enim latriæ externum Sacramento Tridentini decernunt, & in praxi religiosè observant, dum in terram proni, vel in genua procumbentes adorant. Exc.

3. Ex Pauli testimonio. Nam quî fit, quòd repetens totam Christi institutionem. 1. Cor. 11. nullam illius mentionem facit, & rem omnium maximè momentosam omittit, qui tamen profiretur se tradidisse ipsis, quod à Domino acceperat circa hoc mysterium.

4. Deus solus est adorandus. Deut. 6. 13. & Matth. 4. 10. E. non Eucharistia, quæ creatura est.

5. Pontificii certi esse non possunt Christum esse quem adorant; quia gravissimæ sunt rationes dubitandi juxta ipsorum placita, propter innumeros defectus qui hîc occurrere possunt: Nam ex illorum principiis ut Transsubstantiatio fiat, panis debet esse triticeus, non corruptus, vinum de uvis maturis, & non putridum, & factum penitus acetum; pronunciatio consecrativa fieri debet nec addendo nec detrahendo, nec mutando, nec transponendo; Sacerdotem consecrantem oportet esse ritè ordinatum & baptizatum; debet adesse intentio faciendi id quod Ecclesia facit. At de conditionibus illis quotusquisque certus esse potest?

6. Nihil est absurdius, quod à communi mortalium sensu & ratione magis abhorreat; quàm adorare id, quod manducatur, & in stomachum demittitur.

7. Ex Antiquitate. Nam de tali adoratione nihil apud priscos Doctores habetur, nec ullum ejus vestigium occurrit in tribus primis Seculis Christianismi, siquidem Eucharistia à veteribus Christianis elevata non fit, & Seculo demùm sexto elevari cœperit, non ut adoraretur à plebe, sed ut Christi in cruce elevationem adumbraret; Eucharistia

tum

tum temporis ad absentes deportari consuevit absque ullâ pompâ & cultûs insignibus; Festum ei nullum consecratum; preces vel adorationes illi non factæ; imò quibuslibet communicantibus olim integrum fuit particulas Eucharistiæ domum auferre & recondere. Hinc Gentiles Christianis nunquam θεοφαγίαν objecerunt, prout hodie Romanis objiciunt Turcæ, &c sim.

OBJECTIO.

Christus in cœna præsens est verus Deus. E. adorandus. R. Aliud est Christum esse adorandum in Eucharistiæ celebratione, aliud Eucharistiam ipsam esse adorandam. Prius dicimus, non posterius. Ut Christus in baptismo præsens est, ut Deus erat præsens ad arcâm fœderis, ibique adorari potuit; nec tamen vel baptismum, vel arcam fœderis adorandam fuisse quis dixerit. Non statim adoranda sunt omnia in quibus Deus adest, aliâs adorandæ essent omnes Craturæ, in quibus est præsens Deus.

CONTROVERSIA V.

De circumgestatione hostiæ.

An reliquiæ panis & vini in S. Cœna in vasibus aut ciboriis servari debeant, solenniter ad ægros aliosque usus circumferri? Neg. con. Pontif.

Adorationem Eucharistiæ Pontificii diversimodè exhibent, tum solenniter Eucharistiam circumgestando, ad infirmos edito campanulæ sono, plebe ad illam se reverenter inclinante, tum in festo anniversario Corporis Christi pomposè ac theatricè circumferendo. Quod Urbanus IV. Pontifex Rom. anno 1264. instituit, incidens in feriam quintam proximam post octavam Pentecostes. Hoc verò licèt à variis Pontificiis improbetur, & ab ipso Henrico III. Galliarum Rege tanquam histrionia, quâ nihil ineptius & insulsius dici possit, habitum sit; non tamen desinit magna cum pompa & veneratione celebrari. Contra valent sequentia

ARGUMENTA.

1. Hæc circumgestatio repugnat institutioni Christi, in qua nos facere jussit quod ipse fecit. At ipse non circumgestandum, sed manducandum panem præbuit.

2. Apostoli nuspiam vel circumgestâsse, vel ostentâsse panem Eucharisticum leguntur.

3. Supponit figmentum Transsubstantiationis & præsentiæ corporalis, quod antea refutatum est.

4. Repugnat mos ille Ecclesiæ Apostolicæ & primitivæ, apud quam nullum ejus occurit vestigium.

5. Cassander Consulta. art. 22. fatetur circumgestationem illam præter veterum morem haud ita longo tempore receptum esse, idque ex eo probat, quòd Veteres hoc mysterium tanta in Religione & veneratione habuerint, ut non modò ad ejus receptionem, sed ne ad inspectionem quidem admitterent nisi fideles, quos Christi membra, & tanti mysterii participatione dignos existimarent, & subjicit, hunc circumgestationis usum citra grave Ecclesiæ damnum, imò cum ipsius lucro omitti posse, cùm & recens sit, & diu sine ea circumgestatione Sacramento suus honor constiterit, & hodie constare possit. Eo pertinet Epistola Reginæ matris ad Sixtum V. relata à Thuano lib. 28. ubi petit à Pontifice inter alia; ut recens & nuper inventum Corporis Dominici festum aboleatur, quod multarum offensionum causam præbeat, & minime sit necessarium. Huc pertinet quòd Theodoricus à Niem, qui plurimis Pontificibus à Secretis fuit, refert, Benedictum XIII. anno 1408. cùm multorum Principum odium in se concitâsset, ut vitæ suæ incolumitati prospiceret, hostiam primùm ante se gestare jussisse, quæ ei Satellitii loco esset.

OBJECTIO.

Arca circumgestata fuit. E. etiam Eucharistia. R. Dispar est ratio; arcæ enim usus licitus, & circumgestatio expresso Dei mandato nititur. Joh. 6. 4. 1. Paral. 13. 1. At de Eucharistiæ circumgestatione nullum verbum occurrit.

Sententia Lutheranorum & Pontificiorum de S. Cœna differunt.

LIII. Quamvis Lutherani præsentiam Christi in Eucharistia asserant, longè differt eorum sententia à sententia Pontificiorum, nec ullius idololatriæ rei possunt dici; ut ex tolerantiâ illis oblatâ perperam argumentum ducatur ad Syncretismi possibilitatem cum Pontificiis. 1. Quia licèt præsentiam aliquam in Cœna agnoscant, nullam tamen admittunt Transsubstantiationem, nullum Sacrificium Missaticum, nullum communionis sub una specie mutilationem, & errores alios quos hîc errant Pontificii. 2. Nullam habent Sacramenti adorationem, adeoque error eorum est merè theoreticus, non practicus. Nec potest dici talem cultum ex eorum doctrina sequi, quia ex Christi præ-

sentia

sentia non potest concludi necessitas Sacramenti adorationis

LIV. Quia ante Eucharistiam confessiones audire solent Sacerdotes, addimus hîc, admittere nos confessionem peccatorum *publicam*. 1. Totius Ecclesiæ Deo factam. 2. Particularium toti Ecclesiæ factam. Et *privatam* 1. Deo factam. 2. Illi cui injuriam fecimus. 3. Conscientiâ turbatâ & dubitante cuivis fideli, qui consolari nos potest. Confessio auricularis.

LV. Sed improbamus. 1. Homines cogi ad confessionem. 2. Omnium peccatorum. 3. Etiam secretorum. 4. Soli Sacerdoti in aurem dandam. 5. Ad obtinendam ab eo remissionem peccatorum.

CONTROVERSIA.

An ad consequendam remissionem peccatorum necesse sit secreta sua peccata Sacerdoti exponere?

Neg. cont. Pontif.

Quinam in hac quæstione sit status controversiæ, ex duabus præcedentibus thesibus liquet, igitur pro stabilienda sententia orthodoxa apponimus sequentia

ARGUMENTA.

1. Multis peccata remissa leguntur sine tali confessione, ut mulieri peccatrici. Luc. 7. 48. Paralytico. Matth. 9. 2. Zachæo. Luc. 19. 8. 9. Publicano. Luc. 18. 13. Petro. Matth. 26. 75.

2. Talis confessio est impossibilis, propter ignorantiam peccatorum; *delicta sua quis intelligit*? Psalm. 19. 13. Ps. 19. 13.

3. Quia est conscientiarum carnificina, & desperationis laqueus, qui hominem in difficultates inexplicabiles inducit, quia vel distinguere nescit inter peccata mortalia & venialia, vel nunquam certus esse potest de justo & sufficienti conscientiæ scrutinio, vel de impetratâ remissione, quæ ab intentione Sacerdotis, quæ illi ignota est, pendet.

4. Est tyrannidis Papalis primarium fulcrum, quo non modò Clerus authoritatem & potentiam formidabilem sibi conciliat, opes in immensum corradit, sed in arcana Familiarum & Regnorum penetrat, &c.

5. Est omnis impuritatis Schola; quò pertinent scandalosæ quæstiones, quas Casuistæ confessoribus injungunt, &c.

OB-

OBJECTIONES.

Act. 19. 18. 1. *Act.* 19. 18. *Multi fatebantur peccata.* R. Multi quidem Credentium dicuntur veniſſe confitentes & annunciantes actus ſuos, ſed nihil dicitur de confeſſione ſecretâ factâ in aurem Pauli; nec an ſingula peccata ſua confiterentur. Sed hoc poteſt optimè referri, vel ad celebrationem Dei, quòd eos ex tam alta infelicitatis & maledictionis abyſſo per Chriſti gratiam eruere, & verâ luce donare dignatus eſſet, opera tenebrarum & impios ac nefarios actus ſeu magicas & diabolicas præſtigias, quibus antea dediti erant, deteſtando. Vel poteſt referri ad confeſſionem realem quam edebant, tales actus publicè damnando, & libros impios, quibus addicti erant, flammis tradendo. Vel ad confeſſionem generalem & indefinitam talium peccatorum, ſine eorum ſpecifica & ſingulari enumeratione, nec in aurem unius hominis, ſed publicè apud omnes qui aderant.

Jac. 5. 16. 2. *Confitemini alii aliis offenſas. Jac.* 5. 16. R. Hæc confeſſio non poteſt eſſe auricularis. 1. quia agitur de confeſſione mutuâ offenſarum: Romana verò longè alterius eſt generis, quâ ſc. laici peccata ſua Sacerdotibus enumerent, non autem Sacerdotes ſua viciſſim laicis. 2. Jacobus confeſſionem vult fieri, ut alii pro aliis mutuò precentur, quia ſtatim addit: *Orate alii pro aliis, ut ſanemini*, unde conſtat non alia de cauſa præcipere Jacobum; ut peccata alii aliis confiteamur, niſi ut ad obtinendam à Deo peccatorum remiſſionem, & curationem, alii aliorum precibus juvemur. Sed longè aliter rem ſe habere in confeſſione Romanâ conſtat, quæ eò fit, ut à peccatis confeſſis, non vi precum Sacerdotis, ſed ejus authoritate & judicio prætorio abſolvamur. Intelligit ergo Jacobus vel mutuam offenſarum confeſſionem, quæ fieri debet fratribus ab invicem ad obtinendam ab iis pacem & veniam, vel peccatorum confeſſionem, quæ fit homini fideli, ut is cognito morbo noſtro conſilio & precibus ſuis nos juvet.

Matth. 3. 6. 3. *Baptizati à Johanne confitebantur peccata ſua. Matth.* 3. 6. R. Confeſſio illa non fuit Sacramentalis, quia præceſſit baptiſmum, nec etiam in ea fiebat ſpecialis peccatorum enumeratio, nam ad Johannem dicitur exiviſſe tota Hieroſolyma & omnis Judæa. v. 5. Sed tantùm in genere, & indefinitè: nam qui ſe multa ac magna peccata admi-

ſiſſe

fisse in genere dicit, non minùs sua peccata confitetur, quàm qui ea sigillatim explicat.

4. *Si fatemur peccata, ipse remittet.* 1. Joh. 1. v. 9. R. 1. Agitur de confessione quæ fit Deo, non Sacerdoti. 2. Confessio ista non aliò pertinet, quàm ut peccatores nos fateamur, non sigillatim omnia recensеamus. 1. Joh. 1. 9.

LVI. De indulgentiis variæ controversiæ statui possent. Nam dicunt: De Indulgentiis.

1. Deum remissâ culpâ non remittere pœnam, saltem purgatorii.

2. Hominem pro peccàtis suis propriis satisfacere posse, contra Matth. 16. 28. *Quam dabit quis compensationem animæ suæ?*

3. Esse quasdam Sanctorum satisfactionis superfluas, contra Luc. 17. 10. *cùm feceritis omnia quæ edicta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus; nam quod debuimus facere fecimus.*

4. Esse etiam superfluas satisfactiones Christi, contra Luc. 24. 26. *Nonne hoc oportuit pati Christum?*

5. Ex superfluis istis conflari unum thesaurum, contra Jes. 63. 3. *Torcular calcavi solus*, &c.

6. Illas satisfactiones tantùm esse pro peccatis venialibus, quæ purgatorium, non pro mortalibus, quæ infernum merentur, contra 1. Joh. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato.*

7. Thesaurum illum Romæ custodiri.

8. Inexhaustum esse.

9. Ex eo Papam unicuique petenti nummis posse vendere quantum ipsi visum fuit, contra Jes. 55. 1. 2. *Heus quisquis sitit, venite ad istas aquas, cui nulla est pecunia: venite, comparate, & comedite, venite, inquam, comparate absque pecunia, & absque pretio vinum & lac. Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo, & laborem vestrum pro re minimè satiatura?* Apoc. 22. 17. *Qui sitit veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.*

Contra.

1. Papa seipsum à purgatorio conservare non potest, ut patet ex missis pro Papa mortuo.

2. Impiè facit, si eam potestatem habet, si non omnes animas liberet.

4. Misera est conditio pauperum, qui nummos non habent, quibus indulgentias emant.

LVII. In-

Indulgentiæ Veterum.

LVII. Indulgentiæ Veteres nihil commune habent cum Papalibus hodiernis. Constat quippe in Ecclesia veteri pœnas & satisfactiones quasdam Canonicas valde austeras peccatoribus publicis impositas fuisse, per Canones pœnitentiales, quæ non præstabantur propriè Deo in foro poli, in pœnam satisfactoriam illorum peccatorum, sed tantùm ipsi Ecclesiæ ad extinctionem & reparationem scandali, quo læsa fuerat. Cùm verò propter illum rigorem multi ad desperationem adigerentur, imò ad gentilismum relaberentur, inventum est temperamentum indulgentiarum, quas peccatores vel per Martyrum ad metalla damnatorum intercessionem obtinebant, vel à suis Episcopis consequebantur; animadverso eorum serio dolore, ne à tristitia absorberentur, quibus laxatâ illâ severitate, ante tempus Canonibus præstitutum communione restituebantur, & pœnarum Canonicarum illis gratia fiebat. Postea Canonum pœnitentialium jugum plerisque detrectantibus, introductæ sunt satisfactionum Canonicarum partim permutationes, partim redemtiones. Hac autem portâ Redemtionum semel datâ cœpit undecimo demùm Seculo sub Urbano II. nundinatio indulgentiarum, quæ ut pluris fierent, de eorum valore & efficacia varia sunt excogitata commenta. Unde patet quantùm istæ indulgentiæ differunt à Veteribus, quæ nihil aliud erant quàm relaxationes pœnarum Canonicarum, ad privatorum consolationem. Istæ verò statuuntur esse relaxationes pœnarum satisfactoriarum justitiæ divinæ

LOCUS XVIII.

DE EXTREMIS.

I.

Novissima tempora quid significent. Gen. 49. 1.

NOvissima *tempora*, diversimodè in Scriptura sumuntur. Vel *latè*, pro fine alicujus Gentis vel hominis, ut Gen. 49. 1. *Congregamini, ut annunciem quæ ventura sunt vobis novissimis diebus*, i. e. futuris sub finem

nem Reipublicæ Judaicæ. Ita sumitur hæc vox Deut. 4. 30. & 31. 29. de Babylone dicitur, Jes. 47. 7. *Non recordata es novissimi tui*, i. e. finalis excidii. Sic sæpe apud Danielem fit mentio novissimorum temporum, c. 2. 28. 44. & 8. 19. Vel *stricte* pro tempore adventûs Messiæ in carnem, quo sensu passim apud Prophetas *novissimi dies* sumuntur, & apud Johannem, Epist. 1. cap. 2. 18. Filioli, *novissimum tempus est*, quia tempus Evangelii est novissima & ultima dispensatio Dei, quæ est quædam mundi renovatio, & quasi rerum omnium perfectio, postquam nulla alia revelatio est expectanda, sed sola æternitas. Aliquando *strictius* sumuntur pro postremo intervallo istius dispensationis, quod præcedere debet finem mundi, quo sensu Paulus loquitur de novissimis temporibus. 1. Tim. 4. 1. *Spiritus diserte dicit fore ut postremis temporibus desciscant quidam à fide*, &c. *Strictissime* pro fine mundi & consummatione Seculi, quo sensu sumitur. Joh. 6. 39. *Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* 1. Pet. 1. 5. *Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo.* Hinc tuba Dei quæ in fine mundi sonare debet, vocatur *novissima tuba.* 1. Cor. 15. 51. Et ita à nobis jam sumuntur.

1. Joh. 2. 18.

1. Tim. 4. v. 1.

Joh. 6. 39.

1. Pet. 1. 5.

1. Cor. 15 51.

II. Nos novissima illa ad quatuor Capita referemus. 1. *Ad mortuorum resurrectionem.* 2. *Seculi consummationem* 3. *Judicium extremum.* 4. *Vitam & mortem æternam.*

CONTROVERSIA. I.

An in die judicii omnes mortui resuscitandi sint, etiam ii, qui Concionem Evangelii non audiverunt?

Resurrectionis veritas probatur.

Aff. contra Socin. Libertin. Epicuræos.

ARGUMENTA.

1. Jobi. 19. 25. *Scio redemtorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurrecturum. Et postquam vermes confoderint istud, evigilante me, tunc carne meâ me visurum esse Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.*

Job. 19. 25.

Exc. *Agitur h. l. de liberatione temporali ex ærumnis, quibus vir Dei conflictabatur, & de visione seu cognitione clariore potentiæ, sapientiæ & providentiæ Dei,* ut cap. 42. 5. *nunc oculus meus videt te.* R. Multa probant Jobum longiùs

Exc.

giùs respicere, & se solari fiduciâ resurrectionis & vitæ æternæ adversus calamitates suas & præpostera hominum de se judicia. 1. Quia hoc beneficium expectat à גאל Redemtore suo, qui non alius est quàm Christus. 2. Expectat id tempore ultimi judicii; dicit enim se nôsse Redemtorem suum vivere, & novissimum super terram resurrecturum. 3. Expectat id demùm post mortem suam, post corpus suum consumtum & corrosum à vermibus. 4. Non potest hæc visio simpliciter referri ad cognitionem potentiæ & providentiæ Dei, de qua loquitur cap. 42. 5. ubi Jobus audit Deum se immediatè alloquentem, & experitur ejus præsentiam propiùs quàm antea, quæ in eo seriam compunctionem excitat; quia hoc parum faciebat ad ejus solatium, nec certò eum persuadere poterat de sui restitutione, nec si persuasisset, poterat tantum gaudium & fidei πληροφορίαν in eo gignere. E. de visione beatifica rectiùs intelligitur, cujus spe se solabatur in ærumnis, & per quam securus salutis æternæ resurrectionem suam certissimè expectabat. 5. Solennis præfatio Jobi ostendit se de re gravissima loqui. *Utinam scribantur in libro stylo ferreo verba mea!* At si de restitutione sanitatis tantùm loqui voluisset, quid opus fuisset tam magnificâ præfatione. 6. Sublimis ejus sermo satis docet cogitationes ejus supra mundum hunc aspectabilem & temporale aliquod commodum evectas fuisse. Non amplius luget & queritur, sed quasi novâ spe exhilaratus, ad quamcunque subeundam aleam magis quàm antea confirmatus, ex certa resurrectionis persuasione loquitur: *Novi*, inquit, i. e. certo & indubitantur teneo; quod de restitutione temporali dicere non potuit, de qua toties desperaverat, & quam nonnisi conditionaliter expectare potuit. 7. Ex verbis *stabit super pulverem*, quæ optimè ad resurrectionem referuntur. 8. Dicit se *visurum Deum oculis suis*, quod respectu hominis suscitati illustris erat fidei actus, sed de homine ab ærumnis liberato supervacaneum erat, quia res talis erat, ut de ea nemo dubitare posset.

Ps. 16. 9. 10. 2. Oraculum ex Ps. 16. 9. *Caro mea requiescet sub spe* scil. resurrectionis, quia additur v. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Licèt verò locus iste primariò & directè respiciat Christum & ejus resurrectionem, ut Petrus probat.

Act. 2.

Act. 2. nec possit quoad plenum complementum competere Davidi, qui vidit corruptionem; tamen nihil obstat secundariò referre ad Davidem, & spem quam fovebat resurrectionis, tum propter resurrectionem Christi, à qua nostra est inseparabilis, tum quia verba ipsa vel nullo modo ad Davidem pertinent, quod dici nequit, vel important fiduciam liberationis à morte. Sic enim caro dicitur non visura corruptionem, non quòd absolutè non esset corrumpenda, sed quòd à corruptione esset liberanda, ut mortem non videre dicitur, qui ex morte in vitam revocatur. Joh. 8. 51.

3. Ex Psalm. 17. 15. *Ego in justitia videbo faciem tuam. & satiabor similitudine tua, cum excitatus fuero.* Opponit David se imbecillem & miserum potentibus & opulentis mundi, de quibus dixerat v. præced. & vanæ eorum felicitati veram felicitatem suam, seu spem futuræ vitæ. Ego verò non quæram transitorias has divitias, quibus me ingurgitem, sed juste & piè vivam in hoc seculo, ut in futuro videam faciem tuam, & eâ satier cùm excitatus fuero, & à morte evigilavero per resurrectionem.

4. Ex Jesa. 25. 7. Mors absorbenda dicitur εἰς νῖκος, quod Paulus refert ad resurrectionem. 1. Cor. 15. 54. per quam revera mors absorbenda est in victoriam, i. e. in æternum. Jes. 25. 7. 1. Cor. 15. 54.

5. Jes. 26. 19. ubi sic loquitur Propheta: *Vivent mortui tui, interfecti tui resurgent.* Per antithesin ad ea quæ fuerunt v. 14. de hostibus Ecclesiæ. Mortui sunt, & non reviviscent; non oppriment nos ultra isti, sed æterna mors eos manet. Jam loquens de fidelibus dicit aliam fore eorum sortem, victuros sc. & resurrecturos post mortem. Licèt verò possit hæc promissio referri ad liberationem ex ærumnis, & ex captivitate, ulterius extendenda est ad potissimam liberationem, quæ in resurrectione mortuorum consistit. Propheta sc. totum Christi Regnum ab initio usque ad finem complectitur, cùm spes vincendi mundum hunc transiliat; & ad æternitatem feratur. Jes. 26. 19.

6. Ezech. 37. 1. 2. 3. &c. ubi proponitur visio de ossibus mortuis & aridis, & eorum resurrectione. Qamvis verò dubium non sit, quin respexerit in ea Dominus ad captivitatem Babylonicam, & ad liberationem ex ea futuram, ut exponitur ab eo v. 11. 12. Non tamen in eo subsistit Dominus Ezech. 37. 1. 2. 3. &c.

minus, sed ulteriùs progreditur usque ad resurrectionem ultimam, cujus admirabile præludium & speculum in ista visione proponitur; quod patet 1. Ex Emphatica descriptione, vix enim alius datur Scripturæ locus, in quo forma & modus resurrectionis tam emphaticè describatur. 2. Ex subjecti amplitudine, quia Spiritus dicitur venturus à quatuor mundi plagis ad vivificanda illa ossa. 3. Ex beneficiorum divinorum subordinatione, quia restitutio temporalis non potuit solidam & constantem consolationem afferre fidelibus, nisi conjungeretur cum beneficiis spiritualibus, & novissimâ resurrectione, quæ omnium debet esse corona & complementum. Sic Prophetæ in oraculis varia beneficia complectuntur sibi invicem subordinata, & sub uno symbolo multa simul adumbrant.

Dan. 12. 1. 2. 7. Daniel 12. 1. 2. *Multi de his qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in ignominiam sempiternam.*

Exc. Exc. *Non agitur h. l. de resurrectione universali mortuorum, quia ad multos tantùm refertur, sed de restitutione populi Judaici ex ingenti calamitate quam sub Antiocho passurus erat, quæ notatur per* illud tempus, sc. *de quo hucusque sermo fuerat, quod fuit tempus Antiochi.* R. 1. Verba ipsa contrarium evincunt, quippe quæ agunt de resurrectione propriè dicta ex pulvere terræ, & de tali quæ sit vel ad vitam æternam, vel ad opprobrium æternum; sed liberatio temporalis non potest dici ad vitam æternam, cùm fideles adhuc sint morti obnoxii, nec ad opprobrium æternum, cùm homines resipiscere possint. 2. Non necesse est ut tempus illud de quo agitur v. 1. intelligatur de tempore quo Antiochus Ecclesiam gravissimè erat persecuturus, quia phrasis illa sæpe sumitur sine ullo ad præcedentia respectu, ut Matth. 3. 1. & 4. 1. & מן potest valere *post*, ut Jos. 5. 5. ut sit sensus; Post illam populi liberationem per Antiochi mortem alia multò illustrior succedet per Michaëlem, i. e. Christum, ita tamen ut calamitates gravissimæ præcedant, quas deinde resurrectio beata excipiet. Tempus ergo illud quod subsequutum est mortem Antiochi fuit tempus Evangelii, quo Christus opus Redemtionis Ecclesiæ debuit exequi, & quia duobus Christi adventibus continetur, primo & secundo, totum hîc à Spiritu S. comprehenditur, quia non persequitur perpetuam rerum & tem-

temporum seriem, sed tantùm notat insignes Ecclesiæ statûs conversiones. Designatur igitur hîc tum tempus primi adventûs Christi, & quid facturus esset in gratiam Ecclesiæ, tum tempus secundi adventûs in resurrectione seu felicitatis complemento. v. 2. Mirum autem videri non debet, si transitus hîc fiat à primo adventu Christi ad secundum, & conjungantur tempora valde disjuncta ob eorum similitudinem, ut Matth. 24. eversio templi & mundi conjungitur. Ita salus Ecclesiæ optimè conjungitur cum resurrectione ultimâ, quia in mundo omnia sunt confusâ, nec uspiam occurrit materia salutis, nisi mentes eo attollamus. Porrò *multi* hîc ponuntur pro *omnibus*, ut non rarò alibi.

8. Huc pertinent loca. Hoseæ. 13. 14. relatus à Paulo. 1. Cor. 15. 54. *De manu vel potestate inferni redimam eos, ero pestis tua ô mors, ero excidium tuum inferne.* Joh. 5. 28. 29. *Veniet hora, quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerint, in resurrectionem condemnationis.* Joh. 6. 39. *Hoc est voluntas ejus qui misit me, ut quicquid mihi dederit non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* Joh. 11. 24. dicit Martha de Lazaro. *Scio eum resurrecturum in resurrectione ultimo illo die.* Sic Petrus & Johannes docuerunt resurrectionem mortuorum, molestè ferentibus Sadducæis. Act. 4. 2. Sic Paulus. Act. 17. 18. Et cap. 23. 6. testatur se propter spem resurrectionis mortuorum in judicium vocatum fuisse. Et cap. 24. 15. dicit se spem habere in Deo, fore resurrectionem mortuorum, tum justorum, tum injustorum. Paulus expresè de resurrectione illa agit toto capite 15. primæ ad Corinthios, & 1. Thess. 4. Apocalypsis id non semel confirmat. cap. 20. 5. 6. 12. 13. Ut pluribus testimoniis opus non sit.

Hos. 13. 14. Joh. 5. 28. 29. Joh. 6. 39. Joh. 11. 24. Act. 4. 2. Act. 17. 18. Act. 23. 6. c. 24. 15. Apoc. 20. 5. 6. &c.

9. A resurrectione Christi, quâ positâ nostra sponte sequitur. 2. Cor. 4. 14. *Scimus quòd qui suscitavit Jesum etiam nos per ipsum Jusciabit.* 1 Thess. 4. 14. *Si credimus quòd Christus resurrexit, sic & Deus eos qui dormiunt per Jesum adducet cum eo.* Rom. 8. 11. *Si Spiritus illius qui suscitavit Jesum à mortuis in vobis habitat, ille qui suscitavit Jesum vivificabit corpora vestra mortua per Spiritum suum habitantem in vobis.* 1. Cor. 15. 12. *Si Christus prædicatur resurrexisse à mortuis, quomodo dicunt quidam, non dari resurrectionem?*

1. Cor. 4. 14. 2. Thes. 4. 14. Rom. 8. 11. 1. Cor. 15. 12.

tionem? Christus enim est Redemtor noster, non animarum modò, sed & corporum. E. corpora suscitare debet, ut cum animabus vitâ à Christo acquisitâ donentur. Christus, qui est Caput, resurrexit. E. membra non relinquentur in morte. Christus est Dominus tum piorum, quos itaque resuscitabit ut Redemtor & Caput, tùm impiorum. qui resuscitabuntur à Christo judice, qui unicuique debet reddere quod suum est.

10. Ex fœdere Dei, quod cùm perfectam felicitatem & vitam æternam necessariò importet, non potest impleri in nobis, nisi cum immortalitate animorum detur etiam resurrectio corporum, ut homo totus beneficia fœderis participet in æternùm. Quò pertinet ipsa Fœderis formula. *Ego Jum Deus tuus*, ex qua Christus argumentatur contra Sadducæos. Mat. 22. 32. *De resurrectione verò mortuorum non legistis, quod vobis dictum est à Deo dicente, Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi, Deus autem non est Deus mortuorum, sed viventium.* Exc. *Hæc argumentatio non est generalis sed specialis, quæ Abrahamum Isaacum & Jacobum nominatim spectavit.* R. Imò promissio illa extenditur non tantùm ad istos Patriarchas, sed etiam ad eorum semen. Gen. 17. 7. alias Christi probatio adversus Sadducæos non satis esset firma.

Matth. 22. 32.

Exc.

11. Ex justitia Dei, quæ bonis præmia, & malis pœnas etiam in corpore quod peccavit persolvi jubet. Quod cùm in hac vita non semper fiat, post hanc vitam suscitatis corporibus hoc fieri necesse est. 2. Cor. 5. 10. *Omnes sistemur coram Tribunali Christi, ut reportet unusquisque quæ in corpore fecit, sive bonum, sive malum.* Et 2. Thess. 1. 6. 7. *Justum est apud Deum reddere vicissim iis, qui vos affligunt, afflictionem, vobis verò qui affligimini relaxationem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo.*

2. Cor. 5. 10.

2. Thes. 1. 6. 7.

12. Ab Exemplis eorum qui jam suscitati sunt in V. & N. Testam. In V. T. filius viduæ Sareptanæ suscitatus ab Elia. 1. Reg. 17. 21. Filius Sunamitidis ab Elisæo. 2. Reg. 4. Homo excitatus ad contactum ossium Elisæi. cap. 13. In Novo Testamento filia Jairi in lecto decumbens. Matth. 9. 29. Filius viduæ Naïm, qui jam efferebatur. Luc. 7. 25. Lazarus jam in sepulchro fœtens. Joh. 11. &c.

13. Ab Absurdis, quæ contrariam sententiam premunt, quæ Paulus urget. 1. Cor. 15. 13. 14. 15. *Nam si non datur resurrectio, ergo Christus non resurrexit; Si Christus non resurrex-*

surrexit, prædicatio nostra vana est, invenimur falsi testes, vana erit fides vestra, erimus adhuc in peccatis nostris, qui dormiunt in Domino perierunt. v. 19. *Si in hac vita tantùm in Christo speramus, miserrimi omnium hominum sumus.* v. 30. *Si mortui non resurgent, ut quid periclitamur omni hora:* v. 23. *Si secundùm hominem cum bestiis pugnavi Epheſi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* &c. Sic securè indulgere poterunt carnalibus concupiscentiis peccatores, cùm nulla metuenda sint post hanc vitam supplicia.

14. Licèt Natura Resurrectionem non doceat, varias tamen subinde nobis exhibet imagines, quæ ejus possibilitatem & credulitatem astruunt. Plantæ quæ tempore hyberno mortuæ apparent, verno revirescere & suo modo revirescere videntur. Semen in terram jactum post putrefactionem exsurgit & nascitur, quod simile affertur à Paulo. 1. Cor. 15. 36. Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succendunt, &c.

OBJECTIONES.

1. *Jes.* 26. 14. *De impiis dicitur, mortui non resurgent.* R. Apertè id dicitur de statu illorum politico, quòd in hanc vitam ad dominandum non sint redituri.

2. *A privatione totali ad habitum non datur regressus.* R. Hoc non fit naturaliter, fit tamen supernaturaliter, efficaciâ primæ causæ.

3. *Corpora nostra in pulverem abeunt, à brutis & anthropophagis devorantur, eoque alterius fiunt caro.* R. Hisce objectionibus verbis Servatoris abundè satisfieri potest: *Erratis, nescientes Scripturas, nec potentiam Dei.* Si enim diligens Paterfamiliâs probè novit, ubi quidque repositum sit in ædibus suis, quamvis amplissimis, quidnî Deus, cujus infinita est tum sapientia, tum potentia, nôrit, ubi corporum nostrorum materia lateat, cùm ipsi longè minor sit universus orbis, quàm cuivis homini angustissima quædam theca vel capsula? Et si chymici possunt flores ac plantas ex earum cineribus excitare, vel aurifices ex ære Corinthiaco pretiosum à vili, & metalla à se invicem secernere, quantò faciliùs Deus pulverem nostrum aliis Creaturis permixtum separare, & corpori suo reddere poterit?

CONTROVERSIA II.

Eadem numero corpora resurgent.

An omnes mortui resurrecturi sint iisdem corporibus, quæ in hac vita habuerunt? Aff. c. Socin.

Sociniani pertendunt corpora suscitatorum sine carne & sanguine fore, & illam ipsam carnem, quam circumferimus, ratione essentiæ non resurrecturam. Nos quidem fatemur corpora nostra quoad *qualitates* & *conditiones* magnam mutationem passura esse, ut non amplius animalia, corruptibilia, infirma, misera, & mortalia, sed spiritualia, incorruptibilia, fortia, gloriosa & immortalia futura sint, ut Apost. 1. Cor. 15. fusè docet. Sed quoad *substantiam* eadem numero semper esse mansura, affirmamus.

ARGUMENTA.

1. Ex natura resurrectionis. Quia negatâ identitate numericâ corporum in resurrectione negatur ipsa resurrectio. Nam illud quod cecidit dicitur tantùm resurgere; E. idem corpus quod cadit dum moritur, resurget.

2. A justitia Dei, quæ exigit, ut non aliud peccet, aliud puniatur, aliud certet, & aliud coronetur; sed ut illud ipsum corpus quod peccavit puniatur, & illud ipsum corpus quod hîc Templum gratiæ fuit, sit Templum gloriæ in cœlis, quod non fieret tamen, si alia darentur nobis corpora.

2. Cor. 5. 10. Unde Paulus dicit. 2. Cor. 5. 10. Omnes nos sistendos Tribunali Christi, ut quisque reportet in corpore suo quodcunque fecerit, sive bonum sive malum. Ita. 1. Cor. 15. dicit τὸ φθαρτὸν induere ἀφθαρσίαν; non dicit tantùm τὸ φθορὸν in abstracto, sed in concreto τὸ φθαρτὸν, veluti digito in corpus suum suspiciendo.

3. A resurrectione Christi. Ut Christus resurgens idem recepit corpus quod antea habuerat; unde notanter dicit Luc. 24. 39. *Ego ipse sum*; ita non alia debet esse resurrectio nostra.

4. A piorum conditione. Corpora fidelium per fidem facta sunt membra Corporis Christi mystici, cibata sunt Corpore & Sanguine ejus ad vitam æternam, sanctificata sunt & facta Sacraria Spiritûs S. E. eadem corpora in vitam revocari debent; aliâs sequeretur membra Corporis Christi ex parte perire, & Templa Spiritûs S. destrui & nunquam restaurari.

OBJECTIONES.

Luc. 20. 36. 1. *Beati erunt ἰσαγγέλοι Luc.* 20. 36. R. Intelligitur tan-

tantùm similitudo aliqualis, non æqualitas per omnia, non per identitatem naturæ, sed convenientiam qualitatum naturæ, & præcipuè quoad immunitatem à conjugio, qui scopus est Christi.

2. *Suscitabitur corpus spirituale.* 1. *Cor.* 15. 44. R. Corpora dicuntur fore cœlestia non origine & essentiâ, sed domicilio & sede, spiritualia, non substantiâ & naturâ, sed qualitatibus & dotibus. Peribit caro quoad esse morale & qualitativè, sed manebit quoad esse physicum & essentialiter. Tollentur defectus omnes à corporibus, quibus in hac mortalitate fuerunt obnoxia, sed eorum essentia non destruetur; beentur immortalitate, gloria, splendore, agilitate, similibusque dotibus, quæ illis erunt pro ornamento & vestibus, sed manebunt semper quoad substantiam, materiata, quanta, visibilia, extensa, suis dimensionibus constantia, loco commensurata, ut qui gloriam daturus est, non sit ablaturus naturam. 1. Cor. 15. 44.

3. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* 1. *Cor.* 15. 50. R. 1. Caro & sanguis vel notant naturam & substantiam corporis, vel infirmitatem & miseriam vitæ præsentis, vel statum animalitatis, quem comitantur necessitas esûs, potûs, somni, quietis, &c. Vel corruptionem & peccatum. Priori sensu rectè dicitur carnem & sanguinem posse hæreditare Regnum Dei; sed juxta duas posteriores κύριος verè dicit Paulus carnem & sanguinem non posse hæreditare Regnum cœlorum citra mutationem; sed quæ fiet vel per resurrectionem mortuorum, vel per tranformationem viventium. Constat autem ista transmutatio depositione mortalitatis, & assumtione immortalitatis, cum discrimine, quod observari debet inter pios & impios. 1. Cor. 15. 50.

4. *Apostolus dicit.* 1. *Cor.* 15. 37. *quod seminatur non vivificari, nisi prius moriatur, & corpus quod futurum est, non seminari sed nudum granum.* R. Exinde non substantiæ diversitas, sed tantùm diversa corporum qualitas inferri potest. Et simile Apostoli non debet extendi extra ejus scopum, qui vult duntaxat probare, non ita corpus terræ mandatum putrescere & corrumpi, quin instar seminis inde resurgat novis donatum conditionibus: Aliâs si ad vivum resecaretur, deberent etiam ex uno corpore plura nasci, ut ex uno grano plura exsurgent. 1. Cor. 15. 37.

CONTROVERSIA. III.

Hominum morientium corpora non in nihilum rediguntur. Gen. 3. 19. Eccl. 12. 7. Dan. 12. 2.

An hominibus morientibus corpora in nihilum rediguntur? Neg. cont. Socin.

1. Redeunt in pulverem unde desumta sunt. Gen. 3. 29. Eccl. 12. 7.

2. Dormiunt in pulvere terræ. Dan. 12. 2. Jes. 26. 20. & 57. 2.

3. Unde mare & terra in die judicii mortuos suos reddent. Apoc. 20. 13.

Apoc. 20. 13.

4. Qui hominem occidit, nihil potest nisi corpus occidere. Matth. 10. 28. Non ergo in nihilum redigere.

Matth. 10. 28.

5. Nulla substantia ab ullis causis naturalibus in nihilum redigi potest.

OBJECTIO.

Deus destructurus est ventrem semel cum esca. 1. Cor. 6. 13. R. Non quòd non amplius extiturum sit corpus cum suis membris, sed quòd non ad fragilem istum usum, sed ad totius compositi decus & integritatem solùm supererunt. Ut hic mortalis & animalis corporis conditio mutanda tantùm dicatur, non verò ipsa carnis substantia.

1. Cor. 6. 13.

CONTROVERSIA. IV.

Animæ immortalitas.

An ergo anima ex intrinseca sua constitutione sit immortalis? Aff. cont. Atheos. Soc.

Diversæ circa quæstionem hanc fuerunt sententiæ: Alia *negantium*, quales fuerunt olim *Sadducæi*, & hodiè *Epicuræi* & *Athei*, qui animas cum corporibus penitus extingui volunt. Ad quos non parum accedunt illi, qui animas cum corporibus mori censent, sed postea cum corporibus suscitandas esse credunt, quæ olim fuit hæresis nonnullorum Arabum, & hoc Seculo renovata est à *Socinianis* mollioribus & *Anabaptistis*, qui eorum prementes vestigia Psychopannychiam ad minimum defendere sustinent, animas sc. vel dormire & sensu omni carere, vel extingui usque ad resurrectionem. Alia *dubitantium*, quales sunt *Sceptici* & *Academici* veteres & novi. Tertia *affirmantium*, quales fuerunt saniores Philosophi, & nunc omnes Orthodoxi.

Immortalitas alia est *extrinseca*, quæ nullum habet externum principium sui destructivum, alia *intrinseca*, quæ non

non habet in se principium corruptionis & interitus: Rursus immortale extrinsecè dicitur vel respectu causæ primæ, vel respectu causarum secundarum. Non quæritur hîc: An anima sit immortalis extrinsecè; nam etsi respectu causarum secundarum talis bene dicatur, quia nulla causa secunda potest eam resolvere in sua principia, quæ nulla habet; non potest tamen ita vocari respectu causæ primæ, quia Deus qui eam creavit potest eam annihilare: Sed propriè agitur de immortalitate intrinseca, seu de ejus incorruptibilitate. *Immortale* iterum vel tale est *per naturam strictè* spectatam, cujus naturæ simpliciter repugnat ullo modo, vel ab extrinseco, vel ab intrinseco deficere, vel *latè*, quod per naturalem constitutionem intrinsecum nullum habet destructionis principium. Non quæritur: An anima sit immortalis primo sensu, qui soli Deo competit. 1. Tim. 6. 6. sed secundo.

ARGUMENTA.

1. Ex celebri loco. Matth. 22. 32. ubi Christus agens contra Sadducæos, animorum immortalitatem, & corporum resurrectionem negantes, argumentatur ex promissione fœderali data Patribus, quâ se Deum esse Abrahami, Isaaci & Jacobi testatur. Exod. 3. 6. cùm verò Deus non sit Deus mortuorum, sed viventium, inde necessariò colligit, & animas eorum fuisse immortales, & corpora suscitanda, cujus ratiocinationis tria sunt fundamenta. Primum: Fœdus quod Deus cum hominibus contrahit, fœderatorum existentiam necessariò postulare; aliâs beneficia fœderis, quæ tendunt ad communionem vitæ & felicitatis, non possent illis communicari. Secundum, fœdus Dei non esse temporale, sed æternum, quod post mortem etiam manet, unde Deus etiam post mortem Deus ipsorum vocatur. Tertium, fœdus istud cum homine toto, & non cum anima tantùm, altera ejus parte, contrahi. Unde sequitur Patriarchas, cum quibus Deus fœdus pangebat, debuisse existere, non tantùm ad tempus, sed etiam post mortem, & in æternum, nec tantùm quoad animam, sed etiam quoad corpus, quod propterea suo tempore suscitari debet. Resurrectio vero immortalitatem animæ necessariò supponit; &, si animæ fidelium debent in æternum vivere, ut felicitate ipsis promissâ fruantur, justitiæ Dei ratio postulat, ut impio- Matth. 22. 32.

piorum animi nunquam intereant, ut pœnis æternis à Deo denunciatis afficiantur.

Eccl. 12. 9. 2. Idem evincunt loca. Eccles. 12. 9. *Corpus revertitur in pulverem, & spiritus redit ad Deum, qui dedit ipsum*, ut ad principium originis suæ extrinsecum & efficiens, non ut exMatth. 10 28. tinguatur, sed ut ab eo vel beetur vel puniatur. Ita Matth. 10. 28. *Nolite*, inquit Christus, *timere eos qui corpus occidere possunt, animam autem non possunt occidere, sed timete eum qui potest animam & corpus in gehenna perdere.* Perperam verò Christus distingueret inter homines qui corpus, & non animam possunt interficere, & Deum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna, si anima cum corpore extingueretur. Huc faciunt loca omnia, quæ vel vitam æternam fidelibus pollicentur, vel pœnam æternam impiis denunciant, quæ omnia falsa essent, si lethum in homine omnia finiret, & nihil post mortem in eo supereset.

3. Si anima interit cum corpore, vel somno gravi obruitur, quomodo Paulus cum fidelibus post terrestris tabernaculi dissolutionem expectat ædificium & domum æternam ἀχειροποίητον in cœlis? quomodo cupit cum ipsis ex corpore 2. Cor. 5. 1. 8. excedere, & ad Deum concedere? 2. Cor. 5. 1. 8. & alibi optat abire, seu migrare ad Dominum, & esse cum Christo. Phil. 1. 23. Phil. 1. 23. Quomodo Lazari anima post obitum inducitur in sinu Abrahæ, ubi suaviter quiescit, & Epulonis contra in infernis miserè torquetur. Luc. 16. Quomodo animæ martyrum sub altari, indutæ stolis albis, quæ symbola sunt gloriæ quâ fruuntur, clamantes, & vindictam Dei exApoc. 6. 1. petentes proponuntur? Apoc. 6. 11. Quomodo spiritus impiorum corporibus soluti dicuntur esse ἐν φυλακῇ, in carcere, sc. infernali, 1. Pet. 3. 9. ubi meritas contumaciæ & perfidiæ pœnas pendunt.

4. Ratio multiplex hoc demonstrat, desumta. 1. *A Iustitia Dei*, ut bonis bonum, & malis malum rependatur. 2. *A veritate Dei*, quæ piis summam felicitatem, & impiis extremam miseriam interminatur, non in hoc tantùm, sed & in futuro seculo. 3. *Ab ejus sapientia & bonitate*, quæ non potest pati, ut idem sit interitus hominum & brutorum. 4. *A Religione & pietate*, frustra enim Deus colitur, sanctitas promovetur, calamitates patienter feruntur, si idem exitus pios & impios manet cum bestiis. 5. *Ab innato omnibus immortalitatis desiderio*: Cùm enim vanum esse

esse non possit & frustraneum desiderium hoc singulis à Numine & naturâ insitum, immortalitatem animarum dari necesse est, ut expleatur.

5. Hoc probat *animæ spiritualitas*. Nam quicquid est spirituale, & à materiæ contagio liberum, illud est immortale; mortale enim illud demùm est, quod materiale est, & compositum, quodque constat qualitatibus contrariis inter se pugnantibus. Animam autem spiritualem esse non meliùs probatur quàm ex ejus operationibus, quæ à posteriori indicant quale sit principium à quo proficiscuntur. Spirituales autem esse ejus operationes certò colligitur ex earum *independentia à corpore*, unde & animæ ipsius independentia sequitur: Nam si anima independenter potest agere à corpore, potest etiam independenter à corpore subsistere, modus enim operandi sequitur modum essendi: Animam autem independenter à corpore operari, patet vel ex sola *intellectione* Dei, Angelorum & animæ ipsius, quæ seipsam intuentur actu reflexo, & ex motibus extaticis: Tales enim actus spirituales esse, & independentes à corpore res ipsa clamat, tum ratione *objecti*, quia mens versatur circa res spirituales & incorporeas, & æternas, quò assurgere non posset, nisi spiritualis & incorporea foret, effectus enim non est toto genere nobilior causâ suâ; tum ratione *modi*, quia versatur circa ista objecta modo spirituali, & sine usu organi corporei, quod nullam proportionem habet cum objecto spirituali & incorporeo; unde quò magis mens evehitur & abstrahitur à sensibus, eò puriùs & acutiùs intelligere solet.

OBJECTIONES.

1. *Eadem in morte est conditio hominis & bestiæ Eccles.* 3. 18. 19. 20. R. 1. Sensus est: Ex rebus externis non posse colligi discrimen inter hominem & brutum, cùm eadem mortis necessitas illis impendeat ex æquo; 2. Potest etiam dici, Ecclesiasten comparare hîc hominem cum bruto in mortis veritate & necessitate, ut particulæ *sicut*, *ita*, non adumbrent modum, sed tantùm rei ipsius necessitatem & veritatem, Eccl. 3. 18. 19. 20.

2. *Mortui dicuntur non laudare Deum. Ps.* 30. 10. *Ps.* 88. 12. & 115. 17. *Isa.* 38. 18. R. Non absolutè & simpliciter, quasi exsistere desinerent, sed secundùm quid, habitâ ratione laudis quæ illi debetur in Ecclesia militante. Ps. 30. 10. & 88. 12. & 115. 17. Isa. 38. 18.

3. *Mor-*

Ps. 39. 14. 3. *Mortui dicuntur non esse Ps.* 39. 14. R. Non absolutè, sed secundùm quid, quoad totum compositum, & quatenus non sunt amplius inter homines, nec eorum communione fruuntur.

Ps. 78. 39. 4. *Homines dicuntur spiritus vadens, & non rediens. Ps.* 78. 39. R. Per spiritum non designatur anima, sed ventus, ut vitæ humanæ brevitas, & fragilitas notetur, similis vento, qui citò transit.

Joh. 11. 11. 1. Cor. 11. 30. 1. Thess. 4. 15. 2. Thes. 4. 15. 5. *Mortui dicuntur dormire. Ioh.* 11. 11. 1. *Cor.* 11. 30. 1. *Thess.* 4. 15. & alibi. R. Hoc non respectu animæ intelligendum est, quæ recipitur in cœlum, & vivit cum Christo, sed respectu corporis, quod in vitam revocandum est, ut à somno ad vigiliam, ut sæpe ideò mors cum somno conferri solet. Unde alibi dicuntur dormire in pulvere. Dan. 12. 2. quod nonnisi ad corpus referri potest.

6. *Quod ortum habet, illud & finem habere potest.* R. Eo modo quo ortum habuit: Quod generatur potest corrumpi, sed quod creatur, si sit spirituale, potest tantùm annihilari; Ita quod ortum habet naturalem & materialem, habet etiam interitum; Sed anima habet ortum supernaturalem.

7. *Anima dependet à corpore, unde læsis organis corporis non potest functiones suas exercere.* R. 1. Aliæ sunt operationes *organicæ* & materiales hominis, aliæ *inorganicæ* & immateriales, seu spirituales; Illæ, ut sensatio, visio, &c. ut à corpore pendent, ita in corpore tantùm perfici possunt; sed istæ extra corpus etiam peraguntur. 2. Si anima suas per corpus ordinarias functiones non exercere potest, hoc fit nonnisi per accidens, propter organa sensuum & facultatum administrarum vitiata & corrupta, unde immutatio non fit in anima, sed in organis corporis. 3. Nonnunquam contingit, ut inclinatis corporis viribus major sit vis animæ, & quo magis deprimitur & infirmatur corpus, eò altiùs mens assurgat, ex corporis ergastulo egredi veluti gestiens.

CONTROVERSIA V.

Millenarii. ***An præter universalem resurrectionem detur particularis Sanctorum vel Martyrum, quæ mille annis ultimam præcessura sit?*** Neg.

Controversia hæc movetur à *Chiliastis*, qui ut pertendunt regnum aliquod millenarium Christi cum Sanctis

ante

ante consummationem Seculi fore; ita volunt Sanctos, & præcipuè Martyres suscitandos, ut cum Christo Regno illo potiantur. *Chiliastæ* autem alii sunt *crassiores*, statuentes Sanctos ante novissimum diem suscitandos à Christo ad Regnum terrenum & voluptarium, in quo Judæis in terram suam postliminio introductis, & cultu Levitico restituto, omnes per universum mundum fideles per mille annos omni deliciarum corporearum genere fruituri, multitudine uxorum, festis ac conviviis perpetuis beandi & exhilarandi sint usque ad universalem Resurrectionem. Cujus sententiæ primus author perhibetur fuisse *Cerinthus*, qui cùm esset Judaicis erroribus adhuc imbutus, opinionem ipsorum de Regno Christi mundano adoptavit, & non paucos habuit Sectatores.

Sed præter Chiliastas istos crassiores alii sunt *moderatiores*, qui Regnum quidem Christi millenarium urgent sub finem seculi, sed citra terrenas delicias, & restaurationem politiæ Judaicæ; in quo particularis debeat fieri Sanctorum & præcipuè Martyrum resurrectio ante universalem, ut regnent cum Christo per mille annos. Ubi post certamina finita futura est magna pax & felicitas Ecclesiæ, magna divinæ & humanæ in terris sapientiæ abundantia, publica de mundo victoria & triumphus, Judæorum conversio, Gentium etiam remotissimarum aggregatio, hæresium & sectarum abolitio, Antichristi destructio, & totius Ecclesiæ alta & secura quies. Inter eos agmen ducere videtur *Papias* Episcopus Hierapolitanus, Johannis, non Apostoli, ut falsò creditum, sed Presbyteri cujusdam auditor, qui sub finem Trajani vixit, vir exigui judicii, quem tamen varii ex Patribus secuti sunt, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Apollinarius, Lactantius, &c.

Quamvis verò magnum discrimen inter duplicem istam opinionem intercedat, & prior longè sit posteriori periculosior: Posterior tamen etiam ut error & nævus non sine gravibus causis rejecta est hactenus ab Ecclesia.

Duo verò nobis probanda sunt. A: Quòd Christus mille annis ante judicium nullum tale Regnum gloriosum & tranquillum erecturus sit in terra.

Christi Regnum pacificum ante judicium nullum.

ARGUMENTA.

1. Scriptura duorum tantùm adventuum Christi meminit, in carne, & in gloria, ad patiendum, & ad regnandum,

dum, & postremum passim conjungit cum ultimo judicio. Quomodo verò, si præter duos illos adventus tertius illustris esset futurus? Exc. *Adventus visibilis Christi novissimo die non obstat, quo minus & alius sit adventus specialis & invisibilis in gratia & virtute.* R. Quamvis adventus spiritualis & invisibilis locum habere possit, nec diffiteamur Christum sæpe sic venire ad suos. Idem dici non potest de glorioso & illustri, qui sit cum θεοφανεια, ad stabiliendum regnum temporale & visibile, quale hîc fingitur.

Exc.

2. Christus debet in cœlis manere usque ad ultimum diem. *Oportet*, inquit Petrus. Act. 3. 21. *Christum cœli capiant usque ad tempora restitutionis omnium.* Si verò hoc, quomodo ante illam restitutionem dicitur in terram descensurus ad tale Regnum stabiliendum?

Act. 3. 21.

3. Si Christus mille annis ante finem mundi est venturus, finis Seculi cognitus erit, & tempus ultimi Christi adventûs, quod tamen incognitum esse omnibus creaturis, & ipsi Filio hominis expressè restatur Christus. Marc. 13. 32.

4. Conditio piorum in hac vita est afflictissima, persecutionibus & calamitatibus obnoxia. Matth. 16. 24. *Si quis pone me venit, sibi renunciet, & crucem suam assumat*, &c. Joh. 16. 33. *In mundo afflictionem habebitis.* Act. 14. 22. *Per multas tribulationes oportet ingredi in regnum cælorum.* 2. Tim. 3. 12. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Verum est, tempora Ecclesiæ non semper æquè turbida esse, & Deum aliquando alcyonia largiri Ecclesiæ suæ; sed illa pacata & lætiora tempora non carent absolutè omni cruce & calamitate, nec ullum tempus adeò felix est & aureum, quin crux & persecutio subinde expectanda sit.

Matth. 16. 24. Joh. 16. 33. Act. 14. 22. 2. Tim. 3. 12.

Exc. 1. Exc. 1. *Hæc intelligenda sunt de tempore, statum illum pacatum Ecclesiæ antecedente.* Resp. Ubi Scriptura non limitat, nostrum non est limitare. Jam certum est Spiritum S. quoties ita loquitur, non ad quædam tantùm tempora respicere, sed omnium Seculorum statum complecti, & proponere crucem tanquam conditionem inseparabilem à Christianismo, quamdiu sumus in terra, & propriam Evangelii, quod ideo dicitur *verbum crucis.*

Exc. 2. Exc. 2. *Crux non obstat, quò minus Ecclesia possit aliqua pace frui, ut visum fuit tempore Constantinorum & Theodosiorum*

siorum. R. Licèt Ecclesia fruatur aliqua pace, brevis est & momentanea præ diuturnis & gravibus, quibus vexatur, persecutionibus. Adde, quòd si in quibusdam membris suis alicubi floret & tranquillitate gaudet, in aliis alibi affligitur & luget. Sed si daretur tempus mille annorum, quo Ecclesia tota, & non tantùm quædam illius pars pace & felicitate frui deberet 1. quomodo diceretur crux ejus character, vel posset esse Ecclesia conformis Christo Capiti suo, qui per afflictiones consecratus est? Rursus quomodo Christus & Apostoli ad consolandos fideles contra tales ærumnas utuntur semper spe gloriæ & felicitatis æternæ in cœlis, nunquam verò consideratione pacis & felicitatis in terra futuræ? quod non parum contulisset ad leniendos eorum animos. Cur nihil dicunt de longo illo intervallo, quo immunis debet Ecclesia Christi à tali calamitate? Et quum Paulus 2. Thess. 1. 5. 7. 8. dicit; *justum est apud Deum reddere afflictionem illis qui vos affligunt, afflictis verò requiem nobiscum, cùm Christus revelabitur cœlitus cum Angelis potentiæ suæ.* Cur non dicit requiem illam jam inchoatam iri, & memorabili duraturam intervallo jam ab hac vita, si tale quid futurum credidisset?

5. Novissima tempora, quæ immediatè ultimum Christi adventum debent præcedere, ita describuntur, ut ab aureo regni millenarii Seculo longè sint aliena. Talia sunt tempora, in quibus vix fidem Christus sit inventurus in terra. Luc. 18. 8. quæ futura sint similia diebus Noæ, in quibus securitas carnalis regnatura est. Matth. 24. 37. quibus homines futuri sunt ambitiosi, avari, superbi, &c. qui habebunt speciem pietatis, veram ejus vim abnegabunt. 2. Tim 3. 1. 2. quibus pii cum impiis & hypocritis permixti manere debent usque ad finem, ut dicitur in parabola Zizaniorum. Matth. 13. quæ omnia convenire non possunt statui puro & pacato Ecclesiæ sub tali Christi regno.

Luc. 18. 8.

Matth. 24. 37.

2. Tim. 3. 1. 2.

6. Cogitatio de Regno Christi terreno corda terræ affigit, & revocat à desiderio cœli, & rerum cœlestium.

7. Christi Regnum in terris spirituale est & internum, non visibile & mundanum: Non est ex hoc mundo. Joh. 18. 36. *Non venit Regnum Dei, ut observari possit.* Luc. 17. 20.

Joh. 18. 36. Luc. 17. 20.

B. Nobis probandum, quòd nulla particularis Resurrectio martyrum futura sit.

Nulla particularis resurrectio martyrum futura est.

ARGU-

ARGUMENTA.

1. Quia Scriptura unius tantùm resurrectionis corporalis meminit, nuspiam autem duplicis, quarum una sit particularis quorundam, altera universalis omnium. Joh. 5. 28. *Veniet hora, quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis, & prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ, qui mala verò egerint in resurrectionem condemnationis.* Et. Joh. 6. 48. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam; Ego verò eum suscitabo novissimo die.* A qua martyres excipi non possunt, quia crediderunt in filium Dei.

Joh. 5. 28.

Joh. 6. 48.

2. Paulus. 1. Cor. 15. cap. loquitur de resurrectione, quæ fieri debet in fine seculi; quia loquitur de ea, quæ sequi debet ultimi hostis, nim. mortis destructionem, & post quam debet esse finis. v. 24. At ibi v. 30. ab ipsis martyribus communis istius resurrectionis argumentum petit. Si non sit resurctio, cur periclitamur in singulas horas? indies morior per gloriationem nostram, quam habeo in Christo. Si secundùm hominem adversus bestias pugnavi in Epheso, quæ mihi utilitas, si mortui non excitabuntur?

3. Ab absurdis, quæ opinionem istam sequuntur. 1. Fingitur status Ecclesiæ militantis in adventu Domini tranquillus & triumphans, contra oracula, quæ illum fidem vix inventurum in terra clamant, & sic confunditur status viæ & patriæ, & militiæ perpetuæ sedes, qualis est terra piis, in locum triumphi perperam commutatur. 2. Interponitur intervallum mille annorum inter interitum Antichristi, & mundi dissolutionem, quem tamen prædicat Paulus illustri adventu Servatoris esse conficiendum. 3. Proponitur status martyrum, qui facit potius ad gloriam & felicitatem eorum deprimendam quàm ad augendam. Nam qui suscitabuntur, vel morituri denuò erunt, & sic à vita cœlesti & gloriosâ traducentur ad statum mortalitatis; vel non sunt morituri, & sic conditio eorum longè minus felix futura erit præcedente, quia, mutabitur cœlum cum terra. Rursus quis dixerit, an uxores ducturi sint, & liberos procreaturi? an cœlibes mansuri, an terrena possessuri, & aliis mortalium conditionibus obnoxii futuri? an verò ἰσάγγελοι sint futuri? Quorum omnium cùm alrum sit in Scriptura silentium, eo ipso merum esse figmentum colligitur. Adde, quòd cùm Ecclesia quamdiu est in mundo

egeat

egeat semper verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, & precibus ad obtinendam peccatorum remissionem, dicendum erit Martyres huic necessitati adhuc subjici. Quomodo verò hoc statui potest, siquidem perfectè sanctificati censentur, utpote jam in cœlum admissi.

OBJECTIONES.

1. *Apoc.* 20. 4. 5. 6. *Martyres vivent & regnabunt cum Christo mille annos; reliqui verò ex mortuis non reviviscent, donec consummati fuerint illi anni mille. Hoc est resurrectio prima*, &c. R. 1. Hic locus non favet huic opinioni, tum, quia locus est Propheticus, symbolicus, obscurus, controversus, variis interpretationibus obnoxius, qui non potest solus fundare opinionem quæ pugnat cum pluribus aliis expressis Scripturæ locis; tum quia non agitur de corporibus, sed de animabus occisorum; quamvis verò anima sæpe per synechdochen totum hominem significet, hoc tamen loco tropica locutio ad incertum dogma stabiliendum temerè non est recipienda; tum, quia non dicuntur propriè martyres *revixisse*, sed tantùm *vixisse*, nim. vitâ beatâ & gloriosâ in cœlis, contra quam opinabantur hostes Ecclesiæ, qui putabant eos miserè periisse. 2. *Resurrectio prima* de qua loquitur Johannes, non potest esse corporalis, tum, quia resurrectio illa prima debet respondere morti primæ; at mors prima non est mors corporis, sed animæ per peccatum. E. resurrectio prima non est corporalis, sed spiritualis & mystica animæ ex morte peccati ad Deum conversæ, ideo Johannes non ait simpliciter: Beatus qui habet partem in prima resurrectione, sed beatus sanctus, qui partem habet in prima resurrectione, ut innuat istam primam resurrectionem in sanctitate consistere, quæ sæpe resurrectio vocatur in Scriptura. Eph. 2. 5. & 5. 14. Tum ea intelligitur resurrectio, quam nisi quis habeat, mors secunda in eum potestatem habet. Dum enim beatus dicitur qui partem habet in resurrectione prima, quia mors secunda in eum potestatem non habet, eo ipso innuitur, eos omnes & solos, qui partem habent in resurrectione primâ beatos fore. Hoc autem dici non potest de resurrectione corporali martyrum, aliâs sequeretur pios, qui suscitandi sunt novissimo die, non fore beatos; sed valet tantùm de resuurrectione spirituali. 3. Ut ligatio Satanæ per mille annos coincidit cum mille annis, quibus Martyres cum Apoc. 20. 4. 5. 6.

Christo regnaturi sunt; si constet millenarium ligationis Satanæ jam elapsum esse, eo ipso patebit regnum mille annorum jam præteriisse, nec amplius esse expectandum. Undecumque autem ista ligatio Satanæ inchoetur; vel à *Servatoris incarnatione*, quo tempore fortis à fortiori ligatus est, & ei erepta sunt vasa. Matth. 12. 29. vel *ejus passione & morte*, in qua ligatus est Satan per Christum, contrito ejus capite, & triumpho de illo acto; vel *in excidio Hierosolymitano*, ne legalium obsoleta reverentia Evangelii cursum quovis modo impediret. Vel *in Constantini M. imperio*, quo tempore liberum Christianis concessum est Religionis exercitium, effectumque, ut Satanæ non ampliùs liceret apertè & impunè Gentes seducere, & per grassantem Imperatorum Gentilium sævitiam persequi. Undecunque, inquam, ista ligatio inchoetur, liquet tempus hoc jamdudum præteriisse. Licèt autem in istis intervallis non ita ligatus fuerit Satan, quin varia adhuc mala Ecclesiæ intulerit, non desinit tamen Oraculum istud complementum suum sortiri, quia legatio ista non debuit esse *absoluta*, sed *limitata*, non ut omninò non tentaret amplius Gentes, sed *ne seduceret Gentes*, i. e. tam libera grassatione, ut antea fecerat.

Inst. Inst. *Visio ista refertur à Johanne post dejectionem bestiæ & Pseudoprophetæ in stagnum ignis, i. e. post excidium Antichristi, quod refertur Cap.* 19. R. Inde non sequitur, rem ita ordine temporis evenire debere, quia alia ratio est historiæ, quæ continuam exhibet rerum gestarum seriem, alia prophetiæ, ubi temporis ordo non semper observatur, nec semper posterius sit, quod posterius narratur. Unde utcunque ordine visionis præcesserit Bestiæ præcipitatio, non inde tamen infertur eam ordine temporis præcessisse. Et quòd dicit Johannes, καὶ εἶδον, *& vidi*, non μετὰ ταῦτα, *post hæc vidi*, ut aliàs, satis arguit, narrari tantùm continuatam visionem, non continuatam historiam. Sic sc. Spiritus S. postquam narravit judicium Dei contra meretricem & Bestiam. cap. 18. & 19. jam ad perfectæ victoriæ demonstrationem voluit describere judicium adversus primarium Ecclesiæ inimicum, Satanam vid. & Draconem, cujus Regni suffraganeus est Antichristus: Hoc verò judicium absolvit geminâ captivitate, temporariâ unâ, mille annos duraturâ, alterâ æternâ & perpetuâ.

2. *Regnum hoc millenarium & pacificum plurimis locis Propheticis probatur.* R. Oracula illa Prophetica mysticè & allegoricè de Regno spirituali Christi intelligenda sunt, hîc inchoato in gratia, & complendo in gloria, juxta stylum Prophetarum, quo res spirituales sub typo rerum corporearum solent describi, quod circumstantiæ variæ in singulis locis evincunt. Alias si quis ῥητῶς hîc voluerit urgere, sequetur terrenam Hierosolymam iterum ædificandam, Sacrificia legalia denuò esse offerenda, & totum cultum Leviticum restituendum. Tenenda ergo hîc regula, ut quemadmodum Prophetæ cultum Novi Test. describunt verbis ad Legalem V. T. cultum propriè pertinentibus; & ita quoque Regnum Christi spirituale depingunt vocabulis rerum terrenarum ex statu Ecclesiæ sub V. T. petitis, quæ proinde typicè & maraphoricè sunt intelligenda. Et ut Apostoli verbis hujus Seculi describunt sæpe res futuri, ita Prophetæ verbis V. T. describunt res Novi. Et cùm Regnum Christi, quod in Ecclesia administrat, duplex sit; nim. gratiæ & gloriæ, Prophetæ utriusque descriptionem sæpe conjungunt, ut eorum verba rectè possint intelligi de Regno gratiæ, & beneficiis quæ inchoativè dantur hîc fidelibus, & de Regno gloriæ, & bonis, quæ Ecclesiæ in futura vita *consummative* danda sunt.

CONTROVERSIA. VI.

An ergo politia Judaica sit restituenda in terra Canaan? Neg.

Num politia Judaica sit restituenda?

ARGUMENTA.

1. Expressa sunt Christi verba. Matth. 23. 38. *Ecce domus vestra vobis relinquetur deserta.* Et Matth. 24. 2. *Non relinquetur lapis super lapidem, qui non dissolvatur.* Matth. 23. 38. Matth. 24. 2.

2. Hæc politia durare debuit tantùm usque ad Christum, & imposita erat usque ad præstitutum tempus directionis. Heb. 9. 10. Heb. 9. 10.

3. Causæ talis institutionis jam deficiunt, nim. distinctio populi Judaici ab aliis Gentibus, sedes doctrinæ & Ecclesiæ, quæ in omnes gentes propagata est, adumbratio Christi, & Mysteriorum Novi Test. quæ corpore manifestato non potest amplius locum habere.

4. Si Deus voluisset instaurare istam politiam, non passus esset eam tanto tempore per sexdecim & amplius secula aboleri, & Tribus confundi inter se, ut non amplius

certò scire possint, quicquid illi garriant, ad quam tribum & familiam pertineant.

OBJECTIONES.

Deut. 30 5. 1. *Deut.* 30. 5. *Reducet te Jehova in eam terram, quam hæreditario jure possederant majores tui.* R. Est promissio restitutionis facta resipiscentibus exulibus, quæ complera est partim in reditu ex Babylone, partim in vocatione ad Christum.

Dan. 7. 27. 2. *Dan.* 7. 27. *Regnum autem, dominatusque regnorum sub toto cœlo dabitur populo sanctorum excelsorum.* R. Describitur Regnum Christi, quod propriè est ipsius tanquam Capitis, sed per communicationem gratiæ est fidelibus tanquam membris cum Christo commune, qui regnabunt cum ipso, 2. Tim. 2. 11. ut facti sunt Reges in ipso. Apoc. 1. 6.

3. *Ezech.* 40. *& seqq. Capp. restitutio illa fusè describitur.* R. Visio illa quæ his capitibus describitur intelligenda de promissione restitutionis non tam corporalis, quàm spiritualis, Ecclesiæ, hîc inchoandæ in terris, in cœlo autem perficiendæ, quia ex Esra, Nehemia, Aggæo, Zacharia, & Malachia constat, instaurationem, quæ hîc promittitur, non fuisse post captivitatem, & ante Christum impleram. Nec post Christum fuisse tam splendidam conditionem Ecclesiæ, ut repræsentatur. Ergo aut nulla est impletio, aut tantùm spiritualis. Sic promissio quæ habetur Cap. 43. 7. quòd Deus æternùm habitaturus sit inter filios Israël, non potest explicari de Israële carnali. Nec aquæ quæ fluent ex Templo Cap. 47. 1. possunt accipi de aquis elementaribus. Ergo instauratio spiritualis per Christum adumbrata fuit allusivè ad Templum Hierosolymitanum, quod ejus fuerat typus.

Jes. 59. 1c. 4. *Sioni vindex adveniet. Jes.* 59. 20. R. Si ex Sion vindex expectari debet à Judæis, non ideo fit, ut Regnum terrenum ipsis conferat, sed ut avertat impietates à Jacobo, ut ex pacto auferat peccatum & cœcitatem, ut cum fidelibus uniantur, non ut Sceptrum porrigat, quò in illos dominium exerceant.

Immutatio superstitum in ultimo judicio. III. Ita asserimus universalem omnium hominum resurrectionem, ut ab ea excipi velimus eos, qui tempore adventûs Christi superstites sunt futuri, quosque ideo non suscitandos esse ex morte, quam sensuri non sunt, sed transmutandos tantùm dicimus à Paulo. 1. Cor. 15. 51. 52.

1. Cor. 15. 51. 52. *Non omnes*

omnes quidem dormiemus, sed omnes transmutabimur, quod confirmatur clariùs 1. Thess. 4. 15. 16. *Mortui in Christo resurgent prius, deinde nos vivi rapiemur cum ipsis in nubibus in occursum Christi.* Ideo homines judicandi distinguuntur in vivos & mortuos. Act. 10. 42. Et sæpius Spiritus S. hortatur ad vigilantiam, sobrietatem, & preces, ne Christi adventus inopinos nos opprimat. Luc. 12. & 21. Matth. 24. 1. Thess. 5. quod dici non posset, nisi quidam superstites futuri essent. Paulus quidem Heb. 9. 29. dicit: Omnibus hominibus statutum esse mori, sed loquitur de communi conditione mortalium in hac vita, non autem de singulari exemtione & privilegio superstitum in fine mundi. Et ut manet lex illa semel moriendi, etsi pauci quidam miraculo suscitati, bis mortui sint. Ita mutatio superstitum illam non tollit aut abolet, præsertim cùm ista mutatio instar mortis, eique analoga futura sit.

1. Thes. 4. 15. 16.

Heb. 9. 29.

IV. Annum & diem consummationis seculi Christus voluit nos latere, ad frœnandam curiositatem nostram, & excitandam vigilantiam, ut in perpetuo Dei timore vivamus, nec securitati carnali indulgeamus. Unde Christus dicit; Marc. 13. 32. *De die illo & hora nemo novit, nec Angeli, nec Filius hominis, sed Pater.* Matth. 25. 13. *Vigilate, quia nescitis quô die & quâ horâ venturus sit Filius hominis.* Et Christus ipse expresse prohibet in hoc iniquirere, quum Apostolis quærentibus, quando restituturus esset Regnum Israëli; *Vestrum*, inquit, *non est nôsse tempora quæ Deus posuit in sua potestate.* Act. 1. 7. Unde patet Traditionem vulgò dictam *Domus Eliæ*, quæ statuit *bis mille annos inanitatis*, *bis mille Legis*, *& bis mille Messiæ futuros*, post quos futurus sit finis, & magnum Sabbathum, esse conjecturam merè Thalmudicam, quæ nullo Scripturæ nititur fundamento.

Annus & dies consummationis Seculi ignotus,

Marc. 13. 32. Matth. 25. 13.

Act. 1. 7.

V. Quamvis verò tempus istius consummationis nemini mortalium cognitum sit, non definit tamen habere sua *Signa* diagnostica, ex quibus licet saltem conjicere non procul abesse. Signa illa sunt vel communia, vel propria & specialia. *Communia* sunt, quæ â Christo recensentur Matth. 24. Marc. 13. & Luc. 21. quæ ita referuntur ad Hierosolymæ excidium, ut ad finem etiam mundi pertineant. Ut enim Apostoli de utroque Christum interrogaverunt conjunctim; *Quando illa futura essent*, sc. quæ de eversione

Signa adventus Christi.

Templi prædixerat, *& quodnam signum adventûs ejus, & consummationis Seculi futurum*, existimantes sc. in secundo demùm Christi adventu Hierosolymam & Templum esse evertendum. Ita Christus ad utrumque respondet, & varia miscet, quæ tam ad excidium urbis, quàm ad finem orbis pertinent, quæ ita ad Hierosolymorum destructionem respiciunt primò, ut exrendantur etiam secundariò ad statum temporum, quæ consummationem Seculi præcedere debent, quibus haud dissimilia contingere debent. Qualia sunt: Pseudoprophetarum & Seductorum multitudo, totius orbis per bella, seditiones, pestilentias & terræ motus conturbatio, horribilis piorum persecutio, extrema morum corruptio, & securitatis supinæ, & projectæ impietatis inundatio, universalis per totum terrarum orbem Evangelii prædicatio. *Propria* & *specialia* signa sunt. 1. *Antichristi revelatio*, & summa Veritatis in Ecclesia Christiana corruptio, de qua loquitur Paulus. 2. Thess. 2. 3. cùm enim quidam turbarent eos, quasi jam instaret dies Domini, Paulus ostendit, non debere eos propterea commoveri, quia non venturus sit, nisi post adventum Apostasiæ & revelationem hominis peccati. Hanc verò Antichristi revelationem excipere postea debuit ejusdem attritio & destructio, quæ paulatim debuit procedere, & revera processit per *Spiritum oris Christi*, i. e. per Evangelii præconium, in Ecclesiæ Reformationem, per quam imperium ejus tyrannicum non parum est labefactatum, donec penitus conficiatur in illustri adventu Christi. 2. Thess. 2. 8. 2. *Judæorum Conversio*, cujus mentio fit à Paulo. Rom. 11. 12. 15. 16. *Quòd si eorum offensa est opulentia Mundi, & diminutio eorum opulentia Gentium, quantò magis plenitudo ipsorum? Nam si abjectio eorum est reconciliatio Mundi, quæ erit assumtio, nisi vita ex mortuis? Nolim enim vos ignorare, fratres, Mysterium hoc, ut ne sitis apud vosipsos sapientes, obdurationem ex parte Israëli evenisse, tantisper dum plenitudo Gentium introierit, & ita totus Israël servabitur.* Quæ videntur expressiora, quàm ut spectare possint illorum Judæorum ad Evangelium conversionem, quæ facta legitur tempore Apostolorum. Qualis autem & quanta futura sit ista conversio, an nationalis & universalis omnium, an particularis quorundam; an simultanea, an successiva? Et quomodo, quibus mediis, & quo tempore processura sit? tutiùs ignoratur,

2. Thes. 2. 3.

Conversio Judæorum Rom. 12. 11. 15. 16.

ratur, quàm temerè definitur, Spiritu S. hoc mysterium sigillo suo obsignante. Sufficiat ergo scire, memorabilem fore Judæorum ante finem Seculi conversionem, non quæ cunctos convertat, sed quæ multos, quibus adaptari possit totius Israëlis denominatio; licèt non constet nobis, nec quo modo, nec quando præcisè futura sit. 3. Ad hæc signa referri debent, quæ à Christo futuræ dicuntur mutationes in Cœlo, Sole, Luna & Stellis ante ultimum suum adventum, ut patet ex Matth. 24. Marc. 13. & Luc. 21. cap. Quæ non tam propriè, quàm mysticè & allegoricè more prophetico intelligenda esse, collatio cum libro Apocalypsis ostendit, ubi similes locutiones occurrunt; cap. 6. v. 12. 13. & 8. v. 10. 11. 12. & 12. 3. 4. & designantur magnæ mutationes & corruptelæ futuræ tam in Ecclesia quàm in Rep. vel tristissimæ populorum clades, & magna Dei judicia, quæ cùm sint judicii universalis præludia, iisdem quoque phrasibus non incommodè designantur. 4. Tandem signum est concomitans, de quo agit Christus. Matth. 24. 40. *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, & tunc omnes Tribus terræ plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potentia & gloria multa.* In quo interpretes frustra se fatigant. Pontificii quidem sine fundamento referunt ad signum crucis, quod Christum ad judicium venientem præcessurum sit. Sed alii longè commodius volunt intelligi vel filium ipsum hominis, in nubibus apparentem, & in signum mortalibus datum. Jes. 11. 10. quomodo signum circumcisionis vocatur ipsa circumcisio. Rom. 4. 11. cui favet, quòd signo omisso, filius tantùm hominis ponitur in reliquis Evangelistis, & in sequenti hujus versûs parte. Vel tubam quæ ultimo die canet. 1. Cor. 15. 51. 52. quæ & ipsa signum dicitur, & signum dare. Vel radios gloriæ & majestatis summæ, qui tunc coruscare debent, ut mox hoc signum videtur describi, qui testabuntur, Christum, qui jam contemtus erat, Dominum esse cœli & terræ. Vel denique ignem illum, quo conflagrare debet mundus. Sed satius hic est ἐπέχειν, quàm temerè quicquam asserere. Matth. 24. 40.

VI. Quær. Qualis futurus sit mundi interitus? An per ultimam conflagrationem sit annihilandus? an verò instaurandus & renovandus? Resp. Posterior sententia videtur probabilior. 1. Ex Psalm. 102. 26. 27. *Opus manuum tua-* Mundus an sit annihilandus? Ps. 102. 26. 27.

tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, & Tu perstabis, & omnia ista sicut vestimentum veterascent, veluti pallium mutabis eos & mutabuntur, Tu autem ipse, & anni tui non deficient. Ubi interitus mundi & creaturam declaratur verbo, *alterandi, mutandi*, quæ non annihilationem designant, sed mutationem tantùm. Et ut vestimentum veterascens mutationem & instaurationem exigit, sic & cœlum tunc temporis. 2. Ex 2. Pet. 3. v. 7. ubi dicuntur cœlum & terra igni reservari. Et v. 10. *Cœli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra autem, & quæ in ea opera sunt, exurentur.* & v. 12. *Cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent*; Ubi dicitur, præterituros cœlos, i. e. solutum iri eorum compages, ut explicatur. v. 12. Terram exurendam, &c. Aliud verò est stridore præterire, dissolvi & exuri, aliud annihilari & totaliter interire; Quæ igne liquescunt & exuruntur non solent annihilari; imò à scoriis tantùm & fœcibus repurgantur, ut in re metallicâ metallum non annihilatur, sed purgatur, & purius exit excoctum igne. 3. Ex Rom. 8. 19. & seq. *Vanitati res creatæ subjectæ sunt non suâ sponte, sed propter eum qui subjecit, sub spe quod & ipsæ vindicabuntur ex servitute in libertatem gloriæ filiorum Dei: scimus enim omnes res creatas unà suspirare & parturire ad hoc usque tempus*, &c. Ex quibus constat, liberandam tantùm esse creaturam à vanitate cui hîc subjecta, adeoque secuturam aliquando ejus ἐλεύθερωσιν, non φθορὰν, aut ἀφανισμὸν. 4. Huc possunt referri verba Petri. Act. 3. 21. *Oportet Christum cœlo capi usque ad restitutionem omnium.* Jam si restituenda sunt omnia, non ergo annihilanda. Et Pauli. 1. Cor. 7. 31. quum ait, τὸ σχῆμα, *figuram hujus mundi præterire.* Aliud verò est figuram & statum externum mundi præterire, & mutari, aliud verò substantiam ipsam perire funditus, & annihilari. 5. Parum credibile videtur, Deum tot nobilissima corpora, tam eximiâ luce, tot dotibus excellentibus à se instructa destructurum; Dei potius est aliena opera destrure, quàm sua: Nec bonum boni est corruptivum. Sufficit destructio illorum, quæ in mundo vel mala sunt, vel deformia, nec Deum authorem habent.

2. Pet. 3. 7. 10. 21. 12.

Rom. 8. 19.

Act. 3. 21.

1. Cor. 7. 31.

Job. 14. 12.

Obj. 1. *Job.* 14. 12. *Et homo obdormit, nec resurget, donec non fuerint cœli*, &c. R. Innuitur, hominem non resurrecturum, usque dum non erunt cœli, sc. veteres & exterio-

teriores, quia expectamus cœlum novum: Vel negativè potest intelligi, ut homo nunquam resurrecturus dicatur, nim. ex se & virtute suâ, & secundùm ordinem naturæ in vitam præsentem.

Obj. 2. *Cœli evanescent ut fumus, & terra veterascet ut vestimentum. Jesa.* 51. 6. R. Inde non concluditur annihilatio; nec enim vel fumus annihilatur, vel vestimentum veterascens, sed materia tantùm utriusque induit aliam formam. Sensus ergo Prophetæ est, salutem & justitiam Dei firmiorem futuram cœlo & terrâ, æternam quippe & immutabilem, cùm & cœlorum potestates sint concutiendæ, & terra igne expurganda. Jes. 51. 6.

Obj. 3. *Finis mundi dicitur* σωτελεία τῦ αἰῶνος. R. Hæc vox notat quidem finem durationis Mundi, & statûs secularis, sed non interitum totalem & annihilationem. Imò σωτελεία designat potiùs τελείωσιν & complementum, quàm abolitionem.

Ob. 4. *Matth.* 5. 18. *&* 24. 35. *Luc.* 21. 33. *Cœlum & terra præteribunt: sed verba mea nequaquam præteribunt.* R. Loca ista non dicunt simpliciter & absolutè præteritura cœlum & terram, sed comparatè, per collationem rei impossibilis, aut nunquam futuræ, tanquam facilioris, quasi dicat Christus: Cœlum & terra citiùs interibunt, quam verba mea. 2. Nec si absolutè sumerentur, faverent totali mundi abolitioni; quia verbum παρελθεῖν non refertur ad abolitionem substantiæ, sed conditionis tantùm caducæ; nam verba Christi petita sunt ex Ps. 102. 27. ubi verbum *pereundi* exponitur per verbum *mutandi*. Matth. 5. 18. c. 24. 35. Luc. 2. 33.

Obj. 5. 2. *Pet.* 3. 7. *Dicitur cœlum reservari in diem perditionis.* R. 1. Hoc non referendum ad cœlos ipsos, sed ad perditionem hominum impiorum. 2. Ἀπώλεια non semper annihilationem & totalem interitum designat, sed mutationem tantùm quandam, quomodo prior mundus aquâ inundatus dicitur ἀπωλέσθαι. v. 6. 2. Pet. 3. 7.

Obj. 6. *Angelus jurat. Apoc.* 10. 5. 6. *Tempus non fore amplius.* R. Ex cessatione motûs cœlestium corporum, vel ex cessatione commensurationis durationis rerum secundùm illum motum, non sequitur illarum ἀφωρισμός. Sublato ergo discrimine annorum, mensium, dierum, & durationis interciſæ & variabilis, sequetur æternitas variationis omnis expers. Cessare ergo poterit ille ordo tem- Apoc. 10. 5. 6.

poris, qui subservit generationi & corruptioni rerum sublunarium, & juxta quem hominum negotia solent dispensari, quamvis non cessabit rerum creatarum continuata duratio. Potest etiam intelligi vel *tempus pœnitentiæ*, quod Deus antea hominibus ad conversionem concesserat, vel *tempus tenebrarum*, ignorantiæ, afflictionum Ecclesiæ, & tyrannidis Antichristi, ut innuatur, tale non fore tempus, quale fuerat antea, ærumnosum, calamitosum.

Apoc. 20. 11. Obj. 7. *Apoc.* 20. 11. *dicuntur cœlum & terram à conspectu sedentis in throno aufugisse, nec locum illis amplius inventum esse.* R. Hoc non importat totalem eorum interitum, sed tantùm disparitionem secundùm priorem formam, per quam pristina species, status & figura mundi ita præteritura sunt, ut locus non inveniri debeat ipsis amplius, adeoque nec priori cœlo & terræ, sed novo cœlo & novæ terræ divinâ virtute innovatis. 2. Ex locis ejusmodi figuratis & propheticis perperam argumenta propria ducuntur.

Obj. 8. *Cessante fine cessat etiam res ipsa propter quam est condita. At in consummatione Seculi cessaturus est finis mundi, qui erat, ut hominis viatoris esset domicilium, & via ad Deum tanquam in speculo contemplandum.* R. Duplex adhuc potest esse finis, summus quoad Deum, quia remanebunt ut æternæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis monumenta, quæ gloriam Dei prædicabunt, & subalternus quoad homines, quia creaturæ superstites futuræ sunt nostræ spiritualis contemplationis & oblectationis secundaria quædam exercitamenta. 2. Nec si ignotus esset nobis finis rei alicujus, imprimis quoad statum Seculi futuri, quia maxima ex parte nobis est absconditus, ideo statim negandum est hæc vel illa suum finem habere posse.

VII. Quamvis verò ejusmodi mutationem Mundi certò futuram statuamus; modum tamen illius nobis incognitum esse profitemur, nec ad quas Creaturas extendi debeat, licèt probabilis sit eorum opinio, qui bruta, plantas, & alia id genus corpora mixta & corruptibilia, necessaria ad vitam animalem, destruenda putant, & in corpora elementaria, ex quibus conflata sunt, resolvenda. Nec curiosiùs ista perscrutanda esse arbitramur, quæ Deus nos latere voluit.

Ultimi judicii Veritas. VIII. Ultimi judicii veritatem & certitudinem Scriptura

tura innumeris in locis asserit. Eccles. 12. 16. *Omne opus Deus ipse adducet in judicium, cum omni re occultâ, sive bonum, sive malum.* Prophetia Enochi relata à Juda. v. 14. *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus facere judicium contra omnes, & arguere impios de omnibus operibus impietatis eorum,* &c. Act. 17. 31. *Deus statuit diem, quo judicaturus est orbem habitabilem in justitia, per virum quem determinavit.* Matth. 12. 35. *De omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii.* Et cap. 13. 41. *In consummatione seculi mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in stagnum ignis & sulphuris, ibi erit fletus & stridor dentium.* Et cap. 16. 27. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundùm opera sua.* Et cap. 25. integer processus extremi istius judicii describitur. 2. Cor. 5. 10. *Oportet nos omnes sisti coram Tribunali Christi, ut quisque referat, in corpore suo quodcunque fecerit, sive bonum, sive malum.* 2. Tim. 4. 1. *Testificor coram Deo & Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos per adventum & regnum ejus,* &c. 2. Illud exigit *Providentia & justitia Dei,* quæ vult ut bonis benè, malis verò malè fiat. Cùm verò hoc in hac vita sæpius non accidat, necesse est universale dari judicium, quo impiis merita supplicia, piis verò gratuita præmia reddantur. 3. Hoc testatur etiam *uniuscujusque conscientia:* Unde enim terrores isti & conscientiæ aculei, nisi ex metu judicii divini? 4. Huc facit *sanctorum Gentilium confessio,* qui hoc non obscurè agnoverunt. Ad quid enim aliud possunt pertinere, quæ de Rhamnusia Dea fandi & nefandi ultrice fingunt, de Æaco, Minoe, & Rhadamanto apud inferos judicaturis? umbram sc. aliquam veritatis de futuro post hanc vitam judicio viderunt, quam multiplici falsorum figmentorum caligine involverunt.

Eccl. 12. 16. Judæ. v. 14. Act. 17. 31. Matth. 12. 35. Matth. 13. 41. c. 16. 27. cap. 25. 2. Cor. 5. 10. 2. Tim. 4. 1.

IX. *Judex* Christus erit in illa ipsa natura visibili, in qua fuit pro nobis condemnatus. Quamvis enim potestas judiciaria sit communis toti Trinitati, exercebit tamen specialiter per Filium incarnatum. Judicium ipsi à Patre traditum dicitur. Joh. 5. 22. Act. 10. 42. & 17. 31. urpote Ecclesiæ suæ Regi, Electorum suorum vindici, impiorum ultori, omnium Domino, &c. Utraque autem Christi natura hîc concurrere debet ad muneris istius exercitium.

Judex.

Ex

Ex natura divina cœlestis authoritas, imperium & sapientia manant, ad cordium secreta & tenebras perscrutandas; sententiam de genere humano pronunciandam, & eam sine ulla provocatione exequendam, quà homo verò visibili majestate in nubibus tanquam in Tribunali conspicuus apparebit, se judicem exhibebit, & sententiam latam in omnium conspectu pronunciabit.

Sancti quomodo judicaturi? 1. Cor. 6. 2. Apoc. 20. 4.

X. Sanctis & piis etiam tribuitur hoc judicium, ut 1. Cor. 6. 2. ubi Apostolus ait: *Sanctos mundum & angelos judicaturos.* Et Apoc. 20. 4. *Throni videntur, super quibus sedent Sancti & Martyres, quibus datum est judicium.* Id verò non debet intelligi, quasi potestas judiciaria ipsis formaliter competat; Sed 1. *communicativè* & *participativè in Christo, Capite suo mystico*, cum quo dicuntur vivificari, resuscitari, & sedere in cœlestibus. Eph. 2. 6. quia honor Capitis redundat in omnia membra. Sic Apoc. 3. 21. Victori promittitur sessio in throno Christi. 2. *Approbativè*, & quoad *assensum*, quia Christo judici suffragabuntur, ejusque sententiam calculo suo comprobabunt. 3. *Comparative*, respectu eorum qui condemnabuntur. 4. *Testificativè*, quia de bonis operibus piorum, inprimis de beneficentia & charitate sibi præstitis testimonium ferent. Eò etiam referri potest quod dicit Christus de Apostolis, quòd sint sessuri

Matth. 19. 27.

super 12. thronis, & judicaturi 12. tribus Israëlis Matth. 19. 27. Quamvis enim hoc respicere possit authoritatem supremam quam Apostoli habituri erant in Ecclesia ratione doctrinæ, quæ debeat esse regula & fundamentum fidei, ex qua judicium fieri debuit de veritate aut falsitate cujusvis doctrinæ. Nihil obstat tamen illud extendere ad dignitatem quam habituri sunt in cœlis exaltati ad communionem gloriæ Regni Christi, supra ipsam Ecclesiam, duodecim tribuum nomine designatam.

Objectum judicii,

XI. *Objectum judicii* est tum *Personale*, tum *reale*. *Personale* sunt 1. Creaturæ rationales, tam angeli quàm homines. *Angeli* quidem & in specie *mali*, qui reservantur ad judicium magni diei. Jud. v. 6. 2. Pet. 2. 4. vincula enim quæ nunc sunt ad custodiam, tunc erunt ad pœnam, & quæ nunc laxiora sunt, tunc erunt gravissima & arctissima. *Homines* verò omnes, tam pii quàm impii, cujuscunque ordinis, sexûs, ætatis, conditionis & statûs, omnium locorum & temporum, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt, tam

tam vivi quam mortui, omnes enim sistemur. 2. Cor. 5. 10. *Reale* sunt tum eorum opera. Matth. 25. Eccl. 12. 14. 2. Cor. 5. 10. Tum *verba*, quia *de verbo odioso etiam reddenda erit ratio.* Matth. 12. 35. Tum ipsæ cogitationes. Rom. 2. 15. 16. *In die quo Deus revelabit occulta cordium.* Et. 1. Cor. 4. 5. *Nolite judicare ante tempus, quoad usque venerit Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

Forma judicii, Causæ cognitio.

XII. *Forma* judicii consistit in *causæ cognitione, sententiæ pronunciatione, & executione. Causæ cognitio* non difficilis tum erit propter judicis omniscientiam, tum propter conscientiæ lumen. Atque huc pertinet apertio librorum, Dan. 7. 2. Apoc. 20. 12. quales sunt; *Liber Providentiæ & Omniscientiæ* Dei universalis, qui omnes omninò Creaturas complectitur, earum causas & effectus, ubi scriptum est quid quisque boni vel mali fecerit. *Liber Conscientiæ*, in quo opus Legis scribitur, & quicquid à singulis boni vel mali sit gestum. *Liber vitæ & prædestinationis*, ex quo constat, quinam sint electi, quinam reprobi. *Liber Scripturæ*, ex qua judicandi sunt illi omnes, quibus revelata est.

Dan. 7. 2. Apoc. 20. 12.

Norma judicii.

XIII. *Norma* judicii istius debet esse revelatio quæ hominibus data est: Ut illi qui sine Lege, sc. scriptâ peccârunt, sine Lege etiam scriptâ, sed non sine Lege cordibus impressâ judicentur. Rom. 3. 12. Qui sub Lege seu dispensatione legali vixerunt, ex alia etiam œconomia judicentur. Illi verò, ad quos Evangelium pervenit, ex Evangelio. Ut enim Deus nihil ab homine exigit, nisi juxta revelationis ipsi datæ mensuram; ita juxta tres ejus species procedere debet ejus judicium. Cum Ethnicis, juxta revelationem naturalem, & ea quæ ex libro naturæ vel conscientiæ cognosci possunt. Cum Judæis, juxta Legalem œconomiam, & V. T. Scripturam. Cum Christianis verò, juxta revelationm gratiæ, & Evangelium N. Test. Unde patet eos errare, qui pertendunt solum Evangelium esse normam istius judicii, ut de fide & incredulitate hominum sententia ferri debeat; & Gentiles ipsi ex hac norma judicandi sint. Cùm enim hoc ipsis revelatum non fuerit, quomodo ex verbo ipsis incognito possent judicari?

Obj. *Apost. dicit. Rom.* 2. 16. *Deum judicaturum esse secundùm Evangelium suum.* R. Hoc non infert; Evangelium

Rom. 2. 16.

gelium fore normam istius judicii quoad Gentiles; Apostolus enim tantùm confirmat veritatem & certitudinem judicii futuri per Christum exercendi ex verbo à se prædicato, provocat ergo ad Evangelium, non ut doceat secundùm quid Deus judicaturus sit, sed per quem.

Sententiæ promulgatio, & executio.

XIV. Sententiæ promulgatio constat bonorum absolutione, & impiorum condemnatione, quæ statim executioni mandabitur. Sic judicis apparebit *Authoritas* in colligendo, *Scientia* in discernendo, *Justitia* in decidendo, & *Potentia* in exequendo. Apud illum nulla excusatio, nulla tergiversatio, nulla provocatio vel appellatio, nulla deprecatio, nulla dilatio locum habebit.

An peccata piorum in ultimo judicio revelanda sint?

XV. Quær: An peccata piorum æquè ac impiorum revelanda sint? Resp. Negativa probabilior videtur. 1. Propter judicem, qui cum pro nobis plenissimè satisfecerit, & nunc in cœlis pro nobis intercedat, tunc venturus est ut Redemtor & Servator, non ad exprobranda suis peccata sua, sed ad implendas in iis suas promissiones, & manifestandam gratiæ suæ admirabiliratem. 2. Processus judicii cum piis talis est, ut mentio quidem fiat bonorum operum, sed non malorum. Matth. 25. non audiunt pii peccatorum suorum publicationem, sed charitatis & beneficientiæ enumerationem. 3. Gratuita Dei misericordia non vult amplius recordari peccatorum nostrorum, sed ea projicit post tergum suum; at quod Deus semel tectum voluit in hac vita, non revelaturus est in altera. 4. Si peccata revelantur, cederet hoc in ignominiam & confusionem piorum, à quibus debet exulare, cùm in finem eum rediturus sit Christus, ut gloriosus sit in Sanctis suis, & admirabilis in credentibus.

Locus judicii.

XVI. De *Loco judicii* nihil determinati Scriptura tradit, nec opus illum scrutari. Quod Pontificii de *Valle Josaphat* somniant, ad Judæorum à quibus hoc mutuati sunt, deliria pertinet. Nec locus Joël. 3. 2. huc pertinet: *Congregabo*, inquit, *omnes Gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, ut disceptem ibi cum eis pro populo meo.* v. 12. *Et excitabuntur & ascendent Gentes in convallem Josaphati; nam ibi sedebo ad judicandas omnes istas Gentes undique, dicens; Immittite falculam, nam maturuit messis.* Quia sermo est allegoricus de Ecclesia Dei ex improviso liberanda, eodem modo, quò olim Josaphato insignem indulserat, victo-

Joël. 3. 2.

v. 12.

victoriam de Moabitis & Ammonitis circa clivum Tzitzi in extremitate vallis, in fronte deserti Jeruelis; de qua agitur 2. Chron. 20. 16. Alludit ergo ad insigne illud Dei judicium, & cladem hostium Ecclesiæ, ut memoria mirabilis illius liberationis fideles in bonam spem erigeret. Itaque Vallis Josaphat non ponitur pro loco certo, sed in genere pro omni loco, ubicunque Deus in hostes Ecclesiæ judicia debebat exercere, quomodo olim in dicto loco insignem Josaphatus de hostibus populi Dei reportaverat victoriam.

XVII. Sententiæ judicis promulgationem sequetur ejus *Executio*, quæ respectu impiorum fiet per dejectionem ipsorum in infernum, respectu verò piorum per evectionem in cœlum.

CONTROVERSIA I.

An detur purgatorium, seu præter cœlum & Gehennam locus tertius, in quo post hanc vitam animæ quorundam Sanctorum, tanquam carcere detineantur, & igne corporeo, donec justitiæ divinæ satisfecerint, purgentur? Neg. c. Pontif. De Purgatorio.

Quamvis ea quæ supra de satisfactione Christi diximus, purgatorium Pontificium satis evertant; Quia tamen quanti sit emolumenti Pontificiis hoc figmentum nemo nescit, ut mirum non sit eos pro illo retinendo tanquam pro aris & focis pugnare; Usque adeò ut *Cottonus Jesuita* ab ipso Dæmone petere non erubuerit locum aliquem Scripturæ illi firmando aptissimum, quem hucusque reperire isti homines non potuerant. Ideo paucis de hac quæstione aliquid agemus; Et quidem contra hoc figmentum pugnamus sequentibus

ARGUMEN.

1. Mors ultimus fidelium hostis est, quo victo ipsis nulla miseria restat. 1. Cor. 15. 26. 1. Cor. 15. 26.

2. Fideles statim à morte in vitam & cœlum transeunt, beati, non miseri sunt. *Ingrediuntur pacem, requiescunt in cubilibus Juis.* Jes. 57. 2. Cum Lazaro gaudent *in sinu Abrahæ.* Luc. 16. 22. *Transeunt à morte in vitam.* Joh. 5. 24. *Si terrestis domûs tabernaculum dissolutum fuerit, habent ædificium ex Deo.* 2. Cor. 5. 1. Ideo dicuntur *beati mortui* ἀπάρτι, *ab, hoc tempore i. e. statim post discessum.* Apoc. 14. 13. Jes. 57. 2. Luc. 16. 22. Joh. 5. 24. 2. Cor. 5. 1. Apoc. 14. 13.

13. Et

Luc. 23. 43. 13. Et Christus dicit ad latronem. Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.*

Exc. Exc. Ad locum Luc. 23. 43. *Vocula* hodie *ad sermonem Christi referenda est, non ad vectionem in paradisum, ut sensus sit:* Hodie tibi dico, quòd mecum eris in paradiso, sc. in ultimo judicio. R. Constructio verborum hoc non patitur, & frustra hoc apponeretur, quia nemo loquitur nisi tempore præsenti, & manifestum est Christum respicere ad verba latronis; *Sis memor mei, cùm eris in Regno tuo.*

3. Duo tantùm loca & receptacula animarum sunt, cœlum & gehenna; duo status, cum Christo, & cum dæmone, duæ tantùm portæ, lata & angusta. Matth. 7. 13.

4. Christus plenissimè pro fidelibus satisfecit, ut antea probavimus.

5. Deus peccata eorum qui se convertunt, plenè remittit, ut antea probavimus. E. non opus purgatorio.

OBJECTIONES.

Matth. 12 31. 1. *Matth.* 12. 32. *Peccatum in Spiritum S. non remittetur neque in hoc neque in futuro Seculo. Seculum verò futurum nihil aliud est, quàm seculum purgatorii.* R. 1. Seculum futurum nunquam notat purgatorium, sed statum gloriæ, ut Marc. 10. 30. ubi seculum futurum & vita æterna conjunguntur. 2. Matthæi phrasis significat *nunquam*, in æternum non, ut Marcus explicat. Marc. 3. 29.

2. *Animæ resuscitatorum ex purgatorio revocatæ sunt.* R. Non, sed è cœlo; Deo id ad tempus imperante.

1. Cor. 3. 13. 3. *Ignis purgatorii opus probabit.* 1. *Cor.* 3. 13. R. Tum omnia omnium opera in purgatorium descendere deberent: dicitur enim, *opus uniuscujusque.* Sed per ignem intelligitur extremum Dei judicium, corda examinans tam accuratè, ut aurifaber aurum igne facit. *Inst. Salvabitur per ignem. v.* 15. R. Dicitur ὡς διὰ πυρός, *sicut per ignem*; Non autem quisquis velut per ignem servari dicitur, statim per ignem transire significatur; nim. hæc est proverbialis locutio, quæ difficultatem tantùm salutis notat, ducta ex communi hominum sermone, quo is qui difficulter servatur, dicitur ereptus quasi ex incendio.

v. 15.

CON-

CONTROVERSIA II.

An animæ fidelium V. T. in atrio aliquo gehennæ seu limbo detentæ fuerint, & à salute exclusæ usque ad Resurrectionem Christi è mortuis? De limbo Patrum.

Neg. contra Pontif.

Pontificii, ut facilius tueantur hypothesim suam de imperfectione V. Test. pertendunt Patres, qui sub illo vixerunt, non admissos fuisse statim in cœlum, sed detentos in *Limbo* usque ad ascensionem Christi. *Limbi* autem nomine intelligunt superiorem inferni partem, & veluti extremitatem, ductâ metaphorâ à veste, cujus extremitas seu fascia, quæ ambit partem extremam, vocatur *limbus*. Orthodoxi contrà Patres statim post obitum in cœlum quoad animas admissos asserunt, ubi fruuntur felicitate æterna.

ARGUMENTA.

1. Quia formula fœderis gratiæ, sub quo vixerunt Patres, non patitur eos in Limbum detrudi, sed postulat ut in cœlum admissi sint. Cùm enim Deus promiserit se fore Deum ipsorum, non ad tempus tantùm, sed in æternum; nec sit Deus mortuorum, sed viventium; necesse est ut Patres etiam post mortem adhuc vivant aliquâ saltem sui parte, i. e. quoad animam, non qualicunque vitâ, sed beatâ & cœlesti, quæ necessariò in hac promissione includitur.

2. Quia Veteres statim à morte admissi sunt in sinum Abrahæ, ut patet exemplo Lazari. Luc. 16. 19. 20. Sinus verò Abrahæ non notat Limbum, ut Bellarm. vult, sed vitam æternam, quæ nobis sub convivii opipari symbolo passim adumbratur, allusivè ad ritum Veterum in conviviis usitatum, in quibus solebant ita accumbere, ut alter in alterius sinum caput reclinaret; ita Johannes dicitur recubuisse in sinu Christi. Joh. 13. Nihil itaque proclivius est, quàm ut dicatur, hîc Lazarum fuisse Abrahamo, quod Johannes Domino fuit, in cœlesti convivio, cùm præsertim Christus alibi apud Matth. 8. 11. hoc mysterium clarè explicet, quum ait, multos ab Oriente & ab Occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo in Regno cœlorum, i. e. cum ipso cœlestibus epulis fruituros, *accumbere cum Abrahamo*, & *esse in sinu Abrahami*, idem sunt, nisi quòd in sinu esse majoris amoris est indicium. Luc. 16. 19. 20.

Luc. 23. 43. 3. Quia latro in paradisum admittitur ante ascensionem Christi, juxta promissionem ejus. Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in paradyso.*

Heb. 11. 5. 2. Reg. 11. 4. Quia Enoch & Elias in cœlum sunt translati. Heb. 11. 5. & 2. Reg. 11. Nam licèt peculiare hoc ipsis fuerit, quòd corpore sint in cœlum rapti, non singulare fuit quòd Spiritu sint eò admissi, imò pignora fuerunt solennia piis gloriæ cœlestis tandem obtinendæ.

5. Quia fideles Veteres expectârunt civitatem cœlestem. Heb. 11. & magnum solatium ac certam spem gloriæ in morte habuerunt, quod fieri non potuisset, si in infernum adhuc detrudendi fuissent. Quomodo Jacob tanto studio se expectare salutem Domini testaretur. Gen. 49. & David se in manus Domini deponere spiritum suum. Psalm. 31. 6. Si procul debuerunt adhuc esse à facie Dei, & glorificandi tantùm post multa secula?

Ps. 31. 6.

OBJECTIONES.

Zach 9. 11. 1. *Zach.* 9. *v.* 11. *Eduxit nos e lacu.* R. Hoc non debet trahi ad limbum, cùm partim de liberrate à captivitate Babylonica & miseriis eam comitantibus, à quibus nondum plenè liberati erant Judæi, dicatur quoad literam, partim quoad mysterium de captivitate spirituali sub peccato, à qua Christus nos liberat sanguine suo.

1 Sam. 28. 11. 2. 1. *Sam.* 28. 11. *Anima Samuelis è limbo rediit.* R. Non fuit verus Samuel, qui visus est Pythonissæ, sed ejus tantùm spectrum, Dæmon sc. Prophetæ personam mentiens, qui è terra prodiit ad terrendum Saulem, & plerumque ipse Satanas se transfigurat in angelum lucis. Quippe nihil juris vel imperii competit Dæmonibus in piorum animas, quas Deus receperit in tabernacula æterna, ut quiescant à laboribus suis; aliâs deterior esset conditio eorum post mortem quàm in vita, in qua fide armatæ, tutæ sunt ab omnibus Satanæ insultibus. Adde quòd, si verus fuisset Samuel, non esset passus se adorari à Saule; Nec dici potuisset Deum Sauli ipsum consulenti non respondisse, nec per Sacerdotes, nec per Prophetas, quia respondisset tunc per Prophetas. *Inst. Nomen Samuelis exprimitur.* R. Sic dici potuit propter similitudinem, ut solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt. *Inst. Ille Samuel futura prædixit.* R. Hoc potuit fieri ex divina revelatione, in pœnam hominum.

3. *Via Sanctuarii ante ascensionem Christi nondum fuit patefacta. Heb.* 9. 8. R. Non quòd totaliter latuerit, sed quòd non tam clarè fuit patefacta. 2. Non quibusvis gentibus, sicut in N. Test. 3. Nondum erat patefacta λύτρωσις Christi actuali, sed tantùm quoad efficaciam meriti. 4. Non hìc confertur tempus cum tempore, sed potiùs Sacrificia Mosaica cum Sacrificio Christi, ut innuatur non potuisse nobis illa aperire cœlum, quod uni sanguini Christi concessum. 5. Si Christus primus dicitur in cœlum ingressus, hoc non ratione temporis intelligendum, sed causalitatis, quia ingressus Christi vera fuit causa Patribus, non minùs ac nobis, introitûs in cœlum. Heb. 9. 8.

CONTROVERSIA. III.

De limbo infantium.

An infantes fidelium sine baptismo decedentes, è cœlo & salute perpetua exclusi, limbo aliquo, seu atrio inferni detineantur? Neg. contra Pontificios.

ARGUMENTA.

1. Salvator noster infantibus fidelium, nullo ætatis discrimine, cœlum addicit. Matth. 19. 14.

2. Infantes fidelium Sancti sunt. 1. Cor. 7. 14. Sancti autem cœlo non arcentur.

3. Mortui parvi, & magni, sine discrimine ætatis, cœlum possident. E. & infantes. Apoc. 20. 12.

4. Cùm nostri decedunt, non vult Paulus nos lugere, quasi spem vitæ non haberent. 1. Thess. 4. 13.

5. Si in limbo aliquo detinerentur, tum in judicio tres essent hominum status, & plurimi nec ad dextram Christi starent, nec ad sinistram, contra Matth. 25. 32.

OBJECTIO.

Jam discussæ sunt supra, quum de Necessitate Baptismi egimus.

CONTROVERSIA. IV.

De precibus pro mortuis.

An rectè & piè pro mortuis orare possimus? Neg. contra Pontif.

Pontificii sub prætextu specioso purgatorii Preces, Missas, Peregrinationes, aliaque ejusmodi suffragia pro mortuis jactitant, iisque funguntur. Contra valent seq.

ARGUMENTA.

1. Nullum nec mandatum nec præceptum habemus orandi pro mortuis.

2. David id ut inutile & ineptum rejicit, dum occasione filioli sui mortui dicit. 2. Sam. 12. 23. *At nunc mortuus est, quorsum ego jejunarem? Possumne revocare eum denuò? Ego sum abiturus ad ipsum, at ipse non est reversurus ad me.*

2. Sam. 12. 23.

3. Status mortuorum est immutabilis: Nam, *quocunque ceciderit arbor, ibi futura est. Eccles.* 11. 3. Frustra ergo preces pro iis funduntur.

Eccl. 11. 3.

4. Ecquid precaremur pro animabus quæ finguntur esse in Purgatorio, cùm juxta quosdam Pontificios pro illis non precentur ipsi Sancti qui sunt in cœlo? An precibus suffragiis inde liberarentur, quæ ab illis pœnis merito, Satisfactione Sanguine, intercessione Christi, eximi non potuerunt? An miserius etiam ageretur cum eorum spiritibus, qui vel nullos vel duros sortiti proximos, neminem reliquerunt qui pro se precaretur, nec annuos reditus, quibus Ecclesiæ preces redimerent?

OBJECTIO.

Judas oravit & sacrificavit pro mortuis. 2. Macch. 12. 44.

2. Macc. 12. 44.

R. 1. Liber est Apocryphus, nullius authoritatis. 2. Mens Judæ non fuit propitiari pro mortuis, qui sacrilegii & idolatriæ rei justo Dei judicio sub gladio hostili perierant, sed superstites expiare, & castra sua sacrilegio polluta lustrare; ut ferè fiebat casu descripto Deut. 21. 1. & seq. cùm videlicet Urbs proxima loco in quo latens homicidium fuisset perpetratum, solemni ritu veniebat expianda, ejus Senioribus inter solemnia Sacrificii ad id præscripti dicentibus: *Expia populum tuum Israëlem quem redemisti Jehova, & ne impone reatum sanguinis innoxii in medio populi tui Israëlis.* Lacrymas & planctus Sanctorum super defunctis legimus, nullas pro illis preces.

Inferni variæ denominationes,

XVIII. *Infernus* Hebr. שאול Græcis ἅδης dicitur, & nobis hîc sumitur pro *loco damnatorum.* Ejus synomina varia occurrunt in Scriptura, אבדון Prov. 15. 11. seu *perditio*, & 27. 20. *Gehenna*, Matth. 5. 22. 29. voce ductâ à valle filiorum Hinnom, in qua impii Israëlitæ horrendâ idololatriâ, idolo Ammonitorum Molocho ex κακοζηλίᾳ, ut creditur, sacrificii Abrahami, vel imitati crudelem

lem Phœnicum superstitionem, solebant infantes miseros, vel per ignem traducere, vel candentibus statuæ Molochi brachiis innixos horrendis cum cruciatibus ustulare, circumstrepentibus interim tibiis, & tympanis, ne dolore expressus clamor exaudiretur. Unde nomen תופת illi à תוף tympano inditum. Hinc Rex Josias in detestationem immanis illius idolomaniæ, locum illum contaminare cœpit cadaveribus & ossibus humanis, quibus exurendis continuus ignis reperiebatur. 2. Reg. 23. 10 Unde non mirum si locus fœdus, & cruciatui ignis destinatus, & abominationibus variis infamis ad tormenta inferni designanda est adhibitus. *Vermis rodens*, *& ignis* ἀσβεστος. Marc. 9. 44. *Tenebræ exteriores*, *ubi est fletus & stridor dentium*. Matth. 22. 11. *Ignis æternus*, *paratus Diabolo & angelis ejus*. Matth. 25. 43. *Stagnum ignis & sulphuris*. Apoc. 19. 20. *Æterna damnatio* Heb. 6. 2. *Lacus & torcular iræ*. Apoc. 14. 19. *Ira ventura*. Matth. 3. 5. *Mors secunda & æterna*, & aliæ appellationes.

XIX. Quærere: An sit infernus, supervacaneum ducimus; Quicquid enim Epicurei & Athei dicant, tot Scripturæ locis asseritur, totque rationibus, sive à justitia Dei, sive à Legis maledictione, sive à peccati turpitudine & demerito, sive à conscientiæ terroribus petitis, confirmatur, ut summæ sit impietatis & amentiæ id in dubium vocare. Dari infernum probatur.

XX. Pœna inferni non est mera *annihilatio*, ut vellent Sociniani; vel *pœna damni*, quasi in simplici bonorum privatione consisteret sine ullo malorum sensu: Utrumque enim hic concurrere ad impiorum tormenta augenda extra dubium est. Hinc Scriptura modò *privativè* per remotionem omnis boni, modò *positivè* pœnas illas describit. *Mala* στερητικὰ sunt separatio à Deo & Christo, & privatio divinæ visionis, in qua posita est Beatorum felicitas, separatio ab Angelis & Beatis, privatio lucis, gaudii, gloriæ, felicitatis ac vitæ. *Positiva* vero *mala* sunt multiplicia, quæ per dolores & cruciatus, per tormenta, per planctum & luctum, per clamorem & ululatus, per fletum & stridorem dentium, per vermem rodentem, per ignem comburentem, & alia id genus adumbrantur, quæ mala omnis generis tam in animam quàm in corpus inferre solent. In quo pœnæ infernales consistant? Non in annihilatione impiorum. Nec in damno tantùm, sed & in sensu.

An ignis infernalis futurus sit corporeus?

XXI. Quær. An ignis, quo torquendi sunt impii tam animo quàm corpore, futurus sit materialis & corporeus? Resp. Pontificii quidem statuminando fictitio igni Purgatorio, quem eundem cum infernali quoad speciem, sed gradu tantùm & duratione diversum volunt, illud asserere non dubitant, animasque eo torqueri sentiunt. Sed alii longè verius negant, & metaphoricè exponi volunt de gravissimis angoribus conscientiæ, & desperatione. 1. Quia agitur de igne, qui paratus est Diabolo & angelis ejus. At corpus non potest agere in spiritum sine contactu vel mediato vel immediato, quod non cadit in spiritum. 2. Variæ aliæ Phrases, quibus pœnæ infernales describuntur, non tam propriè quàm allegoricè sunt intelligendæ, quum exprimuntur per tenebras exteriores, vermem, stridorem dentium, catenas caliginis, stagnum sulphuris, carcerem, abyssum, &c. Eadem ratione ignis intelligendus est metaphoricus, non proprius. 3. Si bona cœlestia sub dulcissimarum rerum symbolis, quæ non propriè, sed figuratè sunt intelligenda, ut cum mentio fit sinûs Abrahæ, accubitûs in Regno cœlorum cum Patriarchis, Paradisi, arboris vitæ, Thesaurorum, coronarum, & sim. Quidni pariter figuratè loquutum censeamus Spiritum S. in descriptione malorum oppositorum, ut dirissima tormenta per ignem, qui intensissimos dolores creare solet, adumbrentur. Licèt verò animas damnatorum igne aliquo materiali cruciandas esse non censeamus; Corpora tamen in ignem aliquem physicum dejicienda esse, & in æternum ustulanda ac torquenda, nolumus negare. Quamvis, qualis ignis iste sit futurus, & quænam ejus natura ac conditio, nos lateat.

Pœnarum infernalium adjuncta.

XXII. Pœnarum infernalium varia adjuncta possunt observari. 1. *Inæqualitas*, pro varia delictorum ratione, secundùm loca Scripturæ. Matth. 11. 22. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm urbi illi.* Et Luc. 12. 47. 48. *Ille servus, qui novit voluntatem Domini, & non paratus est, neque facit secundùm voluntatem ipsius, cædetur multis plagis, qui verò non noverit, facit verò digna plagis, cædetur paucis.* Matth. 23. 14. *Propter hoc accipietis κρίμα περισσότερον.* Pœna enim respondere debet culpæ; At culpa est inæqualis. E. & pœnæ debent esse inæquales, non quidem ratione extensionis, seu durationis, quia dabitur utrobique pœnarum æter-

Matth. 11. 22.

Luc. 12. 47. 48.

Matth. 23. 14.

æternitas, sed ratione intensionis, seu gravitatis. 2. *Pœnarum magnitudo & intensio*, quæ tanta debet esse, ut nec mente concipi, nec verbis exprimi queat. Tum quoad *multitudinem & universalitatem*, quatenus non in corpore tantùm, sed in anima, nec in una tantùm illius parte, aut istius facultate, sed in omnibus cruciabuntur; nec unâ tantùm specie doloris & cruciatûs, sed omnibus qui excogitari possunt, & quidem eâ intensione & gradu, qui maximus potest esse. Ideo per res tristissimas & acerbissimas solent exprimi, per *vermem rodentem*, *& ignem perpetuò ardentem*, per *fletum & stridorem dentium*, per *tormina & dolores parturientis*, per *opprobrium*, *confusionem*, *ignominiam*, *angustiam*, &c. Quæ omnia evincunt falsitatem figmenti eorum, qui pœnas impiorum in annihilatione constituunt. Quorsum enim describerentur per dolores & cruciatus acerbissimos, si mera debet esse pœna damni, aut annihilatio? Quorsum Christus diceret de homine ad pœnas infernales damnato, *melius futurum fuisset illi homini, si non natus esset?* Matth. 26. 24. Nec dici potest, mortem & ignem æternum appellari non sui, sed effectûs ratione, quòd illum in eum statum redigat, unde negant redire quenquam. Nam sic non hominibus tantùm, sed & brutis mors æterna immineret, & denuncianda esset. 3. *Pœnarum duratio & extensio*, non modò in earum *continuitate* non interruptâ, quatenus nullam habituri sunt damnati quietem aut relaxationem, sed etiam in earum *perpetuitate* & *æternitate*, quæ erit mortis ipsius quædam immortalitas; Unde *opprobrium æternum*, *ignis æternus & inextinguibilis*, *mors æterna* dicitur. Ita peccati demeritum infinitum pœna durationè infinitâ urcunque plectitur, atque eò justius, quia nunquam peccare in Deum desinent: Unde tandem orietur *desperatio* & *fremitus*, tanquam consequens inevitabile. Hinc patet vanitas commenti *Origenis*, qui Diabolo & impiis certum pœnarum terminum statuit, quem ubi impleverint, ex iis tandem sint liberandi. Cum enim toties Scriptura æternitatem istarum pœnarum asserat, quis hic limitare ausit? Matth. 26. 24.

XXIII. Quamvis summum illud bonum, quod in vita æterna possidebimus, sit ἀκαταλήπτον & ἀνεκλάλητον nobis in hac miseriarum valle; Tria tamen hic conjungenda censemus, quæ in beatitudine indivulsè inter se cohærent, Vita æterna in quo consistat. Visio Dei qualis?

rent, *visionem*, *amorem*, *gaudium*; ex quibus efflorescit gloria ineffabilis. *Visio beatifica* non amplius erit specularis & ænigmatica, quæ hîc per fidem habetur, sed clarissima & perfectissima Dei & rerum divinarum cognitio, qualis potest in Creaturam finitam cadere, de qua eximiè Paulus. 1. Cor. 13. 9. *Nos hîc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, sed cùm venerit perfectio, tum quod est ex parte abolebitur.* Et v. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, sed tunc facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, sed tum cognoscam ut cognitus sum.* Visio autem illa non erit *ocularis, sensibilis* & *externa*, siquidem Deus est Spiritus, qui sub sensum corporis cadere non potest, qui propterea dicitur invisibilis, 1. Tim. 1. 17. *quem vidit nemo, nec videre potest.* 1. Tim. 6. 16. Sed *mentalis, intellectualis* & *interna.* Visio illa etiam non erit *adæquata* & *comprehensiva*, sed tantùm *inadæquata* & *apprehensiva*, quia finitum non est capax infiniti, ita, ut Dei essentia immediatè à Beatis attingi non possit. *Amor Dei* erit purissimus & intensissimus, ex immenso illo lumine, & cœlesti ejus intuitu oriundus, per quem ita Deo adhæsuri sumus immutabiliter, ut in ipsum quodammodò transformandi simus per naturæ divinæ participationem, quo sensu Psalm. 17. 13. dicit David: *Se satiatum iri similitudine Dei, cùm evigilaverit.* Et Christus Joh. 17. 23. petit pro fidelibus, *ut sint in unum consummati*, sc. per charitatem, & v. 26. *ut dilectio quâ Pater ipsum dilexit, sit in ipsis, & ille in ipsis.* Ideo Paulus charitatem cæteris præfert virtutibus. 1. Cor. 1. 8. 13. eò quòd nunquam excidat. Ex Dei visione & amore manabit *gaudium verum*, purum, ineffabile & æternum, *quod nemo tollet à nobis.* Joh. 16. 23. quod per satietates gaudiorum, lætitiam æternam, & absersionem omnis lacrymæ exprimitur. Ps. 16. Jes. 25. 8. Apoc. 21. 4. Ex his omnibus nascetur *gloria* ineffabilis, & admirabilis, quâ beati induentur tam quoad animam, quàm quoad corpus: Et quoad illam quidem per perfectam cognitionem & sanctitatem, quoad istud verò per omnis miseriæ, labis, infirmitatis remotionem, incorruptionis & immortalitatis communicationem, &c. Quæ omnia cùm nobis incomprehensibilia, & ineffabilia sint, Deus nobis in S. Scriptura illam felicitatem describit sub symbolis rerum quarumcunque præstantissimarum, dulcissimarum, utilissimarum, quæ maximo solent esse

1. Cor. 13. 9. 12.

Amor Dei in vita æterna.

Gaudium cœleste.

Gloria cœlestis.

apud

apud homines in pretio, quales sunt, e.g. lux, convivium, regnum, corona, thronus, &c. non ut cum Mahumete fingamus delitium felicitatis terrenæ & carnalis, sed per miram συγκατάβασιν, quâ Deus se accommodare nobis solet, & loqui linguâ hominum; nam si Deus hominibus divina & cœlestia divinis & cœlestibus verbis aperiret, non posset ab iis intelligi.

Qualitates corporum glorificatorum.

XXIV. Corpora glorificatorum mutanda sunt non ad substantiam, sed tantùm secundùm qualitates, quod innuit verbum μεταχηματίζειν, quo utitur Paulus. Phil. 3. 21. Hoc sensu quo Christus dicitur coram Discipulis μεταμορφωθεὶς, Matth. 17. 2. non quoad substantiam corporis, sed quia species vultûs ejus facta fuit alia. Luc. 9. 18. Istæ verò qualitates corporum glorificatorum sunt 1. *Incorruptio* & *immortalitas*, quia *quod mortale est à vita absorbebitur*. 2. Cor. 5. 4. & 1. Cor. 15. 54. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale immortalitatem.* Eò pertinet, quòd mors & infernus dicuntur mitti in stagnum ignis, Apoc. 20. 14. i. e. penitus deleri & extingui, & quod cap. 21. 4. dicitur, quòd mors amplius non erit. Nam quia peccatum erit planè expiatum, etiam mors, quæ est effectum peccati, locum non habebit. Hæc tamen immortalitas probè distinguenda est tum à *Dei immortalitate*, qui solus per essentiam & à seipso per absolutam & omnimodam moriendi impossibilitatem immortalis est, unde dicitur *solus habere immortalitatem.* 1. Tim. 6. 16. Beati verò immortales sunt per gratiam; tum ab *immortalitate Adami*, quæ erat potentia non moriendi, quia ut poterat non peccare, poterat etiam non mori si non peccâsset. Sed ista erit absoluta moriendi impotentia, nam quia beati non poterunt amplius peccare, ita nec poterunt mori; tum ab *immortalitate Angelorum* & *animarum*; illi enim & istæ sunt immortales per gratiam creationis, & propter spiritualem suam essentiam. Sed corpora beatorum erunt immortalia per singularem Dei dispensationem; tum ab *immortalitate damnatorum*, quæ erit immortalitas pœnæ, sed beatorum immortalitas erit ad gloriam. 2 Huc pertinet *Impassibilitas*, per quam nullis omninò passionibus internis aut externis erunt obnoxia. Non *internis*, quia nullus amplius erit in ipsis fomes concupiscentiæ, nulla peccati macula, nullum inordinatum πάθος, &c. Non *externis*, quia nihil erit amplius

1. Incorruptio.

1. Cor 15. 54.

1. Tim. 6. 16.

2. Impassibilitas.

quod passionem, aut dolorem ipsis inferre aliquem possit. *Non esurient, nec sitient amplius, nec cadet super illos Sol, nec*
Apoc. 7. 16. & 21. 4. *ullus æstus.* Apoc. 7. 16. *Mors non erit, nec luctus, nec clamor, nec dolor erit ultra.* cap. 21. 4.
3. Claritas & gloria. 3. *Claritas & gloria*, quâ electi dicuntur *fulsuri sicut sol in Regno Patris.* Matth. 13. 43.
Matth. 13. 43. Exod. 34. 29. Cujus præludium quoddam in Mose sub V. Test. fuit exhibitum, Exod. 34. 29. cujus facies ex colloquio cum Deo, tanta luce & splendore collustrata est, ut coactus sit velum faciei imponere, quia Israëlitæ non poterant in ejus fulgorem ἀτενίσαι. Idem specimen, sed longè illustrius sub N. T. in Christi transfiguratione datum est, in qua facies ejus resplenduit sicut sol, & vestimenta ejus facta sunt candida. Matth. 17.
4. Potentia. 2. 4. *Potentia & virtus*, posita tum in corporum robore, tum
3. Cor. 15. 44. in eorum agilitate & velocitate. De qua Paulus. 1. Cor. 15. 44.
2. Cor. 13. 4. *Seminatur in infirmitate, resurgit in virtute.* Et 2. Cor. 13. 4. *Ut Christus crucifixus est ex infirmitate, & vivit ex virtute Dei; ita & nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute Dei.*
5. Spiritualitas. 1. Cor. 15. 45. 5. *Spiritualitas; Seminatur* ψυχικὸν, *animale, resurgit* πνευματικὸν, *spirituale.* 1. Cor. 15. 45. Non quòd corpora carne & sanguine, cute & ossibus, & partibus organicis sint destituenda, ut *Sociniani* volunt; nec quòd futura sint illocalia, invisibilia, impalpabilia, & penetrabilia, ut volunt Ubiquitistæ, hypothesi suæ patrocinaturi; sed, tum, quatenus corpora ab omnibus terrenis fæcibus & sordibus perfectè repurgabuntur, omnes sensus puriores, omnes motus & actus perfectiores reddentur, tum, quòd eximentur à necessitatibus vitæ hujus animalis, somni, quietis, cibi, potûs, medicaminum, vestium, &c. tum, quòd perfectè se subjicient Spiritui S. & animæ per eum regenitæ, & sic spiritualibus tantùm actionibus vacabunt.

An dentur gradus gloriæ. XXV. Quær. An dentur gloriæ gradus? Resp. Hæc quæstio jam olim acriter disceptata fuit inter *Hieronymum* & *Jovinianum*, quorum iste inæqualitatem gloriæ & inæqualitatem meritorum, ille verò æqualitatem ejus asserebat. Hodie dupliciter potest tractari, vel prout nobis intercedit cum Pontificiis, qui inæqualitatem gloriæ asserunt ex inæqualitate meritorum, quam illi instar fundamenti substernere solent, unde *Aureolarum* fabula nata apud ipsos. Et cum illis quæstio necessaria est, & de fide, de qua egimus supra Loco de Decalogo. Vel prout agitatur inter ipsos Orthodoxos, qui tales gradus non censent dari inæqualibus homi-

hominum meritis, ut Pontificii, sed ex mera liberalitate & misericordia Dei. Cum istis est quæstio Problematica, in qua potest dari dissensus salvâ fide & charitate. Cujus nos affirmativam tenemus. 1. Ex Dan. 12. 3. *Erudientes splendebunt sicut splendor firmamenti, & justificantes multos quasi stellæ in sempiterna secula.* Ubi Doctoribus promittitur peculiaris gloria supra salvandos. Christus quidem promittit omnibus justis splendorem solis. Matth. 13. 45. sed loquitur absolutè & indefinite, Daniel verò definitè & comparatè, conferens Doctores cum aliis suscitatis, quos erudierunt, ut ita eos potentiùs præmuniret contra pericula vocationis suæ, argumento peculiaris & singularis gloriæ. 2. Ex 1. Cor. 15. 41. 42. *Alius decor Solis, alius Lunæ, alius Stellarum, Stella enim stellâ præstat decore, sic erit resurrectio mortuorum.* Licèt verò Pauli scopus h. l. propriè sit ostendere diversitatem corporis; quod ponitur in morte, & recipitur in resurrectione; hoc non obstat quominùs similitudo ulterius extendi debeat; nam cùm corporea cœlestia decore distinguat, non solùm à terrestribus, sed etiam ipsa inter se, satis clarè innuit, non solùm diversitatem fore corporum; sed etiam gloriæ disparitatem. 3. Ex 1. Cor. 3. 14. 15. *Si cujus opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet, si verò alicujus opus comburitur, multabitur, ipse verò servabitur tanquam per ignem.* Ubi Apostolus loquitur de Doctoribus Ecclesiæ sub idea Architectorum, qui fundamento jam posito superædificant; & eos in duos ordines dispescit, nim. in eos, qui illi fundamento superstruunt aurum, argentum, lapides pretiosos, i. e. doctrinam veram, solidam & salutarem; & eos qui lignum fœnum & stipulam, i. e. doctrinam falsam, curiosam, vanam & inutilem illi superædificant. Et uniuscujusque opus suo dicit tempore manifestandum; *cujus verò opus manserit, inquit*, i. e. cujus operi admotus judicii divini ignis, aurum aut argentum fuisse patefecerit, quod superædificaverit, sc. solidam doctrinam, cum ait *mercedem accepturum* in illo die. Sed *cujus opus arserit*, i. e. vanum esse judicabitur, *detrimentum patietur*, i. e. privabitur operis mercede, quam probus architectus ex suo referet, *servabitur tamen ille, sed tanquam per ignem*, i. e. licèt sit multatus opere suo, non desinet tamen salutis fieri particeps, quia supponitur semper retinuisse fundamentum. Ex quibus clarum est juxta Paulum, dari doctores, qui præter salutem suam, reportant adhuc mercedem aliquam operis à se ritè præstiti, quâ alii destituuntur,

Dan. 12. 3.

1. Cor. 15. 41. 42.

1. Cor 3. 14. 15.

untur; quod non potuisset ab ipso dici, nisi agnovisset gra-
2. Cor. 9. 5. 6. dus aliquos gloriæ. 4. Ex 2. Cor. 9. 5. 6. *Qui serit parce, parcè etiam metet, & qui serit benigne, benigne etiam metet.* Ubi quò largior beneficentia fuerit, eò largior remuneratio promittitur. Nec hoc debet restringi ad spirituales fructus in hac vita percipiendos, quia Apostolus optimus sui interpres aliter rem declarat. Gal. 6. 8. *Tempus sc. præsens esse tempus sationis,*
Luc. 19. 21. *futurum verò tempus messis.* 5. Ex parabola minarum. Luc 19. 21. Ubi diversitas lucri ex minis concreditis compensatur diversis præmiis, qui quinque minas lucratus est, constituitur super decem urbes, & qui duas, super duas. Licèt verò hoc intelligendum sit de statu præsentis seculi, respectu augmenti donorum, tamen subordinata non pugnant, & non desunt rationes, quibus constet parabolam ad remunerationem vitæ futuræ extendendam esse, tum, quia agitur de viro nobili peregrè abeunte, & post longum tempus redeunte, & rationem cum servis conferente. v. 19. quod non aliò potest pertinere, quàm ad Christum ascendentem in cœlum, & redeuntem in judicium novissimo die, tum servi fideles jubentur intrare in gaudium Domini sui. v. 21. Nequam verò ejicitur in tenebras exteriores; at clarum est utrumque demum in ultimo die fieri, tam antecedens parabola Virginum, & subsequens descriptio judicii idem confirmat. 6. Ab Exemplo Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum, qui tanquam Antesignani & Duces fidelium proponuntur in gloria. Eò pertinet quòd accubituri dicimur cum Abra-
Matth. 8. 11. hamo, Isaaco & Jacobo in Regno cœlorum. Matth. 8. 11. & quòd Lazarus moriens dicitur deportari in sinum Abrahæ.
Luc. 16. 22. Luc. 16. 22. tanquam communis Patris omnium fidelium. Rom. 4. 11. 12. quod dicitur de Mose & Elia in transfiguratio-
Matth. 19. 28. ne. Matth. 17. 3. Et de Apostolis Matth. 19. 28. & Luc. 22. 30. quum dicuntur Apostoli in παλιγγενεσία, seu mundi renovatione, quum Christus sederit in throno suo, & ipsi sessuri super 12. thronis, judicantes duodecim Tribus Israël. Quod dici non posset, nisi disparitas quædam esset gloriæ ipsorum, & gloriæ omnium fidelium. Quò respicit etiam, quòd in inscriptione fundamentorum cœlestis Hierusalem peculiaris sit mentio 12. Apostolorum. Ap. 21. 14. Et quòd Paulus Thessalonicenses suam gloriam & coronam fore in adventu
1. Thess. 2. 19. Domini non temerè auguratur. 1. Thess. 2. 19. 7. A variis rationibus, quia operum & laborum ac passionum gradus sunt varii, dona diversa; quid mirum, si diversa etiam sint præmia?

Obj.

Obj. 1. *Ex parabola laborantium in vineâ patet, indispari labore omnibus dari eundem denarium.* Matth. 20. 8. 9. R. Per denarium illum non potest intelligi vita æterna, quia datur illis qui recedere jubentur à Domino. v. 14. & qui non sunt electi. v. 16. Scopus ergo Christi est, non adstruere paritatem gloriæ in vita æterna, sed ostendere quòd vocatio ad Regnum Dei non nostris meritis, sed divinæ gratiæ superstrui debeat, & quòd primi debeant esse novissimi, & novissimi primi, ut in rejectione Judæorum & vocatione Gentilium visum est. Matth. 20.8.9.

Obj. 2. *Electio, justificatio, adoptio sunt æquales in omnibus fidelibus, ut & Sanguinis Christi pretium pro omnibus electis æqualiter fusi.* R. Non sequitur tamen, æqualem debere esse gloriam, aliâs ex ista æqualitate non minùs sanctificationis æqualitas colligi posset, quod tamen falsum. Jam pro hujus diversa in piis ratione ac gradu se habebit glorificatio. Sanguinis quidem Christi pretium æqualiter peccata omnium expiavit, sed quibus majorem sanctitatis copiam hîc dedit Christus, majorem quoque gloriæ gradum largitur. Nec bene concluditur ex æqualitate Sanctitatis in cœlis æqualitas beatitudinis in omnibus, quia gloria cœlestis ex præsentis, non ex futuræ vitæ sanctitate metienda est.

Obj 3. *E. in iis, qui minorem gloriam sunt habituri, est imperfectio.* R. Neg. Quia talis statuitur inæqualitas, quæ nihil detrahat plenæ Beatorum consolationi, ut nihil desit ad eorum perfectam felicitatem; quod illustrari potest Exemplo Luminarium, quæ singula in suo ordine perfecta, & tamen alia aliis præstant decore. 1. Cor. 15. 41. Et vasorum inæqualium, quæ omnia quidem implenda sint, sed majora quidem plus excipiant, minora minus. Sic beatos omnes replendos gloriâ, & sic perfectè felices fore, sed tamen juxta cujusque ordinem & gradum.

Obj. 4. *Beati omnes ex æquo sunt filii Dei, hæredes Christi, Corpus, Sponsa Christi, Reges.* R. Ex his titulis non magis infertur æqualitas gloriæ, quam æqualitas donorum in hac vita, siquidem in hac vita fideles iisdem titulis donantur. 2. Filius & hæres potest peculiarem aliquam habere prærogativam; nec omnium Regum est eadem majestas, nec omnia corporis membra eodem honore gaudent.

XXVI. Quær. An beati in altera vita se invicem agnituri sint? R. Non cognoscent se invicem cognitione quæ hîc obtinet, quæ terrenos & carnales affectus includit, quibus homines

An beati cœlites se invicem agnituri sint?

mines moveri solent sive ad res mundanas quærendas, sivè ad hominum favorem sibi conciliandum; Non cognoscent se invicem secundùm carnem, ut Paulus ait. 3. Cor. 5. 16. 17. i. e. secundùm ea quæ ad vitam hanc animalem pertinent, uti sunt cognationes, amicitiæ, scientiæ, divitiæ, & aliæ relationes externæ, quæ sunt hujus seculi, & juxta quas homines hîc se invicem cognoscunt, & amoris affectu se mutuò prosequuntur. Sed cognoscent se invicem cognitione spirituali & divinâ: quæ defœcata erit ab omnibus terrenis cogitationibus & affectibus: Hoc sensu nihil obstare credimus, quin Beati se invicem sint agnituri. 1. Quia hoc non parum faciet ad perfectionem felicitatis eorum. 2. Si Adamus lumine Spiritûs Prophetici agnovit Evam antea non visam, & dicere potuit quænam esset, & in quem usum à Deo condita. Gen. 2. 23. Quidnî beati, luce Dei pleni, & ad imaginem Dei penitùs restituti, se invicem in alia vita agnoscent? 3. Si Petrus, Jacobus & Johannes potuerunt in illa luce transformationis Christi Mosen & Eliam antea non visos, colloquentes cum Christo agnoscere; Matth. 17. 7. Quis hanc notitiam denegabit Beatis in cœlum translatis, ubi & purius lumen, & clarior longè futura est cognitio? 4. Paulus vocat Thessalonicenses spem suam, coronam, gloriam, & gaudium suum in adventu Christi. 1. Thess. 2. 19. 20. Quomodo verò eos ita vocare posset in die Christi, nisi illos tum agnituros esset, tanquam filios carissimos.

2 Cor. 5. 16. 17.

Matth. 17. 7

1. Thess 2. 19. 20.

Obj. *Absentia amicorum & cognatorum, si qui sunt, qui felicitate excludentur gaudium Beatorum perturbabit.* R. Minimè, quia abolitus erit omnis carnalis affectus, quo fideles amicos suos in hac vita sunt prosequuti. Et ut se invicem in Deo & propter Deum sunt amaturi; ita nullum compassionis sensum habituri sunt erga eos, quos videbunt à Dei præsentia exclusos, imò justis judiciis ejus lætabuntur, ea pleno sensu approbaturi.

An Beati Deum vocali etiam sermone sint glorificaturi?

XXVII. Quær. An Beati Deum non tantùm mentali, sed etiam vocali sermone sint glorificaturi? R. Aff. 1. Quia Deus ab homine toto, non minùs corpore quàm animâ colendus; Ut jam fieri præcipit in hac vita. 1. Cor. 6. 21. *Redemti estis pretio, glorificate ergo Deum & corpore & animo quæ sunt Dei.* Si corpus non minùs quàm anima creatum est & redemtum à Deo, & ab eodem glorificandum, quid justius quàm ut corpus istud ab eo glorificatum illum etiam glorificet tam opere, quàm verbo. 2. Quia in Apocalypsi plures

refer

referunrur δοξολογίαι Beatorum vocali sermone expressæ. Apoc. 5. 9. & 7. 9. 10. & 11. 16. & 12. 10. quæ licèt maxima ex parte sint allegoricæ, supponunt tamen usum sermonis externi tunc futurum. 3. Quia in transfiguratione discipuli intellexerunt Mosem & Eliam cum Christo colloquentes. Matth. 17. 7. Et Paulus in tertium cœlum raptus audivit verba ineffabilia. 2. Cor. 12. 4. 4. Quia nullum potest dari inter homines commercium & colloquium, nisi per sermonem externum.

XXVIII. An in cœlo futurus sit diversitati linguarum locus? R. Probabiliter quidam censent cessaturam in altera vita linguarum varietatem, ut uno labio Deus laudetur ab omnibus in perfectâ symphoniâ, ut futuri sumus omnes unus populus; una civitas in cœlesti Patria. Atque eò non malè referuntur verba Pauli. 1. Cor. 13. 8. *Prophetiæ abolebuntur, linguæ cessabunt, & cognitio abolebitur.* Nam ut linguarum varietas duplici potissmum de causa data est hominibus. 1. In pœnam peccati, ad confundendos Babelis ædificatores; 2. in gratiam fidelium, maledictione in benedictionem versâ, ad ædificandam Sionem, & congregandam Ecclesiam ex omni linguâ & gente. Ita post abolitum peccatum, & congregatam Ecclesiam, ut nulla diversitatis linguarum necessitas est futura, nec illi locus futurus videtur.

An diversitas linguarum in cœlo futura sit? 1. Cor. 13. 8.

Obj. 1. *Videtur facere ad majorem Dei gloriam, si in omnibus linguis laudabitur, juxta illud Pauli. Phil. 2. 11. Ideò datum esse Christo nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu, & omnis lingua confiteatur eum esse Dominum, ad gloriam Patris.* R. Locus ille planè est impertinens, quia per *omnem linguam* intelliguntur omnes populi, cujuscunque linguæ, sive Judæi sive Græci confiteantur eum esse Dominum ad gloriam Patris. Ita passim linguæ pro populis & Gentibus poni solent. E. g. Dan. 7. 14. *Huic datus est dominatus & gloria, ac regnum, ut omnes populi, nationes, & linguæ ei serviant.* Et sæpius in Apocalypsi, &c. Phil. 2. 11.

Obj. 2. *Cognitio Beatorum perfecta erit, adeoque extendi debet ad cognitionem omnium linguarum, non minùs ac scientiarum, unde beati in omni lingua sunt locuturi Dei magnalia, ut factum die Pentecostes.* R. Cognitio omnium linguarum vel earum exercitium non magis facere videtur ad perfectionem felicitatis, quàm cognitio scientiarum, quam Apostolus cum linguis cessaturam dicit. 1. Cor. 13. 8.

XXIX. Quær. Quâ linguâ Sancti Deum sint celebraturi? R. Quidam statuunt linguam Hebraicam locum habituram,

Quælingua locum

fit habitura in cœlo?

turam, quia prima est & nobilissima omnium linguarum, & quæ Sanctæ nomen obtinuit, quâ Adamus usus est in Paradiso, quâ usi sunt Patriarchæ & Prophetæ, & Christus ipse tum in diebus carnis suæ, tum post ascensionem Hebraico dialecto Paulum alloquens Act. 16. 14. quæque iedo per *labium electum* intelligenda sit, de quo Sopho. 3. 8. & Sancti in Apocalypsi utuntur multis vocibus Hebræis Amen, Hallelujah, &c. Apoc. 7. 9. Alii volunt Beatos locuturos linguâ Angelicâ, respicientes ad locum Pauli. 1. Cor.

1. Cor. 13. 1. 13. 1. *Si loquerer*, inquit, *linguis hominum, imò & angelorum, & non habeo charitatem, nihil sum nisi æs resonans, & cymbalum tinniens.* Sed fine ratione, quia angeli sunt meri Spiritus, adeoque linguam non habent quâ loquantur. Nec locus Pauli eò pertinet, quia sermo ejus non est proprius, sed hyperbolicus, ad notandam linguam præstantissimam, quales essent Angelorum, si loquerentur: Ut sensus sit ex hypothesi: Si aliquæ linguæ Angelorum essent, & eas tenerem, nec illis uterer ad proximi ædificationem, nihil aliud essem quàm vana loquacitas. Quomodo alibi facies Angelica sumitur pro facie præstantissima. Act. 6. 15. cùm facies Stephani visa est Judæis ut facies Angeli. Ita manna vocatur panis Angelorum. Ps. 78. 25. i. e. optimus & suavissimus. Alii peculiarem aliquam linguam, his nostris longè nobiliorem, Beatis infundendam censent, tum, quia Paulus disertè ait linguas cessaturas, nim. in hac vita usitatas, tum quia raptus in tertium cœlum dicit se audivisse *verba ineffabilia*, nim. quæ captum humanum longè excedant, & quæ nemini mortalium in hac vita licet vel possibile est eloqui. Sed frustra in hoc quærendo laboramus, quod nec Deus nos scire voluit, nec hujus vitæ est proprium. Expectandum igitur tempus, quo in plenam Dei communionem admissi perfectè perspecturi sumus quæ nobis sunt adhuc impervia. Interea discamus in terris ea, quorum scientia permanet in cœlis, & inchoemus in gratia, quæ perpetim acturi sumus in gloria, expectantes tempus illud beatum, quo corpore & animo plenè glorificati, illi æternum Halleluja concinamus.

FINIS.

CATA-

CATALOGUS.

Hæreticorum & Schismaticorum, tam Veterum quàm Modernorum.

QUoniam in hoc Compendio multa subinde Historica occurrunt, non incommodum erit huic Compendio hunc Catalogum tanquam Supplementum seu Appendicem annectere, ut sciamus non modò *quid*, sed etiam *contra quos* disputemus,

Hi verò quos breviter describimus hoc Catalogo, distingui possunt in eos, qui sunt adhuc extra Ecclesiam, & eos, qui ab Ecclesia defecerunt.

I. *Extra Ecclesiam* sunt infideles, vel *negative* ita dicti, qui nihil unquam de Evangelio audiverunt, quales sunt plerique ex *Ethnicis & Paganis*, ad quos nondum pervenit Lux Evangelii; vel *privative* ita dicti, qui aliquid audiverunt de fide, sed eam tamen contemnunt & respuunt, inter quos plerumque nominantur *Judæi* & *Muhametani*, quibus nomen Jesu Christi non est simpliciter ignotum, & ea habent adminicula, quibus possent in ulteriorem notitiam devenire.

a. *Paganismus* seu *Gentilismus* est superstitio Gentilium, quâ quique falsos Deos fingunt & pingunt. De veteribus Paganis, Epicureis præsertim, omnem Providentiam Dei in Sublunaribus negantibus, dicere multa non attinet.

Hodierno die Paganismi rudera sunt.

1. *In Europa*, *Gronlandia*, nempe *Lappica*, ac quibusdam Poloniæ & Livoniæ locis, *Livoni* namque alii Solem, alii lapidem, nonnulli etiam serpentem adorant.

3. *In Asia*, *Tartari*. Quidam enim auream colunt vitulam, alii solem, aut pannum rubrum hastæ expansum. Sic *Chinenses* plurimos habent Deos, Soli tamen & Lunæ

præcipuum honorem deferunt, persuasi, horum nutu omnia gubernari, Cacodæmoni etiam, ne noceat, supplicationes deferunt.

3. *In Africa. Nigritæ*, namque Lunam, Solem & terram, quam vel sputo inquinare piaculum ducunt, pro Numinibus habent.

4. *In America. Mexicani* & *Peruphii* Solem adorant, Sacrificia catervatim offerunt, aliaque Deorum millia honorant.

5. Sed & *Mediterranei* Cacodæmonis simulacra, item duo ad atrorum hircorum similitudinem sculpta, simulacra etiam humana venerantur.

b. *Muhamedani*, à Muhamede impostore, Seculo à Christo nato VI. inter Arabes Novam Religionem ex Christianismo, Judaismo & Paganismo cudente, denominati. Articuli Religionis sunt sequentes.

1. Scripta quidem Propheterarum & Apostolorum θεόπνευστα esse, & ἀξιόπιστα, ita tamen à Christianis & Judæis corrupta, ut pro fidei principio amplius agnosci non possint.

2. Omnium legum perfectissimam, divinissimam & certissimam esse eam, quam Alcorano suo fuit complexus.

3. Judicem omnium Controversiarum esse Muhamedem in Alcorano, Poëtarum more fabulantem.

4. Deum non Essentiâ tantùm, sed & personâ esse unicum, & Filium Dei Creaturam quidem, sed excellentem, omnis peccati expertem, ex beata V. miraculosè genitum esse.

5. Christum magnum mundi Prophetam divinis quidem miraculis claruisse, virtute tamen non propriâ, sed divinitùs concessâ.

6. Servatorem munere suo Prophetico in hac terra defunctum, non tantùm de Muhamede, universali mundi Propheta, suos discipulos monuisse, sed & nomine proprio expressisse.

7. Christum pro peccatis mundi nunquam fuisse mortuum, sed ipsius loco alium, ipsum verò vivum in cœlos receptum.

8. Hominem non ex fide in Christum, sed ex operibus Legis Mosaicæ vel Alcorani servari.

9. Ex

9. Ex Sacramentis tam V. quàm N. T. solam illi recipiunt circumcisionem.

10. Πολυγαμίαν Exemplis Patriarcharum V. T. probatam etiamnum posse concedi: Divortia etiam maritis quamlibet ob causam permittunt.

11. Vitam æternam in meris deliciis & voluptatibus carnalibus collocant.

Opera ex Alcorano sequentia sunt præscripta.

1. Preces, quas quotidie, alii quinquies, alii septies concipiunt.

2. Per totum mensem *Ramadan* jejunandum esse, ab ortu nimirum Solis ad occasum; nocte tota comedendum & bibendum quantum libeat.

3. Peregrinationes votivæ *Mecham* institutæ; quibus ipsam vitam æternam alligare solent.

4. Redemtiones Captivorum.

5. Lotiones variæ, vel aquâ, vel etiam ubi illa desit, urinâ peractæ.

6. Eleemosynæ, quibus deditissimi sunt.

7. Templorum sumtuosæ structuræ.

8. *Judæi* sunt, qui ex corrupta V. T. Doctrina, & Scriptorum Talmudicorum deliriis trahunt sequentia.

1. Tres personas in unitate Essentiæ divinæ negant.

2. Deo ridicula multa, summoque rerum Moderatore indigna affricant, cujusmodi est; quòd lectioni Talmudis vacare soleat, & alias sententias, quæ tamen ipsi hyperbolicè intelligenda esse clamant.

3. Legem Dei geminam esse, ἔγγραφον, sive scriptam, & ἄγραφον, non scriptam, quam pari pietatis affectu venerantur.

4. Legem Mosaicam, Ceremonialem præsertim, ita esse perpetuam, ut nulli sit obnoxia mutationi, unde non pauci æternitatem Legis acerrimè defenderunt.

5. Legem ipsam falsis, impiis, fabulosis & ineptis corrumpunt glossis.

6. In explicatione Decalogi ita versantur, ut modò in defectu, modò in excessu peccent, e. g.

α. Præcepto 2. damnatum volunt omnem imaginum usum, eum etiam, qui memoriæ tantùm inservit.

β. Viceversa negant blaphemiam ullo modo in Deum fieri, quàm exprimendo nomen παραγράμματον.

γ. Ita præcepto 4. omnem omninò operis externi executionem prohiberi, ne quidem iis concessis, quibus hominis salus promovetur.

7. Ad hæc non contenti festis divinitùs præscriptis, alia quoque colunt ex instituto humano, cujusmodi sunt jejunia in obsessæ & occupatæ urbis Hierosolymæ, et incensi Templi memoriam. Festum ob liberationem ab infensissimo Judæorum hoste Hammane, quo in Synagogis ter Liber Hesteræ legitur, & ad memoriam nominis *Hamman*, malleis incudibusque instructa plebecula scamna tundit. Festum Encæniorum, à Macchabæo institutum, cùm Templum recuperâsset, quod in accendendis lucernis maximè consistit.

8. Messiam vulgò terrenum Regem, Gentes Judæorum dominio subjugaturum fingunt. Ut verò luculenta ista Prophetarum vaticinia de passione & doloribus Messiæ suum etiam habeant pondus, duplicem volunt Messiam, alium *Ben Ephraim*, alium *Ben David*; illum miseriis & afflictionibus humanis obnoxium, hunc verò victorioſum, potentem, libertatis Judaicæ restitutorem nugantes.

9. Artibus etiam pessimis hominem Christianum circumvenire suis concedunt.

II. Secundi ordinis sunt, *qui ab Ecclesia defecerunt:* Suntque vel Schismatici, vel Hæretici.

A. *Schismatici* sunt, qui temerè vel injustè ab aliis, qui sui sunt vel fratres vel Pastores, secedunt in Religionis negotio, & cum illis detrectant communicare. Inter hos ponimus Lutheranos & Arminianos.

a. *Lutherani* Martinum Lutherum sui Schismatis authorem jactitantes, circa fundamentum errant, qui occasione recepti *Carolostadij* cum Helvetiis Zuinglioque de corporali Christi præsentia in Eucharistia disputare cœpit, & ut eam commodiùs tueretur, ubiquitatem Corporis Christi asseruit, illud quidem ex inveterato Pontificiorum de corporali

porali præsentia errore, hoc verò ex malè intellectâ Scholasticorum distinctione, de modis præsentiæ. Posterius tamen sponte sua missum fecit, dissentiens in solo primo. At Sectatores quidam, maximè verò *Johannes Brenzius* & *Jacobus Andreæ* post obitum Præceptoris non modò ubiquitatem revocârunt, sed & alias Controversias Luthero planè ignotas moverunt, quarum præcipuæ sunt. 1. De Prædestinatione. 2. De gratia Dei. 3. De vocatione per Christum. 4. De Providentia Dei circa malum. 5. De libero arbitrio. 6. De ubiquitate Corporis Christi. 7. De Proprietatum divinarum in humanam Christi naturam effusione. 8. De Baptismo. 9. De Consubstantiatione.

Porrò & ipsi Lutherani in diversas abierunt partes. Sunt enim alii

α. *Flacciani*, à *Mathia Flaccio Illyrico* nuncupati, qui somniavit, justitiam originalem non accidens, sed puram substantiam in Adamo fuisse, quæ transfusa in posteros nunc peccatum originale vocetur.

β. *Osiandritæ*, qui id nomen ab *Osiandro* acceperunt: Docuit ille. 1. Mediatoris officium soli Divinitati adscribendum. 2. Justitiam essentialem fidelibus imputari.

b. *Arminiani* à *Jacobo Arminio Batavo*, Professore Theol. *Leidensi* Sectæ hujus hoc Seculo natæ authore denominantur. Dicuntur etiam *Remonstrantes*, quòd libello supplici (quem Gallorum imitatione *Remonstrance* vocant) ordinibus Hollandiæ exhibito, doctrinæ suæ tolerantiam petierunt.

De his quæritur: An inter Schismaticos vel hæreticos numerandi? Resp. Quatenus insistunt fidei articulis, & veritatem oppositam non condemnant, non sunt hæretici, sed periculosè errant. Alia tamen ratio illorum, qui cum Socinianis colludunt.

Præcipui verò errores sunt sequentes.

1. Legem Mosis & Prophetarum in V. T. non fuisse æquè perfectam, ac mandata in N. T.

2. Deum nullâ certâ electione apud se discreviisse salvandos à damnandis.

3. Electionem ad salutem pendere ex fide prævisâ tanquam causâ.

4. Non tam ipsam justitiam & vitam, quàm utriusque possibilitatem Christum nobis impetrâsse, ut peccatores possint servari per ipsum, modò mandata ejus velint observare.

5. Non omnes electos & credentes perseverare ad salutem, sed eorum plurimos deficere, æternùm perire, adeoque neminem salutis suæ in hac vita certum esse posse.

6. Fidem salvificam non esse fiducialem apprehensionem Christi & ejus satisfactionis pro nobis, sed tantùm operum à Christo mandatorum diligentem executionem.

7. Justificari hominem ipso actu sive fidei opere, i. e. per obedientiam mandatorum Christi.

8. Peccatum originale non esse peccatum propriè dictum, sed ejus tantùm pœnam.

9. Hominem lapsum non totaliter in peccatis mortuum, nec omnibus viribus destitutum esse.

10. Deum ob peccatum originale homini non irasci, nec quenquam propterea punire.

11. Remissionem peccatorum tantùm actualium, non verò originalis à Deo petendam.

B. *Hæretici* sunt, qui errore aliquo capitali & fundamentali in doctrina fidei, cum superbia & pertinacia, adeoque Ecclesiæ derelictione conjuncto imbuti sunt.

Tales sunt vel Occidentales, vel Orientales.

&. *Occidentales* sunt sequentes.

α. *Anabaptistæ*, qui Baptismum à suis non administratum iterant, Pædobatismum verò in totum damnant, unde & *Catabaptistæ* vocantur.

Dogmata à Donatistis, Eunomianis, Manichæis, Sabellianis, Pelagianis, Novatianis, Catharis, aliisque hæresiarchis mutuata docent sequentia.

1. Usum Scripturæ V. Test. inter Christianos nullum esse.

2. Christum suum Corpus ex Maria non suscepisse, sed de cœlo secum attulisse, ac per ipsam tanquam canalem transisse.

3. Spiritum S. demùm post Christi glorificationem cœpisse.

4. Pa-

4. Patriarchas V. T. Christum planè ignorâsse.

5. Regenerationem in hac vita ita perfici, ut legem Dei perfectè implere valeamus.

6. Pro veris Ecclesiis eos cœtus non esse habendos, in quibus quandoque flagitiorum maculæ apparent.

7. Ecclesiæ ministerium promiscuè à Laicis esse obeundum.

8. Stipendia Ministris non esse accipienda.

9. Sacramenta nudas tantùm beneficiorum spiritualium esse imagines.

10. Infantes baptizare nefas esse, rebaptizandos etiam, si baptismum in infantia receperint.

11. Ob leviſſima etiam quæque delicta fratres esse excommunicandos.

12. Neque militiam, neque ordinem Politicum Deo probari.

13. Bonorum communionem inter Christianos requiri.

14. Legem quinetiam de divortiis non minùs nunc quàm inter Judæos valere, fasque esse uxorem ob pertinaciam, lites, aliaque vitia dimittere.

β. *Swenkfeldiani*, quorum pater est **Caspar Schwenckfeld**/ nobilis Silesius, eruditus magis, quam judiciosus.

Præcipui errores sunt.

1. Fidem non verbo Dei, sed internis Spiritûs S. revelationibus niti, ac per eas demùm certitudinem haberi salutis.

2. Externum Ecclesiæ ministerium non nisi mortuam literam esse, ac proinde publicos cœtus non necessarios.

3. Carnem Christi Deificatam beneficio unionis hypostaticæ, quâ duæ naturæ in unam conflatæ sint.

γ. *Pontificii*, qui Pontificem Romanum pro totius Ecclesiæ visibilis Capite, & supremo Christi in terris vicario agnoscunt, ejusque regimini subsunt, cujus impia tyrannis & in Ecclesiam dominatus jam serpere cœpit in mysterio iniquitatis Apostolorum tempore, paulò post se prodere in *Victore* Episcopo Romano, qui Episcopos Orientales excommunicare veritus non fuit, quòd Romanæ Ecclesiæ morem in Paschate celebrando non observarent. Aucta deinde Tyrannis illa, cùm Decreto Synodi Nicenæ

II. Sedi Romanæ primus inter ſedes Patriarchales locus confirmaretur. Potiſſimùm verò erupit, cùm parricida *Phocas* toti Orienti inviſus, ut aliquem favorem retineret, Eccleſiam Romanam Caput omnium Eccleſiarum proclamâſſet, Epiſcopum verò ejus œcumenicum ſive univerſalem declarâſſet. Factum id circa annum Chriſti 606.

Doctrina Pontificiorum hodiernorum Concilio Tridentino ſuperiori Seculo poſtremùm fuit ſancita. Potiſſimùm verò Pontificii à Reformatis diſſentiunt in ſequentibus Capitibus.

1. De Verbo Dei. 2. De Perſona & Officio Chriſti. 3. De Pontifice Romano & Antichriſto. 4. De Conciliis. 5. De Magiſtratu Politico. 6. De Purgatorio. 7. De cultu Sanctorum. 8. De Reliquiis & Imaginibus. 9. De Eccleſia & ejus notis. 10. De Templis & diebus Feſtis. 11. De Sacramentis. 12. De Baptiſmo. 13. De Confirmatione. 14. De Euchariſtia 15. De Miſſæ Sacrificio. 16. De Pœnitentia & ejus partibus. 17. De Indulgentiis. 18. De Extrema Unctione. 19. De Ordinatione Miniſtrorum. 20. De Matrimonio. 22. De Statu hominis ante lapſum. 22. De Peccato in genere & in ſpecie. 23. De Gratia Dei & Prædeſtinatione. 24. De libero arbitrio. 25. De Juſtificatione. 26. De Oratione. 27. De Jejunio. 28. De Eleemoſyna.

♂. *Sociniani*, qui à primo Hæreſiarcha *Paulo Samoſateno Samoſateniani* etiam dicuntur; & ſparſim in Polonia, Lithuania, Tranſylvania, Belgio, aliiſque Provinciis vicinis virus ſuum evomunt. *Sociniani* dicuntur ab infauſtiſſimo *Fauſto Socino*, Senenſi, Italo, qui Patrum noſtrorum memoriâ ſopitam Samoſateni hæreſin ab orco revocavit. Docent verò

1. Chriſtum nudum eſſe hominem.

2. Deum Chriſto adſtitiſſe, non aliter ac S. Patriarchis & Prophetis.

3. Chriſti mortem non fuiſſe Satisfactionem propriè dictam, ſed paſſionem Exemplarem, quâ nos Exmplo ſuo diſceremus animam pro amicis ponere, & carnis pravitatem magis magiſque mortificare.

♃. *Orientales*, ab Authoribus ſuis, Religionem Chriſtianam

nam in orientali mundi plaga infestantibus, teterrimasque hæreses excitantibus dicti, sunt vel Asiatici, vel Africani.

Aa. *Asiatici* sunt.

Aëtiani, ab Aëtio, aliàs *Eunomiani*, ab Eunomio, Aëtii discipulo denominati. Docuerunt.

1. Deum à nobis planè perfecteque comprehendi posse.

2. Filium Dei esse Deo Patri in omnibus dissimilem; Essentiâ sc. potestate, voluntate.

3. Spiritum S. à Filio creatum, ac proinde non αὐτοούσιον, i. e. per se & suâ naturâ existere.

4. Rebaptizant ab Orthodoxis baptizatos ex institutione Eunomii.

5. Baptismum à Servatore institutum mutant & corrumpunt.

6. Volunt Christum Corpus tantùm, non etiam humanam animam assumsisse.

7. Veram fidem ab honesta vita, tanquam fructum ab arbore distrahunt, omnium vitiorum non tantùm impuritatem, sed & licentiam concedentes.

Anthropomorphitæ, sic dicti à dogmate, aliàs *Audiani*, ab *Audæo*, quodam Syro, portentosæ hæreseos Patre, sequentia dogmata defenderunt

1. Deum esse corporeum, humanæque formæ similem, itaque & brachia, & pedes, & aures, & cœtera hujusmodi membra nostris similia habere, cùm & loqui dicatur, & audire, & progredi. Ab heterodoxo hoc dogmate primus videtur imaginum Dei in Templis Christianorum collocatarum usus.

2. Tenebras, ignem & aquam esse æterna, & ingentia rerum principia.

3. Propter hominum vitia cœtus Ecclesiæ Orthodoxæ esse deserendos.

Ariani, autore *Ario*, homine callido & versipelli, anno à Christo passo 290. blasphemias potissimùm in Servatorem nostrum evomuerunt, asserunt enim.

1. Filium Patri non esse ὁμοούσιον, i. e. ejusdem essentiæ,

sed creaturam, excellentem quidem, cœteriſque dignitate præſtantiorem.

2. Chriſtum Corpus tantùm aſſumſiſſe, non etiam animam humanam.

3. Spiritum S. eſſe Creaturam Creaturæ, i. e. Filii, quem Creaturam appellant.

4. Rebaptizant etiam ſæpius Orthodoxos & ab Orthodoxis baptizatos. Atque ipſam hanc venenatam crambem Patrum noſtrorum memoriâ *Servetus* quidem Hiſpanus, à quo *Servetiani* dicti, recoxit.

Arthemonitæ, qui & ἄλογοι, Latinis verò Scriptoribus Auguſtino & aliis *Alogiani* dicuntur. Primus hæreſeos hujus parens *Arthemon* fuit, homo profanus & peritus, qui de Ebionis hæretici cœno & lacuna peſtiferum de Sermone hauſit Dogma; negavit nempe, Chriſtum eſſe verum Deum & Dei Filium: Caput verò errorum ipſius fuit, quòd Johannis Evangelium, in quo Divinitas Chriſti ἀναντῤῥήτως aſſeritur, & Apocalypſim ejuſdem rejecerit.

Apoſtolici, ab Apoſtolis, quorum vitam & Sanctimoniam imitari velle videbantur, denominati.

1. Conjugia damnârunt, conjugesque vitæ æternæ hæreditate privârunt.

2. Apoſtolos omnes cœlibes fuiſſe, & in cœlibatu perpetuo vixiſſe ſtatuerunt.

3. Ἀκτημοσύνῃ, quâ bonorum poſſeſſio propria damnatur, introduxerunt, omniumque bonorum communionem aſſeruerunt.

Iidem à profeſſione quam præ ſe ferebant *Encratitæ*, *Tatiani*, à Tatiano, Juſtini Martyris diſcipulo, & *Euſtachiani*, ab Euſtachio nuncupantur.

Cerdonitæ, aliâs *Cerdoniani*, hæreſin à Cerdone, anno Chriſti 110. hauſerunt. Prima hæreſeos ſparſa fuerunt ſemina Romæ. Continet verò Cerdonis hæreſis ſequentia 4. Capita.

1. Duos eſſe Deos, duoque principia ſibi mutuò contraria.

2. Legem Dei per Moſen datam, omnesque V. Teſt. Prophetas legis interpretes tanquam inutiles rejicit.

3. Chriſtum non verum, ſed fictum fuiſſe hominem.

4. Car-

4. Carnis resurrectionem fore nullam, quæ ipsa quoque Valentinianorum ann. Christi 133. fuerunt deliria.

Ebionitæ, seu *Ebionæi*, i. e. pauperes, ab Ebione Samaritano, Cerinthi discipulo denominati, statuerunt

1. Christum merum esse hominem, natum ex ordinario Josephi & Mariæ conjugio, justum tamen præ aliis, propter virtutum, quas majores fecerat, progressus.

2. Ceremonias Legis Mosaicæ tanquam ad salutem necessarias retinendas & observandas.

3. Ab esu animantium abstinendum esse.

4. Solum Evangelium Matthæi Hebraicè scriptum retinendum.

Florinus, à quo *Floriani*, circa annum Christi 153. Romæ alibique sparsit venenum, docendo

1. Deum creâsse mala, cùm expressè in Genesi legatur contrarium, omnia nempe quæ Deus creavit, esse bona.

2. Doctrinam de Trinitate turpiter corruperunt.

3. Patrocinium Ceremoniarum Judaicarum in Ecclesia retinendarum susceperunt.

Manichæi, sectis divisi, à *Manete* Persa, tragicè tandem interfecto suam accersunt originem, qui tam tetrum omnium errorum exhalavit fœtorem, ut nulla unquam fuerit Acharontis caverna, unde tot repente postea prodierint errores, quàm ex infernalibus unius Manetis faucibus. Præcipuos tantùm tangemus errores. Docuit

1. Duos esse Deos, sive duo diversa rerum principia æterna sibi invicem contraria.

2. Deum Legis non esse verum Deum; unde & V. Test. repudiant, novum verò partim mutilant, partim prorsus rejiciunt.

3. Dei boni Essentiam sive substantiam omnibus hominibus frustatim esse infusam.

4. Christum Deum esse negant, sed & verum hominem fuisse inficiantur, fictè enim tantùm & imaginariè passum, crucifixum & mortuum esse blasphemant.

Macedoniani à Macedonio Constantinop. Episcopo nun-

nuncupati circa annum Christi 312. ex Arianæ fœcis cœno sequentia imbiberunt dogmata.

1. Filium Dei non esse Patri ὁμοούσιον sed ὁμοιούσιον.

2. Spiritum S. non verum esse Deum, sed Dei tantùm ministrum, & creaturam.

Monarchici, ita appellati; quia Deum tanquam mundi Monarcham induxerunt, rejectis tribus hypostasibus.

Nazaræi in primitiva quidem Ecclesia appellabantur quotquot fidem Christianam fuerunt amplexi, deinde verò Nazaræorum nomine veniebant, quotquot sequentia tenuerunt Dogmata.

1. Christum quidem verum esse Messiam, interim tamen Legis Mosaicæ ceremonias tanquam ad salutem necessarias esse observandas.

2. Alia præter quatuor in Ecclesia admittenda esse Evangelia, duo cumprimis, quorum alterum Evangelium perfectionis, alterum Evangelium Evæ appellant.

Noëtiani, à Noëtio Smyrnensi, qui è fermento Judæorum, personarum divinarum distinctionem irrisit. Innotuit error ejus circa annum Christi 240. Dignas tandem Hæresiarcha meritis suis luit pœnas, mortuus enim honore sepulturæ destitutus, & insepultus computruit.

Praxitæ, vel *Praxiani* à Praxea Hæresiarcha, Tertulliano συγχρόνῳ dicti, qui commentus Patrem omnipotentem esse ipsummet Jesum Christum, atque hunc Patrem crucifixum passumque profanâ & planè sacrilegâ temeritate contendit, unde & asseclæ ejus à portentoso hoc dogmate *Patripassiani* dicti.

Sabelliani à Sabellio Afro dicti, qui circa annum 224. sepultum apud multos Hæresiarcharum Asiaticorum errorem in Africa refricuit, & personas divinas non tantùm confudit sed etiam impiè rejecit. Et quoniam Sabbellianorum nomen ita paulatim invaluit, ut Noëtianorum, cæterorumque nomen fuerit extinctum, à Scriptoribus Ecclesiasticis plerumque adhibetur.

Samosateniani, aliàs *Pauliani*, *Pauliſtæ*, *Paulianiſtæ*, à Paulo Samosateno Syro, originem suam trahunt, quorum dogmata sunt

1. Chri-

1. Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, gratiâ tamen divinâ insigniter ornatum. Prius autem eum non extitisse, quàm ex B. V. Maria nasceretur.

2. Verbum Dei in Christo non aliter inhabitâsse quàm in aliis Prophetis; proinde illi unitum fuisse non σωματικῶς aut ὑποστατικῶς, sed tantùm ἐνθέσπικῶς.

3. Christum esse λόγον θεῦ non ἐνάνθρωπον, sed θεοφορικὸν.

4. Baptismum ejusque administrandi formam corrumpunt, dum non in nomen Christi baptizant.

Nestoriani à Nestorio, Episcopo Constantinop. cœperunt circa annum à Christo passo 400. in vulgus spargere sequentia hererodoxa dogmata

1. Christum duabus personis, iisque separatis, non tantùm duabus constare naturis, proinde in Servatore nostro non tantùm esse ἄλλο καὶ ἄλλο, aliud & aliud, sed & ἄλλον καὶ ἄλλον, alium & alium; alium esse Filium Dei, alium filium Mariæ.

2. Filium Dei filio Mariæ adesse ἐνθέσπικῶς.

3. Mariam virginem non θεοτόκον, sed χριστοτόκον dicendam.

Eutychiani, ab Eutyche, Ecclesiæ Constantinop. Presbytero, sive Archimandrita & Monacho, Nestorii deliria vitaturo, exorti, circa annum Christi 422. docuerunt

1. Duas Christi naturas ita esse confusas, ut humana à divina planè fuerit absorpta.

2. Ipsas quoque Creaturarum proprietates esse commixtas.

3. Λόγον nihil prorsus ex Substantia B. V. assumsisse, neque nobis ὁμοφυῆ extitisse.

4. Ipsam quoque naturam divinam in cruce fuisse Passam.

Monothelitæ, infeliciſſima Eutychianæ hæreseos propago, à dogmate sic dicti: Docebant enim: In Christo unicam tantùm fuisse voluntatem, humanam quidem θεοκίνητον, à Deo motam appellarunt, quòd ipsa per se esset nulla, sed divino instinctu impulsa.

Monophysitæ, seu *Monophysici* ipsi quoque, & quidem primi

primi ex Eutychianorum fœcibus derivati, circa annum Christi 425. statuerunt: Unam in Christo tantùm esse naturam, divinam sc. quam etiam passam esse publicè profitebantur.

Jacobitæ, à Jacobo quodam, gente Syro, vestigia primorum Eutychianorum, eorumque heterodoxiam circa annum 576. ab orco revocârunt.

Bb. *Afri* sunt.

Valentiniani, à Valentino homine callido, multa blasphema in Ægypto sparserunt dogmata, præsertim de 30. Seculis fabulosa plurima confinxerunt, & Pythagorica somnia in Ecclesiam invexerunt.

Catharì, sive *Puritani*, à Sanctimonia, quâ aliis palmam præferre volebant, superciliosè se denominantes docuerunt.

1. Hominem post receptum baptismum lapsum in peccata, in Ecclesiæ gremium non esse recipiendum.

2. Secundis nuptiis in Christianismo locum nullum concedendum.

3. Baptizatos peccatis novis pollutos esse rebaptizandos.

Iidem ab authore *Novato*, natione Afro, *Novatiani* appellantur. Fuit autem Novatus sub Cornelio Episcopo Ecclesiæ Rom. Presbyter; postea verò, ubi ad Episcopatum aspirâsset, repulsamque tulisset, exacerbatus, novum Catharorum, sive ut barbarè scribere consueverunt, *Gazarorum* Schisma introduxit.

Donatistæ, à Donato orginem traxerunt, qui Seculo 6. turbavit Ecclesias in Africa. Hic cùm doleret, sibi Cæcilianum prælatum esse in Episcopatu Carthaginensi, ab Ecclesiæ communione sese secrevit, & postea schisma vertit in hæresin, docendo eam demùm Ecclesiam pro vera habendam esse, quæ omni macula & peccato careret.

Pelagiani, à Pelagio Brittone, Monacho, aliâs *Celistini*, à *Celestino* Pelagii discipulo, inter Hæreticos Africanos referuntur, tum quòd Pelagius ex Novatianorum Jacunis suum venenum hausit, tum quòd Celestinus illud ipsum in Africa

Africa cumprimis sparserit. Innotuerunt anno Christi 382. sequentia eorum dogmata.

1. Peccatum Adami ipsi soli nocuisse, posteris non item, nisi solo peccandi Exemplo.

2. Libidinem, concupiscentiam pravam, quæ naturâ nobis inest, bonam esse, nec in ea quicquam deprehendi, cujus non debeat pudere.

3. Infantes recens natos à parentibus suis peccatum originale non trahere.

4. Hominem etiam post lapsum liberum habere vel bene vel malè agendi arbitrium.

5. Meritis operum nostrorum conciliari & acquiri gloriam Dei.

6. Doctrinam de Prædestinatione non tantùm subsannârunt, sed etiam ex Ecclesia eliminandam prorsus censuerunt.

Nacta est hæc hæresis nostra ætate non paucos assecias, puta Pontificios, Socinianos, Anabaptistas, Arminianos, &c.

Apollinaristæ, ab Apollinari, Patre & Filio derivati, quorum ille Presbyter, iste Lector Laodicenus, docuerunt

1. Λόγον carnem sine anima rationali assumsisse.

2. Christum carnem suam ex B. V. Maria non assumsisse, sed è cœlo secum attulisse.

3. Christum propriam humanam voluntatem non habuisse, sed divinam tantùm.

4. Animam ab animabus propagari, sicut corpora à corporibus.

Hi sunt præcipui Hæretici & Schismatici, tam Veteres quàm Moderni: Plura qui velit, adeat pleniora systemata historica. Hæc sufficiunt, ut sciamus quomodo hodierni Veritatis inimici cum Veteribus hæreticis conspirent, utque videamus, quomodo omnes aliæ hæreses, cujuscunque ferè nominis sub his supra nominatis contineantur, & ex illis haustæ sint.

INDEX

Locorum S. Scripturæ.

Nota. Quæ signo (*) notantur, sunt ab adversariorum corruptelis vindicata, vel explicata & illustrata.

GENESIS.

C. I. vers. r. pag. 149.151
* 2 106.152
*26 98
31 175
*II. 2 174
* 3 502
* 7 173
*17 176
III. 13 155
*15 232.258.293
*19 176.776
20 171
*22 206
*IV. 7 227
*10 104
*14 171
*V. 3 215
*VI. 2 161
*5.6 388.225.215
*6.8 81
18 258
* IX. 6 175.213
11 258
*XI. 16 cum
Act. VII. 4 62
*XII. 1 517
3 293
*XIV. 18 328
*XV. 6 266.433
*XVI. 13 70
*XVII. 7 549.716
*14 701
*XVIII. 13 70
*21 83
25 93
XIX. 24 98
XXI. 23.24 499
*XXII. 12 83
XXVI. 26 499
XXVIII. 15 34
XXXII. 1.2 164
XLV. 7 190
8 188

*XLVI. 26 173
* 27 cum
Act. VII. 14 63
XLIX. 10 168.269.548
L. 20 197

EXODUS.

*I. 19 536
*II. 12 473
*IV. 25 703
*VI. 2 70
VIII. 16.17 187
X. 12 187
*XII. 33.35 474
XV. 3 70
*XVI. 24 503
XVII. 14 36
* 15 70
XX. 3 478
* 4 488
* 11 504
* 12 116
* 18 472
XXI. 12.13 187
13.14 115
XXII. 2 521
16.17 518
XXIII. 2 586
7 412
*XXXI. 13 508
XXXII 5 70
25 577
* 32 131
XXXIV. 7 92
* 12 320
16 518

LEVITICUS.

XVIII. 18 530
XIX. 11 12 498
26 182
XX. 27 ibid.
XXIV. 16 663
XXVI 1 488

NUMERI.

VI. 23.24 100
* XIV. 30 114
XV. 28 458
XVI. 22 173
XVIII. 8.9.&c 637
* XXI 8 472
* 14 41
XXIII. 23 81
XXX. 3 516

DEUTERONOMION.

*I 37 244
*IV. 2 27
15 493
39 152
* V. 5 312
VI. 4 73
6.7.8 44
13 170.496
*VII. 2 320
3 518
XII. 32 458
XIII. 4 663
XVII. 10 51
* 11.12 52
XIX. 4 187
XXI. 15.16 530
*XXIII. 19 532
* 24.25 474
30 531
* XXIV. 1 320
*XXV. 5 474

XXVII. 26 238
XXVIII. 28. 29 245
XXIX. 2 373
* 19 89
XXX. 3 516
* 5 788
* 15 226
XXXI. 8 447
14 115
*XXXIII. 9 517
*XXXIV. 6 485

JOSUA.

I. 8 44
VI. 12 499
*23. 25 536
IX. 15 499
18 498
12. 13. 14 184
*X. 15 41
*XXXIV. 6 485

JUDICES.

*XVI. 28 523

1. SAMUELIS.

*XVI. 4 535
14 197
*XIX. 17 536
*XX. 6. 28 536
*XXIII. 9 82
XXV. 22. 23 497
*XXVIII. 11 802
* 12 161

2. SAMUELIS.

*I. 14 41
VII. 12. 13 353
XII. 11 196
14 115
23 804
XIII. 11. 12 244
*XVI. 10 196. 198
*XXIV. 13. cum
1. Paral. XXI. 12. 61
* 24. cum
1 Par. XXI. 25 ibid.

1. REGUM.

VIII. 24 78
39 159
46 543
50 439
* IX. ult. cum
2. Chron. VIII. ult. 62
XIV. 12 115
*XIV. 19. 20 41
XV. 7 41
*XIX. 11 79
XXII. 10 34 115
* 15 537
20. 23 245
22 197. 198
23 196

2. REGUM.

VI. 17 164
* 19 537
*XIII. 18. 19 85
21 486
*XXI. 8 cum
2 Chron. XXXVI. 9. 62
XXII. 20 479

1. CHRONIC.

*III. 19. cum Matth.
1. 13 & Luc. III. 27 61
*XXVIII. 3 521
*XXIX. 29 41

2. CHRONIC.

VII. 14 439

*IX. 29 41
*XII. 15 41
*XXI. 5. cum
XXII. 2. & 2. Reg.
VIII. 26. 62

ESDRAS.

*VII. 24 641
X. 8 655

NEHEMIAS.

VIII. 2 19
* 18 46
*IX. 14 505

JOBUS.

*I. 1 543
IV. 18. 19 73
*V. 1 481
IX. 8 147
X. 4 72
*XII. 16. 17 199
*XIV. 4 215
5 115
*12 792
XV. 15 545
*XIX. 25 266. 767
XXVI 8 183
13 106

PSALMI.

I. 2 44
3 449
*II. 6. 9 351
* 7 280
6 92
5. 6. 7 198
7 536
*VII. 9 418
*VIII. 3 408
*XIV. 1 4
*XV. 4 498
* 5 532
*XVI. 10 360. 363. 768
*XVII. 15 769
XVIII. 5 360
26 209
XIX. 1 3
*6. cum Rom.
X. 18 39
6. 7 184
* 8 317
* 8. 9 26. 60
* 9 31
13 237. 763
*XXII. 17 40
XXV. 10 208
11 439
*XXX. 10 779
XXXI. 6 802
XXXII. 1 439
9 401
XXXIII. 6 99. 106
XXXIV. 8 164
XXXIX. 3. 6 115
*14 780
XLV. 6 102
*11 517
14 567
XLVIII. 8 98
15 440
XLIX. 2 172
LI. 3. 4 439
3. 14 450
* 6 411
* 7 215
12 378
*LV. 24 116

LXII. 10 172
LXV. 4 439
LXXII. 11 515
LXXVIII. 25 160
* 39 780
LXXXI. 13 196
* 14 89
LXXXVI. 13 360
*LXXXVIII. 12 779
XC. 2 156
* 4 76
XCI. 11 164
XCIII. 1 184
XCVI. 5 148
*XCIX. 5 481
C. 3 388
CII. 20 152
26 81.791
27.28 76
CIII. 3 439
CIV. 3 183
5 184
19 ibid.
*CVI. 38 216
*CX. 1 350.354
4 344.548
CXV. 4.5 490
17 779
CXVI. 3 360
*CXIX. 18 31.33.378
36 391
90 184
105 31
CXXX. 3 468.545
CXXXIX. 1.7 82
* 7.8.9 78
7 106
CXLIII. 2 545
CXLV. 3 77
CXLVII. 19.20 257.259
20 372
CXLVIII. 4 183

PROVERBIA.

I. 30 540
VI. 17 536
*VIII. 22 281
XIII. 21 536
XVI. 1 188.190
* 6 338
33 187.500
XVII. 15 412
XVIII. 18 500
*XX. 9 407.543
24 188
XXI. 1 ibid.
*XXVIII. 14 134
XXIX. 18 584

ECCLESIASTES.

I. 5.6 184
III. 18.19.20 779
*VII. 17 116
29 175
IX. 1 134
6 479
XI. 3 864
XII. 7 776.778
9 173
* 11 52
16 795

CANTICUM.

I. 4 230.391
*IV. 7 232

JESAIAS.

I. 3 401

11 681
12 458
18 439
*II 23 568
3 350
* 4 520
*V. 4 83.374
VI. 3 159
3.8. cum Joh.
XII.41.& Act.
XXVIII.25 100
7 439
*VII. 14 274
VIII. 1 36
20 18.33.51
* IX. 6 49
7 102
X. 6.7 200
15.26 190
XI. 1 350
* 2 298
* 4.6 273
XIII. 5 190
XIX. 14 196
*18.19 548 729
XXV. 7 769
*XXVI. 14 773
19 769
*XXIX. 13 27.458
*XXX. 6 273
*XXXVIII. 1.2 116
* 2.5 396
* 3 543
8 184
* 18 779
XL. 12.13.28 147
18 73.493
XLI. 4 76
21. 22 182
XLII. 8 70.483
9 158
XLIII. 25 439.442
XLIV. 19.24 147
20 182
XLV. 12 147
23 496
XLVI. 10 30.81.89
113
XLVIII.12.13 182
XLIX. 3.5.6 483
14 442
23 515
*LI. 6 793
LIII. 4.5.6 360
5 243
* 5.10.11 332
* 11 260.400
412
LIV. 10 447
* 13 617
LV. 3 447
7 439
LVI. 3.4 541
21 329
LVII. 2 799
16 173
*LIX. 20 788
21 447.572
LXI. 1.2 90.106
* 8 571.573
LXIII. 7.8.9 99
10 105
16 479
LXIV. 6 461.545
*LXV. 2.3 387

7 115
16 496
*LXVI. 1 78
19 694

JEREMIAS.

I. 5 82
IV. 1 496
* 10 199.397
V. 7 497
IX. 8 534
X. 2 182
11.12 147
13 183
14 490
23 188
XIII. 12.13 197
23 388
*XV. 1 312
XVII. 10 159
*XX. 6 199
XXIII. 5.6 70.102
21.32 615
24 78
XXIX. 6 518
XXX. 2 36
*XXXI 31.32 267
* 32.33 446.548
33 381
* 34 440.617
XXXII. 39.40 253
* 40 446
*XXXV. 2 634
*XXXVIII. 27 537

EZECHIEL.

*II. 29 58
*IX. 4 496
*XII. 2 387
*XIV. 9 199
*XVI. 51.52 411
*XVIII. 8 532
* 20 218.238.339
*XVIII. 21 451
*XX. 13 508
* 29 199
*XXXIII. 11 143
XXXVI. 26 225.230
263.378
* 27 381.386
*XXXVII. 1.2.3 769
*XXXVIII. 2.3 276

DANIEL.

II. 28 182
* 35 568
44 353.573
*IV. 27 338.407
*VII. 9 76
14 353
* 27 788
VIII. 11 759
IX. 2 19
* 24.25.26 270
24 351
27 548
*XII. 1.2 366.770.776
* 3 811.413

HOSEAS.

*I. 2 473
7 98
II. 19 447.560
572
IV. 6 401
VI 7 205
XIII. 14 771

JOEL.

JOEL.
II. 11 187
*III. 2&12 798
*XII. 14 407
JONAS.
*III. 5 261
*9 396
*10 8.407
*IV. 11 216
MICHEAS.
*III. 11 638
IV. 12 568
*V. 2 102.274.281
HABACUC.
I. 13 92.198
II. 2 36
4 266.439
18.19.490
HAGÆUS.
*II 4.5.10. 99.272
ZACHARIAS.
*I. 12 168
II. 2 159
III. 9 356
IV. 6 350
*IX. 9 40. 350
*10 520
*11 802
XII. 1. 173
MALACHIAS.
I. 2.3 136
7 81
*11 548.757
*II. 7 57.580
*III. 1 272
IV. 5 273.611
JUDITH.
*VI. 18 552
IV. ESDRÆ.
*IV 23 42
*XIV. 21 42
II. MACCAB.
*XII. 44 804
*XV. 14 313
MATTHÆUS.
*I. 12 cum I. Chron.
III. 17.18. 61
21 341
*25 292
II. 2 352
*III. 6 764
*11 696.707
*12 562
16 100
17 105.323
IV. 1 155
10 170.479.483
15 259
V. 8 60
*14 568
*17 318.467
*18.19 37.41.793
*20. &c. 319
*22 239
*34 496 498
*38.39 519.522
44 519
*46 229
48 541
*VI. 13 40.198
26.28.30 187
*VII. 2 45
6 657

INDEX LOCORUM.

13. 14 586. 800
15 577
18 225
22. 23 588
27 449
VIII. 8 520
14 527
IX. 2 402
13 277
* 21 487
X. 5 259. 372
* 8 637
10 ibid.
28. 29. 30 115. 186
776. 778
* 40 580
XI. 1 501
12 390
14 273
* 19 411
* 22. 23 85 806
25 127. 259
26 112
* 30 546
XII. 19 230
* 31. 32 105. 242
800.
35 798
* 40 364
XIII. 12 202
* 20. 21 392. 393
450.
41 795
* 47 562
XIV. 7 497
31 402
XV. 4. 5 516
* 9 27. 651
* XVI. 18 447. 560. 569
573. 597
* 19 598
19 20 646. 655
24 782
27 795
XVII. 7 814
* 11 612
20 392
21 501
* 25 639
* 26 641
XVIII. 6 408
7 118
* 10 159. 165
* 11 345
* 17 52. 554. 565
580. 655
18 646
* 19. 20 581 583
XIX. 11 528. 541
* 12 542
* 13 718
14 803
* 21 541
27 527. 796
* XX. 9 10 813
16 139
* 25 515
28 332
XXI 5 352
* 12 532
XXII. 29 18. 401
* 32 772. 777
36. 37 318. 467
XXIII. 2 52

* 8.9 593
14 806
29 485
* 37 88
38 787
XXIV. 2 ibid.
24 131. 578. 588
26.27 747
30 ibid.
* 35 793
37 783
* 40 791
XXV. 13 789
* 34 111. 463. 561
* 41 122. 136. 155 165
XXVI. 11 303 747
* 19 740
38 359
* 52 522
54 118
* XXVII. 9 62
*47 359
* XXVIII. 2 366
5.6 13. 303
*18 305. 352
19 36. 100. 103 105. 106. 555
* 19.20 698. 703. 715
* 20 34. 103. 573 579

MARCUS.

II. 26.28 507
III. 29 242
* VI. 13 690
IX. 13 273
* 23 546
24 133
XII. 34 230
* XIII. 32 298. 203. 789
* XIV. 25 740
* XVI. 16 113. 260. 685 700
* 17.18 501. 712
19 367

LUCAS.

*I 6 543
* 28 232
31.32.42 293
* 32 351
33 353
* 35 106. 284. 290
* 36 295
50 232
68.70.72.73 264
II. 14 152
52 298. 303
III. 13 532
14 520
* 23 718
* 36 cum Gen. XI. 13. 60
* VI. 1 501
34 532
* VII. 30 113. 540
* 47 431
* 50 435
VIII. 3 637
30 156
* IX. 59.60 517
X. 7 637
* 16 580
* 20 131
* XI. 20 107

XII. 7 186
32 586
47.48 806
*XIV. 26 473.517
*XV. 10 159
XVI. 16 34
17 41
* 19.20 801
22 799
* 29 33.51.56. 467
*XVII. 10 460
* 20 568.783
*XVIII. 8 573.783
*XIX. 21 812
*XX. 35.36 177.774
*XXI. 33 793
XXII. 19 747
22 118
* 25.26 515.593.627
31 448
*XXIV. 26 362
* 28 535
* 31 748
* 34 342
39 13.156
* 43 800.362.802
45 32.378
46 363
51 367.747

JOANNES.

*I. 9 148
12 350
* 14.18 282.286.296
17 34
* 29 142.345
II. 9 366
24.25 102
*III. 5 215.385.701
* 6 294.388
* 13 284.315
* 16 7.103.141
* 31 294
* 34 296.298.304 315
IV. 14 449
21.23 549
* 23 568
24 72.350.
* 42 142.344
19 103
21 366
23 397
24 799.448
28.29 771
39 34.44.578
* 43 313
*VI. 19 38
* 29 400.435
39 347.771
37.39 447
40 448
44 230.226.385
* 45 56.617
*50.54.&c. 142.748
* 51 344
* 62 315
69 133.401
* VII. 8 535
39 107
*VIII. 23 294
24 235.260
31.32 582
34 225.380
* 38 102.

* 38 102.316
44 155.536.562
46.47 138
X. 8 616
* 11 232.341
17 366
* 22 513
26.47 560.561
27 447.582
*XI. 5 332
11 780
24 771
25 366
52 341
XII. 27 359
39 259
* 42 43 405
* 44 398
*XIII. 2 161
* 34 267.320
XIV. 1 397
2.3 367
3 152
11 103
16 101.104 448 573
19 447
*XV. 2.6 449
4 225
5.6 261.380
13 341.343
16 129.391
* 19 125
26 101.104
XVI. 2 458
7 747
* 12 26
*13.14 107.104.580 617
* 27 104.129
28 303.367
33 782
*XVII. 3 7.101.260. 400.
9 142.342
* 12 132.447.
17 33.60
18 747
20 562
*XVIII. 36. 351.352.515 783
* XIX 11 639
*XX. 17 748
21.22 646
*XXI. 15 598
17 82

ACTA.

I. 7 789
9.10 367
23 631
II. 3 105.340
* 8 685
23 118
* 24 365.366
* 27 363
* 33.36 352
* 36 103
* 37 230
* 38 710.716
39 252
* 41 564
* 42 555.583.721 728.732
* 44 531.645 47.581

III 47 581
21 747.782.792
25 264.293
* 38.39 440
IV. 2 771
* 12 7.261.265
* 28 118
32 631
* V. 3 105.106.161
15 487
VI. 3.5.6 631
* 15 160
* VII. 15 387
* 16. cum Gen. XXIII. 9. 64
56 368
* VIII. 4 617.619
12 555
14 596
* 15 687
* 16 710
* 22 407
30 19
* 30.31 31
* IX. 27 368
* X. 1 261.520
* 35 229
43 266
XI. 20.21 619
* XII. 15 165
* XIII. 2 721
* 3 549
32 266
* 33 280
* 48 129.139.373
XIV. 16 196.372.373
* 17 372
22 589.782
23 616.631
* XV. 10.11 265
18 82.111
* 20 549
* 22 660
24.25 596
XVI. 7 372
14 32.378
XVII. 18 771
* 27 3.7
* 27 28 79
* 28 75.171.191
29 493
30 7.372
31 795
XVIII. 3 619
* 25 549
* XIX. 4.5 708
* 6 687
* 11 487
* 18 768
XX. 7 511.728.732
27 540
28 102.284.309
332.341.578
627
* 33 638
* XXI. 8.9 527
* XXIII. 5 537
6 771
8 155
23 497
XXIV. 15 771
* XXV. 10 640
XXVI. 22 56
XXVII. 24 117

EPIST. AD ROMANOS.

I. 3 34.293
9 496
14 366
16 379
* 19.20 3.259
21 229
23 493
* 24.25.26 244
* 24 26.28 197
25 480
18.31 93
*II. 1.4.3 7
* 6 462
14 203
* 14.15 3.261
* 16 797
18 57
28 567
III. 2 20
6 93
8 536
* 19 104
* 29.28 416
24 417.422
* 24.25 437
* 25 440
28 437
31 467
*IV. 2 437
* 3 265.420.433
4 440
* 5 413.421
* 6 416
8 417
* 11 166.672
680
11.12 134
V. 1 403.406
131
2 134
7 343
10 333
12 176.217
13 243
* 18.19 143.418
420.423
424
*VI. 3 710
* 7 411
10 361
* 12.14 34.225
18 468
19 380
23 176.460
26 238
*VII. 2.3 468.529
7 477
* 11 104
* 14 543.225
16 237
* 17 233
18 461
*VIII 1 233.431
3.4 424
7 9.32.225
380.543
8 259
11 771
15 16 133
18 461
19 792
* 23 428
* 26 107.389
* 29.30

*29.30 121.130.139 561.
* 32 281
33 412
34.35 311.168
* 38 402.134 447.
IX. 4 252.428
5 102.284
*11 129.131 140.446 136
12 127
16 262
* 17 126
* 18 93.259
* 21.&c. 125.136 137
X. 4 266
8 259
10 401
14.15 259.615 372
17 18.401
XI. 5 262
* 12.&c. 142.790
19 89
* 23 132
29 131.448
* 32 142
35 262
* 36 75
*XII. 1 10.699
2 175
8.9 467
* 19 520.522
*XIII. 1 515.638
4 519
9 318
*XIV. 5.6 510
14 550
* 15 345
17 634
XV. 4 18.29.34.44
*XVI. 25 268

I. AD CORINTHIOS.

I. 13 332
16 337
17 699
21 615
23 380
30 420
II. 6 543
8 284.352 309
10 106.107
11 159
12 134
14 10.225 376.378 380
15 57
III. 6.7.8 379.381
9 389
11.12.13 13
13.14.15 800 811 238
IV. 7 389
21 657.660
32 647
*V. 3.4.5 656
7.8 266.514 681
10 633

VI. 2 796
9 235
11 414
13 369.776
VII. 5.7 528
9 541
12 37
14 216.718
23 541.652
30 531
31 792
35 628
36 518
*VIII. 4.5 73.103
550.
IX. 5 527.636
9 187
27 131
29 77
*X. 1.2.3.4 266.679
11 345
15 19.56
16 720.721
731.741
750
21 720
27 550
XI. 5 596
18 553
20 720
22 553.581
*26.28.28 731.741.781
29 749
30 780
32 432
XII. 3 32.379
4 106
6 191
11 104.105.696
24 105
27 558
28 560.635
XIII. 1 816
2 159.401
405
8 405.815
9 577
13 399
XIV. 4 56
19 46
34 703
XV. 12 771
19 695
22 142.217
24 354
25 34
26 799
28 354.355
33 235
44 775
45 810
47 369
50 294.369
51.52 788
54 764
XVI. 2 511
15 617

II. AD CORINTHIOS.

I. 24 593.662
II. 10.11 155
III. 5 380.408
225.401
6.7.8 19.468
10 350.772
774.795

774.795
14 252
IV. 2 534
3 31
6 32
14 403
17 401
V. 1 402.799
5.6 385
8 778
* 15 344
17 388
* 18.19 142.333
344.381
* 21 420
VI. 16.17 561
IX. 5.6 81.521
662
*X. 4.5 401
8 646
XIII. 10 ibid.
13 100.106
133

AD GALATAS.

*I. 8 27.56.583
9 18
20 496
*II. 2 38.298
7.8.9 596.600
11.13 596
* 16 416 437
20 402
*III. 1 491
3 243
8 265
10 238
* 13 332.359.360
* 19 308
* 23 267
24 266
*IV. 1 543
4 284.293.361
* 5 428
8 71.480
9 681
* 10 510.513
V. 1 541.652
4 451
* 6 399
9 464
13 468
17 461.543
22 406
*VI. 6 219
7 235
16 33

AD EPHESIOS.

I. 3 340
* 4 111. 127.129
561
5 113
* 10 123
11 82
13 448
17.18 33.378
18.19.20 381.385
21 572
*II. 1.2 161.225
380.388
3 216.388
5 230
8 437
8.9 460
10 391

* 12 7.66.257
259.372
20 18 22.34.
560
21 567
* III. 12 134.403
17 261
* IV. 9 364
10 152
11.12 554 594
615
14 235
17.18 9.225.380
24 175
25 536
30 134.448
2 323
* 8 10.225.380
23 560.594
25 341
26 685.713
29 521
32 693
VI. 2 518
11.12 155
17 44

AD PHILIPPENSES.

I. 1 627
6 230 262
10 57
16.17 676
29 340.391
II. 5.6 284
* 6.7 286.294
8 424
* 9 102.362
* 89.10.11 398
10 103
* 11 815
* 12 134.463
13 191.378.381
386.391.461
15 19
20 600
III. 9 417
12 77
* 15 543
IV. 3 131
10.15.16 637
* 13 546

AD COLOSSENSES.

I. 9 2
13 210
* 15 103.277.287
* 16 156.167
18 560
20 307
21 380
* 24 337
II. 2 341
3 315
* 8 6
* 9 304
* 11.12 681.388.714
13 230
16.17 507.509.513
* 18 169
21.22 550
III. 1 748
9 536
10 175
16 18.44
IV. 10.11 600
* 16 41

I. AD THESSALONIC.
I. 5.6 93.381
IV. 4 771
* 15.16 167.748
780.789
V. 9 136.140
11 633
21 578
* 23 170.456
27 496
II. AD THESSALONIC.
*I. 5 462
6.7 772
11 381.391
II. 3 573
9 570 588.610
11 197 235
* 15 28
19 20 814
12 245
III. 2 373
8.9 638
12 531
14.15 657
I. AD TIMOTHEUM.
*I. 9 468
13 237.458
15 277
19.20 449
II. 1.2 515
* 4 143
* 5 309.311
* 6 132.307.344
8 168.549
12 703
15 73
* III. 1 616
*2 527.627
6 531
13 236
* 15 23.580
16 102.284.287
IV. 1 235.578.795
* 12.3 526
* 2 204
3 550
14 616.691
V. 2 122
8 531
* 12 634
17 635
* 19 628.647
VI. 3 69
17 531
20 69
II. AD TIMOTHEUM.
*1. 9.10 111.127.129
262 267
12 133
13 69
*II. 4 528
* 19 131.446.449
567
* 20 562
III. 1.2 783
12 589 782
* 15.16 25.29.34
36.37 44
36 60
*IV. 8 402.403
11.16 600
AD TITUM.
I. 1 373
* 5 632

5.7 627

5.7 627
*II. 11 12.14 142.468
III. 1 639
*4.5 262.385
460.785
10 235 657

AD HEBRÆOS.

*I. 2 103
3 79.103.282
323
8.9 102
*14 164
*II. 3 267
*5 394
*9 344
*14 287.293
*17 298.322
*IV. 3.4 504
12 82
14 323.748
15 298
V. 4 616
5 323
7.8 ibid.
*9 10 324
*13 543
*VI. 4.5.6 394
6 242
16 496.534
17 30.446
18 60
*VII. 16 325
22 307
*23.24 326
*26 300.752
*27 322.323
*VIII. 3.4 303.323
*6 267
*13 35.252
*IX. 8 267.803
10 787
*15 252.440
22 755
24.25 349
*25.28 323
27 752
*29 789
*X. 1 35.267.681
*3 442
4.5 755
*10.12 356.753
*18 442
22 134.402
25 581
26 242
*29 449
*XI. 1 406
*1.3 403
*3 150.401
5 802
*6 4.129.208.408
16 266
*21 481
*31 261
XII. 1 173
*2 340.362.447
6.7 243
9 72
23 131
24 307
*XIII. 2 70
*4 525
5 447
*8 265

* 10 729
16 531
21 381.386.391

EPIST. JACOBI.

I. 2 243
6 403
10 531
* 14 198.240
* 15 233
16 235
17 76.81.461
18 18
*II. 5 130
* 10 238
* 14 405
19 155.392
21 404
* 24 438
* 26 399
III. 2 543
* 9 75.213
*IV. 12 651
*V. 12 496
* 14.15 690
16 764

I. PETRI.

I. 3 385
6 134
8 403.406
19 111.300
20 127
21 398
23 449
II. 5 567
* 6 560
8 136.140
9 561
13 515.639
14 519
16 468
* 21 334
* 24 332.359
III. 4 567
15 401
* 18 284.332
* 19 364
20 266
* 21 681.684
685.696
* 22 352
IV. 14 173
17 432
V. 1.2. &c 596
2 593
3 593.627
8 155
* 13 602

II. PETRI.

*I. 10 131
* 19 18.31.33.44.51
* 20 57
21 36.47
*II. 1 578.346
2.4 122
19 225
* 19.20 452
*III. 7.10 &c 792.793
* 16 31
19 144

I. JOHANNIS.

I. 1 13

7 333
8 543
* 9 765
II. 1 349
1.2 168.311
* 2 142.345
4 404
8 467
13.14 19
18 608
19 449.562
* 20.27 617.687
27 19
* III. 2 73.402
* 16 321.334
* 19 448
20 82
* 23 399
IV. 1 56.57.578 583
3 608
* V. 3 546
* 7 100.105
12 261
13 448
* 16 242
19 142
20 102
21 489

II. JOHANNIS.

7 287
9 235.583
10.11 657

EPIST. JUDÆ.

4 130
6 122
* 9 167.485
14 795

APOCALYPSIS.

I. 3 44
* 4 76.106
5 333
8 102
* 10 512
11 36
18 366
* II. 17 133.567
23 159
* III. 4 462
* 13 573
* 14 103
18 540
19 243
* 20 260
* V. 1 58
* 8.9 332.481
* VI. 10 313
11 778
* VII. 3 491.694
2 159
* 15 462
* VIII. 3 168.349
* X. 5.6 496.793
* XI. 3 612
* 8 613
XII. 6 570
* 7 167
XIII. 3 586
* 8 131.136.265 440
11 608
XIV. 8 610
13 799
18 159

XVII.	1.&c.	610
*XVIII.	4	665
XIX	7 9	560
	* 20	169
*XX.	4	785.796
	5.6.&c	771
	* 11	794
	* 12	797
*XXII.	9	169
	* 11	413
	* 18	27
	* 23	132



INDEX.

RERUM ET VERBORUM.

A.

Actiones Dei quotuplices? pag. 109
Adamus fuit primus homo. 171. vires habuit credendi in Christum, 180. qualis fuerit ejus libertas in statu integritatis? 181. si integer mansisset, tandem in cœlum fuisset evehendus, 206. lapsûs ejus causa non est Deus, 209. vera causa lapsûs interna & externa, 210. Adam per peccatum amisit imaginem Dei. 212
Adoratio Eucharistiæ refellitur, 759
Adoptio divina quomodo differat ab humana? 428
Æquivocationes rejiciuntur, 533
Afflictiones fidelium non sunt pœnæ propriè dictæ. 243
Agapæ apud Veteres quid? 722
Altaria in N. T. nulla. 729
Amor Dei Benevolentiæ, Beneficentiæ, complacentiæ. 94
Angeli quid? 154. nomina Angelorum, ibid. Dari Angelos probatur, ibid. Angeli sunt personæ, 155. an sint electi in Christo? 122. Angeli mali damnati sine spe restitutionis 123. quo die creati sint? 155. non creati ante principium Mosaicum, ibid. sunt substantiæ spirituales & incorporeæ, 156. Angelorum ubi & motus. 157. eorum cognitio quotuplex? 158. objectum & motus cognitionis Angelicæ, ibid. Angeli non nôrunt cogitationes hominum, 159. mutua inter Angelos communicatio. 159. non operantur per meram voluntatem, 160. eorum liberum arbitrium. ibid. an illis affectus tribuendi? ibid. eorum potentia, quid possint in corpora, quid in animam? ibid. an possint substantias producere? 161. an possint suscitare mortuos? ibid. quare Deus eorum ministerio uratur? 162. eorum officium, ib. apparitiones, ib. quænam corpora assumserint? 163. angelorum apparitiones non amplius sunt in usu. ibid. Angegeli boni & mali, 164. Angelus custos an detur? ibid. ordo Angelorum, 165. Hierarchia Angelorum refutatur, ibid. Angeli non sunt intercessores nostri apud Deum, 168. Angelis cultus religiosus non debetur, 169. corum peccatum. 170

Anima non propagatur per traducem, 172. animæ immortalitas adstruitur. 776
Antichristus depingitur. 608
Apochryphi 29
Ἄφεσις & πάρεσις. 440
Aquarum divisio & collectio. 153 aquæ supracœlestes non dantur. 183
Arbor scientiæ boni & mali. 205 arbor vitæ. 206
Articuli fundamentales & non fundamentales. 13
Ascensio Christi fuit propria. 368
Aspersio in Baptismo ritè adhibetur. 696
Astrologia judiciaria rejicitur. 181
Athei num dentur? 66
Attributa Dei vel communicabilia vel incommunicabilia. 71 72
Aureolæ Pontificiorum. 465
Authenticum scriptum quid? 48 authentia historiæ & normæ. 25
Αὐτοχειρία. 522
Azymus panis non necessariò adhibendus in S. Cœna. 723

B.

Baptismi definitio. 695. vocis etym. ibid. Homonymia, ib. Baptismus fluminis, flaminis, sanguinis. ibid. Baptismus internus & externus. 696. Baptismi efficiens, materia, forma, finis. 696. Cur Christus signum Baptismi, & non aliud instituerit? 697 aptismus non est tantùm ritus temporarius, sed usus perpetui. 697. Necessitas Baptismi non est absoluta. 700. Baptismus Laicorum & mulierum est illicitus. 703. An Baptismus ab hæreticis administratus sit legitimus? 704. An liceat petere Baptismum ab hæretico? 705. Baptismus Johannis idem cum Baptismo Christi. 705. Formula Baptismi quid importet? 709 Formula Bapt. à Christo præscripta est observanda. 709. quænam formula, Græcorum aut Latinorum sit melior? 710. An in Ecclesia Romana retineatur vera Doctrina de Baptismo 711. Ritus superstitiosi Pontificiorum circa Baptismum. 711. Baptismus Pontificiorum num iterandus? 712. An Baptismus suscipi possit à Sacerdotibus Papisticis? ibid. Per Baptismum peccata non omninò tolluntur. 713. An Baptismus extendatur ad peccata futura? 714
Beati cœlites an se invicem agnituri sint? 813. An Deum etiam vocali sermone sint glorificaturi? 814
Bellum gerere in N. T. licitum. 520
Bonitas Dei est vel generalis, vel specialis, vel specialissima. 94
Bona Ecclesiastica. 635

C.

Calvinus Christo non tribuit desperationem. 361
Canones Ecclesiastici. 652
Capelli sententia de textu Hebræo. 42
Catechumeni & non baptizati an pertineant ad Ecclesiam? 563

Cen-

Censura Ecclesiastica non est penes totum populum, 659
Character indelebilis in sacramentis non datur. 692
Χειροτονία & χειροθεσία. 631
Christus est verus Deus. 102. quo modo possit vocari αὐτόθεος. 103. An Christus sit causa & fundamentum electionis? 126 Christus cur non statim post promissionem missus? 268. Est verus Messias. 273. Nativitatis Christi annus, dies & mensis incertus 276. Cur debuerit esse θεάνθρωπος. 279. quomodo sit Dei filius? 380. An Christi corpus fuerit formatum momento, an successive? 291 An nativitas ejus fuerit ordinaria? ibid. Christus est verus homo. 292. an caro Christi ex substantia Beatæ Virginis desumta? 293. Christus an habuerit fidem & spem? 296. Christi anima ab ipsa creatione non ita repleta fuit scientiâ, ut nihil ignorârit. 297. Christus an fuerit simul viator & comprehensor? 299. ejus sanctitas pertinuit ad officium mediatorium. 300. Christus peccare non potuit. ibid. est verè εἰρηνοποιὸς 307. est Mediator secundum utramque naturam. 308. est Propheta, Sacerdos & Rex Spiritualis. 314. Christus ante inchoatum publicum ministerium non raptus fuit in cœlum. 314. an dici possit Legislator? 316. Legem moralem non correxit. ibid. verus fuit sacerdos, non figuratus. 321 non demum in cœlo sacerdos factus est. 322. Christus jus vitæ æternæ nobis acquisivit. 339. Spiritum S. & fidem nobis meruit. 339. non pro omnibus mortuus est. 341. quod Christus meritus est, id etiam fidelibus applicat. 347. Christus in terris Rex fuit. 352. cum Patre regnat in Ecclesia. ibid. Christus sibi nihil meritus est. 361 Christi anima post mortem non descendit ad limbum Patrum, vel purgatorium. 362. Christus in cœlo verum corpus habet. 368. An Christus sub V. T. habuerit tantùm rationem sponsoris fidejussoris. an etiam expromissoris? 443. Christus an quà mediator sit adorandus? 482. solus est caput Ecclesiæ. 594. Non est tantum objectum secundarium fidei? 367
Ciborum Discrimen in Nov. Test. abrogatum. 550
Clerici subjecti sunt magistratui. 938
Codex noster Hebræus hodiernus est verus codex. 42
Cœlum supremum est locale. 152
Cœlibatus personis Ecclesiasticis non recte injungitur. 424
Cœna Domini. 720. varia nomina quibus exprimi solet. 720 Cœna Domini cur vocetur? ibid. Verba cœnæ impropriè sunt intelligenda. 734
Cognitio Dei quomodo acquiratur. 5

Communicatio idiomatum quid? 297. potest dici realis. ibid. spectatur vel in concreto, vel in abstracto. ibid.
Communio bonorum inter Christianos non est necessaria. 530
Communio sub utraque specie adstruitur. 730
Concilia. 641. eorum necessitas. 642 concilia indicere non convenit Papæ. ib. illorum auctoritas. 643. Concilium Tridentinum. 644
Concupiscentia in regenitis verè peccatum est. 232
Concursus Dei cum creaturis non est tantum generalis & indifferens, sed particularis, specificus, immediatus. 189. 190 concursus physicus & moralis, mediatus & immediatus, per modum principii, & per modum actionis. 192. prævius & prædeterminans, simultaneus sive concomitans. 193
Confessionum & Symbolorum auctoritas. 650
Confessio auricularis refellitur. 763
Confirmatio non est sacramentum. 686
Consecratio Eucharistiæ non fit pronunciatione verborum: Hoc est corpus meum. 724. debet fieri alta voce. 725
Consequentiarum usus? 28
Consilia Evangelica Papistarum rejiciuntur. 539
Conjubstantiatio refellitur. 745
Contradictiones veræ in Scriptura non occurrunt. 59
Conventus majores sunt juris divini. 645
Conversio quid? 369. Conversio prima & secunda. 377. Ad conversionem nullæ sunt præviæ dispositiones. 379. actio Dei in conversione hominis non est tantùm moralis. ibid. In primo conversionis momento homo se habet merè passivè 387. in conversione Deus determinat voluntatem hominis. 391
Corpora hominum morientium non in nihilum rediguntur. 776 corporum glorificatorum qualitates. 709. Corporis vocabulum quomodo apud Patres sumatur? 156
Creatio quid? 146. vel latè sumitur; vel strictè, ibid. immediata, & mediata. 146. creare solus Deus potest. 147. omnia sunt creata ex nihilo. 150. & quomodo? ibid. opera primi diei. 152. opera secundi diei. 153. tertii diei. ibid. quarti, quinti, sexti diei. 154
Creaturam innocentem Deus non potest æternis cruciatibus afficere. 208
Credere Deum, credere Deo, & credere in Deum quomodo differant? 392
Crux non adoranda. 494
Culpâ remissâ non remanet pœna. 430.

D.

Decalogus an sit formula fœderis gratiæ? 465. An præcepta Decalogi sint indispensabilia? 469. Regulæ explicationis Decalogi. 475. Rectè quatuor præcepta primæ tabulæ assignantur, & sex secundæ. 476

Decre-

Decretum quid? 109. Decreta an sint in Deo, & quomodo? 109 110. Decretorum attributa. 109 Decreta in Deo non sunt accidentia. ibid. Decreta quomodo necessaria & libera? 110. quæ in Decreto observanda? ibid. Decreta ideæ bene dicuntur. 111 sunt æterna. ib. quomodo dicantur absoluta? 112. non dantur Decreta conditionata. ib. Decretum Dei effectivum, morale, permissivum. 114. An afferat necessitatem rebus futuris? 117. Decretorum ordo. 144
Descensus ad inferos quid notet? 356. Non pertinet ad exaltationem Christi? 363
Dei definitio. 64. Deum esse probatur. ibid. Dei nomina, 66 Nomen Θεὸς, Elohim, &c. Essentiam Dei notant 71. Dei spiritualitas. 72. Unitas. 73. Simplicitas. 74. Æternitas. 75. Primitas. 77. Quomodo Deus sit à seipso? 77. Infinitas Dei. ibid. immensitas & omnipræsentia. 78 Phrases recentiorum de omnipræsentia Dei explicantur. 80 Deus rectè dicitur sano sensu ubique repletivè. 80. Est etiam extra mundum. ibid. Quomodo Creaturis præsens sit. ibid. Immutabilitas Dei. ibid. Intellectus & scientia Dei. 81. Voluntas. 85 Potentia. 90. Justitia 91. Bonitas. 94. Gratia ib. Misericordia. 95. Dominium. ib. Deus determinat etiam ea, quæ creaturæ liberè faciunt. 188. Deus quomodo agat per media? 196 Non est auctor peccati. 198
Διαθήκη, an etiam notet fœdus? 248
Diei Dominici observatio, an sit institutionis humanæ? 511
Dispositiones in homine irregenito nullæ sunt ad conversionem. 229
Dubitare de Deo an liceat? 487
Duellum. 524

E.

Ecclesiæ nomen 552. 553. Nomen Ecclesiæ non tantùm tribuitur cœtui singulari. 554. An cognitio Ecclesiæ debeat præcedere cognitionem doctrinæ. 555. Definitio Ecclesiæ Pontificia. 557 Ecclesia militans & triumphans. 557. Ecclesia una. ibid. Ecclesia quomodo Catholica. 558 Impii, hypocritæ, non sunt vera membra Ecclesiæ. 559. Ecclesia quomodo visibilis & invisibilis 566. Ecclesiæ visibilis defectibilitas. 569. visibilis perennitas. 572. Ubi Ecclesia nostra fuerit ante Lutherum & Zuingelium? 574. An Ecclesia vel in Papa vel in Concilio sit infallibilis? 576. Necessitas se adjungendi veræ Ecclesiæ. 581. Notæ veræ Ecclesiæ. 582 Notæ Pontificiæ. 585. Regimen Ecclesiæ non est monarchicum. 592. Ecclesia an major esse non debeat, quàm ut in uno locò ad audiendum Dei verbum convinere possit? 644. Ecclesiæ Regimen politicum. 660. Ecclesia Romana non est vera Ecclesia. 665

Editio

Editio Hebræa & Græca V. & N. Test. solæ sunt authenticæ. 47
Ἐκλογὴ quid? 121
Electio quid? 123. Electio non facta ex prævisione fidei aut operum. 128. Est immutabilis. 130 Electio angelorum. 122. num sint electi in Christo? 122. fidelis potest esse certus de sua electione, & fide. 133. 405
Elohim non semper probat Trinitatem. 108
Enthusiasmus Reformatis falsò impingitur. 382
Ἐμπεριχώρησις. 68
Episcopi non sunt juris divini. 624
Error quotuplex? 14
Essentia quid? 66
Evangelii revelatio non pendet ex bono usu donorum naturalium 262. Evanglium quid circa conversionem hominis faciat? 370
Εὐχαριστία & συναγία cur S. cœna vocetur? 720
Eutychianismus. 284
Excommunicati, an sint Ecclesiæ membra? 565
Excommunicare an liceat? 635
Exinanitio & *exaltatio* secundum quam naturam Christo tribuenda sit? 355
Exorcismus refellitur. 500
Expansum quid & quotuplex? 153
Extrema unctio non est Sacramentum. 689

E.

Fatum quotuplex? 189
Festa præter diem Dominicum instituere an liceat? 513
Fides quid? 392. vocis homonymia. ibid. Fides quæ creditur. & quâ creditur. ibid. Fides historica, temporaria, miraculorum & salvifica. ibid. Fides temporaria differt specie à justificante. 393. actus fidei. 395. Fides pertinet ad intellectum & voluntatem. ib. Fidei objectum generale & speciale. 396. objectum fidei non potest esse falsum. ibid. An fides præcedat pœnitentiam? 397. Distinctio fidei in formatam & informem rejicitur. 398. Ad fidem requiritur notitia 400. Fides implicita Pontificiorum. ibid. An fiducia sit forma fidei? 402. Ad fidem requiritur fiducia specialis in Christo. ibid. Vera fides à charitate est inseparabilis 404. Fides est habitus. 409. in Decalogo præscribitur, 410. An fides justificet propriè & per se? 432. Non justificat dispositivè aut meritoriè. 434. sed ut instrumentum. 436 Fides sola justificat. ibid. Fidei forma non est charitas. 398
Fideles V. T. verè fuerunt justificati. 439
Filius Dei naturam humanam in unitatem personæ assumsit. 285
Fœdus naturæ dari probatur. 205 quale fuerit fœdus illud? ibid. Fœdus quid? 246. nomen fœderis. 247. Fœdus gratiæ est mixtum ex Testamento & fœdere. ibid. Fœdus inter Deum & homines non est proprium, ibid. Fœdera duo, operum & gratiæ, 248. Non

248. Non dantur tria fœdera. 249. Partes contrahentes fœderis gratiæ. 250. Fœdus Operum & Gratiæ in quo conveniant & differant? 251. Diversa œconomia fœderis gratiæ. ibid. Vet. & Nov. fœdus quomodo differant? 253. Vetus fœdus latè vel strictè sumitur, ut & Novum, Sententiæ Reformatorum conciliantur, ibid. Sententia Lutheranorum de discrimine V. & N. fœderis. 254. Vera sententia. 255. Fœdus gratiæ an sit conditionatum? ib. Fides & resipiscentia quomodo sint conditiones fœderis gratiæ? 256. Fœdus gratiæ non est universale. 257. Fœderis conditiones Deus in nobis præstat. 263. Fœdus gratiæ unum est quoad substantiam in V. & N. Test 264

Fractio panis quid notet? 721 est necessaria in usu S. Cœnæ. 727

Futura contingentia Deus præscit. 82

G.

Gentilium virtutes non fuerunt bona opera. 228

Gradus gloriæ dari probatur 810

Gratia Dei vel affectivè sumitur, vel effectivè. 94. Gratia gratis data & gratum faciens? 95. Gratia universalis non datur. 139 Gratia sufficiens ad salutem non omnibus datur. 259. Gratiam sufficientem internam non omnes homines habent. 372. Distinctio gratiæ in sufficientem & efficacem rejicitur. ib. Gratiæ excitans, adjuvans, operans, cooperans. 377. Gratia efficax est irresistibilis. 382

H.

Hæreses & errores mentis peccata sunt. 235

Hæretici an sint puniendi? 662 Hæreticis fides est servanda. 498

Homo naturalis quid circa scripturam possit? 32. Non est conditus in puris naturalibus. 174. Ante lapsum fuit immortalis. 176

Homicidium defensivum. 521

Hostiæ orbiculares rejiciuntur. 726 Hostiæ circumgestatio refellitur. 761

I.

Idea Dei. 6

Jehovæ nomen soli Deo proprium 69

Imago Dei in quo non consistat? 177. in quo consistat? 178

Imaginum cultus oppugnatur. 488. De formatione imaginum. 491

Immutatio superstitum in ultimo judicio. 788

Impotentia hominis peccatoris an sit naturalis vel moralis? 227

Incarnationis vox. 277. Incarnatio non fuit necessaria nisi posito peccato. ibid. Incarnatio Filii Dei posito peccato & Decreto Dei fuit necessaria. 278. Sola per-

persona secunda Trinitatis est incarnata. 279. Cur filio incarnato non etiam tota SS. Trinitas sit incarnata? ib. An natura divina sit incarnata? 280
Indulgentiæ Papisticæ notantur. 765 Indulgentiæ Veterum. 566
Induratio & excœcatio quomodo Deo tribuantur? 199
Infantes an habeant fidem? 407 Infantes fidelium sunt baptizandi. 715
Infernus & ejus variæ denominationes. 804 Infernum dari probatur. 805. In quo pœnæ infernales consistant? ib. Ignis infernalis an sit futurus corporeus. 806. Pœnarum infernalium adjuncta. ib.
Intentio bona non sufficit ad bonum opus. 457. Intentio ministri non requiritur ad efficaciam Sacramenti. 676
Intercessio Christi qualis. 348. An Christo possit tribui secundum naturam divinam? 348. Propria est, & distincta à munere Regio ibid.
Interpres Scripturæ quotuplex? 50
Invocatio Sanctorum oppugnatur. 478
Irregenitus se ad conversionem disponere non potest. 229
Judæorum conversio. 790
Judex controversiarum. 50
Judicium privatæ discretionis in rebus fidei. 56
Judicii ultimi annus & dies incognitus. 789. Signa ultimum judicium antecedentia. ib. Judicii ultimi veritas astruitur. 794 Judex. 795. objectum judicii. 796 Forma, norma judicii 797. sententiæ promulgatio & executio. 798. Locus judicii. ibid.
Juramenta sunt licita. 496. Juramenta per Creaturas illicita. 497 Juramenta quomodo obligent? 497
Jus Dei absolutum & ordinatum. 95
Jus Canonicum. 653
Justificatio quid? 411. Vocis Homonymia. ib. Verbum justificandi sumitur sensu forensi. ib. Justificatio quomodo Deo tribuatur? 413. Justificatio activa & passiva. 414. Est diversum donum à Sanctificatione. ib. Causa impulsiva justificationis non est justitia inhærens. 415 Justificamur per justitiam Christi. 219. Justitia Christi activa etiam nobis imputatur. 423. Justificatio non tantùm consistit in remissione peccatorum. 426. An justificatio nostra sit facta ab æterno? 452. Non fiet demum novissimo die. ibid. sed fit in hac vita, invocatione efficaci. 453. An justificatio sit actus indivisus. ib. Adjuncta justificationis. ibid. Justificatio prima & secunda Pontificiorum rejicitur. 454
Justitia quâ coram Deo justi sumus non est justitia Dei essentialis. 414
Justitia Dei universalis, particularis, distributiva, commutativa, Dominica, vindicatrix. 91. 92 Justitia vindicatrix est Deo naturalis 92

Justitia originalis homini fuit naturalis. 178

K.

Κοινωνία cur. S. Cœna vocetur? 721

L.

Λατρεία quid? 721
Lex quid? Vocis Etymologia, Homonymia, Lex naturalis latè vel strictè sumta, positiva. 202. 203. Legem naturalem dari probatur. ibid. Origo legis naturalis non petenda est expræceptis Noachidarum. 204 Discrimen inter legem naturalem & moralem 204. Cur Deus legem naturalem. repetiverit? ib. Lex obligat simul ad obedientiam & pœnam. 213. Lex moralis à Christo non correcta, 316. Lex in conversione hominis quid faciat? 370 Legis moralis usus. 466. Lex moralis non est abrogata sub N. N. 467. Lex qualem obedientiam exigat? 475. Legem Dei homo non perfectè implere potest. 542 Lex Ceremonialis & ejus usus. 547. An data sit ex ira in iram? ibid. Est abrogata sub N. T. 548 quando abrogata? 551. Lex forensis quomodo abrogata? ib.
Liberum arbitrium. Ejus vox an retinenda? Ad quam animæ facultatem pertineat? 221. An libertati quævis necessitas repugnet? ib. Liberum arbitrium in genere Entis. 222. Non constitit in ἀδιαφορίᾳ. 223. Libertas posita est in lubentia rationali. 224. Liberum arbitrium in genere moris. ib. Liberi arbitrii idolum impugnatur. 225 Liberum arbitrium in omni statu hominis. 228
Libertas Christiana. 428
Limbus Patrum refellitur. 801
Limbus infantum. 803
Linguarum diversitas an in cœlo futura? 815. quæ lingua locum sit habitura in cœlo? ib.
Lutheranorum & Pontificiorum sententiæ de S. Cœna differunt. 762
Lux primigenia quid fuerit? 153

M.

Macula in peccato quid notet? 240.
Magistratum gerere licet Christiano. 515. Magistratui licet facinorosorum hominum sanguinem fundere. 519. An magistratui competat jus regendi Ecclesiam? 648. Magistratus quid possit facere circa sacra? 661. An Magistratus subditos ad fidem cogere possit? 662
B. V. *Maria* quomodo possit dici θεοτόκος. 284.
An semper virgo fuerit, tam post partum, quàm ante? 292. Non habuit votum virginitatis. ib.
An fuerit ex tribu Judæ? 295.
Materia prima, quomodo dicatur informis? 152.
Matrimonium non est Sacramentum 691.

Ma-

Mediatores plures veri non dantur. 310. Mediator redemtionis & interceſſionis idem eſt. 311. Mediatores ſecundarii, miniſteriales, mediati non dantur. ibid.
Melchiſedek quis fuerit? 325. quid τάξις Melchiſedeci? ibid. Convenientia Chriſti cum Melchiſedeco. 326.
Mendacium officioſum & jocoſum non eſt licitum. 536.
Merces Adamo qualis promiſſa? 205.
Merita noſtra cum meritis Chriſti non poſſunt componi. 460. Merita ex congruo & ex condigno rejiciuntur. 459. 464.
Meſſias promiſſus jam venit. 368.
Μετάνοια & μεταμέλεια. 369.
Millenarii perſtringuntur. 780.
Miniſterii publici neceſſitas. 614.
Miracula phyſicè & realiter non operantur homines. 148. 196.
Miſericordia Dei quid? 95.
Miſſa quid apud Veteres notaverit? 722. Miſſæ ſacrificium oppugnatur. 751. &c. Antitheſis inter miſſam & cœnam Domini. 752.
Monaſtica vita rejicitur. 633.
Μονόσι☉. 68.
Moſes non fuit impoſtor. 17.
Motus primo primi ſunt peccatum. 539.
Mundi vocabulum quomodo ſumatur in S. Scriptura? 142. Mundus non fuit, nec eſſe potuit ab æterno. 148. an potuiſſet citiùs creari? 149. quo anni tempeſtate mundus conditus ſit? 150. an mundus unico momento creatus ſit? 151. an mundus ſit annihilandus? 791.
Myſterii vox. 667. S. Cœna vocatur myſterium. 722. myſteria fidei duplicia. 12

N.

Natura humana Chriſti non fuit perſona. 288. Natura humana in θεανθρώπῳ num poſſit dici ejus adjunctum vel pars? 289. Chariſmata in humanam Chriſti naturam collata. 295. 296.
Neceſſitas quotuplex? 117
Neſtorii error impugnatur. 283.
Nihilum quotuplex? 147.
Notionis vox. 68. actus notionales. ibid.
Noviſſima tempora quid ſignificent in S. Scriptura? 766

O.

Omnis ſumitur vel diſtributivè vel collectivè. 143
Omnipotentia, vide Deus.
Omnipræſentia, vide Deus.
ὁμοούσιον, & lites occaſione hujus vocis. 67
Opera bona quæ ſint? 457. quomodo ſint neceſſaria? 458. operibus bonis homo gratiam vel gloriam mereri non poteſt. 459. opera fidelium an ſint verè bona? 546. opus operatum quid? 683
Ordo non eſt ſacramentum. 691.

P.

Papa non eſt ſucceſſor Petri, ac œcumenicus Pontifex. 603.

Parabolæ non sunt mendacia. 538.
Paradisus non amplius supereſt. 208
Parentes. An filii invitis vel inſciis parentibus voto ſe adſtringere poſſint? 516. Parentum conſenſus neceſſarius eſt matrimonio liberorum. 518
Paſſiones Chriſti. An paſſiones Chriſti ſatisfactoriæ ſint reſtringendæ ad eas, quas ad trihorium paſſus eſt? 355. An Chriſtus etiam paſſus ſit in anima rationali? 358. An Chriſtus poſſit dici pœnas inferni tuliſſe? 360
Patres V. T. an adhuc fuerint ſub ira & maledictione? 443. An Deus peccata Patrum ab iis exigere potuerit? 442
Patrum dicta & ſcripta non ſunt Regula veritatis. 54
Peccatum ſubeſt providentiæ Dei circa initium, progreſſum & finem. 196. 197. Circa peccatum tria ſpectanda, actio ipſa, ἀνομία actionis, & judicium ſubſequens. 200. Peccati primi gravitas. 210. gradus iſtius peccati. 211. Primus gradus fuit incredulitas. ibid. Fructus iſtius peccati. 212. Peccatum *Originale*, 214. Peccatum Adami ejus poſteris imputatur. 216. Peccatum an ſit poſitiva qualitas? 219. Peccatum originale non tantùm negativè concipiendum. 220. Etiam animæ partem ſuperiorem infecit. 221. Quomodo propagetur? 231. Non eſt ipſa ſubſtantia hominis. 233. Peccatum *actuale*. Ejus Etymon. Auguſtinus quomodo peccatum definiat? Ratio formalis peccati eſt ἀνομία. 234. 235. Peccatum non omne eſt voluntarium. 236. Peccata venialia ſuâ naturâ non dantur. 237. Peccatum in Spiritum S. 241. Eſt abſolutè irremiſſibile. 242. Peccati pœna. 243. Peccatum poteſt eſſe pœna peccati. 244. Peccata piorum an in ultimo judicio ſint revelanda? 798
Perſeverantia Sanctorum aſtruitur. 444
Perſona quid? 67. 69. Perſonæ divinæ quomodo differant ab Eſſentia & inter ſe? 97
Petrus non fuit Monarcha Eccleſiæ. 595. Non fuit Epiſcopus Romanus. 599
Philoſophiæ in Theologia uſus & abuſus. 5. 11. Ad quæ Philoſophia non pertingat? 7
Pœnitentia quomodo Deo tribuatur? 81. pœnitentia quid? 369. Pœnitentia non eſt Sacramentum. 688
Polygamia ſimultanea non eſt licita. 529
Polytheiſmus gentilium unde ortus? 73
Politia Judaica non eſt reſtituenda. 787
Potentia Dei. 90. Potentia & poteſtas ejus diſtinguuntur. 91. Potentia vel ordinata vel abſoluta. *ib.* Potentia Dei ſe non extendit ad contradictoria. *ib.*
Poteſtas Eccleſiæ. 645. quomodo differat à poteſtate politica? 647. Poteſtas propriè legislatoria Eccleſiæ non competit. 650
Prædeſtinatio quid? 119. An doctri-

na de Prædestinatione publicè doceri & prædicari debeat? ibid. Cautiones circa ejus doctrinam. 120. Vox Prædestinationis multifariam sumitur. *ib.* complectitur Electionem & Reprobationem. 121. Prædestinatio Angelorum. 122. Quomodo Deo prædestinanti obversati sint? ibid. Prædestinationis objectum non est homo creabilis & labilis, sed creatus & lapsus. 123. 124. &c. Prædestinatio versatur circa homines singulares. 138

Preces pro mortuis rejiciuntur. 803

Primatus in Ecclesia Romana paulatim invectus est. 607

Processio Spiritus S. quomodo à generatione Filii distinguatur? 107

Πρόγνωσις & πρόθεσις quid notent & quomodo differant? 121

Proprietates divinæ quomodo distinguantur ab essentia? 72. Proprietatis vox. 68. Proprietates naturæ divinæ non sunt communicatæ naturæ humanæ. 301

Providentia quid? 185. Providentiam dari probatur. ib. Quid Deus per Providentiam circa Creaturas agat? 186. Deus Providentiâ suâ regit minima. 186. Providentia realis, moralis, permissiva. 187. Deus providentiâ suâ regit contingentia & fortuita. *ib.* Providentia circa peccatum. vide *Peccatum*. Ex Doctrina nostra de Providentia non sequitur Deum esse autorem peccati. 202

Puncta non sunt inventum Masoretharum. 47

Purgatorium refellitur. 799

R.

Ratio non est norma Religionis. 9. Rationis usus in Theologia. 8.

Reatus quid? 240. Reatus potentialis & actualis. ib. Reatus non est formale peccati. ibid. Reatus culpæ & pœnæ. 241

Regeneratio quid? 369. in quo consistat? 370. vide etiam Conversio.

Regnum Christi est vel essentiale, vel œconomicum. Non est mundanum. 350. Est æternum. 353

Relationis vox in divinis. 68

Reliquiarum cultus rejicitur. 485

Remissio peccatorum non consistit in eorum absoluta abolitione, sed in condonatione. 429. An remissio extendatur ad omnia peccata? 432

Reprobatio datur. 135. Reprobationis Decretum quomodo absolutum? 136

Resipiscentia quid? 369

Resurrectio Christi facta est propriâ potentiâ. 365. In resurrectione Christus saxum non penetravit. 366

Resurrectio nostra probatur. 767. Eadem numero corpora resurgent. 774. Resurrectio particularis martyrum nulla erit. 783

S.

Sabbathum. Ejus vox. 501. Præceptum de Sabbatho partim est morale, partim ceremoniale. 502.

502. Institutio Sabbathi fuit ante Legem. ibid. Præceptum de Sabbatho non est totum morale. 506. sed nec totum ceremoniale. 507. An ad moralitatem Sabbathi pertineat unius diei de septem determinatio. 509. Sabbathum quomodo sanctificandum? 512

Sacerdotium Christi differt formaliter à Regno. 324. Collatio & discrimen sacerdotii Levitici & Christi. ibid. Non dantur plures Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedeci. 326. vide etiam *Christus*.

Sacramenta fœderis naturæ. 205. Sacramentum quid? Vox sacramenti. 666. Synonyma. 667. Sacramentorum efficiens, materia, forma, finis. ibid. Requisita veri Sacramenti. 668. Sacramenta cur Deus instituerit. ib. Origo Sacramentorum. ibid. Discrimen eorum à verbo. ibid. Necessitas eorum. ibid. Signa Sacramentalia qualia? 669. An genus Sacramentorum sit actio? 670. Unio Sacramentalis qualis? ibid. Præsentia Sacramentalis. 671. Sacramenta non tantùm sunt signa, sed etiam sigilla. ibid. Sacramenta V. T. 678. Differentia inter Sacramenta Vet. & Nov. Test. 679. 681. &c. Non fuerunt tantùm umbræ, 679. Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato. 682. Sacramentorum qualis efficacia? 683. Sacramenta N. T. tantùm duo sunt, non septem ut Pontificii volunt. 686. Fundamenta numeri binarii Sacramentorum. 694

Sacrificia an obtinuerint ante peccatum? 550

Sanctificatio est vox homonyma. 455. Sanctificatio & justificatio quomodo differant? ibid. Sanctificatio non separanda à justificatione. ib. Sanctificatio non consistit in sola morum mutatione. 456

Sanctorum canonizationes rejiciuntur. 482

Satisfactionis Christi necessitas. 329. Veritas. 331. Perfectio. 336. Fructus. 338. Satisfactio Christi quomodo possit dici sufficiens pro omnibus? 340

Satisfactiones humanæ rejiciuntur. 337. nec cum satisfactione Christi componi possunt. 431

Scheol quid significet? 356

Schilo quid significet? 269

Scientia simplicis intelligentiæ & visionis. 83. Scientia media rejicitur. 84

Scripturæ S. definitio. 15. Divinitas, autentia. &c. *ib.* Necessitas. 16. Non tantùm incipientibus, sed etiam perfectis data. 19. authoritatem suam non habet ab Ecclesia. 22. Perfectio Scripturæ. 25. Perspicuitas. 30. Ad Scripturam intelligendam requitur Spiritûs S. illuminatio. 32. Scriptura à Pontificiis contemnitur. 22. Per seipsam innotescit. 23. Scriptura V. T. est etiam Canon fidei & morum. 33. Scriptura N. T. quomodo perfecta? 35. Spiritus S. quid circa Scriptores

tores sacros egerit? 35. Scriptores S. scripserunt Dei mandato, non tantùm fortuitis occasionibus. 36. Scriptores S. omnia scripserunt instinctu Spiritûs S. 37. Nullus liber Canonicus periit. 40. Scriptura debet legi. 43. Extra Scripturam Spiritum proprium sequi non debemus. 56. Sensus Scripturæ unicus. 57. Sensus mysticus. 59. A sensu literali non temerè recedendum. ib. Ad verum Scripturæ sensum indagandum quænam sint necessaria. ib. Scriptura non loquitur ad opinionem vulgi. 184

Seniores regentes non docentes dantur in Ecclesia. 635

Sensus Scripturæ. vide *Scriptura.*

Sensus quousque non fallant? 13. Sensuum testimonium 12.

Serpens in Paradiso fuit verus serpens, sub quo Diabolus latebat. 210

Sessio ad Dextram Dei quid notet? 367. Propriè non est naturarum, sed personæ. ib. Quando Christus cœperit sedere ad dextram Dei? ibid. Sessio illa non est localis. 368

Sors & ejus species. 499. Sors ludicra est illicita. 500

Spiritus Sanctus est persona. 104. Ipsius Deitas probatur. 106 A Patre & Filio procedit. 107. Est principium conceptionis Christi. 290. nec tamen Pater Christi dici potest. ibid.

Stipendia ministris solvenda sunt. 636

Subsistentia quid? 66. Subsistentia in divinis non dicit meram negationem. 97

Substantia in divinis quid? 66

Sydera in cælo moventur, & terra quiescit. 184

Syllogismi mixti, & quid de illis sentiendum? 10

Symbolum Apostolicum. 650

Synaxis cur S. Cœna vocetur? 721

T.

Τανυβύσις. 68

Terminus vitæ est fixus. 114

Textus originalis purus ad nos pervenit. 38. *Textus Hebræus* nunquam deserendus. 42

Theologiæ Etymologia, Homonymia, Synonymia. 1. Theologiam dari probatur. 2. Genus Theologiæ. ib. Est Theoretico-practica ib. Datur Theologia naturalis 3. Quousque pertingat Theologia naturalis? 5. non sufficit ad salutem. 7. Cur præter naturalem alia debuerit revelari Theologia? 8

Traditiones rejiciuntur. 27

Transsubstantiatio refellitur. 739

Trinitatis vox. 67. Trinitatis mysterium probatur. 98. Illud mysterium non ex lumine naturæ probatur. 108. Trinitatis speculum non datur. 479

Tropus in verbis Cœnæ ubi locum habeat? 739

Θυσία cur S. cœna vocetur. 722

U.

Ubi circumscriptivum & definitivum. 80

Verbi Homonymia. 15. Verbum ἔνσαρκον & ἄσαρκον quomodo differant? ib. Neceſſitas verbi ſcribendi. ib. Verbum Dei ab irregenitis ſalutariter audiri non poteſt. 378. Verbum ſacramentale non eſt operativum. 674
Verſionum neceſſitas. 45. authoritas. 46. Verſio 70. non eſt authentica. 48. *Verſio* vulgata non authentica. 49
Vetus Teſt. protenditur ab Adamo ad Chriſtum. 552
Vinum quod Chriſtus in cœna adhibuit fuit commune 724
B. *Virgo* in peccato originali nata. 231
Viſio Dei qualis in vita æterna? 807
Vita æterna in quo conſiſtat? ibid.
Unctus quid ſignificet? 307
Unio hypoſtatica quid? 285. Non benè explicatur ſimili animæ & corporis. 289. Unio duplex in Chriſto, perſonalis & naturalis. ibid.
Vocatio quid? 369. Externa & interna. ibid. Vocatio externa & interna an diſtinguantur tantùm eventu? 371. Vocationem ſufficientem non omnes homines habent. *ibid.* In vocatione Deus non intendit omnium ſalutem. 374. Vocatio efficax non eſt à congruitate. 390
Vocatio ad miniſterium an ſemper ſit neceſſaria? 618. Vocatio primorum Reformatorum. 620. Poteſt dici ordinaria vel extraordinaria. 623. Vocationis jus competit Eccleſiæ. 629
Voluntas Dei quomodo ſumatur? 85. Realis, moralis, permittens. 86. 90. Decreti, præcepti, εὐδοκίας & ἐναρεσίας, beneplaciti & ſigni, arcana & revelata. 86. Deus quædam vult neceſſariò, quædam liberè. ib. Non datur contrarietas in voluntate Dei. ibid. Voluntatis Dei nulla poteſt dari cauſa. ibid. Proprietates voluntatis divinæ. 87. Voluntas Dei non benè diſtinguitur in antecedentem & conſequentem. ibid. Voluntas Dei nulla inefficax 88. Non bene diſtinguitur in abſolutam & conditionatam. 89. An voluntas Dei ſit prima juſtitiæ Regula? 90
Voluntas hominis neceſſe habet regenerari. 278
ὑπόστασις in divinis quid? 67
Uſura an ſit licita? 531
Vulgus unde noverit Scripturam eſſe verbum Dei? 50

Z.

Zuinglius ſalutem extra Chriſtum non adſtruxit. 261. 262

FINIS.

EXTANTIUS ERRATUM EST.

Pag. 279. lin. 25. & 26. UBi pro *Filium* legendum. *Spiritum S.* Minora sunt. pag. 447. lin. 23. pro *iis.* leg. *ii.* pag. 21. lin. 1. pro κοινονίαι. leg. κοινωνίαι. lin 18. pro λειτυρεῖν. leg. λειτυργεῖν. lin. 27. pro ἀγίον. leg. ἀγίων. lin. 36. pro λειτυρίας. leg. λειτυργίας. Cætera Operarum ferè ejusmodi esse confidimus, ut vel non ὀφθαλμῷ Lector videre & judicare possit.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-067242510-18/fragment/page=902

den 8 Novemb 1699

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-067242510-18/fragment/page=903



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-067242510-18/fragment/page=905

FRANCISCI TURRETINI
SS. Theologiæ Doctoris & Professoris
COMPENDIUM
THEOLOGIÆ
DIDACTICO-ELENCTICÆ;
EX
THEOLOGORUM NOSTRORUM;
Institutionibus Theologicis ita auctum & illustratum;

Ut præter Explicationes Theticas & Problematicas in Controversiis verus status proponatur, πρῶτον ψεῦδος detegatur, vera sententia confirmetur, Argumentis ad paucas classes revocatis, præcipuæ Adversariorum Exceptiones & Objectiones diluantur, Calumniæ etiam Adversariorum abstergantur.

Memoriæ juvandæ causa Conscriptum à
LEONARDO RIISSENIO
SS. Theologiæ Doctore & V. D. M.

Cum Catalogo Hæreticorum tam Veterumquàm Recentiorum, unà cum præcipuorum eorum dogmatum Epitome.

Editio postrema prioribus recognitior, & à pluribus erratis tùm in Latinis, tùm in Græcis, tùm in Hebraïcis emendatior.



FRANEQUERÆ,
Apud LEONARDUM STRICKIUM
M. DCC. III.